The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA,

SELECTA E GRÆCIS ORIENTALIBUSQUE ET LATINIS CODICIBUS,

PUBLICI JURIS FACTA

CURANTE DOMNO J. B. PITRA

O. S. B. MONACHO E CONGREGATIONE GALLICA

NONNULLIS EX ABBATIA SOLESMENSI OPEM CONFERENTIBUS.

TOMUS SECUNDUS

IN QUO VETERES PRÆCIPUI AUCTORES DE RE SYMBOLICA PROFERUNTUR ET ILLUSTRANTUR.

PARISIIS,

PROSTAT APUD FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHOS.

M DCCC LV.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/spicilegiumsoles02pitr



I

II

apud dñm ipsa diuinitas eo quod principiū & creator sit omniū
rerum In danihelo capilli dñi candidi eo quod ant quus sit dierū ubi & sup
culi dñi Inspectio diuina eo quod omnia uideat sicut et illud In
apostolo Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.

III


apud dñm ipsa diuinitas eo quod principiū & creator sit omniū rerū. in danihele. capilli dñi candidi. eo quod antiquus sit dierū. ubi & supra

IV

apud dñm ipsa diuinitas eo quod principiū
& creator omniū rerū. in danihele; Ca
pilli dñi candidi eo quod antiquus sit di
erū ubi sup. Oculi dñi inspectio diuina, eo
quod omnia uideat. sicut illud in apto: oīa

V



VI



VII



VIII

IX



AMPLISSIMO. VIRO

A. G. W. THAYER

GALLIARUM. SENATORI

COMMENDATORI. EQUITUM. ORD. ROM. S. GREGORII

EQUITI. SS. ORDINIS. SS. SEPULCRI

ET

LEGIONIS. HONORIFICÆ

ALIORUMQUE MUNERUM ET HONORUM LUMINE

MERITO ILLUSTRI

SPICILEGII TOM. II

GRATI. MEMORESQUE. IN PERPETUUM

SOLESMENSES

D. D. D.

INEDITÆ CODICUM ET MONUMENTORUM PICTURÆ.

AD TOMUM ACCESSERUNT.

Loco 1° et 2° specimen exhibetur duorum Theodulphi codicum, de quibus vide p. XIX et 547.
3° Initium *Claris* e codice Argentoratensi, vid. p. XVI.
4° Initium ejusdem e codice Trecensi 1264, vid. p. XVII.
5° Initium et finis *Physiologi* metrici e cod. Paris. 390, vid. t. III, p. 360, 368.
6° Initium anonymi e cod. Carnot., vid. p. XXX, et t. III, *Prolog.*, p. LXXXII, n. 1.
7° Sigillum Bernardi scholastici e titulo S. Gaugerici Cameracensis, vid. t. III, p. 581.
8° et 9° Gemmæ duæ, de quibus vide t. III, p. 516 et 583.

Monetur lector ne sphalmata quæ hic illic reperturus fortasse est variis auctoribus potius quam typothetarum incuriæ ascribat immerito, sed diligenter ad singula conferat indicem correctionum ad calcem tomi rejectum.

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO J. B. PITRA,

Monacho Ordinis S. Benedicti Congregationis Gallicae.

PIUS P.P. IX.

Dilecte Fili, Religiose Vir, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Perlatum Nobis dono fuit exemplar libri, quo sanctorum Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum opera, quae in Bibliothecis latebant, studio Tuo illustrata, mox in lucem publicam prodiverunt. Etsi autem Nos ob continuas Supremi Apostolatus curas et sollicitudines eorumdem lectione delectari hactenus non potuerimus, multas tamen Tibi persolvimus pro oblato munere gratias. Consilium vero tam egregium ac Viro Ecclesiastico, Benedictino praesertim Sodali, maxime dignum praecipua Nos laudum commendatione prosequentes, non parvo Christianae Reipublicae bono et emolumento futurum etiam confidimus.

Sumas idcirco animum, Dilecte Fili Religiose Vir, ad coeptum laborem impigre sustinendum, atque ad alia ejus-

modi monumenta in posterum edenda; ita namque laudes amplificabis Religiosi Tui Instituti, faciesque ut Nostra de Vobis opinio plurimum augeatur. Deum supplicibus precibus exoramus, ut Tibi atque universis ex Ordine Tuo, qui istic Ipso benedicente feliciter creseit, majora in dies tribuat munera coelestis gratiae suae, quorum auspicem, ac propensissimae Nostrae erga Te atque illos voluntatis pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi ipsi, Dilecte Fili Religiose Vir, atque omnibus Tuis istis Sodalibus intimo paterni Cordis affectu amanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 28 Aprilis anni 1852.
Pontificatus Nostri Anno VI.

PIUS P.P. IX.

PROLEGOMENA

AD

SPICILEGII

SOLESMENSIS

TOMUM II.

Multorum ævi christiani sæculorum opus, sub unius viri nomine, nunc primum publicam in lucem edimus. Huc enim pertinuit, servata temporum ratione, sancti Melitonis, apostolici viri, liber, Eusebio ἡ Κλείς, Hieronymo *Clavis* ideo dictus, quod allegorica Scripturæ sacræ arcana reserat propemodum universa. Quem quidem proferre nos piguit, nisi cum eo prodirent, uno in conspectu, tum veteres latini interpretes, a quibus, textu græco deficiente, quod supererat accepimus; tum præcipui commentatores qui, minus quidem noto auctoris nomine (id enim ultro fatemur), stratam ab eo viam triverunt nihilominus, et de eodem omnino argumento, ne verbis quidem mutatis, alii post alios, disseruere. Quæ vero aut longius a communi semita abire, aut proxime nobiscum facere non videbantur, ne a cæteris non omnino diversis amoverentur, idcirco ea in secunda tomi tertii parte libenter collocavimus. Habes igitur in duobus hisce voluminibus corpus quoddam Melitonianum, in quo, præter omnia variorum sancti Melitonis librorum fragmenta, quæ græce aut syriace exstare noverimus, continentur præcipue Clavis ejusdem tria et decem capita; quæ commemorandis Dei et Christi titulis principium faciunt, indeque per universitatem rerum supernarum, terrestrium et humanarum deducta, rem symbolicam, qua patet, amplectuntur et circumscribunt. Singula vero capita in tot particulas dividum-

tur, quot fuerunt spiritualis interpretationis symbola antiquitus instituta. Hæc ad Melitonem.

Ad commentatores vero quod attinet, illorum ante oculos stetisse eadem symbola, illorum in mente inhæsisse allegoricas interpretationes vel Melitonianis similes, vel ex iisdem consequenter exortas, sole clarius erit. Satius igitur visum est non disjungere a similibus similia, Melitonem ab interpretibus. Unde singula Clavis lemmata, quæ nobiliori charactere et longiori linea facile distinxeris, statim excipit varius (ita eum inscribi libuit) veterum commentarius, ut is interpretum consensus, ab ævo apostolico inde ad duodecimi circiter sæculi finem (qui Spicilegii nostri terminus solemnis est) continuo et ἀνεκδότῳ textu, se perpetuum exhibeat. Hæc primum habuimus dicenda de universa operis nostri ratione.

Ecce autem vereor ne vel a primo limine non pauci, aliquantum in me commoti, dicant : « Nempe incommodius nihil esse, nihil molestius; scilicet obrui duos tomos unius auctoris mole, ejusdem argumenti tædio. Nec eam esse rei dignitatem, nec viri famam, quæ fallat lectoris fastidium. Quis Melito, nosse neminem, neque jam esse tanti. An momenti majoris, an sæculi allegoriarum ineptiolas venari? Majorum fortasse rusticitati fuisse in deliciis hoc pabulo vesci : sed quid ad nos? Fac eo demum esse deveniendum : at in ultima Spicilegii volumina hæ sequioris ævi fæces reponantur : ubi vero in longioris operis exordio quemque allicias, enitendum ut quamlibet diversa genera lectorum per plures novarum rerum varietates teneantur. Adde, obsoletam cujusdam græci episcopi interpretationem latinam eo honestari commentariorum apparatu, quo veterum nemo, quo ne authentica quidem scriptura legis aut prophetarum. »

Ego vero quominus ipse meas querelas queritantium convicio immisceam, vix temperaverim. Age igitur, mene non pœniteat in hunc sacrorum ἀνεκδότων campum insiluisse, nondum dimoto repagulo, necdum porrecta clave? Nunc vero, uno volumine jam præmisso, iniquis coactus angustiis, per frusta discerpsi minutatim, quæ integra, suoque loco decenter composita, profecto in quinque justæ molis volumina crevissent. Quod mente non meditabar modo, sed pene absolveram. Præter hunc Melitonem ex octo codicibus comparatum, cætera innumera undecumque corrogata. Ad manum varii interpretes ; suo quique ordine, sua ætate ; sexcenti, cum apparatu, elencho, indice. Non deerat qualiscumque titulus : an arrogantior? *Bibliotheca nova veterum de Re Symbolica scriptorum.*

Sed quo modestius agerem opportune auctor mihi fuit reverendissimus Benedictinæ familiæ per Galliam Præses, quem non ita claustri latibula tegunt, quin quæ sit, quidve sustineat communis horum hominum indoles, noverit probe, vir consultissimus. Majori et sapientiori morem gerere meum erat, et gessi. Silvæ meæ ligna concidi, messem redegi in manipulum. Sed quum mihi, licet modestissimo cum agmine incedenti, timendum ne via impediretur, necesse esse visum est prius totius itineris consilium candide proponere. Inde duplex dissertatio, una *de sancto Melitone*, altera *de Re Symbolica*. Quæ quidem posterior tomo tertio præmittetur. In priore vero animus est etiamnunc dicere, ut meæ erit facultatis, primum de sancto Melitone ejusque scriptis καθόλως consideratis; mox de singularis libri qui dicitur Clavis, fortuna; postremo de præcipuis qui meos in usus cessere ad Clavem illustrandam, commentatoribus.

Mihi vero ad alia transire non licet, quin prius, ut par est, mea grati animi officia præstiterim, sive amicis viris qui, in hoc mei cursus altero stadio, me a labore et sudore benevolentissima sua ope recrearunt, quos piaculo ducerem non suo quemque loco, pro re nata, commemorare; sive ignotis plerumque fautoribus, qui a me regione, consuetudine, cultu et sacris, multo scilicet dissiti intervallo, iisdem tamen, ultro sane et inexspectatis suffragiis, incœptum opus suis quique popularibus commendarunt; præsertim, merentissimis meis editoribus, cll. VV. Didot, qui difficillimis temporibus non deterriti, quo animi studio, quibus rei impensis notissima quæque Græcorum et Romanorum monumenta condecorare solent, similiter ecclesiastica mea, nova quamquam et ignota, ad finem usque, et splendore quem vides, edenda susceperunt. Reliquum est ut ab hisce amicis et patronis cultu meo prosequendis, minime amoveam quotquot operi continuando nomen auxiliumque suum dederunt, quorum agmen imperatorio jure, ob munificentiam vere Cæsaream, ducunt summi viri qui in Gallia nostra, tum Educationi publicæ, tam Status administrationi præsunt.

DE SANCTO MELITONE,

SARDENSIUM EPISCOPO.

§ I.

Quæ de ejus vita supersunt[1].

1.

S. Melito scriptis et testimoniis nobilissimus,

Sanctum Melitonem pene sublatum e memoria hominum minus miror, quam usque adeo illi superesse, post tot sæcula, quæ nomen cujusque solent posteritati commendare : ingentium videlicet operum testimonia, quæ non recusaveris ; et præstantium inter æquales virorum suffragia[2], quanta vix de ullo alio repereris. Intercidere nihilominus eorum quæ gessit commentarii fere omnes, ut historia ejus tota contineatur hoc titulo brevi : Melito[3], Asianus, Sardensium episcopus, dono prophetiæ insignis et castimoniæ, inter multa quæ dictavit, apologiam ad Marcum Aurelium imperatorem dedit. Paucis tu mecum ad singula velim immorere.

Asianus

Cur Asianus simul dicatur et Sardensium episcopus, inquirere otiosum non est. Sane veterum is mos erat episcopos ecclesiæ suæ nomine, neque alio, qualicumque patria oriundos, appellari. Ideirco dixere Irenæum Lugdunensem, Clementem Romanum, illum gente Asianum, hunc Judæum ; item et alios episcopos. Usu quoque eadem ætate venit ut qui nomen sibi scriptis, non infulis fecerant, tacito civitatis nomine, ne pro earum episcopis haberentur, aut peculiari quadam προσηγορίᾳ aut generaliori appellatione designarentur. Inde Justinus audit ὁ φιλόσοφος ; Hermas, cognomento *Pastor ; Clemens*, ὁ στρωματεύς[4] ; Origenes, *Adamantinus ;* perinde ac Tatianus *Assyrius*, Julius *Africanus*, Arnobius *Afer ;* ita et Rhodon, æque ac Melito, *Asianus*, uterque videlicet ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ natus.

(1) *Supersunt*. Car. Christian. Woog *de Melitone Sardium episcopo* disputavit a. 1744, et iterum *de ejusdem scriptis*, a. 1751, Lipsiæ, in-4°. Quæ ultima dissertatio adeo rara, ut quum in eam semel inciderim a decem fere annis, nec nisi per aliquot horas, frustra fui deinceps in illa ubivis inquirenda. Unum novi exemplar esse in bibliotheca Monacensi, quod ad manum habere desperandum omnino erat. Certior tantum factus sum non multum ex illa mihi futurum esse emolumenti.—(2) *Suffragia*. De nostro quod superest, legitur in Eusebii *Hist. Eccl.* IV, 13, 21 ; V, 24, 28 ; Origen. *In psalm. Opp.* t. II, p. 548 ; Hieronym., *de Scriptor. Eccl.* XXIV, 5 ; Theodoret., *Quæst.* XX *in Genes. Opp.* II, 21 ; Augustin., *de Hæresib.* c. 76 ; *Chronic. Alexandr.*, ad olymp. 236 ; Gennadio, *de Dogm. Eccl.* c. 4 ; Anastas. Sin. *Odeg.* c. 13 ; Beda, *Retract. in Act. ap.* c. 8, 135. Ad hæc nihil addiderunt recentiores, quorum sat erit pro omnibus indicasse A. Galland., *Bibl. nova PP.*, t. I, 677 ; Routh., *Reliq. sacr.* I, 383 ed. vet. ; Fabricius, *Bibl. gr.* t. VII, p. 149 Harl. — (3) *Melito*. Apud Græcos Μελίτων constanter, apud Latinos *Melito*, *Melitus*, *Miletus*, *Mileto*, *Meliton*. An idem sit Noster cum *Mileto Laodiceno*, cui plerique codices ascribunt varia sublestæ fidei de B. M. V. et de S. Joanne, dubio non carere infra dicetur, n. 46. — (4) Στρωματεύς. Aut ita apud veteres, aut ὁ Φιλόσοφος, numquam vero *Alexandrinus*, ante Photium, si unum excipias Eusebium, cui, ut historico, patrium Clementis nomen fortasse erat necessarium.

Tam illo quam hoc cognomine Noster additus est, et utroque apud Hieronymum, priscæ utique consuetudinis tenacissimum; cujus rei causa nulla mihi visa est, nisi quod idem ille, quum ante susceptum Sardensem episcopatum non minima jam laude floreret, cognomen primum τοῦ Ἀσιάνου inscripserit in codicibus, qui ad Hieronymum usque pervenere. Nec mirum : ad nos enim per immensa annorum spatia migravit ejusdem opus, eo insignitum duplici titulo : *Miletus*, *Asianus*, *episcopus*, *hunc librum edidit*, etc.

Vix enim persuasum erit mihi eum jam summo hierarchiæ sacræ oneri collum dedisse, quum profectus in Orientem, ut scribit ad Onesimum quemdam, « eo perveni, inquit, ubi nostra et prædicata et gesta olim fuerant[1]. » Primus nimirum quem historia ecclesiastica meminerit pium ad loca sancta iter instituisse, veterum vestigia, exordia ecclesiarum, Judæorum canonem, Scripturæque κειμήλια lecturum.

Adde quod ex iis quæ dictavit, alia satis aperte videntur esse episcopi legatione in Ecclesia functi; alia vero philosophi, palæstra potius et oleo, quam chrismate instituti, qualia τὰ περὶ Πίστεως ἀνθρώπου, περὶ Ψυχῆς καὶ Σώματος, περὶ Πλάσεως, περὶ Ἀληθείας. Hæc Asiani sint per me licet, sive philosophi, quo præcipuo nomine eumdem Syri[2] appellarunt.

2. Sardium episcopus,

Interea Sardianam ecclesiam rexit, in provincia Lydiæ ecclesiastico primatu majorem; ordine quintam inter septem illas præ cæteris celeberrimas, quarum memoria perennis in Apocalypsi; ipse forte primus ab Angelo Sardensi quem propheta ἀκριβῶς alloquutus est; certe e venerando illo cœtu seniorum, secundæ majestatis patrum, qui, proximi post novissimum apostolum, clavum rei christianæ in Asia tenuere. Quales viri! quanta nomina! quæ antiquitatis exempla! Timotheus, Polycarpus, Papias, Onesimus, Abercius, Apollinaris, inter quos, teste æquali Polycrate et post eum Eusebio et Anastasio, « in primis floruit Melito Sardium, certe inter doctores divinus et sapientissimus. » Quantum illos primævos presbyteros veneraretur, ipse magnus Irenæus meminit, quum eadem in illa regione, Ἀσίανος puer et sanctorum alumnus, sederet inter auditores Polycarpi, et cæterorum « qui cum Joanne, cum ultimis testibus Christi αὐτόπταις conversati, eorum gesta referebant et dicta, quæque de Domino ex ipsis audiverant, quæ de miraculis illius et doctrina, cuncta Scripturæ consona[3]. » Ac veluti Irenæus Polycarpum, ita Onesimus Melitonem multo cum studio περὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως interrogavit : ut, quemadmodum Papiæ fuere[4] Ἐξηγήσεων libri v, Polycarpi *Responsiones*[5], Irenæi Διαλέξεις διάφοροι, similiter Melitonis sint ἡ κλείς et ἐκλογῶν sex volumina. Quæ sanctiora certe apostolicæ vetustatis monumenta, utinam omnia inde ad nos vel mutila transmeaverint! Uno verbo, fuit ea viri auctoritas, ut, exorta in urbe Laodicena de celebrando Paschate magna controversia, arbiter sederit et traditionum antiquarum judex, editoque tractatu περὶ τοῦ Πάσχατος, pacem composuerit.

3. dono prophetiæ illustris,

Atque ad Scripturam et traditiones sacras interpretandas eo magis sanctus antistes idoneus erat, quod in eo emicuit singulare prophetiæ donum; frequens, non negaverim, illo ævo, Hierosolymitani cœnaculi

(1) *Fuerant.* Infra p. LXI. — (2) *Syri.* P. XXXVIII. — (3) *Consona.* Irenæi *Opp.* col. 341. ed. BB. — (4) *Fuere.* Vid. *Spicil.* t. I, p. 1. — (5) *Responsiones.* Ibid. p. 277.

igne nondum tepescente; sed vide quanto in eo splendidius, quam in cæteris, eluxerit χάρισμα, ut sanctissimi tunc viri in hanc erumperent laudem, « eum esse in cunctis Spiritui sancto mancipatum, πάντα ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσαμενον; » ut consentiente cum æqualibus posteritate, cum Ecclesia hæretica quoque pravitate, Tertullianus, nec jam noster, cavillando quidem sed non mentiendo, testetur « eum a plerisque nostrorum prophetam putari. » Cæterum non sine provido Dei numine propheticus antistes huic provinciæ tunc temporis præfuit, quum Montanus adhuc spargeret oracula falsa et erroris sui fundamenta jaceret; quæ quidem vesania usque adeo concussit Ecclesias septem *Angelicas*, ut earum quartam, Thyatirenorum, penitus perflaverit. Quorum, opinor, mollem delicatisque immersam vivendi consuetudinem, ut æmulus Nostri Apollonius, sic ipse non minus acriter deridendam dederit, istiusmodi larvatos prophetas conferendo cum veterum vita et conversatione; inde est quod aptissime scripsit suos libros *De recta vivendi ratione* et *De prophetis*. Quin, quum juxta plures singularem dictaverit *De prophetia sua*, pronum est autumare edita simul ab eo fuisse præclara quædam vaticinia, quorum fama, diu post ejus obitum, in Africam usque perlata, Tertulliano montanistæ stomachum movit, ut in eum septem *De ecstasi libros* congereret. Quæ omnia hinc et hinc excidisse, dolendum enimvero.

4. simul ac virginitate et vitæ regularis studio,

Sed ut in eosdem et in quamlibet Gnosticorum infamiam invictus athleta staret, accinctus utique virginitatis et vitæ arctioris studio, fecerunt alia nobiliora corporis et animæ χαρίσματα, quibus rursus sæculi sui voce παρθένος ἐν ἁγίῳ Πνεύματι, sive νοητὸς εὐνοῦχος celebraretur. Sic quippe de eo Polycrates Ephesinus [1]. Opportunam hac occasione quæstionem movet Halloixius, et post eum Christianus Woog, quem describo, quidnam in causa fuerit, quum illo Melitonis sæculo tam multi exstiterint viri sancti et casti, cur hoc peculiare cognomen Nostro potissimum fuerit tributum; nec sine fundamento auguratur uterque debuisse certe rarum aliquod ab eo castitatis exemplum exhibitum fuisse [2]. Hieronymus mihi videtur doctis viris respondere, quum liberius Polycratis verba, sed forte tenacius priscam traditionem referens, ait magnam esse memoriam « Melitonis, qui in sancto Spiritu eunuchus, qui *semper Domino serviens*, positus est Sardis. » Nihil quippe apud veteres solemnius quam viros Deo consecratos per strictiorem disciplinam, vocari simpliciter *Dei servos* [quasi Θεραπευταί], sive *semper Domino servientes* [3]. »

(1) *Ephes.* Euseb. *H. Eccl.* v, 22. — 2) *Fuisse*, l. l. p. 31.—(3) *Servientes.* Hier. *de Script. Eccl.* c. 45. His addere pauca libet. Polycrates, verbo tenus, refert eadem de virgine et prophetissa Hermione, Philippi filia, ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσαμένη, eademque ibidem de Melitone; semel et iterum usus, nec fallor, solemni verborum formula, qua publice et canonice exacta vita potius, quam privata honestas denuntiatur. Dubium omne sustulisset ipse Melito, si remansissent illius libri περὶ Πολιτείας καὶ τῶν προφητῶν, in quibus forte tradidit regulas et consuetudines veterum prophetici ordinis collegiorum. Sed succurrit nobis Clemens ὁ στρωματεὺς, non uno in loco ubi usurpat voces πολιτεύεσθαι, πολιτεία, πολιτικός. In Pædagogi lib. II (p. 237, lin. 30), luculentum vitæ eremiticæ exemplum in Joanne describens, ἔκφρασιν uno verbo absolvit : Κατὰ γαλήνην Θεῷ συμπεπολιτευμένος, *in pace cum Deo communem vitam composuit.* Brevius, initio Stromatum, abstinentiæ et strictioris disciplinæ desiderium esse ait πολιτείας προ-

5. Apologiam M. Aurelio dedit.

Erit forte qui respiciat quanta sit similitudo Melitonem inter et Sardensis Ecclesiæ fundatorem, Joannem evangelistam; quum uterque antistes, propheta, virgo; uterque hæreseon flagellum; uterque in senio coram imperatore fidei defensor, ambo tantum non usque ad sanguinem martyres. Deo siquidem placuit ea laude Melitonem senem insigniri, ut, sæviente in Ecclesiam Marci Aurelii philosophia, « divinus ille et sapientissimus » una cum Justino τῷ φιλοσόφῳ, cum Apollinari Hierapolitano et Athenagora, eadem ac illi fama philosophiæ celebratus, eligeretur qui causam innocentium martyrum palam diceret [1].

Nunc a scriptis ejusdem sigillatim recensendis, quum omnia quæ exstant, sive græce, sive syriace, sive latine, infra colligamus, minime declinandum.

§ II.

De Indice[2] *librorum sancti Melitonis.*

6. Index Eusebianus, cæterorum fons,

Quem Hieronymus, Honorius, Trithemius, cæterique exegerunt librorum Melitonis catalogum, ex uno eodemque indice Eusebiano exceperunt. Eusebius vero nec omnia recensuit, ut diserte monet, nec aliud egit, ni fallor, quam ut bibliothecæ suæ codices, prout quisque

θυμίαν (p. 318, l. 16). In eodem libro, Platonis Πολιτείαν cum christiana conferens, videtur ex ipsomet philosopho, a quo exstant celeberrimi tractatus περὶ Πολιτείας, ideam vitæ vel inter christianos sublimioris deducere : « Et *politicum*, inquit, proprie significare rerum omnium opificem, Plato innuit in libro ejusdem nominis; quin etiam eos qui ad ipsum respiciunt, vitamque activam et justam eligunt et contemplationi etiam vacant, *politicos* appellat (p. 419, 27). » Et paulo post : « Finis est, ut existimo, *politici*, et ejus qui ex lege vivit, contemplatio (p. 420, 11). » Lexicographi tum veteres tum recentiores parum aut nihil lucis afferunt. Hesychius tamen notandus, qui ad verba πολιτεία, πολιτεύεται, apponit : Ἡ ἀναστροφὴ καὶ ἡ πρᾶξις.—Πράττει, ἀναστρέφεται. *Conversio* vero *morum* alia est formula frequens vitæ monasticæ designandæ. Neque Suicerus ipse cæteris diligentior : dum significationes vocis πολιτείας quas vocat elegantiores sectatur, nostram non tetigit, nisi quod vult *vexationes* corporis dici πολιτείας in illo Epiphanii qui reapse nobiscum facit : Καθέζεται ἐν πολιτείαις καὶ νηστείαις ὑπερβαλλούσαις. Sed præclarius in illo loco (*Anaceph.* p. 150 c, ed. Pet.) : Τῶν δὲ ἀπὸ ἰδίου νοὸς τὰ πρὸς πολιτείαν καὶ ἄσκησιν καὶ θεσμὸν συλλεγόντων. Quæ Petavius recte, sed minus presse : « Nonnulli reperiuntur qui ex privato ingenio severam quamdam vitæ disciplinam ac legem sibimet ipsis condiderunt. » Quid demum esset πολιτεία in ipsa Melitonis patria, civitate, ecclesia, declarat ejusdem concivis et æqualis, Rhodon Asianus, qui de hæretico Apelle, sanctioris vitæ cultum præ se ferente, ait : Ἀπελλῆς μὲν ὁ τῇ πολιτείᾳ σεμνυνόμενος καὶ τῷ γήρᾳ (Euseb., *H. E.* v, 13), quod Rufinus vertere non dubitavit : *qui abstinentiæ et senectutis prærogativa usus.* Unde Hieronymus, qui nihil scribebat perfunctorie, certe ineptum de suo aliquid non expromsit, quum paulo insolentius et præter suum morem Polycratis verba expressit, ac si legisset : Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον, τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι, τὸν πάντα τῷ Θεῷ πολιτευσάμενον. Unde : « Et meminisse Melitonis, qui in S. Spiritu eunuchus, *qui semper Domino serviens*, etc. Sed cf. *Physiol.* nostrum, infra, t. III, p. 350, l. 26 *a*. »

— (1) *Diceret.* Dixisse eum in ipsa urbe Roma, nec alibi libellum suum imperatori de manu ad manum dedisse, nonnulli opinati sunt (Tillemont, *Mémoires*, t. I, p. 444. Voog, *Diss.* I, p. 51), eo quod Eusebius voce usus est ἐπέδωκεν (Chron. ad olymp. σλζ'), leviculo, vereor, argumento. — (2) *Indice.* Vid. infra, p. LXV, LXVI.

in manus venerat, describeret. Quo monitus lector, jam haud ægre solvet difficiles nodos in quibus plerique ejusdem catalogi editores inciderunt.

Cæsariensis bibliothecæ codices refert.

Instituit Eusebius in hac recensione quasi quatuor aut quinque librorum classes, quas ad totidem volumina distincta referre libet et licet.

Sint igitur in una serie, aut in primo codice :

7. In quorum 1 contineri videntur libri quatuor ;

α′. Τὰ περὶ τοῦ Πάσχα β′ [*De Pascha libri II*, Rufin., Hieron. Syrus]; qua occasione scripta dixi modo, ex iisdem infra daturus græce et syriace perpauca apud Eusebium asservata [p. LXI]. Cæterorum desiderium auget, dum præclare hos libros laudat ac pene describit Clemens ὁ στρωματεύς, ipse *de paschate* scripturus, qui se compulsum ait a familiaribus, ut traditiones quas a veteribus presbyteris accepisset, litteris proderet ad posteritatem : Melitonem, Irenæum, aliosque nonnullos sequutus, narrationes aliquot ex eorum libris relaturum se pollicetur.

β′. Καὶ τὸ περὶ Πολιτείας καὶ Προφητῶν [Ita syrus. *De Prophetis liber. De recta Conversatione lib.* Rufin. *De Vita prophetarum lib.* I. Hieron.]. Unus, an plures hoc lemmate designentur libri, non ita constat. Ad hæc quæ supra n. 3, addam et illud, quod præstantissimi illius anonymi *adversus Cataphrygas* fragmenta, tantopere apud Eusebium commendata, quæ tenui admodum conjectura alii aliis dederunt, eadem jure pari, nisi firmiori et meliori, sancto Melitoni adjudicaverim [1].

9. γ′. Καὶ ὁ περὶ Ἐκκλησίας [*De Ecclesia* interpretes]. Id enim inhæsisse Montanistis, in eo a cæterorum gnosticorum grege diversissimis, scilicet nolle se ab Ecclesia extorres dici, tam incredibile est quam certo certius ex ultimo eorum κορυφαίῳ, infelici Tertulliano [2]. Unde nemo non videt quam arcto nexu cohæreant quæ in hac prima classe connectimus.

10. δ′. Καὶ ὁ περὶ Κυριακῆς λόγος [*De Dominica* iidem]. Finem codici forte dedit brevis homilia, quæ ad controversiam de Dominica paschali et ad primum tractatum pertinuerit. Tum indicari putem alium codicem ex ipso Eusebii suam colligandi orationem studio :

11. In cod. 2° libri quinque ;

ε′. Ἔτι δὲ καὶ ὁ περὶ Πίστεως ἀνθρώπου [alias περὶ Φύσεως. *De Fide hominis* Rufin., Hieron., Syrus]. Quasi æqua lance pendent interpretes hinc, illinc codices, ut anceps hæreas meliusne sit περὶ φύσεως, an περὶ πίστεως. Sed quo ultimam in partem pronius incliner, duo me movent : unum, quod sequitur liber περὶ πλάσεως, ut si etiam præcedens sit περὶ φύσεως, bis in eadem reciderit vir ille, ad majora intentus quam ut similia per otium retractaverit. Alterum, quod bono sidere accepimus e codicibus Syrorum anglicis splendidam ἔκφρασιν sub eo lemmate : *Melitonis episcopi, de Fide*. Quid cum titulo nostro convenientius ? Nisi quis dicat jam eadem alias Hierotheo ex arabico codice, eadem Irenæo in *Spicilegio*, juxta Syros et Armenios, ascribi: id quod non diffiteor. At diligenter lege quæ enotavit infra [3] doctus interpres de simillimis litterarum ductibus, quibus arabice scribuntur *Hierotheus*, *Irenæus ;* tum solere memineris Irenæum et Melitonem, utrumque Asianum, simul citari [4].

(1) *Adjudicaverim*. Vel obiter tractandæ rei locus deest. Cf. Routh. *Reliq. SS.* II, 73.—(2) *Tertulliano*. Cf. C. Orsi *Dissert. Apolog. pro SS. Perpet.* c. 2, art. 6. | *Patrolog. curs.* t. III, p. 9. — (3) *Infra*, p. LIX. — (4) *Citari*. Passim laudant utrumque simul Clemens, Polycrates, Eusebius, Theodoretus.

Unum ab æquali auctore *parvi Labyrinthi* adducam aptissimum testimonium quo pene digito monstratur idem hic locus noster : « Nam Irenæi quidem, ait, et Melitonis scripta quis est qui ignoret ? in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicarunt[1]. » Vix inter utrumque ambigendum. Irenæus enim presse, argute, dialectici more, disserit ; auctor vero hujus fragmenti oratorem magis se prodit et vatem, qualem fuisse constat Melitonem. Auctor is quicumque demum fuerit, certe ἀνὴρ ἀρχαῖος καὶ ἀποστολικός. Cui hymno tanta accessit auctoritas ut et per totum Orientem dimanaret, armenice, arabice, syriace decantatus, et græcis pariterque latinis solemnis fuerit : huc quippe se refert ab initio Physiologus vetustissimus ; hæc pene repetit Isidorus in pagina nova quam infra proferimus, antiquiori forte auctori ascribenda[2] ; hæc respiciunt tum Aileranus Scotus in proœmio de Christi genealogia, tum anonymus in schedis nostris e cod. sæc. IX exceptus. Movit nos tanta unius ῥήσεως celebritas ut iterum eam ederemus et locupletiorem, quam in primo tomo, ubi eam dimidia parte mutilam a Syris accepimus. Scilicet, quod olim conjicere libuit, quodque viri summi in Ignatiana controversia censuerunt, fore ut quæ obiter Syri decurtaverant, eadem alias vel apud ipsos occurrant integriora, en exemplum hoc habes luculentissimum.

ζ'. Περὶ Πλάσεως [*De Formatione hominis* Rufin. Syro consentiente]. Hic primus est quem noverimus apud nostros, commentarium de opificio hominis ; erit qui ex illo derivari putet excerpta quæ catenæ variæ in Genesim retinuere, ut videre est infra p. LXXIII, LXXIV. 12.

ς'. Καὶ ὁ περὶ Ὑπακοῆς πίστεως.—η'. Καὶ ὁ περὶ Αἰσθητηρίων [Codices fere omnes καὶ ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων. *De Obedientia fidei lib.* I. *De Sensibus, lib.* I Rufin. Hieronymus omisit ς' ; η' Syrus interpres]. Noli notariorum oscitantiæ dare lectionem pene unanimem codicum ab interpretibus plane diversam : quidni primum præpostera libri rescriptio ab Eusebio ipso profecta sit, qui citato oculo duo lemmata in unum, ut habent veteres ipsius catalogi, confecerit ; deinde, per eum aut alium errore mox detecto, altera editio duos titulos restituerit, quæ plerosque Græcos fugerit, nec nisi ad accuratissimos viros Rufinum et Hieronymum, pene in Cæsariensi bibliotheca commorantes, pervenerit ? Hieronymus vero et Syrus interpres, quasi periculosum esse vadum senserint, e media aqua transiliere in siccum, ille omisso prioris libri titulo, hic posterioris. 13.

Quum inde iterum Eusebius planam catalogi rationem inverterit, insolitisque articulis abruperit orationem, ad alium se contulisse codicem significat, a quo classis nostra tertia erit. Sic porro vexatissimum hunc locum, diu operoseque variorum codicum momentis pro modulo consideratis, demum legendum, scribendumque statuimus : 14. in codice 3°, libri tres;

θ'. Καὶ πρὸς τούτοις, ὁ περὶ Ψυχῆς [ἢ νοός] καὶ Σώματος. — ι'. Καὶ ὁ περὶ Λούτρου. — κ'. Καὶ ὁ περὶ Ἀληθείας [alias ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοὸς

(1) *Prædicaverunt.* Auctorem *Labyrinthi parvi* alii Caium, alii Hippolytum esse volunt, quem omisisse miror D. Massuet in *Testimoniis* edito suo Irenæo præfixis. Ecce illius verba : Τὰ γὰρ Εἰρηναίου καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν ; Euseb. V, 26. — (2) *Ascribenda.* Vid. t. III, p. 417, et *Prolegom.* p. II.

καὶ ὁ π. λ. — σώματος ἦν· ἐν οἷς καὶ ὁ π. λ. *De Anima, Corpore et Mente. De Lavacro. De Veritate* Rufin. *De Anima et Corpore librum unum. De Baptismate librum unum. De Veritate librum unum* Hier. cum Syro.]

Recedimus igitur quum ab editis libris qui omnes, sed sine sensu illud ἡ νοὸς post σώματος intrudunt, tum a plerisque manuscriptis, quibus conditur aliud monstrum : Σώματος ἦν· ἐν οἷς καὶ ὁ π. λ. Rursus enim huic opinioni consecratos addictosque nos volumus, Eusebium scilicet in suos codices præpropere incidisse, neque tamen omnino omisisse similium titulorum notare varietates. Age fac illi venerit primum codex unus ita inscriptus : Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος, mox alter : Περὶ νοὸς καὶ σώματος : quid ergo, si, descripto priore, posterioris differentiam ἢ νοὸς margini alliverit? Quid, si vel ante Rufinum librarius in textum temere notam injecerit et extra legitimam sedem [1]?

15.

In 4° et alus cæteri libri circiter octo.

Ex hoc loco utcumque expeditis planum est quartam instituere librorum classem, quam cæteris codicibus licet assignare.

λ'. Περὶ Κτίσεως καὶ Γενέσεως Χριστοῦ.

μ'. Καὶ λόγος αὐτοῦ περὶ Προφητείας [alias περὶ πίστεως καὶ λόγος αὐτοῦ προφητείας. *Item de Fide. De Generatione Christi et de Prophetia ejus* Rufin. *De Generatione Christi librum unum. De Prophetia sua librum unum* Hieron. *Et de Verbo prophetiæ ejus* Syr.]. Rursus vide et Hieronymi prudentiam, qui caute omisit duriusculum illud : περὶ κτίσεως; et Rufini timorem, cui præplacuit περὶ πίστεως. Vix monendus est lector, ut patres antenicænos, sic quoque alios minime horruisse ad æternam Verbi generationem dirigere illud Proverbiorum : Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ [3]. Præterea auctor nobis est Anastasius in Ὁδηγῷ beatum hunc virum in Marcionem insurrexisse : cujus ut spuria explo-deret evangelia, generationemque Christi ab eodem rescissam vindicaret, tam de æterna, sive περὶ κτίσεως, quam de temporanea, περὶ γενέσεως, æque opportune disseruit, et variorum ad alterutram, forte et propria, accommodavit vaticinia.

ν'. Καὶ ὁ περὶ Φιλοξενίας [alias additur : καὶ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος. *Item de Anima et Corpore et Hospitalitate* Rufin. et Syr. *De Philoxenia* Hier.]. Jam novo argumento mihi persuasum est Eusebium sæpius, in illo indice retexendo, leviter et languide manum ad codices suos admovisse. Quum enim iidem libri in variis codicibus, ut plerumque fit, semel atque

(1) *Sedem.* Ut quid lectori invideam aliam Dübneri opinionem, non inelegantem, neque, ut viro ἐλλογιμωτάτῳ ratum, audaciorem? Videlicet : περὶ σώματος καὶ ψυχῆς, ἢ Ἕνως? Ac si Melito, non nullorum, in primis Ambrosii more, a commemorando illo patriarcha, ob pietatem in Dei nomen insigni, suam de corpore et anima tractationem exegerit. Nota deinde quod Nyssenus qui primus post Melitonem *de Opificio hominis* singulariter egit; ut frequenter ad veteres provocat, sic maxime mihi videtur respexisse Melitonem, quum « inquisiturus, ait, in id quod περὶ ψυχῆς καὶ σώματος passim in Ecclesiis disputatur, *superioris memoriæ doctores,* qui commentarios *de Principiis* scripserunt » in medium adducit, variasque illorum ventilat sententias, ac singulariter, tum Origenistarum quos dure exagitat, tum aliorum quos multo mitius, nec sine reverentia, tangit, existimantium corpora, priusquam animas, esse condita. Hæc saltem nobis edocent quid in hisce libris potissimum tractaretur. Greg. Nyss., *De hom. Opific.*, c. 28. *Opp.* t. I, p. 119, ed. 1615.—(3) Αὐτοῦ. Prov. VIII, 22.

iterum continerentur, annon inde factum est ut liber *De corpore et anima*, in plerisque catalogi editionibus, vel a tempore Rufini, bis inscriberetur?

ξ'. Ἡ Κλείς [*Item, liber qui dicitur Clavis* Rufin. *Et alium librum, qui Clavis inscribitur* Hieron. Vocula excidit in Syro]. De quo libro statim. Unum hic notatu dignum : præter utriusque morem, tum Rufini qui anteriora elogia αὐτολεξεὶ reddidit, tum Hieronymi qui quum omisit plura, nihil umquam addidit, fusior jam in utroque titulus; adeoque cum ipsiusmet libri quem invenimus epigraphe similis, ut nimium non ausit qui conjiciat Rufino et Hieronymo visum quem codices nostri inscripsere : *Miletus, Asianus, episcopus, hunc librum edidit, quem et congruo nomine Clavem* (alias : *quem librum clavorum*) *appellavit.* Sed hæc hactenus. 16.

ο'. Καὶ τὰ περὶ τοῦ Διαβόλου, καὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου [*De Diabolo. De Revelatione Joannis* Rufin., Hier. et Syrus consentiunt]. An quidquam est antiquitatis christianæ monumentum, quod excidisse luctuosius sit, quam hunc commentarium quem in una e septem Ecclesiis apocalypticis scripsit propheticus ἐξηγητὴς, cum ultimis apostoli filiolis versatus, penes quem, cur ego fallar? fuit ipsum sanctæ Revelationis τὸ αὐτόγραφον, manu θεοπνεύστῳ exaratum? Voveant quicumque foras ituri sunt et abditas monumentorum latebras indagaturi, voveant quicumque domi forulos bibliothecarum, numquam penitus exhaustos, excutiunt, nullum lapidem non movere, ut ubi vel integre, vel partim lateat liber iste περὶ Ἀποκαλύψεως, reveletur [1]. 17.

π', Καὶ ὁ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ [*De Deo corpore induto* Rufin. Hieronymus græca retulit, concordat Syrus]. E luctu et votis in scopulos incidimus. Vetus enim calumnia in sanctum doctorem inde orta est, ac si *Deum esse corporatum* somniavisset. Alia longe Anastasius, qui hunc commentarium videtur mirabundus evolvisse, legisse, suspexisse, ait : « Certe divinus et sapientissimus inter doctores Melito, graviter invehitur in illos interpretes, qui perfectam in Christo divinitatem, integramque humanitatem non prædicant. » Tum titulum libri explicat : *De Incarnatione*, περὶ Σαρκώσεως. Quid plura? Lis hoc uno verbo dirimitur. Accedit illud, quod in prælaudato *Clavis* libro quem mox integrum damus, singula quæ allegorice in Scripturis dicuntur Dei aut Christi membra, non crasse, sed μυστικῶς ab illo constanter exponuntur. Calumnia utique vetus. Oriunda ab Origene et Alexandrinis, ut inde ad Augustinum, ad Gennadium, ad Theodoretum delata, tam in Oriente quam in Occidente percrebuerit. Is ego non ero qui, data occasione, non in causam Alexandrinos adducam ob innatam illis nescio quam invidiæ labem, qua facillime sive in Romanos, sive in Asianos patres exarserunt. Id minime præteriit Hieronymum, quis enim arrodentium subtilior umquam fuit indagator? quum in Hippolyti, Asiani utique et Romani, invidiosam æmulationem, persuasum fuisse ait Origeni ut commentarios in Scripturam conscriberet. 18.

Obiter, de Deo corpore induto, juxta Melitonem;

(1) *Reveletur.* Annon huc pertinet brevissima ῥῆσις *De Absalone in Diaboli typum*, quam, ab omnibus hactenus omissam, damus infra p. LVII? Antiquissimæ sunt in Apocalypsim catenæ, præter eam quæ falso Aretæ aut Andreæ tribuitur, et novissimam a J. A. Cramero Oxon. edit.

19 σ'. Ἐπὶ πᾶσι καὶ τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον [*Et post omnia liber ad Antoninum Verum* Rufin.]. Sicut pro coronide Apologiam sibi Eusebius laudandam reservavit, ita nos effuse lætari nemo mirabitur quod eam hujus tomi capiti imponere contigit, eamque, tantum non integram, certe maxima ex parte, multoque locupletiorem quam antea, nunc primum e tumulo, post tot sæcula, redivivam[1]!

20. τ'. Ἐκλογῶν *sex libros* meminit Hieronymus, excerpsit Eusebius ipse, exactum paulo ante indicem. Cur ergo eos in illo non recensuerit, an alia causa est, nisi quod Eusebio lex fuerit indicem intra fines Bibliothecæ Cæsariensis includere? Is igitur, nactus alibi quas non possidebat ἐκλογάς, satis habuit eorum proœmia, ne perirent, in suam inserere historiam.

et de ejusdem canone τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν.

Sed aliam hic movendi litem invenere locum, quam paucis expediam: Melito, postquam Orientis et Palæstinæ partes peragrasset, rogatur sæpius ab quodam Onesimo fratre ut de Salvatore et universa fide testimonia excerperet e libris authenticis. An ex utroque testamento? De novo nihil. An ex omnibus prisci fœderis? Aiebat Onesimus: ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, tantum e lege et prophetis, nec aliunde. Quorsum? Non liquet. In promtu est conjicere ab sancto viro cum Judæis tam in Judæa quam in tota Asia versatissimo, exquiri testimonia qualia Justinus, eo ipso tempore, cum Tryphone Ephesio conflictans, asseruit. Melitoni certe canonem universæ Ecclesiæ condendi consilium non est; immo ex antiquiore Judæorum canone exeundi facultas non datur; nec aliud ab illo petitur quam ἐκλογαὶ ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Quod rogatur, exsequitur; quæ habet, exhibet; præfigit demum elenchum[2] librorum eorum qui apud Judæos lex dici solebant et prophetæ. Si quis ex hoc immerenti hospiti allatraverit, næ ille, ut male ligatus, caveatur.

Ad majora redeamus. Ullum alium præter hunc indicem Melitonis scriptorum, neque Eusebius, neque Hieronymus, neque Gennadius, aut numero copiosiorem, aut argumenti varietate rerumque sublimitate insigniorem, ante Melitonis nostri tempora, novere. Ecce enim illa

(1) *Redivivam*. Plura paulo infra præmonuit diligentissimus interpres. Nec me, neque illum fugerat primum esse insignis illius monumenti inventorem cl. W. Curetonium, cujus amicitiam quum ex Anglia præ cæteris meis thesauris retulissem, sæpe me juvit, ingratissimi commercii memoriam, evolvere indicem syrorum codicum ex ipsius benevolentissimi viri schedis acceptum, in quo, dum in Anglia versarer, inscripsi de hac gemma notulam. Unde promtus exsurrexi, quando vir doctus æque ac benevolus E. Renan eumdem codicem, inscriptum 14658 inter recentius in Mus. Brit. insertos, publice recensuit. Quem enim non excitaret vel jejuna hujuscemodi recensio? videlicet: 1° Bardesanis Syri fragmentum e libro ejusdem *De fato*, sive *liber legum regionum*. 2° *Socrates*, i. e. ineditus dialogus cæteris platonicis accensendus. 3° *Isocratis* aliquid. 4° *Ambrosii* cujusdam ὑπομνήματα, sive apologia ad senatores ab auctore christiano, ut vetustissimo, sic prorsus ignoto. 5° *Menandri* sententiæ. 6° Pythagoræ philosophi oratio. 7° Initium et pars præcipua *Apologiæ Melitonis* ad Marcum Aurelium, 22 columnis contenta. 8° *Platonica* ζητήματα. 9° *Platonis* ad discipulum monita. 10° Parænetica oratio Atnao (Θεανώ?) doctæ mulieris, e schola philosophica Pythagoræ. 11° *Sergii de Resano*, episcopi et archiatri, opuscula, maxime ex Aristotele, Porphyrio, Galeno translata et excerpta. 12° *Bar-Serapionis* ad filium epistolæ. 13° Alia e Porphyrio et Aristotele excerpta, incerto interprete (V. *Lettre à M. Raynaud*, ejusd. auctor.)— (2) *Indicem*, omisso etiam *Estheris* libro, quem in *Esdra* contineri quidam volunt.

viginti plus minus tractatuum, aut triginta librorum series, quasi cyclum auctorum apostolicorum claudit, et quam late Patrum primævæ ætatis campus patuerit, ostendit. Cujus indicis universitatem si consideraveris, non est quod in eo non deprehendas pene integram theologiæ christianæ bibliothecam. Videant quid inde juris, quæ rerum auctoritas, quantum in Ecclesia sit antiquitatis, quicumque asseruere nuper, sibique confinxerunt adolevisse per plura sæcula christianos inter vaga et confusa apocryphorum incunabula, neque ullam illis fuisse, ante Africanos disciplinam, ante Alexandrinos doctrinam, ante Irenæi annos aut Hippolyti theologiam, hierarchiam, liturgiam, absoluto numero constitutam. Ex archivo unius ecclesiæ unus prodeat Melito Sardensium. Esto Africa in umbris cimmerianis jaceat. Necdum primus Alexandrinorum, Pantænus, nomine innotescat. Irenæus quoque sedeat ad Melitonis aut seniorum Asianorum pedes. Numquid ad incunabula imbecillæ puerilisque doctrinæ venimus? Minime rerum. Præter enim Romanorum Pontificum majestatem et potiorem principalitatem, quibus a Petro ad Anicetum ἥ τε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παράδοσις καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς, ut Romanos Patres orbis universus, sic Asia suos habet seniores, suorumque doctorum διδασκαλίαν plenissime absolutam. « Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos (apostoli) volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisteria tradentes [1]. » Sed ex uno Melitone nostro vide quid jam theologiæ christianæ desit, sive oporteat profligari hostes, ora hæreticorum obtundi, expurgari philosophorum venena; sive magis placeat firmari populos in fide, ecclesiarum excuti traditiones, et Scripturarum arcanos sensus reserari.

§ III.

De S. Melitonis Libro, qui dicitur Clavis.

21.

Nuper in *Clavim* inquirere cœptum

Profitearne, ut bonus Richardus Pratellensis [2], « me jacuisse ante portam sapientiæ viginti quinque annos, nocte ac die, » an modestius, per annos fere totidem perquisiisse me Melitonianam Clavem? Rem uti est, candide dicam.

ex Labbeana nota de codice Claromontano.

Vix ad delibandos Ecclesiæ Patres prima labia admoveram, quum in Labbei notam incidi, a Cellerio non omissam, quam rescribere juvat : « In codice nostro ms. membranaceo nomen ejusdem Melitonis præfert *Clavis Scripturæ*, haud multum diversa a formulis spiritualis intelligentiæ quæ inter opera S. Eucherii annumerantur [3]. »

Alacer ego et promtus, ut ea tulit ætas, adii virum quemdam doctum,

(1) *Tradentes.* Iren., *Contr. hæres.* l. III, c. 3, 1-3, ed. BB. p. 175, 176. — (2) *Pratellensis.* Martene, *Ampl. coll.* t. I, p. 575. — (3) *Annumerantur.* Labb., *de Script. Eccles.* t. II, p. 87; *Biblioth. nova mss.* p. 11, p. 21; D. Ceillier, *Hist. des aut. eccl.* t. II, p. 76. Neque idem fugerat Cangium, in cujus *indice auctorum* legitur : « Melitonis, Asiani episcopi, Clavis Scripturæ ms. laudatur. »

qui mecum in eo consensit illic forte latere intelligentiam multiplicium allegoriarum, quæ sive in sacris Litteris, sive in sanctis Patribus, ut maxime tirombus officiunt, me quoque non parum angebant, clavem utique, bene re et nomine dictam, et eam ab ævo apostolico, diu ante Origenem, a sancto Melitone porrectam. Sed ubi gentium codex ille Claromontanus?

Grabii Spicilegium apographi cod. Claromont. suspicionem movet

Scilicet hoc percunctabar, statim ut meos ad Solesmos missus, nonnihil de litteris agere et inquirere decuit. Tunc primum facta mihi mentio Ern. Grabii ejusque Spicilegii, vix inchoati [1], et suspicio vehemens incessit animum nec eidem ignoratam Clavem Melitonianam, nec eum omisisse rem penitus investigare.

22.

Quæ codicis fortuna initio sæculi XVIII.

Interea contigit invisere vere opulentum μουσεῖον, in domo Parisiensi societatis Jesu, quasi alteram Claromontanam, vel in urbe regia vix ulli publicæ imparem. Neque impar bibliothecæ suæ, tunc temporis Præses, R. P. Cahier, cujus in me humanitas nec promtior nec constantior esse potuit. Facta viri et musei copia, nimium didici quam deplorata essent fata libelli mei.

Editio tentatur

1° A Sirmondo,

2° A Grabio,

Nam certior fui codicem a Labbeo, a Cangio, a Benzelio, a Cellerio memoratum, Sirmondi manu accepisse emendationes, lectionum varietates, apparatum ad proximam, ut videbatur, editionem; eumdem fuisse, sub initio sæculi ultimi, favente Harduino, cura Michaelis Lequien collatum et descriptum, Grabii Spicilegio, nisi consilium mors intercepisset, inserendum [2].

Quem pene nihil fugit, J. Alb. Fabricius [3] notam supra ex Labbeo rescriptam, verbo tenus expressit in Bibliotheca sua ecclesiastica, a° 1719. Qua excitatis erectisque in Germania viris doctis, inde Lutetiam

3° A M. Crusio,

advolavit Magnus Crusius, Claromontanum pene suum fecit, spemque dedit, a° 1728, illum in lucem propediem edendi [4]. Quantam is fecerit exspectationem idem Fabricius præclare testatur: « Pretiosum hocce antiquitatis monumentum, cum emendationibus Sirmondi, editurum se promisit, a quo tam multa alia præclara exspectamus, Magnus Crusius, hodie Goettingensis, in continuatione Spicilegii ab E. Grabio incœpti [5]. »

4° A C. Woog,

Paulo post, iter per Angliam emensus Car. Christianus Woog, Grabii schedas excussit, Claromontani apographum vidit, suumque mox procurandæ editionis consilium prodidit a° 1744, iteravitque decennio circiter elapso, delibasse quædam, seu vix clavem demonstrasse contentus.

5° Ab A. Galland.

An forte casuque fieri dicam, an providente Deo, ut, singulis fere decenniis, anxie consurrexerint viri strenui, qui tamen alii post alios frustra sunt? Mirum enimvero, a° 1763, quintum in Italia successisse, ad editionem paratissimum, et, si quis umquam, instructum omni subsidio, Andream Gallandium. Is dandæ veterum Patrum Bibliothecæ pulcherrimæ accinctus et totus, notam, preces, litteras curat perferendas Parisios, ad virum perillustrem, a quo statim rescivit: « Etiam nunc

(1) *Inchoati.* Ob Grabii mortem Spicilegium illud numquam fuit absolutum. Cujus utraque editio a. 1698 et a. 1711 de S. Melitone omnino tacet, quod miror. — (2) *Inserendum.* Routh., *Reliq. sacræ*, t. 1, p. 132, ed. 1. — (3) *Fabricius.* l. l. p. 94. — (4) *Edendi.* M. Crusii, *Dissertatio epistol. ad Ch. Wormium*, p. 13. — (5) *Incœpti.* In *Bibl. med. et inf. lat.* ad *Melitonem*, a. 1730.

exstare librum qui dicitur ἡ Κλείς sive Clavis, indole satis similem alicui nomenclaturæ vocum in Scriptura sacra difficiliorum, in codice membranaceo, sæculi circiter XII, trecentis foliis constante, formæ minoris, exiguæ molis, neque tanti pretii. » Hæc vir perillustris [1], nec plura Gallandius.

23.

Latrocinium Claromontanum Parisiis incœptum,

Hic me monuit præses de quo supra, « non ultra eundum : fuisse quippe ad hunc usque diem, thesauros Frontonis, Sirmondi, Labbei et Harduini, cura omnium et religione perpetua conservatos. At data lege ut, sublata eorum societate, bona, libri, codices fierent publici juris, jam cuncta in publicam cessisse injuriam. Quod utinam tumultuarie actum, et ab cæca plebe, quæ quum furit, aliquando parcet, inscia. Omnia quidem fulmine subito ambusta; sed docilem fulguri viam dedisse sigilla publica, magistratuum tabulas, regesta exactorum. Quid plura? Non defuisse duos viros doctissimos, sanmaurinos, quorum indice et recensione, vellent, nollent, e magistratuum latrocinio ereptum ne hilum quidem; ut hodiedum, in universa Gallia, ex illa amplissima Claromontana, nihil propemodum superfuerit, præter hunc catalogum emortualem [2]. »

Quem quidem ego cum luctu dum evolverem, interea id maxime mirabar exoptatum meum codicem, sive consulto, sive ob iniquæ tempestatis tumultum, ne mentione quidem in illo indice, cæteroquin accurato, designatum. Spe magis ac magis dejectus, perlustravi sive in Gallia, sive in vicinis regionibus, sexaginta fere bibliothecas. At si nonnullos hic illic contigit expiscari Claromontanos codices [3], interim Clavis Melitonianæ, ubi ubi nec vola nec vestigium. Donec demum appulsus ad ultimos Batavos, illic Claromontanæ tragœdiæ exitum audivi. Nam cl. Ger. Meermann, clanculum monitus cum aliis ditissimis librorum emtoribus, sub hasta, in urbe regia, venum iri immensam et selectissimam librorum copiam, nec mora venit, emit, abstulit. Inde vidisses regio cum apparatu exsurgere in Hollandia novum Meermanni museum, diu famosum, ut pessima tempora tulere; ab illo ad posteros traditum, hæreditatis jure; ab illis iterum, anno 1825, sub hasta publica positum. Jam conclamatum est. Claromontana omnis supellex, libri, codices, diplomata, archiva, per totam dissipari Europam, ut si minora exceperis, tantum invenires apud ipsos Batavos, perinde ac domi, nudum ultimæ auctionis indiculum [4].

in Hollandia, jure emtionis perficitur.

Cujus illic inveni exemplar quod ad manum habeo, in quo, singulorum codicum pretio e regione assignato, ne omittitur quidem ille ἐπιτάφιος titulus, fol. 76, sub numero 540 :

(1) *Perillustris.* Galland., *Bibl. vet. PP.* t. I, *Prol.* p. CXIV. — (2) *Emortualem.* Inscribitur : *Catalogus mss. codd. collegii Claromontani, quem excipit catalog. mss. domus professæ Parisiens.* 1764, in-12. Mœstissime in eo præfatur ab initio, quasi ludendo : « Delicias eruditorum, haud mediocrem videlicet ac non vulgarem codicum supellectilem, exhibet is uterque catalogus. » Nonnullos codices e minoribus eorumdem PP. bibliothecis excepit bono sed tardiori hospitio bibliotheca Parisiensis Sorbonica. — (3) *Codices.* Quod scivi, præter ea quæ sequuntur de Batavis et quæ alias scripsi de Oxoniensibus et Mediomontanis codicibus [*Archives des missions etrang.*, t. I et IV], vide inter *Addenda.* — (4) *Indiculum.* Inscribitur : *Codices mss. quos reliquit vir nobilissimus Joannes Meermann, Dominus a Dalem et Narem*, 1824, 12.

Melitonis episcopi Clavis sanctæ Scripturæ, 2 FLOR.

24. Duobus florenis codicem Claromontanum æstimari!

Primus Melitonis codex invenitur.

Ego interea, brevi itinere Oxoniam ductus, nolui Bodleianam vel obiter salutare, quin raptim Grabii schedas, Spicilegiique incœpti reliquias interverterem et introspicerem. Ob Natalis Christi solemnia et optimi viæ comitis instantem necessitatem citius abii, re vix incœpta; mihi tamen non temperans, quominus quemdam adolescentem, ingenuum, quem primum forte offenderam, vix mihi notum deprecarer, ut nonnulla penitius excuteret, meosque in usus, data occasione, curaret describenda.

Quæ quum e memoria pene excidissent, hac illac per varia rerum et itinerum diverticula peregrinatus, in Argentoratensem bibliothecam a sæculo XVI integram, et procurante capitulo, ut aiunt, sancti Thomæ, maxime e Cl. Schœpflinii museolo auctam, me obiter recepi. Inter innumera quæ animum rapiebant ac pene obruebant, codicem exiguum, nec facie conspicuum, nec titulo (nescio quam *encyclopædicæ theologiæ* congeriem præ se ferente) satis oscitanter evolvebam. Porro commentariolos in XII prophetas, in novum Testamentum, in XIV Pauli epistolas, ex Hieronymo, e pseudo-Ambrosio abbreviatos, folio folium trudente, lasso oculo lustraveram, quum repente, scriptura rutilante rubrica, emicuit, in obversa folii 168 pagina, titulus hicce :

Miletus episcopus, Asianus, hunc librum edidit, quem librum Clavorum [sic] *appellavit.*

Ad finem usque citissima manu cucurri, omnibusque capitulis integerrimis avidissimo oculo exhaustis, stetit coram me, expetita tam diu, Melitoniana mea Clavis [1].

(1) *Clavis.* Officio deessem meo, nisi codicem uberius describerem. Siglos præ se fert : 195, A. 106, e veteri fundo Academiæ argentorat.; satis recenter compactus ac negligenter; forma minore ac prope quadrata; membrana pingui, rigida, fuliginosa; hic illic ex hiante corio leviter mutila; scriptura accurata, obvia, eademque manu ab initio ad calcem, qualis in tabellis nostris simillime expressa conspicitur; charactere unciali carolino, passim minusculo; majusculo in titulis et primis litteris quæ sæpius in margine emicant; cujus ætatem sæculo XI libenter assignem. In eo insunt : I. Abbreviationes in XII prophetas, scilicet : fol. 1, in Oseam; fol. 3, in librum Abdiæ; fol. eodem, in Osee; eodem verso, in Amos; fol. 4, in Jonam; fol. 5, in Abdiam; fol. 6, in librum Micheæ prophetæ; eodem verso, in Nahum; ibidem, in Habacuc; fol. 8, in Sophoniam; ibidem, in Aggæum; fol. 9, in Zachariam; fol. 14, in Malachiam; fol. 16, in Joel. II. Abbreviationes in quatuor evangelistas, scilicet : fol. 17, Præfatio; fol. 18, in Matthæum; fol. 35, in Lucam; fol. 47, in Joannem. III. Abbreviatio in Actus apostolorum, fol. 55. IV. Fol. 62, [explicatio rituum baptismi brevissima]. V. Aliæ abbreviationes in epistolas canonicas, scilicet : fol. 68, in epistolam Jacobi; fol. 67, in epistolam B. Petri; fol. 68-70, in epistolas B. Joannis apostoli; fol. 71, in epistolam Judæ. VI. Fol. 78, in Apocalypsim. VII. Fol. 124-167, in XIV epistolas beati Pauli; ad calcem, fol. 167 verso : *explicit*, et paulo infra alia manu, sæculi XV : *Fr. Nicolaus de Falgenstat, conventualis hujus domus : orate pro eo.* Deinde, et ad codicis finem, fol. 168 verso : *Miletus*, etc., ut supra. Codicem autem ex multis lacunis ubi notarius hæsit, putem fuisse a vetustiore, lectu difficili, descriptum; ex variis vero lectionibus supra lineam additis, fuisse cum altero collatum, per quemdam diligentem virum, quem æstimo esse Nicolaum de Falgenstat; eumdemque conscripsisse summariola in marginibus, et indicem in fine jam laudatum, donavisse demum librum et deposuisse in armario

Sed ecce alterum mihi in via ἕρμαιον. Huc enim ad me, per maria, per terras, opportuno tempore, pervenit fasciculus chartarum spissus, ignotorum amicorum manu consarcinatus, ope scilicet sodalium juvenum in hospitiolo Littlemoriano, sub cl. viri Newmann auctoritate, pie degentium. Ipsius quippe dilectissimus discipulus, Dalgairnus, ille idem qui olim in Bodleiana ultro mihi opem obtulerat, advenæ votum non oblitus, nactus est quod a longe intuebar, Claromontani codicis apographum, Grabio missum, statimque illud incœpit describere; donec, intermisso cursu, ut in castris nostris requiesceret, facem ad alium transtulit, ille ad cæteros, cæteri ad me tandem, novissimum πρόδρομον. Neque codicibus tantum duobus potiebar: Sirmondus tertium ibidem contulerat, antiquiorem, sæculi IX, quem inscribebat Mesmianum. Hæc sub oculis simul. Quam facem igitur triplicem felici manu gestans, alios tres codices, auctoris nomine destitutos, facili negotio detexi: quartum scilicet in Trecensi bibliotheca [1]; quintum in Parisiensi amplissima [2]. Sextus demum, nisi fuisset mutilus, certe alium excitaturus erat editorem qui locum mihi præoccupavisset.

Tum secundus et tertius;

mox Quartus, quintus et sextus;

Juvenis enim vir, inter Germanos eruditus, Gottl. Heinius, paulo ante annum sæculi XLVIII, aliquandiu per iter obiens Hispaniam et Lusitaniam, accessit ad codices Alcobacenses, Ulyssipone asservatos; quos inter 25.

domus S. Joannis Argentoratensis, ex ordine Carmelitarum. Collationem codicis absolvebam in dominica sexagesimæ a. 1846, in domo sive castello episcopali, in quo RR. DD. Röess perhumaniter me exceperat. Neque licet non meminisse me cl. v. C. Jung, bibliothecæ præsidis, quo benigne favente, codicem ad nutum habui. — (1) *Bibliotheca.* N. 1264, in forma minori, corio albo vestitus quo solent Clarevallenses, ligamento instructus veteri, olim ornamentis distinctus, quæ jam pene evanuere. In ligaturæ tabella postica, cartula inscribitur: *S. Augustinus de Bono conjugali. Anonymus de mystica significatione vocū ac loquutionū biblicarū. Othonis epī Pabergensis sententiæ theol. morales.* In membrana tegumenti interioris: *Lib. S. Mariæ de Claravalle*, cum siglis: G. 28. In eo continentur: I. Fol. 1-32, *S. Augustinus de Bono conjugali,* manu sæc. XII. II. Avulso folio 33, sequitur a 34 ad 128, sine titulo: *Caput Domini ipsa divinitas,* usque ad hæc verba: *filia Babylonis, anima peccatrix confusioni tradita*, manu eadem. III. Folio uno vacuo, a 130 ad 137, opus rarum cujus initium deest; in fine: *Explicit tractatus de Conjugio a magistro Gualtero de Mauritania sane compositus.* IV. Fol. 137 ad finem, *Sententiæ magistri Othonis*, manu altera sæc. XIII incipientis. Collationem absolvebam die XIX kal. Januar. a. 1849, in domo amici viri Ph. Guignard, tunc archivarii Trecensis, cujus benevolentiam et diligentiam satis non prædicaverim. Neque minus impense studiis meis favit optimus bibliothecæ Trecensis præses, D. Hermant, cujus cura propediem e prælo exibit copiosus et eruditus codicum Trecensium catalogus. — (2) *Amplissima.* N. 2327, inter veteres Latinos, prius reg. 3806, et Colbert, 1690; olim de monasterio B. Mariæ de Relayo, ut fert nota sæc. XIV. In eo tam multa mixtim continentur, ut tantum præcipua perstringam: I. S. Isidori de Fide christiana lib. II. II. Ejusdem de Canticis canticorum. III. Tum, ut in codice Mesmiano, de quo infra chronici fragmenta, nomina hebraica, græca, et glossæ quædam Melitonianæ cum Eucherio mixtæ. IV. Fol. 28, col. 2ª media, sine titulo nec intervallo, incipit: *Caput Christi divinitas,* etc., desinitque ubi Mesmianus. V. Fol. 44, in Christi nomine incipiunt Glossulæ in vet. et nov. Testamentum. VI. Excerpta ex Isidori etymologiis et differentiis. VII. Martini libellus ad Mironem de formula honestæ vitæ. VIII. Isidori epistolæ. IX. Miscellanea de rerum liturgicarum significationibus. X. Glossæ in varios Script. sacræ libros de sensu spirituali multorum locorum ... Scriptus sæc. XII.

unus erat, continens tantum fragmenta ex initio Clavis Melitonianæ, tacito quidem auctoris nomine, a meis vero vix dissimilia. Nempe fuerit ille codex integer, actum erat de meo tot annorum desiderio et labore. Sed quanto luctuosiore sorte usus est sextus ille editor, iterum iterumque frustraneus! Jam plura itineris sui monumenta typis dare inceperat, quum exardescente, Berolini (martio, 1849), tumultu civili, primo certaminis die, sclopeti globulo vulneratus, procubuit, obiitque, nondum tricenarius [1].

26. deinde septimus.

En igitur tempus meum, quum editionem toties tentatam, unus ego et septimus post tot alios præstantiores, tandem, duce Deo, aggrediar. Ædificaturus vero tam arduum opus, suspendebar diu hærens et anceps. Adhuc de fundamento nihil liquido statueram. Ea quippe erat sex codicum similitudo, ut ex uno fonte omnes derivati, eosdem præ se ferrent defectus prope insanabiles, quibus ego, ut alii fortasse, deterritus, pene ab editione abstinuissem. At septenarius numerus, inquit princeps allegorizantium, felix, pacatissimus [2], τελεσφόρος. Bene igitur et fauste quod, quum tertia jam vice Clarevallenses codices in Trecensi bibliotheca vertissem, incidi in septimum meum codicem [3], antiquo satis charactere, Bernardo certe æqualem, quidni venerandis ejus manibus consecratum? In quo primum non pauca singularia, de quibus mox, notabam; quæ vero cum cæteris communia, ut erant nitida, ut solemniora, ut ævo apostolico digniora! Sed et ab illo expuncta, quasi consulto, quæcumque in cæteris codicibus mihi dubium, aliis stomachum movissent. In illo, ordo planior; corpus rerum integrius. Singulæ formulæ breviter, presse, canonice exactæ: in plerisque tria propemo-

(1) *Tricenarius.* Amicus defuncti J. E. Volbeding absolvit tenuissimum volumen inceptum, titulo tamen ornatum amplissimo : Bibliotheca anecdotorum, seu veterum monumentorum ecclesiasticorum collectio novissima ex codd. bibliothecarum hispanicar. Collegit, descripsit, disposuit et edidit Gotth. Heine etc. Lipsiæ, 1848, in-12, fol. 244. « Dimidia fere pars editoribus fucum fecit, jam semel atque iterum edita. Fragmenta *Clavis nostræ* exstant, p. 3, sine Miletonis nomine, quod tamen alibi minus consulto præfigitur, p. 108, *libro de actibus Joannis apostoli a Leucio conscriptis*, spurio, et, paucis mutatis, ter edito.— (2) *Pacatissimus.* Philo *de Abraham* (t. II, p. 5, l. 35); *de mundi opific.* (t. I, p. 24, l. 32). — (3) *Codicem.* Inscribitur n. 518, olim S. Mariæ Clarevallensis, membranaceus, integerrimus, ampliori charactere quam alter Clarevallensis et antiquiore. Ut contenta breviter recenseam, sunt I. *Scintillæ Patrum,* quæ Defensoris, Locogiacensis monachi, esse videntur II *Ars lectoria,* de monosyllabis, etc. III. *Lamberti* Pultaricusis ad Albericum abbatem epistola, edita auctior. IV. *Liber definitionum* quarumdam dictionum, incipit : *Anima*, etc. V. *Definitiones* aliæ excerptæ ex patribus. VI. Excerpta e variis PP. Hucusque manus sæc. XII. VII. *Distinctionum quarumdam tractatus*, hæc est Clavis nostra cum proœmio quod infra damus : *Deus dicitur aliquando*, etc. Hic manus ejusdem ætatis, sed præcedenti antiquior, cum alterius æqualis correctionibus. VIII. « Subtilis disputatio de sensibus corporis facta per dialogum, inter Boethium et philosophum. » IX. « *Nomina* virtutum et vitiorum et aliarum quarumdam rerum, quæ per alias res in divinis libris mystice significantur. » Incipiunt : *Deus unus est.* Locus mihi defuit ut cæteris nomenclaturis quæ exstant t. III, p. 446, et hanc adderem. Inde mihi licuit in libello vulgato a. 1849 de edendo Solesmensi Spicilegio, scribere p. 3, col. 1 : « S. Melitonis Sardensis opus, *Clavis* nomine insignitum, ab Eusebio et Hieronymo memoratum, VII msstorum collationibus restitutum, selectisque scolasticorum nonnullorum illustratum commentariis. »

dum verba, quorum uno figura, alio ἑρμηνεία, ultimo scripturæ thema, sine ulla sive libri, sive loci designatione, proponitur. Numquam aut raro, inter momenta dubitantium, aut distinguentium argumenta, ut fit in cæteris codicibus, suspensæ sententiæ. Ipse dixit, nec plura. Viden' quam deceant hæc et aptissime referant virum apostolicum, seniorem magistrum, cuncta ἐν ἁγίῳ Πνεύματι videntem et agentem? 27.

Tum codex Mesmianus idem esse

Unum deerat cumulatissimis votis : excussis per plures annos innumeris codicibus Parisiensibus, regiis præsertim, ea cum sedulitate et strenuitate quæ amplissimos et optimos bibliothecæ præsides, custodesque ad tædium usque sexcenties adduxisset, nisi, ut orbi notum, semper obvii, expositi, humanitateque pleni essent, unum dumtaxat Melitonis textum, eumque in medio Isidori codice, sine ulla tituli aut spatioli intercapedine, immixtum etymologiis et aliis Isidorianis, detexeram. Id tamen fixum animo ratumque inhærebat, illic certe latere codicem quem præ cæteris E. Grabius commendaverat, non uno in loco ad eum a Claromontano provocando, dictum ab illo *Mesmianum*. Ad typos accessurus eram, quum ultimum apographi mei Oxoniensis folium intuens, offendi in inconditos calami ductus, quos notarius ad calcem quasi ludibundus, veteris instar scripturæ, raptim injecerat, addito hoc indiculo : *Forma hæc est characteris codicis bibliorum Theodulfi Aurelianensis.*

cum Theodulfi Bibliis reperitur.

Et ego : Quid isthoc sibi vult? anne Mesmianus idem foret cum Bibliorum Theodulfi codice? Curro ad amplissimam, adductoque e selectorum armariis codice, auro, argento, purpura, regia vere opulentia splendido, post multas puniceas membranas, elegantissimis picturis et apicibus pereximiis conspicuas, post totius scripturæ corpus, quatuor erant appendices : quarum tertia, nullo præfixo lemmate, sed omisso titulo, ut monebat vacuum spatium, incipiebat ab ipso cæterorum fere omnium Melitonis codicum initio : « *Caput Domini, ipsa divinitas* [1].

Collatis cum illo textu Mesmianis lectionibus a Sirmondo exceptis, nullus erat dubitandi locus quin et mihi præluceret Mesmianus [2], et

(1) *Divinitas.* Inseritur elegantissimus ille codex inter Latinos recenter acquisitos; undenam vero quorumve manibus illuc advectus, incompertum. Inscribitur : *Supplem. lat.* 687. Illic Biblia sacra dividuntur in sex ordines, quorum « I. Legis; II. Propheticus; III. Agiographorum; IV. Eorum librorum qui in Hebræorum canone non habentur; V. Evangelicus; VI. Apostolicus, » cuncta cum canone Tridentino consona. Sequuntur ad calcem 1° *Breve temporum per generationes et regna*, fol. 316, chronicon scilicet Isidorianum ad a. 620; 2° Eucherii *Instructionum* pars una, quæ editarum libro II respondet, intermixtis in fol. 307-310 ultimis duobus capitulis libri sequentis; 3° *Clavis*, de qua supra; 4° et ultimo loco, *Speculum* S. Augustini, quod nuperrime Cl. Maius ὁ μακαρίτης edidit. At codice hoc nostro olim usus erat Vignerius idem Speculum editurus. Id vero fugisse videtur cl. v. Miller, haud ita pridem eidem bibliothecæ ascitus, qui quum hisce diebus novissimam A. Maii syllogen eleganter laudaret, Vignerianum codicem periisse indoluit (*Journal des Savants*, 1853, p. 575.) Ex eo demum codice illustrissima Sirmondi manus descripsit Theodulfi poemata duo, unum capiti præfixum in quo omnes canonis sacri libri describuntur effuseque celebrantur; alterum ad calcem additum, quo tum supra relatæ appendices pariter recensentur; tum etiam Clavis peculiari videtur encomio designari : vide hujus dissertationis finem.—(2) *Mesmianus.* Id etiam liquidius patuit, quum ex optimi viri H. Coxe dono ad nos pervenerit *Catalogus* elegantissimus codicum

jam incidérem in primigenium et unicum fontem, unde quinque cæteri codices quasi secundæ familiæ, alii ab aliis, defluxerunt. Perspectum præterea, vix pauca deesse collationi Grabianæ, et in ea contineri breviores Sirmondi emendationes, qui quum Theodulfi metrica e Mesmiano describeret, clavem simul recensuit. Denique jam mihi certum, non majorem esse quinque aliorum codicum quam unius Mesmiani auctoritatem, proin firmius esse et constantius incœptæ editioni ad finem usque

28. standum et allaborandum.

Octavus Clavis codex Pictavensis.

Cæterum inter utriusque familiæ codices nullum discrimen majus, quam in vario rerum ordine, intercesserat. Jam non usque adeo imperatoriam cæterisque præferendam esse rebar Mesmiani codicis rationem, ideo quod, diu ante Theodulfum, S. Eucherius, præ oculis habens Melitonianas formulas, in aliam eundi viam exemplum dederat. Sed ecce nuperrime, quando quidem nihil nisi octavo numero ad cumulum compleatur, octavus codex in bibliotheca Pictavensi, se mihi opportune dedit obvium, nihil simile aut longe alia exspectanti. At enim illic novo ordine componi Melitoniana fere omnia placuit codicis auctori; qui, quum nonnulla demeret, adderetque paucissima, maxime in describenda universitate rerum symbolicarum, semitam novam sibi stravit, a tramite Eucheriano minus recedentem. Atque operæ pretium est censoris illius non dissimulare nomen, codici præfixum. Adamus is est, canonicus Præmonstratensis, vir sodalium suorum, vel sæculo XII, quo floruit, facile primus, nec inter cæteros συγχρόνους, tot laudibus conspicuos,

29. ultimus habendus. Hactenus hæc.

Inde colligitur quæ editionis ratio

Quum igitur esset rerum ordo duplex, nec unus verborum tenor, e re mea duxi nihil quidquam in octo[1] codicibus contentum lectori invidere; religionis vero esse meæ pro sinceris non venditare quæ vel levissime suspecta haberem; demum ad meam pertinere indolem non confingere textum ex arbitrio et per tumultuariam tot codicum commixtionem : propterea illud inivi consilium, quo, nisi me mea fefellerit opinio, omnes numeros, quoad potui, impleverim.

Fundamentum totius editionis posui codicem Clarevallensem, quem palmari signo A notavi; hunc porro statui integerrime a capite ad calcem, suoque ordine continuo datum iri; cæterorum vero codicum ordinem, monito tamen lectore, posthabendum; varietates autem lectionum quascumque subjiciendas in imis marginibus. Varietates vero rerum, quibus ex alterutra codicum serie aut symbola dantur nova, aut novis explicantur allegoriis, alio jure diversoque loco potituras esse per se liquet.

et quod varietates discernendi artificium.

Sunt enim hinc et inde peculiaria. Quid mirum, in tanti ævi monumentis, in formulis tot manibus hominum tritis, cum hujusmodi argumento præ cæteris lubrico, subtili, incrementorum feracissimo? Quæ remanebant igitur, ex utraque codicum familia, ut erant satis inter se diversa, ita ea missa fieri et deleri, invidiosum; seligi vero, et illa in textu remanere, hæc autem in notis sepeliri, periculosum. Hæc et illa tibi, lector, eodem jure asservavi, alio tamen loco et sub diversis signis, ne male inter se aut cum præcedentibus confunderentur. Cuncta scilicet

Bodleianæ, in quo legitur nota quam rescripsimus infra p. 1, not. Cf. Sirmondi *Opp.* t. II, p. 1052. D. Ceillier, *Hist. des aut. ecclés.*, t. XVIII, p. 448. — (1) *Octo.* Vide inter *addenda* cod. *nonum*, secundum Theodulfi, priori simillimum.

sive communia, sive peculiaria, in singulis paginis grandiori charactere et longa linea eminent. Quæcumque in omnibus insunt, ea primo loco, sine ulla signi distinctione, ponuntur. Quæ vero tantum in A reperiuntur, sequuntur proxime, clare obelo sive illo distincta signo ÷. Quæ autem propria cæteris codicibus, ea ultimo loco, sub hoc signo sive menisco ÷ prænotata, subjiciuntur. Neque demum exiguæ operæ pretium duxi triplicem rerum ordinem, juxta codicis A, Theodulfi Bibliorum et Adami Præmonstratensis recensionem institutum, post hæc prolegomena sub oculis ponere; quum maxime in primo et secundo ordine vetusta sit methodus rerum universitatem symbolice considerandi.

Quid vero sentiendum de hoc multiplici genere formularum nostrarum, quæ origo, quæ indoles, quæ auctoritas? Meum enim vero non est illud meo decreto definire, qui ab initio lectorem præmonuerim, « multorum ævi christiani sæculorum opus, sub unius viri nomine, » editurum esse. Sed ut candide dicam quæ opinor, necesse est ut ad Melitonianos commentatores transeam.

§ III.

De sancti Melitonis Clavis interpretibus et commentatoribus.

30. Quum Melitonem in Patribus quærere longum,

Id quisque sibi persuasum habebit libenter, librum quemcumque, ævo apostolico rite tribuendum, ad nos usque non pervenisse, sive auctoris nomen asservaverit, sive amiserit, quin per tam diuturnum iter plura incolumitatis suæ reliquerit vestigia, aut titulo qualicumque, se posteritatis curæ et tutelæ commendaverit. Ita enimvero de Clave Melitonis actum fuisse, duplici via ostendere licet: sive colligendo ejusdem loca, quæ, conceptis verbis aut leviter mutatis, per immensam sanctorum Patrum litteraturam, passim et obiter occurrunt; sive excutiendo similes de re allegorica formulas, quæ a Melitonianis verbo tenus, vix interturbato ordine, derivantur.

maxime cum auctoribus formularum confertur;

Ut vero prius testimonium longius certe quam ut hic locum habeat, ita arduum, anceps, cuivis fastidiosum. At posterius (constat enim esse hujusmodi formulas spirituales Melitonis ad instar collectas), quam planum, quam expeditum, quam sit tardis animis aut morosis obvium, manu contrectatur. Unde, quamvis priorem demonstrandi methodum omnino non esse injucundam aut imperviam, paulo infra, ubi de Gregorio, semel ostenditur, in alteram tamen viam potius duxi insistendum, adeo ut per eam quasi duplex excursus conficiatur. In uno, qui statim incipit, totus ero in formularum auctoribus una cum Clave editis. In altero, unde erit diatriba tertio tomo præfigenda, tam illos quam cæteros omnes quos noverim, sive editos, sive ἀνεκδότους, conferam et in medium adducam, ut jam ex universo omnium conspectu aliqua adumbretur rei symbolicæ per formulas expressæ historia, quæ ab ævo apostolico inde per symbolographos, cum Melitone plus minus consentaneos, deducatur.

Sed quum, græcis mirum in modum deficientibus, latinorum non minima laus sit et Melitonis Clavem asservavisse et theologiæ symbolicæ

primas et prope universas obtinuisse partes, ita piget ignorari bene merentes illos veteres interpretes quibus totum quod e Clavi superest ferimus acceptum. Plures enim eos fuisse colligere non absurdum, ex duplici textus indole quam deprehendimus, et ob innumeras lectiones duobus agminibus facile accensendas; ut eas minus variare dixerim quam in duplicem abire viam. Quotquot vero qualescumque fuerint, nulli tædio parcentes, ex octo et fere novem codicibus expressimus, eoque diligentius quod loca Scripturæ sacræ respiciunt, referuntque non semel antiquissimas versiones, quæ certe Hieronymi tempora præcedunt. Id non fugit juvenem germanum, συνεργόν meum, qui ad perpauca in manus lapsa suas, hæc enotavit : « Liber qui sequitur, majoris momenti est, multis ex Scriptura sacra locis allatis e quibus videmus auctorem versione quæ a Vulgata et ab aliis latinis versionibus a D. Sabatiero editis, multum discreparet, usum fuisse [1]. » Plura de interpretibus nostris dicturus est quisquis operosam et pene integram quæstionem de veteribus Ecclesiæ latinæ translatoribus, qua decet diligentia, solvet.

31. Quo propius igitur ad nostra accedamus, nunc compendia, nunc auctaria e Melitonis Clave exorta, variis in locis cum illa contulimus.

quarum aliæ brevissimæ, quidem sacræ nomenclaturæ

Epitomen vetustissimam forte et frequentissimam habes in nonnullis brevissimis nomenclaturis quarum duæ antiquiores metricæ sunt;

Sylvii; Una Silvii, ignotæ viri vetustatis, qui septem versibus ornavit quinque et quadraginta allegorica *Christi cognomenta* [2].

Damasi; Altera est sancto Damaso ascripta, eadem fere cum præcedenti. Sed Damaso potiori jure velim tribuas insigne prooemium decreti Gelasiani, in quo duo et quadraginta Christi agnomina, cum summa religione et antiquissima auctoritate declarantur [3]. Qua veneratione placuit ad eadem, quoties in Melitone occurrebant, referre lectorem.

Phœbadii; Interea duo sancti episcopi, Phœbadius Barcinonensis et Nicetas

Nicetæ; Aquileiensis, eadem luculenter tetigere, quorum ille scilicet in libro *De fide* trium et viginti Christi nomina adversus hæreticos intorquebat; hic vero concionem habebat ad plebem ex quatuor et viginti hujusce modi appellationibus, tamquam de re omnibus familiari.

Orientii; Sequenti sæculo, S. Orientius, metricas Silvii et Damasi formulas eleganti et fusiori metaphrasi imitatus, quasi litanias ex illis ad Jesum puerulum effudit in carmine *de natali Domini,* ubi multo plura Christi cognomina illustravit.

Sunt quoque ab Isidori septem et quinquaginta in VII libro Etymologiarum explanata, eadem quæ in edito Eucherio et alibi passim occurrunt.

(1) *Fuisse.* Gotth. Heine, l. l., p. 3. Quod ibidem is auctor addit « ex eo libro et ex aliis quoque, iisque multis monumentis cognosci, Gothorum in Hispaniis Ecclesiæ proprium fuisse veras vocabulorum Scripturæ sacræ significationes solvere et *ad arbitrium* constituere; » insuper « ex eo quod lectiones Scripturæ iis quæ apud Isidorum Hispalensem, in breviario Mozarabico, in aliis ejusdem Ecclesiæ monumentis inveniuntur, similimæ sunt, intelligi hunc librum ad nullam aliam nisi ad illam Ecclesiam pertinere, » totum hoc quodcumque est testatur juvenis viatoris eruditionem ecclesiasticam, nec omnino sanam, nec ultra fines Ecclesiæ gothicæ, ut ferebat itineris sui apparatus, constitisse.—(2) *Cognomenta.* Cf. Dissert. tomi III, ubi XXII hujusmodi nomenclaturas et commentationes indicamus.—(3) *Declarantur.* Primus Holstenius et post eum Arevalus ad calcem Sedulii, p. 787, edidit.

Primus est B. Notkerus, qui quum non esset episcopus, solemne illud argumentum tetigit ut tres et quinquaginta Christi προσηγορίας insereret in sequentia XXXVII, quam libenter ævo antiquiori referam. Notkeri.

Sunt et aliæ tam Græcorum, quam Latinorum nomenclaturæ, de quibus suo loco. Quas modo recensui, quoties cum Melitone meo conveniebant, toties illas videbis infra sedulo collatas. Ingrata quidem erit hæc jejuna nominum comparatio, qua tamen fidem exsolvam meam.

32.

Sed alterius generis sunt quidam Melitonis abbreviatores, qui campum exspatiati ampliorem, modo pressius illius vestigia relegunt, modo liberius in suam quique vagantur viam. Inter priores unum e Latinis attuli Eucherium, in quo nunc non immorabor; alterum e Græcis, Adrianum. Aliæ minus breves,

Is quidem pene ignotus, quem eo lubentius e *Criticorum sacrorum* mole, ne dicam mausoleo eduxi, quod Græcos in hujusmodi argumento jejuniores et rariores, ut dixi, præter omnem spem meam, inveni. Igitur passim et pene quotiescumque Eucherium memini, a Melitone ad ignotum illum Adrianum toties provocavi. Porro ab utraque epitome Melitonem fuisse compendiose repetitum, conferenti vel unum e sexcentis locis parallelis quos notavi, manifestum erit. quales Eucherii spirituales formulæ, et Adriani Εἰσαγωγή.

Sive nomenclatorum nomina, sive abbreviatorum, in commentariis nostris nuda dumtaxat inserui. Aliter tractandi erant qui proprie nobis sunt commentatores, ii scilicet, qui clavem aut formularum nostrarum qualemcumque syllogen præ oculis habentes, easdem quoad substantiam, ordine tantum et textu mutatis, expresserunt. Quos e multis elegimus, id omnes habent commune, quod ordine alphabetico descripserunt quæ Melito juxta naturalem rerum conditionem exposuit[1]. Eosdem tamen ex evidenti discrimine, rursus in duas partes diviserim : alii siquidem Clavem quasi integram refingere videntur; alii vero ad partes tantum præcipuas, v. g. ad allegorias ex bestiis, ex avibus, e metallis aut ex lapidibus petitas, operam contulerunt.

33.

Aliæ demum prolixiores, quæ omnes alphabeticæ;

et rursus duplicis generis : primum est universalium,

34.

Sane nullus priorum antesignanus erat nomine, ingenio, majestate præstantior quam Gregorius Magnus. Me vero illud pene in admirationem rapuit, quum primum deprehendi quantum intercesserit commercium inter apostolicas allegoriæ formulas et sanctissimum doctorem : cujus societatis ipse inscius fuerit, esto; cujuslibet ducis, sive Melitonis, sive alterius, non calluerit nomen, esto nimirum : nihilominus in meridiana luce mihi cæcutiet quisquis demum non viderit et ab illo in *Moralibus*, in *Homiliis*, in commentariis cæteris, veteres formulas inspersas fuisse plenis manibus, et adeo eas a Melitonianis thesauris expromi. Neque id mihi novum. Fuere a sæculo saltem XII, qui ab illo, conceptis verbis, exceperunt eosdem allegoriarum canones quasi apostolicos et pontificios. Quorum enim elenchum quemdam habui, videlicet 1° apud Gregorium Magnum, de quo fidem faciunt tum Garnerii S. V. Gregoriale,

(1) *Exposuit.* Aliud etiam esse illis et cæteris quoque omnibus commune, pene insulsum mihi videtur monere : scilicet a primo ad ultimum constanter obtinere eamdem, Gregorio Magno forsan excepto, dicendi consuetudinem, eamque vulgarem, plebeiam, candidissimam; quo pluribus, immò etiam omnibus obvia esset magis et accommodatior. Vel ab elegante scriptore hujusmodi jejunæ formulæ nihil amplius, nemine diffitente, requirebant. Si quis vero inde clamat litteras optimas inter et optimam fidem necessarium esse repudium, quandoquidem ei crocitare lubet, ἅπαγε ἐς κόρακας.

trecentis circiter regulis constantem, sæculo Bernardino scriptum : an antiquiorem ? Nihil veto. Quem quidem prælo paraveram, quum eum vidi integre insertum in Garnerii Sanvictorini librum quem is apposite inscripsit *Gregorialem* [1], rarum quidem, sed typis editum ; ad quem idcirco fit, singulis in nostris infra paginis, respectus perpetuus.

tum formulæ Gregorianæ codicum Bellevallensis et Parisiensis

Sed hujus libelli loco pergratum fuit alias Gregoriales formulas primam in lucem edere, quas tanti nominis splendore eodem jure donandas putem quam quum cæterorum excerpta in catenis proferuntur. Velim autem eas legant si qui familiarem habeant Gregorianam loquendi scribendique consuetudinem. Ea enim est illis brevissimis formulis concinnitas, is rhythmicus lepos, argutumque in membrorum articulis et particulis, quod Gregorio solemne est, artificium, ut vix credam illic inesse tantum ignoti et barbari compilatoris centones. Cæterum nobilis sedes illi Gregoriali contigit in capite Bibliorum Bellevallensium, utpote ad sigilla sacri voluminis aperienda aptissimo : præfigitur enim elegantissimo sacri textus volumini, nunc Carolopolitano in Arduenna, olim in Abbatia Bellevallensi Præmonstratensium asservato. Cui minus prospere cessit quod ab initio mutilum est [2]. Sed integerrimam vulneri medelam attulit aliuscodex, Parisiensis, paulo antiquior, sæculi XIII incuntis. Quorum amborum collatione textus noster exactus est.

Tertius denique locus est, et tanto hospite dignior, quem in ipso textu Melitoniano facere non dubitavi. Sunt, ut dixi, in codice primario A non pauca singulari indole a cæteris diversa, quæ intra formulas sub obelo ÷ posui. Ea scilicet omnia, quo potui animi studio, contuli cum Gregorianis formulis, tantamque hinc et inde assurrexit similitudo, ut jam ambigerem utrum ea e Melitone Gregorius, an e Gregorio Melitoniani interpretes receperint. Quæ vero codicibus secundæ familiæ propria sunt, notata menisco ÷, ad Eucherium propius reducere vel Augustinum, eaque sæculo saltem quinto assignare per me licet.

35.

2° Apud Rabanum,

Porro Gregorium in meis excipere solet Rabanus, ævi Carolini testis idoneus, quo nobili exemplo rursus considera quanta sit in Ecclesia virtus et perennitas libri vel incerti aut ψευδεπιγράφου, quem tamen de manu ad manum religiosum quoddam numen transmiserit. Ecce parum abfuit quin supine obirem turpe periculum rem actam actitandi et a decem usque sæculis penitus absolutam. Agedum, cui umquam forte inciderit suspicio, in immenso illo Rabani tractatu quem ita placuit inscribi *de Universo*, latere, ne verbo quidem mutato, capita Melitonis mei integra ? Et dubio procul. Otia mihi sane fecisset ille, nisi abrupta ad caput tertium tela, aut omisisset reliquum opus, aut mutavisset. Adeo enim mea præ oculis habuit ut ex illo, quasi e *nono* codice, quem littera R inscripsimus, varietates non uno in loco legerim, de quo te istic et infra volui monitum. Ad hæc autem cumulate accedunt ejusdem *allegoriæ*, aliæ

in quo alter codex Melitonis.

(1) *Gregorialem*. Inter rariores computandus libellus iste : Guarnerii S. Victoris canonici *Gregorialis liber, sive explanationes allegoricæ biblicæ*, cura J. Picard, Paris, 1608, in-8°.—(2) *Est*. In bibliotheca Carolopolitana inscribitur n. 113. Officio multo meo deessem, nisi data hac prima occasione, statim de humanitate et promtissima in me voluntate D. Hubert bibliothecæ Carolopolitanæ præsidis palam gratularer. De utroque Gregoriali, v. infra, p. 2. Codex vero Parisiensis in Bibliotheca imperiali sub n. 562 inter veteres Latinos exstat.

nimirum tum ab insertis in libros *de Universo,* tum ab editis quæ sub nomine ejus ementito circumferuntur[1]. Inde ad duodecimi sæculi finem, jam pene ad metam ævi symbolici, ne in immensum commentarii mei crescerent, properandum erat, ut duabus in scholis, verbo sit venia, cultu allegoriarum florentissimis, Cisterciensium scilicet et Parisiensium, deflecteretur excursus meus, ibique consisteret.

56. Inter Melitonianos commentatores sæculi XII præcipui sunt :

Nil sane mirum fervidius in Cisterciensi palæstra, quam usquam, præclara ingenia se in explicandis Scripturæ et Ecclesiæ symbolis exercuisse, maxime in illa ætate beatissima, cui recens adhuc illuxit sidus Bernardinum. Inde profecto tot apud illos inventi codices Melitoniani : Parisiensis unus, duo Trecenses, Alcobacensis unus, alii quoque bene multi ejusdem argumenti e bibliothecis Clarevallensi, Cisterciensi, Dunensi, Igniacensi, etc., quos variis in locis manu versavimus. E re igitur nostra erat vel in his angustiis nostris, locum dare nonnullis hujusmodi, testibus eruditionis monasticæ in sæculo duodecimo merentissimis.

1° Clarevallenses,

37. Alanus Magnus;

Ab Alano principium. Qui quum e Parisiensi magisterio in novissimum conversorum Cisterciensis familiæ subsellium declinasset, utrinque evasit *Doctor universalis*. Igitur illi non defuisse Melitonianæ peritiam disciplinæ testatur ejusdem ecloga quæ dicta est *Scripturæ sacræ oculus*, vel *Summa quotmodis*. Piguit enimvero nos non potuisse, nisi semel aut iterum, huic aurifodinæ manus admovere. Est enim, quasi non fuerit, editio sæculi XV, unica, rarissima, in dubium a multis adducta, quam in vere regia bibliotheca Hagæ-Comitis, manu terere contigit[2]. Ne nobis omnino deesset Alanus, non uno in loco adduximus ἀνεκδότους ac vere genuinas illius *Quæstiones naturales*, nempe ubi audax ille vir tam effusis habenis animo luxuriatur, ut facile quis sit et quale ingenium, agnoveris[3].

38. Garnerius de Rupeforti;

Cui, tempore et loco proximus, succedat Garnerius de Rupeforti, ex monacho Longivadi, primum Albæ-Ripæ, tum Clarevallis nonus abbas, deinde Lingonensis episcopus. Floruisse ut antea, sub illius regimine, in Cisterciensium monasteriis disciplinas symbolicas Scripturæque expositionem allegoricam testatur, quæ etiam nunc superest, sylloge quædam dicta *Angelus*, cura et diligentia ejusdem, ut videtur, exacta. In eo satis spisso opere, quod cum cæteris hujus modi libris sedulo comparavimus, facile deprehenditur continuus tum Rabani, tum Petri, Parisiensis cantoris, textus, ut in singulis et omnibus capitulis episcopi allegorias cantoris distinctiones perpetuo excipiant. Unde ad utrumque correctius edendum Garnerii *Angelus* [4], de quo parcius egerunt rei nostræ litterariæ historici, non minime nobis profuit.

39. Anonymus anglicus;

Ad tertium non transeam Cisterciensem, quin doctos Angliæ viros, si

(1) *Circumferuntur.* Ex codice Trecensi, olim Clarevallensi, nunc inscripto 680, sæc. XIII. — (2) *Contigit.* An exstaret dubitabat doctissimus D. Brial a. 1820 (*Hist. litt. de la Fr.*, t. XV, p. 100). Editionis quam nobiscum, inter multa, benignissime communicavit Cl. V. Holtropp, bibliothecæ regiæ Batavorum dignissimus præses, titulum integrum damus : *Venerabilis Alani liber in distinctionibus dictionum theologicalium feliciter incipit.* Sine l. n. a. — (3) *Agnoveris.* Ex cod. Sorbon. in biblioth. imper. — (4) *Angelus.* Usus in primis sum codice Trecensi 392, ad cujus calcem scribitur titulus Garnerii eumdem hunc codicem Clarevallensibus dono dantis, a. 1216. Cf. *Hist. litt.*, XVI, 425.

forte hæc mea nonnullis innotuerint, impense rogem ut scriptoris anglici, ignoti mihi hactenus, sed qui a multis noscatur dignissimi, nomen, gesta, fata regnoscant. Vixit in fine XII sæculi et in prima sequentis parte. Parisiis studuisse, Petrumque Cantorem sibi magistrum vindicare videtur[1]. Cisterciensi familiæ addictum se profitetur[2] aperte. Quasi vicinos et sibi familiares adducit monachos Petroburgenses[3]. In primis illi volupe est veterum uti consuetudine; vix ullus est antiquorum Latii poetarum, qui, data quavis occasione, illi præsto non sit, ac si omnes memoriter teneret. Nomine provocat ad Flaccum[4], ad Virgilium[5], ad Ovidium[6], ad Lucanum[7], ad Lucretium[8], ad Terentium[9], ad Persium[10], ad Claudianum[11], Tibullo[12] non excepto, neque Martiali[13]. Sæpius eosdem, maxime Juvenalem[14], tacito nomine, hic illic producit. Satyricum quemdam veterem[15], aliumque ethnicum[16], sed hos mihi ignotos, aliosque forte plures[17] e tenebris eruit in sexcentis locis, qui anonymorum versus referunt. Cæterum, qui nomen suum nobis invidit, eumdem suspicor haud illepide latere in illa subobscura appellatione, quæ illi solemnis : *Quidam e nostris*, *vir scholasticus*, *vir litteratissimus*, *versificator egregius*. Coæqualium suorum nobilissima non dissimulat nomina, v. g. Stephani Langtoniensis[18], S. Thomæ Cantuariensis[19], Gualteri de Castellione[20], Gualteri Maph[21], Petri de Riga[22], Alexandri Neckam[23], Petri Comestoris[24]. Rarissimos non obliviscitur; novos eruit et incognitos, Serlonem[25] puta, Laurentium Dunelmensem[26], Hugonem Primatem[27],

(1) *Videtur*. Cf. infra t. II, p. 98, 587, 128; t. III, p. 197.—(2) *Profitetur*. Tom. II, p. 334; III, p. 472. Sed ex uno eo loco et disce hominem neque indoctum neque illepidum. « De igne avaritiæ nos Albos Monachos mordacissime reprehendit magister Walterus, cognomento **Maph, his versibus :**

Absit qui clero numquam potuit bona velle,
Griseus, ardescens, sine braccis et sine pelle.

Ignoscat ei Deus et nos agnoscat ex nomine

Formosi pecoris custos formosior ipse. »

— (3) *Petroburgenses*. T. II, p. 295. Cf. ib. 118.—(4) *Flaccum*. T. II, p. 381. Cf. II, p. 182, 228, 306, 384, 427, 491; t. III, p 25, 40, 41, 50, 96, 235, 243. — (5) *Virgilium*. T. II, p. 64, 97, 196, 225, 233, 258, 262, 299, 322, 362, 381, 387, 415, 420, 513; t. III, p. 14, 25, 31, 33, 37, 63, 113, 115, 135, 153, 157, 172, 235, 456, 457, 458, 470, 485. — (6) *Ovidium*. T. II, p. 117, 172, 208, 222, 227, 230, 244, 277, 285, 301, 344, 390, 416, 486, 491, 510; t. III, 135, 138, 255, 458, 470, 473, 479. — (7) *Lucanum*. T. II, p. 118, 244, 294; t. III, p. 16, 191, 457. Locum Lucano datum, t. II, p. 176, Claudiani esse serius animadverti. — (8) *Lucretium*. T. III, p. 488. — (9) *Terentium*. T. III, p. 460. — (10) *Persium*. T. II, p. 499; t III, p. 32, 272.—(11) *Claudianum*. T. II, p. 176, 312, 486; t. III, p. 128, 151.—(12) *Tibullo*. T. III, p. 255. — (13) *Martiali*. T. II, p. 372, 474. — (14) *Juvenalem*. T. II, p. 175, 194, 369, 414, 482, 486; t. III, p. 96, 277, 454, 462, 468, 488. —(15) *Veterem*. T. II, p. 233.—(16) *Ethnicum*. T. III, p. 460. —(17) *Plures*. Cf. t. II, p. 419, 486, etc. Locos, sive versu, sive prosa, ἀνεπιγράφους adductos, recensui supra numerum 400.—(18) *Langtoniensis*. T. III, p. 130.—(19) *Cantuariensis*. T. II, p. 172.—(20) *Castellione*. T. II, p. 219; t. III, 467. —(21) *Maph*. T. II, p. 466; t. III, 472.—(22) *Riga*. T. II, p. 155, 213, 220, 228, 255, 279, 288, 292, 306, 325, 332, 350, 354, 381, 441, 444, 447, 472; t. III, p. 5, 9, 13, 171, 269, 454, 455, 466, 474. — (23) *Neckam*. T. II, p. 319; t. III, p. 454.—(24) *Comestoris*. T. III, p. 477.—(25) *Serlonem*. T. II, p. 499; t. III, p. 32, 272.—(26) *Dunelmensem*. T. II, p. 196. — (27) *Primatem*. T. II, p. 295, 326; t. III, 472. An is fuerit *Hugo* Reading, Rothomagensis primas; an potius *Hugo*, prior de Monteacuto, cui ascribitur carmen inter delicias quas noster venatur, *de Excidio Trojæ*; an demum Hugo Kircostallensis,

Petrum de Melida[1], Alanum Poryum[2], Robertum nescio quem Album[3], Adam magistrum, *parvipontanæ*, ait, inventorem[4], Babionem demum quemdam[5], aliosque quos hic enumerare longum[6]. Nedum autem sub hac mole testimoniorum stupeat obrutus, sed etiam varius est, festivus, aliquando satyricus, maxime in prælatos, quin ad petulantiam. Ut ut est, mihi venustatem comitatemque ita commiscet, graviora argumenta tot leporibus distinguit et lusibus, ea ubertate congerit antiqua et nova, classica maxime et rhythmica, ut pene sub oculis habere me videar miscellaneos hujusmodi libros quibus vicini nostri ut antea, sic etiam nunc delectari solent, qualia dixerim, ut exemplo utar obvio, *Compita* doctissimi viri et elegantis Kenelmi Digbi, aut ejusdem *Catholicos mores*[7].

40. Anonymus Clarevallensis.

Nomen suum, quod rursus latuit nos, dedit eidem Cisterciensi familiæ anonymus alter, quem in coronidem omnium Melitonis nostri articulorum, sub breviori schemate, expressimus. Quod egit, ipse describit in prologo quem ideo alias edimus, cum ejusdem capite primo, ut libri exemplum detur. Ad hæc adde, sicut primo, ita singulis capitibus tria maxime contineri : *etymologias*, ab Isidoro plerumque; *defini-*

Cisterciensis alter, qui metrice descripsit laudes Thurstini, archiepiscopi Eboracensis, qui et dicitur Hugo de Pontefracto, audentior me alius divinabit forte. — (1) *Melida*. T. III, p. 39, de quo apud omnes silentium altum. — (2) *Alanum Poryum*. T. III, p. 460. In textu legitur tantum *vir litteratissimus*, quemadmodum alibi non semel : v. t. II, p. 414, ubi similes versiculi exstant. Sed in t. III, p. 460, manus altera, ejusdem temporis, in margine scripsit : *magister* Alanus Poryus. Sub ejusdem nomine reperitur in codicibus Anglis, *Summa de arte prædicandi*, quam C. de Visch inter opera *Insulensis* [p. 52] edidit. Atque eadem hæc summa magna ex parte, in eodem codice nostro Mazarino, excipit *distinctiones monasticas*, sine titulo, sine intervallo, quæ quidem cum præcedenti libello mihi visa est satis similis, ut nonnulla me cœperit suspicio auctorem nostrum, cujus nomen me sollicitat, alium non esse quam illum Alanum Poryum. Versiculi qui laudantur, t. III, p. 460, exstant pariter in operibus Alani Insulensis, p. 418, ut monui in nota 14. Cæterum vix ulla est in tota medii ævi historia litteraria quæstio intricatior quam variorum Alanorum scripta et gesta secernere. Cf. *Hist. littér. de la Fr.*, t. XVI, p. 395; Tanner, *Bibliogr. Britann.*, p. 14. — (3) *Albus*. T. III, p. 473. Addendus in agmen synchronorum qui de martyrio S. Thomæ scripserunt. — (4) *Inventorem*. Adamus de Parviponte fuit Parisiensis Grammaticus, dein S. Asaphi in Scotia episcopus. Cf. t. III, p. 476. — (5) *Quemdam*. T. III, p. 211, ubi noster levius loquitur, quam ut facilè quis ille sit dignoscatur. — (4) *Ismenium*. T. III, p. 197, n. 7, ubi lege : *meis canoribus*, nisi forte is locus corruptus fuerit. (6) *Longum*. Me tamen non piget raptim et ordine alphabetico describere anonymi nostri auctoritates, præter sacras, quibus ubertim infercitur : magister Adam, Alanus Poryus, Alexander Neckam, Ambrosius, Arator, Aristoteles, Athanasius, Augustinus, Babio, Basilius, Beda, Benedictus, Bernardus, Boethius, Cassiodorus, Cato, Chrysostomus, Claudianus, Cyprianus, Flaccus Horatius, Fortunatus, Glossa marginalis Scripturæ, Gregorius M., Gualterus a Castellione, Gualterus Maph, Hieronymus, Hildebertus, Hugo Primas, Hugo S. V., Isidorus, Ismenius, Juvenalis, Laurentius Dunelmensis, Macrobius, Martialis, Matthæus Vindocinensis, Notkerus, Ovidius, Persius, Petrus Cantor, Petrus Comestor, Petrus de Melida, Petrus de Riga, Prudentius, Rudolfus Flaviacensis, Robertus Albus, Sedulius, Seneca, Serlo, Stephanus Langton., Sulpitius Severus, Terentius, Theophili acta, Tibullus, Tullius, Vetula (Pseudo-Ovidius), Virgilius, Vita et Acta SS. Cæciliæ, Joannis Eleemosynarii, Laurentii, etc. Ubinam singuli occurrant, dicet index auctorum generalis. — (7) *Mores*. Inter ea quæ jucundius disputat, jam doctissimi Angli, me monente, notarunt quod ludendo affert omnino novum de privato

tiones rerum, easdem sæpe cum illis quæ inter Hugonis S. V. opera, *distinctiones*, Scripturæ locos, ut in Rabano nostro, confirmatas, ac denique intermixtos obiter versiculos variorum [1].

41. 2° Parisienses, quorum inter primos Petrus Cantor

Alius ex alio mihi occurrit. Nam ad utramque Cisterciensium et Parisiensium palæstram attinet Petrus Cantor, Parisiensis aut Remensis dictus; qui, quum in urbe regia cum magno omnium plausu publice docuisset, moriturus sub monastica corona, in Cisterciensem abbatiam Longiportus appulit. Cujus quidem libri, grata et erudita varietate insignes, tam hodie neglecti jacent, quam olim ab omnibus versabantur, quin a multis expilati. Mirum enim quam frequenter, tacito vel dicto ejus nomine, cæteri quotquot post illum venerunt, Alanus, Garnerius, Petrus de Capua, Mauricius, anonymus anglicus, eum de verbo retulerint. Rem quippe allegoricam graviter et nervose excutit; sermo copiosus, et varius, antiquitatis plenus. Mysticos sensus ad mores informandos, data forsan frequentius opera, dirigit. Nimium utique me non fuisse reor, qui præcipuam ejusdem distinctionum summam quæ *Abel* a primo verbo dicitur, ad dimidiam fere partem his tomis inserui, cætera serius ociusve in medio positurus. Ex multis codicibus qui ubivis abundant, unus inter optimos, auctori æqualis, ad manum fuit, noster nimirum factus ex munificentia Cl. V. Firmini Didot, qui, dum ipse suum longe splendidioribus gemmis refertum μουσεῖον compararet, illud quoque e thesauris suis liberaliter porrexit κειμήλιον, unde quidem nostrum Solesmense museolum libentissime superbit.

42. Ad quem accedit tum Petrus de Capua;

Ab venerando Cantore, vix regione recessit, sæpe inter nos versatus et S. Sedis legatus agens, Petrus de Mora, cardinalis S. R. E. quem cum Fabricio ex episcopatus sede, diximus Capuanum. Parisienses magistros sæpissime suos fecit; tam ad eorum discipulos quam ad suos scholasticos romanos se identidem convertit. Varios titulos præ se fert prægrandis ejus bibliotheca allegorica; nunc *Rosa alphabetica*, nunc *Summa de arte prædicandi*, nunc demum *Regula sermocinandi*, monente card. Maio, cujus testimonium operæ pretium est rescribere [1] : « Ex alio codice vaticano ingens opus spissumque legebam, cui titulus *Regulæ sermocinandi;* sunt autem pleræque omnes explicationes biblicorum vocabulorum, ad suppeditandam clericis artem materiamque dicendi; prologum certe divulgari non esset incongruum. » Cui obsequutus consilio, duplex proœmium in alio volumine ponam, quo perspectum erit Capuanum, etsi ordine alphabetico incedat, tamen præ oculis habuisse, in singulis litteris digerendis, Melitonianæ clavis rationem, ordinem et contextum. Quod si nonnullos locos cum similibus Cantoris contuleris, hunc illi prælusisse,

et hactenus incognito Henrici II sigillo, vid., t. III, p. 233. Hæc nimirum referunt emunctæ naris hominem et quasi hodiernum ἀρχαιόφιλον. Editioni nostræ unicum quem exstare noverim, adhibui codicem, Mazarinum P. 1252, olim S. Nicolai Andegavensis, sæc. XIII, notis et correctionibus antiquis instructum, quæ pene auctorem ipsum sapiunt. Distinctiones istas excipiunt miscellanea ἀνεπίγραφα plerumque mutila, inter quæ notabam : 1° Initium summæ *de Arte prædicandi* quam modo tetigi. 2° Incogniti sermones. 3° Fragmentum e *Bestiario* quod volunt esse Joannis Cornubiensis (*Opera* Hugonis S. V., t. II, p. 418.) — (1) *Variorum*. Accepimus e codice Clarevallensi sive Trecensi 1236. — (2) *Rescribere*. Vide *Spicil. Rom.*, tom. IV, *Præf.* p. XII.

perspicies. Commune quoque illud cum eodem habet quod mores frequentius quam allegorias sectatur ; id vero illi peculiare, locorum Scripturæ sacræ segetem propemodum immensam et supereffluentem singulis in capitibus congerere, ut de quovis argumento integerrimam pene instituat *concordiam*, qua enim ipse, ego voce utar ; quæ eo magis ob ubertatem notanda venit, quod nondum ullæ exstabant, ut paulo post dictæ sunt, *concordantiæ* a Dominicanis institutæ. Nobis autem necessitas fuit quoties in hanc silvam incidimus, multa cædendi et resecandi, ut interdum cuncta sub exiguo speculo repræsentarentur.

43. tum auctor *Moralitatum*

Neque a Parisiensibus magistris suis anonymus quidam sejungi voluit, quod ipsius diserte asserit prologus, hic loci inserendus, ut tam auctoris indolem, quam ejusdem libri ideam proponamus[1].

Incipit liber de Moralitatibus corporum cœlestium, elementorum, avium, piscium, animalium, arborum sive plantarum, et lapidum pretiosorum, qui vel quæ in veneranda Scriptura, vel alias authentice sub significanti et eleganti mysterio continentur.

Quoniam, sicut scribitur Sapientiæ XIII, « Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est ; » oportet volentem uti salubriter creaturis et aciem intelligentiæ supermentaliter figere in ipsarum mysteriis et ipsa mysteria applicare sacris moribus. Cæterum, quia hæc ipsa fieri minime valent, nisi præcognita proprietate creaturarum ad litteram, ideo scripturus per ordinem de corporibus cœlestibus, elementis, avibus, piscibus, animalibus, arboribus sive herbis, et lapidibus pretiosis, qui et quæ in veneranda pagina vel alias mysterialiter describuntur, prius substernam singulis de præmissis litteræ veritatem et deinde moralitatem, subinducens semper probationes per veras Scripturæ sacræ auctoritates et per sanctos sive glossas, vel etiam magistrorum Parisiensium expositiones, juxta quod Dominus melius ministrabit. »

Accedat auctoris, cujus nomen latet, clausula modestissima :

« Si cui autem sano viro, astrologo, philosopho, theologo, physico, vel quacumque facultate perito, in opere præfato aliquid fuerit visum addendum, minuendum, aut etiam corrigendum, vel declarandum, obsecro ego pauperculus compilator operis, ut addat, minuat, corrigat et declaret : sine præjudicio enim hoc scripsi ad saniorum hominum seu virorum emendationem et correctionem votivam. »

Quæcumque ultima ævi symbolici ferebat ætas, in eo auctore facile deprehenduntur, sive vitia, sive virtutes : copia ingens variorum auctorum sacrorum profanorumque, ne Judæis quidem aut Mahumedanis exceptis ; signorum allegoricorum varietas pene infinita, quæ ad omnem se refert cœlorum et terrarum orbem ; audax pruritus et quasi licentia exlex in interpretationibus, nec jam petitis e Scriptura, juxta unum et constantem veterum morem, neque ex ecclesiasticis fontibus modo, sed undequaque, sine discrimine, sine auctoritate, corrasis. Hac præcipua labe corruit et interemta est nobilis illa et sancta disciplina, quæ, ut semel e monasteriis in medium evolavit, semel liberius erupit in laicorum vulgus, maxime in forense Parisiensium doctorum theatrum, quasi sole, æstu et pulvere affecta, exarescere visa est, importunarumque disciplinarum mole obruta, potius quam senio fatiscens, contabuit sensim et propemodum exstincta est[2].

(1) *Proponamus.* E codice Parisiensi 3332, sæc. XV. — (2) *Est.* Vide quem

Secundum genus hermeticorum ad particulari symbola spectat.

Quæ quidem rerum nostrarum fatigatio, vereor ne jam lectorem ceperit; cui tamen alterum agmen restat integrum commentatorum nostrorum, quos peculiares, sive ad partes quasdam clavis Melitonianæ referendos dixi: quot sint, præter eos a nobis editos, noveris ex appendicibus quas singulis capitibus subjecimus, ubi faculi negotio quingentorum scriptorum nomina recensebis; noveris et uberius e tertii tomi nostri proœmiis. Sufficerit hic loci raptim revocare eos qui symbolam suam in nostram Melitonis explanationem addiderunt: e sequiori ævo fere omnes, testante nimium horridiore barbarie; ii tamen ex quibus temporum series fit integrior, a quibus novæ expositionis exempla dantur. Cæterum, quanto illos lentius in medium adduximus, tanto citius missos eosdem fieri jussimus.

hinc pertinent Thomas Cantipratanus et Anonymus Dominicanus;

Comites fecimus, in capitulis VIII et IX, duos ejusdem familiæ dominicanæ alumnos, Thomam Cantipratanum, e libris ineditis *De naturis rerum*, de quibus alias[1]; et anonymum quemdam, obiter non injucunda de bestiis et avibus disputaturum[2].

Anonymus Trecensis ac Mauricius Hibernicus;

Duos quoque parerat producere e Seraphico Ordine testes: unum quidem, nomine mihi ignotum, tritum tamen in pluteis bibliothecarum, ubi non semel illum invenimus, una quippe et altera vice in una Trecensi bibliotheca; unde dictus mihi Trecensis anonymus[3]. Alter, vix hodie notior, Mauricius Hibernicus, tanta celebritate olim floruit, ut post Magistrum *Sententiarum*, nullus fere alius in plures fluxerit codices. At quum cœpta editio Mauritii apud Venetos ultra litteram E non producatur, pauca e reliquis, in capitibus nostris IX et X, juris nostri fecimus.

et Antonius de Rampigollis.

Nec deesse cæteros Ordines agmini nostro decuit. Præmonstratensium enim locum splendide Adamus occupat, quem supra meminimus; Augustinianorum, Antonius de Rampigollis, in concilio Constantiensi adversus Hussitas strenuus. A quo exornatæ *Aureæ Bibliorum Figuræ*, hodiedum eo rariores, quo plures earum editiones, sæc. XV, neque omnis censuræ immunes. An vero in eum errorem impegero cæcus, ut qui ἀνέκδοτα promiserim, dederim tritissima? dederim anathemate confixa et indice jugulata romano[4]? Tragœdiam quidem vitavi, comœdiam non item. Incidit in manus summula incipiens, ut sexcentæ aliæ, ab *Abstinentia*, quæ cæteris brevior, gratior peculiari rerum contextu, breviter et presse Melitoniana attingebat. E codicis origine auctorem appellabam Præmonstratensem, donec rescirem certiora. Certiorem autem me fecit catalogus codicum Vindobonensium Dionysianus, canonicum scilicet meum esse eremitam Augustanum, sive Antonium de Rampigollis; cujus duplex sylloge est, una cui typi fere omnes sæculi XV insudarunt; altera ab illa diversa, ea videlicet quam partim edidimus, quod ex alio codice Vindobonensi exploratum est. Sed inde venit quærendum germanasne Antonii *figuras* an spurias nobis venditaverint, et istas consulto fœdis oppletas erroribus? ἄλλῳ δὲ μελήσει.

in altera dissertatione damus, elenchum auctorum qui in anonymo illo compilantur. — (1) *Alias*. Vide alteram *de Re symbolica* dissertationem, et cf. t. II, p. 63. — (2) *Disputaturum*. De eo pariter, ubi de Physiologis. — (3) *Anonymus*. Codd. Trecens. 827, sæc. XV, et 1286, sæc. XIV. — (4) *Romano*. Censuram Possevini in Antonii *Aureas figuras* gravissimam Oudinus quoque non omisit in suis *Commentariis*, t. III, col. 2310. Cf. *Spicil.* t. III, p. 120.

45.

Quid plura? tacere nefas alteram interpretum pleiadem, septem nimirum poetas qui singulorum articulorum coronidem et quasi commentarii oras et fimbrias novis versibus adornant; quos vero fusius in altero volumine memorandos, hic tantum nomine recensebo : ætate quidem priores sunt, nec laude ultimi, Fulcoius Bellovacensis, Laurentius Dunelmensis, et auctor libri *Præfigurationum Christi et Ecclesiæ*, quem Hildebertum nonnulli minus caute fecerunt; cæteri autem paulo recentiores, e Parisiensi palæstra omnes propemodum, Petrus de Riga, ejusque assecla Ægidius Parisiensis et ejusdem imitator alumnusque Hermannus Werdinensis, ac postremo Petrus Cambellanus, idem, ut videtur, episcopus Parisiensis.

46.

Accedit epimetrum unum de Melitonis spuriis;

Finem dicendi non faciam quin ad sanctum Melitonem, a quo meam quidem orationem minime aberravisse puto, propius tamen accedam. Restant nimirum duo, non ita brevis argumenti, breviter tamen excutienda.

Primum est de spuriis duobus libellis falso Melitonis nomine inscriptis quorum prior *De transitu B. Mariæ Virginis* solet nuncupari. Quem inter Græcos primum fuisse circumlatum, significant simillima quæ apud illos passim inveniuntur [1]. Eumdem a Syris accepisse videtur arabs interpres, hisce diebus cura Maxim. Enger editus, sed a quo libellus Joanni apostolo tribuitur [2]. Primus occidentalium quem sciam hanc fabellam adduxisse sub nomine Melitonis, is Beda Venerabilis est, cujus insigni censura quam multa sint in subdititio opusculo ἀσύστατα, egregie notatur [3]. Mitiori in eum censura usi sunt veteres Gallicani præsules [4], Gregorius scilicet Turonensis et liturgiæ priscæ gallicanæ conditores : quorum ille libro *De gloria Martyrum*, ii vero *Missali gothico* et *Sacramentario gallicano* multa ex eadem opella inseruere. Quos nihilominus neque semel, neque clanculum præmonuerant multi sedis apostolicæ pontifices qui a Damaso ad Hormisdam, alii post alios, edidere decretum, ut aiunt, Gelasianum, in quo, sine auctoris nomine, solemni tamen censura inuritur *Liber qui appellatur transitus, id est Assumtio sanctæ Mariæ, apocryphus* [5] :

Posterior, pariter spurius, vix Melitonis Sardensis nomen præfert. Nam in codicibus Parisiensibus fere constanter in titulo scribitur : *Mileti, Laodiceni episcopi, liber de Actibus Joannis apostoli, a Leucio conscriptis*. Incertum primo, utrum hic Laodicenus idem sit cum Sardensi, necne. Quin etiam non deest Toletanus codex unus, Heinio visus, in quo auctor *Miro* vocatur. Deinde, an Mileto vel Mironi sit quidquam adjudicandum ultra prologum, ab actis, excepta rudi transitione, diversum, in-

(1) *Inveniuntur.* Pleraque testimonia habes a Margarito de la Bigne collecta in *Bibl. PP.*, t. II, p. II, p. 212 sqq. — (2) *Tribuitur.* Ex unico cod. Bonnensi, Elberfeld. 1854, 8 fol. XIX-107. — (3) *Notatur.* In Act. VIII, v. 1. Locum integrum Sixtus Senensis rescripsit in *Biblioth. sanct.*, lib. II, p. 87. — (4) *Præsules.* Scite idem notavit Ruinartius ad cap. IV lib. I *Miraculorum de Gloria martyrum*, inter *Opp. Greg. Tur.*, p. 724. — (5) *Apocryphus.* Latine exstat in *Bibliothecis PP.* et *Biblioth. concionator.* Combefisii, t. VIII, p. 646. Cf. ejusdem t. I, p. 43 ; t. VII, p. 643 et *Auctarii*, t. I, p. 821. Nourrii, t. I, diss. V, c. 5, p. 557. Fabric. *Cod. apocryph.* N. T. t. II, p. 789. An græce supersit, non liquet.

certum pariter. Nonne vero id omne tollit dubium quod in eo libello manifestus fit respectus ad Manichæos, ne dicam ad Priscillianistas? quos Mileto, prophetæ licet, non novit profecto. Nemo ergo non mirabitur quæ causa fuerit cur adeo dubia et insulsa nuperrime [1] pro novis nobis venditaverint, quæ jam semel satisque in Florentino ad vetus Hieronymi Martyrologium prostabant [2]. Sed hactenus hæc.

47. et alterum, de græco Clavis textu reperiundo,

Ultimum est quod dicam, majorisque momenti, omnino videlicet non esse desperandum de Melitonis genuino et græco τῆς Κλειδὸς sermone alicubi serius ociusve reperiendo. Næ, ille mihi rem acu tetigerit, qui e tenebris eruet codicem quem legisse se testatur et fuse describit Sixtus Senensis, ad Theodoretum [3] : « Mysticarum institutionum in universam Scripturam isagogicum volumen, nominum ac verborum omnium, quæ divinis litteris continentur, mysticas et spirituales intelligentias exponens; quod opus in antiquis membranis græce descriptum, servatur Viennæ Austriæ, in bibliotheca Alexandri Brassicani. » Jam ipsum audi Brassicanum, in epistola ad Janum a Svolla hæc disputantem [4] : « Cæterum, quod apud latinos fecit Eucherius, hoc apud Græcos exactissime præstitit Theodoretus ille Cyrensis episcopus, ex cujus insigni opere quod apud nos est in antiquis membranis descriptum, libet hic aliquot egregie erudita loca ascribere, ex quibus universi illius operis dignitas et utilitas elucescet : οἶνος, ἐπὶ θεοῦ ἡ τιμωρία· Δαυὶδ, ὅτι ποτήριον ἐν χειρὶ Κυρίου οἴνου ἀκράτου πλῆρες κεράσματος.. Vinum, a Deo vindicta. David : *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* » Hæc ille. Quibuscum confer quæ Melito noster : « Vinum est ira Dei : Et excitatus tamquam potens crapulatus a vino [t. II, p. 461]. » Et paulo post : « Calix, supplicium « reproborum, quia calix in manu Domini plenus mixto [p. 465]. »

forte sub Theodoreti nomine;

aut in Adriani codice;

Neque rursus a nostro longius aberit, si quis inciderit in *Adriani*, de quo supra, codicem qualemcumque. Utinam vel unus alicubi compareat!

Cæterum noli ab eruendo illo textu, mea quidem sententia, spem dejicere, donec excusseris quingentos circiter variorum lexicorum codices græcos qui per Europam in pluteis bibliothecarum jacent, in quibus ut glossæ sacræ perplures, ita non pauciores Melitonianæ formulæ delitescunt. E multis pauca, exempli gratia, afferam; ex una scilicet eaque ἀνεκδότῳ *glossarum synagoga* [5], quam raptim et citatissimo oculo lustrare libuit :

aut in græcis glossariis.

(1) *Nuperrime.* Heinc, *Bibl. anecd.*, p. 108. — (2) *Prostabant.* Edit. Lucæ 1668, p. 132. Ne aliquid a Melitonianis omisisse videar ægre adducor ad memorandum in hac altima meta insulsum libellum, qui inter multa audacissime conficta, titulum hunc sibi arrogavit gallice : L'*Apocalypse de Méliton.* In diffamandis atrociter religiosis viris, nullo Ordine excepto, totus est, neque mirum, quum auctorem habeat certum et celeberrimum Camus, Bellicensem episcopum. Prodiit ante 1640, quum a. 1641 haud inficetum datum sit responsum inscriptum : *La Conduite de Méliton, etc., par le S. de Saint-Romain.* Sed inde prioris libelli orta duplex editio est, brevior quidem, sed eodem veneno acrius et mordacius instillato : *L'Apocalypse de Méliton ou révélation des mystères cénobitiques, par Méliton, à Saint-Léger (sic), chez Noël et Jacques Chartier*, 1662 et 1665. Sed hæc alias. — (3) *Theodoretum.* In *Bibl. sanct.*, lib. IV, p. 303. — (4) *Disputantem.* In *Præfat. ad Eucher. Patrolog.*, t. IV, col. 690-791. Pauci codices Brassicani remanent in bibliotheca Vindobonensi, nondum in catalogis descripti. — (5) Συναγωγὴ λέξεων συλλεγεῖσα ἐκ διαφόρων βιβλίων παλαιᾶς τέ φημι γραφῆς καὶ τῆς νέας. Incipit : Ἅαπτος. Codd. Paris. græci 412, 902, 1123, 1142, 1708; Coisl. 178.

Ἄλας, ἡ φρόνησις, ὡς τό· ὑμεῖς ἐστὲ τὸ ἅλας τῆς γῆς [1]. Γῆν καλεῖ [τὰς] τῶν ἀνθρώπων ψυχάς. Ψυχὴ γὰρ, εἰ μὴ ἡλισμένη τῷ Πνεύματι, σέσηπται [cf. t. II, p. 342 et 120].

Ἀριστεραὶ χεῖρες, οἱ σαρκικοὶ λογισμοί· δεξιὰ δὲ χεὶρ, τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ὡς τό· μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου [2]. Τὰ γὰρ δεξιὰ μέρη τοῦ ἁγίου Πνεύματος οὐδὲν τούτων φροντίζουσι, πιστεύουσι δὲ τῇ δεσποτικῇ φωνῇ· ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν [3] [t. II, p. 9, 31, 230].

Βασιλεία οὐρανῶν, ἡ πάντων τῶν ὑπὸ Θεοῦ γεγονότων γνῶσις [ib. p. 50]. Βασιλεία Θεοῦ, ἡ αὐτὴ τῆς ἁγίας Τριάδος γνῶσις, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος συμμαχία, ὡς τό· ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου [4]. Καὶ ἡ παρουσία Θεοῦ, ὡς τό· ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ [5], ἤτοι ἡ ἐμὴ παρουσία, ἢ ἡ τῶν προσόντων τῷ Θέῳ φυσικῶς ἀγαθῶν χάριν μετάδοσις.

Σχόλιον. Βασιλεία οὐρανῶν, ἀπάθεια ψυχῶν μετὰ γνώσεως τῶν ὄντων ἀληθῶς, ἡ ἐλλαμψις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν ψυχῇ γενομένη [cf. t. III, p. 234].

Γέλως, ἡ ἄκρατος καὶ ἀμιγὴς παντὸς ἀνθρώπου ἱλαρότης, ὡς τό· μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι γελάσονται [6] [ib. p. 138].

Γνῶσις, ἡ θεωρία τῆς ἁγίας Τριάδος.

Δέξια Κυρίου, ἄνωθεν ῥοπὴ, καὶ ἡ ἀγαθὴ ἐνέργεια [ubi supra].

Δυνάστης, ὁ διάβολος παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ· πτωχὸν ἐκ δυνάστου [t. III, p. 253].

Ἤλεκτρον, ἀλλότυπον χρυσέῳ μεμιγμένῳ ὑέλλῳ καὶ λιθίᾳ, οἵας ἦν κατασκευῆς ἡ τῆς ἁγίας σοφίας τράπεζα, ὅταν ἐξαίρετο αἰσθητὸς ναὸς τοῦ Θεοῦ [t. II, p. 282].

Ἡμέρα δυνάμεως, ἡ δευτέρα τοῦ Χριστοῦ ἐπιφάνεια. Δαυίδ· μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου [7] [ib. p. 93].

Θάνατος Χριστοῦ ἐστὶ νέκρωσις τῶν σαρκικῶν παθῶν, καὶ πάσης δαιμονικῆς ἐνεργείας φανέρωσις ἀρίστη [t. III, p. 272].

Κρίμα, τὸ κατάκριμα καὶ ἡ καταδίκη, ὡς τό· κρίμα ἑαυτῶν ἐσθίει καὶ πίνει [8]. Κρίμα, τὸ δίκαιον, ὡς τό· κρίμα δίκαιον κρίνεται [9] [ib. p. 242].

Μωρὸς ἐπὶ τοῦ ἀθέου καὶ ἀπίστου εἴρηται, ὡς τό· οὗτος λαὸς μωρὸς καὶ οὐχὶ σοφός [10] [ib. p. 261].

Μωάβ, λέβης· Μωάβ, φησι, λέβης ἐλπίδος μου [11]. Ἡ λέβης ἀμεριμνείας, τουτέστιν ὁ ἀπόβλητος ἄνθρωπος. Ὁ ἀπειλὴν ἔχων μὴ εἰσελεύσεται εἰς Ἐκκλησίαν Κυρίου· οὐκ εἰσελεύσεται γὰρ Μωαβίτης, ἕως τρίτης καὶ ἕως δεκάτης γενεᾶς καὶ εἰς τὸν αἰῶνα [12] [cf. t. III, p. 223].

Νοῦς τρισσῶς λέγεται· νοῦς Θεοῦ, νοῦς καὶ ὁ ἄγγελος, νοῦς καὶ ὁ ἡμέτερος [t. II, p. 46].

Διττῶς λέγεται Πατὴρ ὁ Θεὸς, φύσει καὶ χάριτι· φύσει μὲν, τοῦ μονογενοῦς

(1) Γῆς. Matth. v, 13. — (2) Σοῦ. Ib. vi, 3. — (3) Ὑμῖν. Ib. 33. — (4) Σοῦ. Ib. 10. — (5) Θεοῦ. Ib. xiii, 28. — (6) Γελάσονται. Luc. vi, 20. — (7) Σοῦ. Ps. cix, 3. — (8) Πίνει. I Cor. xi, 29. — (9) Κρίνεται. Ps. cxviii, 137. — (10) Σοφός. Deuter. xxxii, 6. — (11) Μου. Ps. lix, 10. — (12) Αἰῶνα. Jer. xlviii, 47.

Υἱοῦ· χάριτι δὲ, καὶ ἡμῶν, ὡς τό· ἐγὼ εἶπα· θεοὶ ἐστὲ καὶ υἱοὶ Ὑψίστου πάντες[1] [t. II, p. 1; t. III, p. 127].

Παλαιὸς ἄνθρωπος, ἡ ἁμαρτία. Νέος ἄνθρωπος, ἡ ἄγνοια καὶ ἡ ἀρετή [t. II, p. 189].

Πνεῦμα, τὸ θεῖον, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχή, ὁ ἄνεμος, ὁ νοῦς, ὁ δαίμων... Εἴρηται δὲ πνεῦμα ἐν τῇ γραφῇ τετραχῶς· Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα ὁ ἄγγελος, πνεῦμα ἡ ψυχή, πνεῦμα ὁ ἄνεμος. Ἔτι δὲ καὶ ὁ νοῦς τοῦ ἀνθρώπου πνεῦμα λέγεται, καὶ ἡ δασεῖα, καὶ ψυχή [t. II, 16].

Ψυχή. Εἴρηται μὲν ἐν τῇ γραφῇ παλαιᾷ διττῶς ἡ ψυχὴ, τουτέστιν ἡ λογικὴ καὶ ἡ ἄλογος τῶν κτηνῶν καὶ τῶν λοιπῶν [t. II, p. 192].

Et vero neque in Hesychio, neque in Suida, neque in Etymologico magno, neque in Cyrilli, neque in Photii onomasticis similia desunt. Sed quod supra in thesi statuenda vix ausi innuere, jam in hoc exeunte parergo audentius profiteri lubet. Origenes enim vero, ille Adamantius, non alium Melitonis librum, quam ipsam Κλεῖδα, mihi digito monstrat, laciniis vellicat, virga tangit censoria, quum in nonnullos aut Melitonem aut Scripturam male et crasse intelligentes invectus, ait[2] : Μέλη γὰρ Θεοῦ ὀνομαζόμενα εὑρίσκοντες [*De membris Domini* inscribuntur in nonnullis codicibus, ut in Eucherio, priora duo Clavis capitula[3]], ὀφθαλμοὺς Θεοῦ ἐπιβλέποντας τὴν οἰκουμένην [cf. t. II, p. 5 : *Oculi Domini, inspectio divina*, etc. His incipit Eucherii epitome prior], καὶ ὦτα αὐτοῦ εἶναι εἰς δέησιν δικαίων ἐπινενευκότα [*Aures Domini, quum exaudire dignatur*, Eucher. ib., p. 224], καὶ· ὡσφράνθη Κύριος ὀσμὴν εὐωδίας [*Odoratus Dei, delectatio ejus in orationibus sanctorum* « : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*, » infra p. 6, art. v.], καὶ· τὸ στόμα Χυρίου ἐλάλησε ταῦτα [statim sequitur ibidem, art. VI : « *Os Domini, Filius ejus, vel sermo ad homines. In propheta* : « *Os Domini loquutum est.* »] καὶ βραχίονα Θεοῦ [p. 8, art. X], καὶ χεῖρας [p. 8, 9, XI, XIV], καὶ πόδας [p. 12, XVIII], καὶ δακτύλους [p. 9, XV], ἄντικρυς φασκοῦσι ταῦτα οὐχ ἕτερόν τι διδάσκειν ἢ τὴν μορφὴν τοῦ Θεοῦ. Quam quidem anthropomorphicam calumniam, quod ad Melitonem attinet, diluimus. Hæc porro Theodoretus, Origenis vestigio nimis insistens, suis commentariis cum eadem censura inseruit. Similia irrepsisse in Areopagetica, conceptisque expressa verbis, ut videre est infra, p. 23, si quis conjecerit, illa penes eum erit definire utrum e Melitone nostro, an ex Origene deriventur.

Si nec dum tibi satis sit certum quid Melitonem inter et Origenem intercesserit commercii, nolim ego tu dubites ipsam nostram clavim, suo bene inscriptam nomine (omittatur licet in Mesmiano), fuisse Theodulfo Aurelianensi notam, immo ab eo haud inamœna exornatam elegia, quum splendido suo codici finem impositurus, designatis aperte tum Eucherii, tum Isidori opusculis, ad Nostrum hoc epimetro transit, quæ coronis non ingrata longiusculæ dissertationi erit.

(1) Πάντες. Ps. LXXXI, 6. — (2) *Ait. Opp.*, t. II, p. 25, ed. BB. — (3) *Capitula*. Inde forte conflatus liber *de Membris Domini*, de quo alias. Cf. t. II, p. 23.

THEODULFI AURELIANENSIS

DE MELITONIS CLAVI, UT VIDETUR, ELEGI.

Corpore sub parvo mysteria magna retentant
  Hæ res quas limes codicis hujus habet.
His fluvium legis poterit lustrare lucernis,
  Quærere qui pisces legis in amne cupit.
Retibus his poterit pretiosam prendere prædam,
  Ars est cui in sancta quærere lege cibum.
Non has, lector ovans, quasi quædam vilia temne:
  Vilis rem pulchram capsa tenere solet.
Ferrea nam clavis, de vili facta metallo
  Argenti atque auri dat penetrare locum.
Quæque est servanti, ceu sarcina parva ferenti,
  Quo gravis est pretii sarcina, monstrat iter.
Nec tibi displiceant quoniam sunt corpora parva,
  Tegmine sub parvo pondera magna latent.

EX CATALOGO LIBRORUM S. VINCENTII METENSIS

Circa a. 1064.

Hi sunt apud sanctum Vincentium :
Cronica Ieronimi.
Ambrosius de penitentia.
C. Flavius ad Theodosium imperatorem, de concilio in Nicæa facto.
Gaius Cæsar de narrationibus temporum.
Flavius Vigecius.
Orosius de temporibus et situ locorum.
Cheremon.
Joannes Crisostomus.
Maximus in ecclesia catholica.
Sermones Leonis.
Regula canonicorum.
Paralipomenon.
Probus de ratione temporum.
Hyginus.
Mileto Asianus.
Libellus de naturis bestiarum.
Historia Alperti.
Tractatus Ysidori super genesim.
Liber de pudicitia
Collationes patrum.
Ieronymus ad Ctesiphontem.
Commentum Sergii de littera et Priscianus.
De accentibus.
Catemerinon.
Nonnus.
Marcellus.
Commentum Marci Victorini super rhetorica Tullii C.
Fortunatus ad Vitalem episcopum.
Palladii de agricultura.
Aululariа Plauti.

(1) Vacuam paginam non ita incommode impleat catalogus descriptus e codice Metensi E. 14, cujus ætas calculo computi ad a. 1064 ibidem exacto definitur. Hæc igitur recensuit diligens quidam S. Arnulfi monachus, quem excipiendi digniore hospitio, non obiter, alia occasio erit; a quo tam S. Vincentii quam S. Symphoriani Metensium excussæ sæculo XI bibliothecæ, ut obiter recenseret libros, ut ipse ait, « qui apud nos non sunt. » Quorum enim vero non pauci in bibliotheca Metensi, etiam nunc in columes : inter quos, opinor, Physiologus supra relatus, sive *libellus de naturis bestiarum.* Utinam et illic codex *clavis* nostræ *decimus* lateat! qui videlicet proxime præire videtur, sub hoc breviore lemmate : *Mileto Asianus.* Cujus vero voti vix minima spes.

SYLLABUS CHRONOLOGICUS,

QUO TAM PRÆCEDENTIA QUAM LITTERARII MELITONIS ANNALES

BREVITER EXIGUNTUR.

A. C.

150. Melito, Sardensis, sive ante, sive per episcopatum, multa collegit, dictavit, edidit.

167 Libellum de Pascha ad Laodicenos, pacis causa componendæ, mittit.

170. Apologiam Marco Aurelio tradit.

192. Præclare ad eum provocat Polycrates Ephesinus.

200-220. Efluse laudatur a Clemente Alexandrino, Tertulliano, Hippolyto aut Caio Romano.

220-251. Minus bene ab Origene habetur, non semel tamen ab eo excerptus.

325. Omissa præceptoris Origenis censura, Eusebius posteritati commendat Melitonis memoriam, libros recenset.

377-380. Rufinus Eusebianum encomium latinis tradit; Hieronymus auget. *Clavis* latina interpretatio circumfertur.

400-430. Augustinus et Gennadius censuram Origenis in Occidente divulgant;

450-470. Theodoretus, in Oriente.

492. Spuria, tum primum forte circumlata, decreto Gelasiano mactantur.

VI S. Variorum librorum fragmenta apud Syros exstant; græce laudantur ab Anastasio Sinaita. Minus sincera in Gallorum liturgias et Francorum historiam inseruntur.

VII, VIII S. De quibus judicium venerabilis Beda edicit.

781-821. Theodulfus Aurelianensis in SS. Bibliorum apparatu *Clavem* ponit, versibus extollit.

844. Eamdem Rabanus ad usus suos verbo tenus adhibet.

X, XI S. Tunc forte exarati codices metensis, argentinensis, claromontanus.

A. C.

XII S. Multi alii codices ex vario fonte derivantur, quorum tres in Cisterciensium, duo in Clarevallensium armario reponuntur.

1170. Adamus Præmonstratensis novo ordine *Clavem* digerit.

XV S. Trithemius, tum genuina, post Honorium Augustodunensem, tum spuria enumerat.

XVI S. Spuria in variis PP. bibliothecis, non sine severis Sixti Senensis et Alexandri Brassicani notis, eduntur.

1633. Primus Melitonis fragmenta Petrus Halloixius colligit.

1650. Sirmundus Clavem juxta Mesmianum et Claromontanum codices emendat.

1666. Florentinus libellum de Actis S. Joannis primum e tenebris eruit.

1700-1714. Michael Lequien apographum sua manu scriptum Grabio mittit.

1734. Magnus Crusius alterum e Claromontano recipit.

1744-1751. Christophorus Woog idem aut tertium e Grabii schedis habet, editionemque semel et iterum pollicetur.

1764. Ant. Gallandius frustra idem consilium tentat, cætera ἀποσπασμάτια colligit.

1774. In Nicephori Hieromonachi Catenam fragmenta Melitonis nova aut ampliora inseruntur.

1804-1840. Quæ cum multa solertia et eruditione Martinus Routhius cæteris annectit, dum cuncta quæ Melitonis græce supersunt bis recenset et publici juris facit.

1848. Gottofredus Heinius Clavis fragmentum, incognito auctore, et alia suppositia in vulgus edit.

S. MELITONIS

SARDENSIS EPISCOPI

FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT OMNIA

GRÆCE ET SYRIACE.

MONITUM LATINI INTERPRETIS

AD OPERA S. MELITONIS

SYRIACE EXCERPTA.

Codex syriacus Musei Britannici 14,658 (*Codd. Addend.*) seculo septimo, ut videtur, exaratus, præter alias reliquias antiquitatis tum sacræ tum profanæ huc usque incognitas, ut sunt Bardesanis, Platonis, Pythagoræ, Menandri, Theanus, Ambrosii, genuina vel supposititia opuscula, continet gemmam pretiosissimam, partem dico *Ipologiæ* Melitonis, *ad Marcum Aurelium imperatorem*, columnis viginti duabus contentam, cui subjuncta sunt alia ejusdem scriptoris fragmenta. Hæc ego, mense septembri 1851, dum Musei Britannici codices assidue verso, non sine gaudio reperi, deque his, in *Journal asiatique*, april. 1852, breviter egi, simul et operis Melitoniani initium publici juris feci. Mox vero per litteras certior factus sum quæ primum me reperisse credideram, eadem v. cl. Gulielmo Curetonio bene jam cognita fuisse, imo virum doctissimum et honoratissimum apud se habere eadem fragmenta jam typis excusa, atque in *Spicilegio* illo *syriaco* quod omnes Europæ viri eruditi tanta exspectatione præstolantur, proditura. Curetonii ergo laus sit Melitonem syrum primum detexisse. Vide autem quæ sit viri illius humanitas : nostris precibus motus, plagulas quibus textus Melitonianus continebatur nobiscum communicavit, easque per nos latinas fieri permisit. Hoc ut potui feci; quanto cum labore ii intelligent qui sciunt quam arduum sit græci scriptoris sententias versione syriaca deformatas eruere; atque, ut dicam quod sentio, illud non antea secure fieri poterit quam vir doctus aliquis *Lexicon syriaco-græcum* confecerit, id est, attente perlectis syriacis versionibus librorum græcorum quorum textum græcum habemus, sedulo notaverit quibus vocibus syriacis unamquamque vocem græcam reddere soleant interpretes. Tunc demum ex syriaca versione ipsum græcum auctorem græce loquentem sine metu erroris inducere poterimus. Verum ita frigent nostris diebus studia syriaca, ut dum spes hæc impleta sit diu exspectandum fore videatur.

E. Renan.

I.

FRAGMENTA APOLOGIÆ

AD MARCUM AURELIUM

IMPERATOREM.

ܡܐܡܪܐ ܕܡܠܝܛܘܢ ܦܝܠܣܘܦܐ ܕܗܘ ܩܕܡ ܐܢܛܘܢܝܢܘܣ ܩܣܪ. ܘܐܡܪ ܠܩܣܪ ܕܢܬܝܕܥ ܐܠܗܐ ܘܐܘܕܥ ܠܗ ܐܘܪܚܐ ܕܫܪܪܐ ܘܫܪܝ ܡܠܐ ܥܠ ܗܕܐ ܡܠܬܐ ܗܟܝܠ.

Sermo Melitonis philosophi, qui factus est coram Antonino Cæsare. Et locutus est Cæsari ut hic cognosceret Deum, et indicavit ei viam veritatis, et incepit loqui in hunc modum.

ܡܠܝܛܘܢ ܐܡܪ. ܠܐ ܫܠܝܐ ܠܡܥܒܕ ܕܢܬܩܪܒ ܠܐܘܪܚܐ ܕܩܫܬܐ ܓܒܪܐ ܕܒܣܝܥ ܙܒܢ ܐܫܬܒܝ ܒܫܓܝܐ. ܐܦ ܗܟܝ ܡܫܟܚ ܕܢܗܘܐ ܡܛܠ ܕܟܕ ܓܒܪܐ ܡܬܦܫܚ ܡܢ ܫܓܝܐ ܙܥܘܪ ܡܬܦܫܚ ܡܢ ܥܪܦܠܐ ܕܥܝܢܘܗܝ ܡܕܡ ܡܬܦܬܚ ܠܗ ܕܟܪܢܐ ܕܫܪܪܐ. ܐܝܟ ܕܡܢ ܥܪܦܠܐ ܡܬܦܫܚ ܗܘ ܢܝܚ ܐܦ ܗܟܢܐ ܒܪܢܫܐ ܟܕ ܡܬܗܦܟ ܠܐܠܗܐ ܡܫܬܒܩ ܡܢ ܥܠ ܦܢܘܬܗ ܥܪܦܠܐ ܕܡܥܟܒ ܠܗ ܕܠܐ ܢܚܙܐ ܫܪܪܐ. ܥܪܦܠܐ ܗܝ ܕܕܡܝ ܠܡܚܫܐ ܕܡܫܟܚ ܠܐ ܢܚܙ ܐܠܐ ܠܫܪܪܐ. ܘܐܝܟ ܕܡܢ ܡܚܫܐ ܡܫܬܒܩ ܠܐ ܢܚܙ ܐܠܐ ܠܫܪܪܐ ܗܟܢܐ ܐܦ ܒܪܢܫܐ ܟܕ ܡܬܗܦܟ ܠܐܠܗܐ ܡܫܬܒܩ ܡܢ ܥܠ ܦܢܘܬܗ ܥܪܦܠܐ ܕܡܥܟܒ ܠܗ ܕܠܐ ܢܚܙ

nem cum multis errare. Si enim vir unus stultus est, magna est stultitia ejus; quanto major erit insania, quum insaniunt multi! Stultitia vero est hoc quod dico, ut homo relinquat illud quod vere est, et colat illud quod vere non est. Illud autem est quod vere est, et vocatur Deus, et vere est. Et omnis res virtute ejus existit; et ipse numquam factus est, nec esse incepit, sed est ab æterno, et usque in secula seculorum erit; nec immutatur, dum res cunctæ mutantur; nec ulla visio potest videre eum; nec ulla cogitatio potest comprehendere eum; nec ullum verbum exprimere eum. Et qui amant eum vocant eum patrem et Deum verum. Si quis ergo lucem deserens dicit esse Deum alium, de quacumque re id dicat, creaturam aliquam vocat Deum. Si quis enim ignem vocat Deum, non est Deus, quia ignis est; et si quis aquam vocat Deum, non est Deus, quia aqua est; et si terram hanc quam calcamus, et si cœlum hoc quod videmus, et si solem aut lunam aut quamlibet ex his stellis quæ præscriptum iter tenent indefessæ, nec juxta voluntatem propriam gradiuntur; et si quis aurum et argentum Deos vocat, non sunt Dii, quando quidem utimur illis secundum voluntatem nostram; et si lignum hoc quod comburimus, et si lapides istos quos frangimus, quomodo hæc dii essent, quando

quidem usui hominum inserviunt? Quomodo ergo graviter non culpandi essent illi qui verbis suis commutant Deum magnum in illas res quæ decreto ejus sunt quod sunt? Ego vero dico : Quando homo non didicit, nec detexit, nec deprehendit dominum esse his creaturis, forsan non reprehendendus est; quando quidem nemo vituperat cæcum, quum male incedit : eodem modo homines, quum quærerent Deum, offenderunt in lapides et lignum; et qui ex iis divites erant, offenderunt in aurum et argentum, et his offensionibus præpediti sunt ne invenirent quod quærebant. Nunc vero quum vox audita est in universa terra, esse Deum verum, et datus est oculus omni homini ut videret, sine excusatione sunt qui propter multitudinem cum qua errant, erubescunt, etsi id velint, ambulare in via recta. Qui enim erubescunt vivere, necesse est ut moriantur. Quapropter ego consilium do eis ut aperiant oculos suos et videant; ecce enim lux quæ non fascinat, data est omnibus nobis, ut videamus in ea. Si vero, orta luce, claudit homo oculos suos ne videat, ad fossam recta via pergit. Quare enim homo erubescit propter eos qui errant cum eo? Multo melius esset homini persuadere eis ut sequerentur se, et si non acquiescant ipsi, liberare animam suam e medio eorum. Sunt enim homines qui e terra matre sua se ex-

tollere non possunt; idcirco etiam deos e terra matre sua faciunt sibi, et reos se faciunt judicio vero, dum imponunt nomen quod non mutatur rebus quæ mutantur; et non verentur colere ut deos illud quod manibus hominis factum est, et audent imaginem facere Deo quem non viderunt.

Ego vero dico quod jam dixi, eos imagines regum mortuorum adorare. Et hoc facile est intellectu; etenim nostro adhuc tempore, imagines Cæsarum adorant et magis venerantur quam veteres illos deos suos. Quinetiam tributa et decimæ Cæsari penduntur, quippe qui major est diis illis; idcirco pari morte afficiuntur illi qui spernunt deos et decretis Cæsaris non obtemperant; gazophylaciis etiam regum aliorum quem reditum afferant adoratores in certis locis, et quem reditum afferant sacci pleni aqua ex mari, simili modo decretum est. Malum autem hoc maximum est in mundo, quod illi qui colunt et verentur ea quæ sensibus non capiuntur (et hi maximi sapientum sunt), sive lucri, sive vanæ gloriæ, sive potentiæ amore, impediunt et dehortantur imbecilles corde ne adorent ea quæ sensibus non capiuntur. Ego vero sicut sen-

ܟܬܒ ܠܗ ܘܐܦܪܣ ܠܗ ܡܐ ܕܥܒܕ ܠܗ ܘܠܡܢ ܐܢ ܐܬ ܠܗ ܡܢ ܥܠܬ

ܘܟܠ ܫܪܝܐ ܕܥܡܡ ܟܠܗܘܢ ܕܚܢܝ
ܠܟܘܬܐ ܩܕܡ. ܐܦ ܒܝ ܡܝܬ ܐܕܘܢܝ :
ܙܢܬ ܥܡ ܠܐܢܒ. ܘܫܡܥ ܒܗ ܗܦ. ܘܐܬܐ
ܥܠ ܐܬܬܗ ܒܥܠ ܩܢܐ ܗܦ. ܘܐܬܐ
ܕܐܬܝ ܒܠܒܢܘܢ ܘܡܝܬ ܒܗ :
ܘܐܬܐ ܕܐܬܝ ܒܓܒܠ. ܘܐܬܐ ܕܐܬܝ ܒܐܦܩ
ܕܡܬ ܐܕܘܢܝ. ܘܣܓܕ ܠܗ ܐܠ ܥܡ
ܐܠ

ܘܡܚܘ ܒܗ ܟܠ ܥܒܪܝ ܕܥܒܪ ܒܗ ܒܗ ܗܘ ܐܬܪܐ ܕܡܒܘܓ ܗܐ ܕܐܬܝ ܡܓܘܣܐ ܗܠܝܢ ܐܡܪܘ ܠܒܪܬ ܫܡܐ ܕܗܕܕ ܕܢܡܠܐ ܗܕܐ ܡܝ ܝܡܐ ܕܢܦܩ ܪܘܚܐ ܗܘ ܠܡܫܕܝܗ ܒܗ ܠܥܡܐ ܗܕܐ ܠܦܘܩܕܢܐ ܕܐܝܬ ܒܗ ܐܝܟ ܕܒܪ ܐܝܟ ܥܒܕܘ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܨܠܡܐ ܠܡܠܟܝܗܘܢ ܘܣܓܕܘ ܠܗ ܠܗܘ ܕܟܬܒ ܐܢܐ ܫܒܩ ܠܗ

et aggrediebatur omnes transeuntes per locum in quo hodie sita est arx civitatis Mabug. Et hi magi præceperunt Simæ filiæ Hadadi, ut aqua e mari allata impleret hanc planitiem [1], ne jam exsurgeret spiritus ille ad infestandam regionem, juxta præcepta arcana magiæ eorum. Simili modo reliqui homines fecerunt imagines regibus suis, et adoraverunt eos, a quibus scribendis supersedeo [2].

ܐܢܬ ܒܪ ܚܪܝܪܐ ܘܡܕܥ ܫܪܪܐ ܐܝܟ ܕܡܬܚܫܒ ܐܢ ܐܝܟ ܕܟܝ ܐܢ ܒܙܝܢ ܒܙܝܢ ܢܗܘܐ ܒܢܦܫܟ ܐܦ ܐܢ ܒܫܘܚܠܦܐ ܕܢܫܐ ܐܢ ܠܒܫ ܐܢ ܐܬܬ ܐܦ ܐܢ ܒܬܫܒܘܚܬ ܐܢ ܐܢܫ ܐܢ ܐܠܗܐ ܗܘ ܕܩܐܡ ܘܐܬ ܠܗ ܒܗ ܠܒܟ ܘܠܢܦܫܟ ܘܗܘ ܢܬܠ ܠܟ ܚܝܐ ܕܠܥܠܡ ܕܠܐ ܡܝܬ ܗܘ ܟܠ ܡܕܡ ܐܝܬ ܠܗ ܘܫܪܝ ܠܟ ܕܬܚܫܒ ܠܟܠ ܡܕܡ ܐܝܟ ܕܐܝܬ ܠܗ ܕܐܝܟ ܕܐܝܬ ܘܐܝܟ ܕܐܝܬ ܘܐܝܟ ܕܐܝܬ ܘ

ولاصلرمة. صحرحسوه حكوه يسمصا
صلاسلا. ؛ وصلا. ول كوه ولا
صلاسلا حكرح لووا فكس : اسر
وهه كككر وه. وصنا واف اله هم
لهكمس كوما وصلسا وصلصحلا
مصلوه كككر لمصفر. هم سب اله
صنبلا. مخجسر لووه كس حصلزا ولا
يصفة ملقصا ولا سصستم. ؛ بم
وسف تحجسر لهذا وسم. ولالسوا لؤ.
مكوه لهكمس. ؛ ؛ وصر لا غلا كس.
كلا صر لا هسص. جنه الموا وه اسا
وه هذا وصكوه هذا. صنه بم هذا.
صر ولا صلحلا ولا صلحصم ولا
صلرمة. وسه ولا وه صووا وه
وصلصذا هذا. ل بم وصلا اسف
هيم كصر بحصم حاتما. لا وه
كصذا هيم. واف لا كصكلا بصذا.
اما بم اف هيس اسلا كس وإصة كلا
وما هذا. الا خصلا اما سكف وسم. ولا
صصلحكم بصلمم اسم هم كصم
اتجسوه. ولاصصلحكم اصلا سوحم
وحا للاهضا بحصم كسوه الموا :
سوحم كسوه حصا كلرحسوه
مكسصنلوه. صم وصلا كسصنلوه
صصلم كوه كصلوه وهيسم كسه.
واسا وس جسوللا وهم وما نحا :
وسيسه اسف كصلوه. سصحوه كهم
وسوه كوه كصلذا. سلرصة كصة اسا :
سصيسه كركصا وصة اسا : سصلهلا
كسسلا : سصيسه كوصلا وسسلا.
وه وا سجسكا وس. ولاصسلا وه

pora moventur. Hoc ergo scias : si eum qui numquam movetur colueris, sicut ipse æternus est, ita et tu, quum exueris illud quod videtur et corrumpitur, coram eo in æternum stabis vivens et sciens, et opera tua erunt tibi divitiæ quæ non deficiunt, et opes quæ non amittuntur. Scias vero initium operum tuorum bonorum esse ut Deum cognoscas et eum colas. Et scias eum nihil quærere a te de iis quæ non sunt necessaria [cognitu]. Quid est Deus? Ille qui est veritas, et verbum ejus veritas. Quid vero est veritas? Illud quod non est formatum nec factum nec intelligi potest; illud est quod non habuit initium et vocatur veritas. Igitur si homo adorat illud quod manibus factum est, veritatem non adorat, neque verbum veritatis. Ego vero habeo multa quæ dicam de hac re; sed erubesco pro illis qui non intelligunt se ipsos majores esse opere manuum ipsorum, et qui non attendunt se ipsos dare aurum fabris ut faciant ipsis Deum, et dare argentum ad ornamentum et decus eorum, et ex uno loco in alium transferunt divitias suas et adorant eas. Quod vero majus flagitium est quam ut quis adoret divitias suas, relicto illo qui dat ipsi divitias, et hominem probris afficiat, hominis vero imaginem adoret, et animalia occidat, effigiem vero animalis adoret. Et ma-

ܕܡܬܥܒܕܝܢ ܗܝܟܠܐ ܕܠܐ ܡܢ ܗܝܟܠܐ
ܕܡܬܥܒܕ ܒܗ ܡܕܡ ܕܪܓܠ. ܐܠܐ ܕܠ
ܒܪܐ ܕܡܘܪܐ ܕܟܠ ܐܝܟ ܐܝܟ ܗܝܟܠܐ
ܕܥܒܕ. ܘܠܐ ܗܝܟܠܐ ܕܥܒܕܘ ܐܢܘܢ
ܐܘ ܒܣܝܡܐ. ܐܠܐ ܕܠ ܒܝܕ ܐܢܫ ܕܥܒܕ
ܐܝܟ ܕܟܠ ܐܝܟ ܕܥܒܕ. ܣܟܠܐ ܡܐ
ܕܠ ܒܝܕ ܕܗܒ ܘܟܣܦ ܐܠܐ ܕܥܒܕ
ܐܠܗ ܗܘ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܕܝܘܢܐ
ܐܠܗ ܗܘ ܐ ܡܛܠ ܕܕܡܘܬ ܥܘܦܐ ܐܝܬ
ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ
ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ
ܡܐ ܕܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܘܐ ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ
ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ
ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ
ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ
ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ
ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ
ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ
ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ
ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ
ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ
ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ
ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ
ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ
ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ
ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ
ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ.
ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ
ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ
ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ
ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ
ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ
ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ
ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ
ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ
ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ ܕܒܝܕ
ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܬ ܠܗ
ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ. ܐ ܡܛܠ
ܕܒܝܕ ܕܥܒܕ ܐܠܗ ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܟ
ܕܡܬ ܠܗ ܘܠܐ ܐܢܬ ܠܐ ܡܫܓܕ ܠܗ.

nifestum est eos opificium similium suorum adorare; non enim adorant aromata in fasciculis posita; sed imagines quas faciunt ex his artifices adorant; nec adorant fragmenta auri et argenti, sed quæ fingunt ex iis τορευταὶ adorant. Insipiens, quid additum est ad aurum tuum ut nunc adores illud? Num quia figuram habet volucris? Cur volucrem ipsum non adoras? Num quia feræ voracis imaginem fert? Ecce fera ipsa coram te est. Et si artificium ipsum pulchrum tibi videtur, quanto pulchrius tibi debet esse opificium Dei qui fecit cuncta! Et ad similitudinem suam fecit ipsos artifices et conantes imitari opera ejus, neque ad id pertingentes. Sed fortasse dices: Cur talem non me fecit Deus, ut ipsi servirem, et non idolis? Est quasi diceres: Vas inutile malim esse quam homo vivus. Deus enim fecit te sicut optimum judicavit, et dedit tibi mentem liberam; posuit coram te res universas, ut ipse dignoscas et eligas tibi quod bonum est. Posuit coram te cœlum, et posuit in eo stellas; posuit coram te solem et lunam, qui quotidie currunt in cœlo; posuit coram te aquas multas et cohibet eas verbo suo; posuit coram te terram magnam quiescentem et stantem coram te eadem forma. Et ne putes eam per naturam propriam stare, ipse quando vult, commovet eam. Posuit coram te nubes quæ

ad mandatum [ejus] deducunt aquas ex alto, et saturant terram, ut ex his intelligas eum qui hæc movet ipsis majorem esse, et cognoscas benignitatem ejus qui dedit tibi intellectum ut hæc capias. Quapropter ego consilium do tibi ut cognoscas te ipsum et cognoscas Deum. Intellige enim quid sit in te illud quod vocatur anima : per ipsam videt oculus, per ipsam auris audit, per ipsam os loquitur, et toto corpore quodam modo utitur. Et quum vult [Deus] tollere animam e corpore, corpus cadit et corrumpitur. Ex eo igitur quod in te est invisibile, intellige quomodo Deus moveat totum mundum virtute sua, sicut corpus, et quum volet abstrahere virtutem suam, totus mundus sicut corpus cadet et corrumpetur.

Cur vero factus sit mundus hic, et cur transeat, et cur sit corpus, et cur decidat, et cur resurgat, non potes scire, nisi erigas caput tuum ex insania hac in qua demersus es, et aperias oculos tuos et videas unum esse Deum dominum universi, et colas eum ex toto corde tuo : tunc dabit tibi ut voluntates ejus cognoscas. Quisquis enim longe est a cognitione Dei vivi, mortuus est et sepultus in corpore suo. Ideo coram dæmonibus et umbris ad terram provolveris, et precibus vanis prosequeris eos qui nihil tibi dare possunt. Surge vero e

medio eorum qui prosternunt se in terram, et osculantur lapides, et dant cibum suum escam igni, et admovent vestes suas idolis, et qui, dum ipsi sunt sentientes, adorant illud quod non sentit; et fac preces incorruptas Deo incorruptibili pro anima tua incorruptibili, et tunc apparebit libertas tua. De eo sollicitus esto, et gratias age Deo qui fecit te et dedit tibi mentem liberam, ut juxta voluntatem tuam dirigas te, et posuit coram te omnia, hæc denuntians tibi : Si post malum abieris, damnaberis pro operibus malis, et si post bonum, recipies inde bona multa, cum vita æterna quæ non moritur.

Nihil ergo impedit quin evertas habitationem tuam malam, quandoquidem liber es, et quæras et invenias quis sit Dominus omnium, et colas eum ex toto corde tuo, quia non invidet cognitionem sui quærentibus eum, quantum possunt cognoscere eum.

Curæ sit tibi primum ut in anima tua non mentiaris. Si dicis enim Deum esse illud quod non est Deus, in anima tua mentiris, et coram Deo vere peccas. Insipiens, num Deus emitur ? Num Deus egenus est? Num Deus custoditur ? Quomodo ergo emis eum sicut servum, et adoras eum sicut dominum ? Quomodo rogas eum ut divitem, ut det tibi, et das illi ut pauperi? Quomodo

speras fore ut victoriam det tibi in bello, dum inimici tui, te jam devicto, decorticant eum. Fortasse ille qui rex est dicet : Non possum ut velim gubernare; quoniam rex sum, decet ut faciam voluntatem multitudinis. Qui sic loquitur risu vere dignus est. Cur enim rex non sit inceptor omnis boni, nec impellat populum sibi subjectum ad pure conversandum et ad cognoscendum Deum in veritate, nec proponat in se exempla omnium bonorum operum? Hoc ipsi decorum est; absurdum est enim regem qui prave ambulat judicare et damnare eos qui perverse agunt. Ego vero opinor regnum tunc demum posse in pace gubernari, quum rex cognoscit Deum verum et timet eum, ut intelligentes reddat subjectos suos, et judicet omne negotium recte sicut homo qui scit se ipsum etiam judicatum iri coram Deo. Tunc etiam subjecti ejus timent propter Deum ne injuriam inferant regi suo, et timent ne sibi invicem injuriam faciant. Ita per cognitionem et timorem Dei, omne malum potest tolli de regno. Si enim rex non injuste agit erga subjectos suos, ipsi non injuste agunt in eum, nec ipsi injuste agunt unus in alterum; quod est indicium manifestissimum regionis in pace viventis; et ibi reperiuntur multa bona, quia inter omnes nomen Dei laudatur. Quod

enim bonum majus est quam si rex removeat populum subjectum sibi ab errore? Et hoc opere bono placet Deo: ab errore enim proveniunt omnia mala. Origo vero erroris hæc est, si homo Deum non cognoscat, et loco Dei illud quod non est Deus adoret. Sunt vero homines qui dicunt: Ad honorem Dei colimus imaginem (scilicet ut sint adoratores imaginis Dei absconditi), nec sciunt Deum in omni loco præsentem esse, nec umquam deficere, nec quidquam fieri quod non ipse cognoscat. Tu vero, homo vilis, qui Deum habes in te et extra te et super te, emis tibi apud fabrum lignum sculptum et fabricatum in opprobrium Dei; ipsi sacra facis, et nescis quod videt te oculus ejus qui videt omnia, et reprehendit te verbum veritatis, et dicit tibi: Deus invisibilis quomodo sculpi potest? Sed similitudinem tui ipsius facis et adoras. Quia sculptum est lignum, non vides semper lignum esse? Et lapis et aurum in statera quanti ponderis erant tanti nunc sunt. Et quum fecisti idolum, cur pendis illud? Ergo amas aurum, non Deum; nec erubescis, si forte quid deficiat, exigere a fabricatore quod furatus est ab eo. Oculos habes, et non vides; intellectum habes, et non intelligis. Cur provolveris ad terram, et precaris res sensu carentes? time eum qui movet terram, et

ܟܬܚܘܗ ܒܟܠܐ ܡܬ ܐܠܗ. ܐܦ ܐܢ ܠܐ ܬܫܐ ܐܠܗ ܟܡ. ܠܐ ܫܪܐ ܐܠܗ. ܐܦ ܐܢ ܠܐ ܐܠܗ ܟܡ. ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ. ܐܠܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ ܠܐ ܐܠܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ ; ܟܪܬܐ ܠܐ ܡܢܝܡ. ܡܐ ܐܦ ܐܢ 5 ܡܕܡ ܐܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ ܐܠܐ. ; ܡܫܟܚ ܐܢ ܐܦ ܡܫܟܚ ܐܢ ܐܠܗ ܐܠ ܟܡ. ܐܠ ܟܪܝܡ ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ. ܠܐ 10 ܫܟ ܠܐ ܫܡܫܟ. ܐܠ ܟܐ ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܠܗ ܐܢ ; ܐܠ ܟܪܝܡ ܐܢ ܐܢ ܐܠ ܐܢ ܐܠ ܐܢ ܐܠ

ܒܪܝܬܐ ܕܠܐ ܡܫܬܚܠܦ ܐܝܬ ܒܗ ܡܢ ܟܠ ܡܐ ܕܒܪܝ ܐܠܐ ܒܠܚܘܕ ܨܒܝܢܘܬܗ ܕܐܠܗܐ ܘܒܗ ܐܬ ܒܪܝܬܐ ܕ

tuorum ab iis quæ eventura sunt universæ terræ, in judicio vero et justo : sicut enim Deum hic cognoveris, ita ibi cognoscet te. Et si æstimas eum superfluum hic, non computabit te inter eos qui cognoscunt eum et gratias agunt ei. Hæc Majestati tuæ sufficiunt, quinimo copiosiora si vis.

[EXPLICIT MELITON.]

II. Τὸ γὰρ [1] οὐδὲ πώποτε [2] γενόμενον, νῦν διώκεται τὸ τῶν θεοσεβῶν [3] γένος, καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι κατὰ τὴν Ἀσίαν. Οἱ γὰρ ἀναιδεῖς συκοφάνται καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταὶ, τὴν ἐκ τῶν διαταγμάτων ἔχοντες ἀφορμὴν, φανερῶς λῃστεύουσι, νύκτωρ καὶ μεθημέραν διαρπάζοντες τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας.

II. Quod enim numquam antea factum fuerat, persequutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores et alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur spoliantque homines innoxios.

III. Καὶ εἰ μὲν σοῦ κελεύσαντος ταῦτα [4]

III. Quod si hæc tuo jussu fiunt, recte atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest, ut justus princeps aliquid umquam injuste constituat : et nos

Contulimus ad codd. Paris. 1430, fol. 124 (A); 1431, fol. 107 (B), sæc. XI; — 1433, fol. 59 (Γ), sæc. XII; — 1437 (Δ), sæc. XIII; — 1452, fol. 46 (E); 1454, fol. 81 (Ϛ); 1455 (Z); 1456 (H); sæc. XIV, XV, in quibus novem codd. exstat Eusebii historia ecclesiastica, cum fragmentis Melitonis. — Item recensiti codd. quatuor alii quibus continentur ejusdem in Scripturam sacram scholia, inter variorum collectanea quæ videntur eadem cum Nicephori *Catena in Octateuchum* : ac demum sunt hi codices inscripti 128, fol. 110 (I); 129, fol. 104 (K); 130, fol. 143 (Λ), sæc. XIII-XIV; 161, fol. 90 (M). In ultimo prima manus sæc. circiter X Climacem et homilias, nonnullis de re medica intermixtis, exaraverat; deleta autem vetere scriptura, altera manus sæc. XIV laudatam rescripsit catenam Nicephorianam. Præterea nostras fecimus lectiones varias, quas e codd. anglicis excepere runt cll. vv. M. Routh, *Reliq. sac.*, t. I, p. 119; Christ. Car. Woog, *Dissert. de Melitone Sardium in Asia episcopo*, Lips. 1751; e codd. vero venetis Strothius et A. Galland., *Bibl. vet. PP.*, t. I, p. 677. Placuit tot codicum et librorum notare tam in minimis consensum, quam levissimas varietates. — (1) Γάρ. Primum fragm. græcum attulit Eusebius in *Hist. eccl.*, lib. IV, c. 26. — (2) Τὸ γὰρ οὐ πώποτε Nicephorus Callistus post Eusebium, in *Hist. eccl.* — (3) Τὸ πᾶν τῶν θεοσεβῶν, Christophorsonii lectio. — (4) Τοῦτο πράττεται B, E, Niceph. et ed. Stephani.

πράττεται, ἔστω καλῶς γινόμενον· δίκαιος γὰρ[1] βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιτο πώποτε· καὶ ἡμεῖς ἡδέως φέρομεν τοῦ τοιούτου θανάτου τὸ γέρας· ταύτην δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν, ἵνα αὐτὸς πρότερον ἐπιγνοὺς τοὺς τῆς τοιαύτης φιλονεικίας ἐργάτας, δικαίως κρίνειας εἰ ἄξιοι θανάτου καὶ τιμωρίας, ἢ[2] σωτηρίας καὶ ἡσυχίας εἰσίν[3]. Εἰ δὲ καὶ παρὰ σοῦ[4] μὴ εἰη ἡ βουλὴ αὕτη καὶ τὸ καινὸν τοῦτο διάταγμα, ὃ μηδὲ κατὰ βαρβάρων πρέπει[5] πολεμίων, πολὺ μᾶλλον δεόμεθά σου, μὴ περιΐδεῖν ἡμᾶς ἐν τοιαύτῃ δημώδει λεηλασία...

IV. Ἡ γὰρ καθ' ἡμᾶς φιλοσοφία πρότερον μὲν ἐν βαρβάροις ἤκμασεν. Ἐπανθήσασα δὲ τοῖς σοῖς ἔθνεσι[6] κατὰ τὴν Αὐγούστου τοῦ σοῦ προγόνου μεγάλην ἀρχὴν[7], ἐγενήθη μάλιστα τῇ σῇ βασιλείᾳ αἴσιον ἀγαθόν. Ἔκτοτε γὰρ εἰς μέγα καὶ λαμπρὸν τὸ Ῥωμαίων ηὐξήθη κράτος· οὗ σὺ διάδοχος εὐκταῖος γέγονάς τε καὶ ἔσῃ[8] μετὰ τοῦ παιδὸς, φυλάσσων τῆς

libenti animo ejusmodi mortis præmium ferimus. Unum illud a te petimus, ut quum hujusmodi pertinacia præditos homines per te ipse prius examinaveris, tum deinde pro tua æquitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi et securi degere mereantur. Sin vero illud consilium atque edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, numquam a te profectum est, obsecramus te multo magis, ne nos hujusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas.

IV. Hæc enim philosophiæ secta quam profitemur, prius quidem viguit apud barbaros. Postea vero quum provinciis imperii tui illuxisset, principatu magni illius Augusti qui unus ex majoribus tuis fuit, faustum prosperumque imperio Romano omen exstitit. Ex eo siquidem tempore maximis incrementis aucta est majestas imperii romani : cujus tu hæres ac successor, aspirantibus omnium votis potitus es, potierisque deinceps una cum filio; si modo sectam illam quæ cum imperio educata,

(1) Δίκαιος μὲν γάρ Norfolc. ms. apud Routh. — — (2) Καὶ εἰ Norfolc. et Vales. ἢ deest in Bodl. ib. — (3) Εἶεν Norfolc. — (4) Παρα σοῦ τὸ σῶμα τῷ πυρὶ ἐπαφῇ Niceph. Σοῦ εἰη ἡ βουλὴ E. — (5) Πρέπει πρότερον π. πολλῷ μᾶλλον Niceph. — (6) Ἔθεσι legisse videtur Rufinus; unde vertit : *Introducta est autem etiam Romanæ vestræ conversationi.* — (7) Μεγαλης ἀρχῆς I. — (8) Ἔσῃ. Hic elegantem græcorum apprecandi formulam ἔστι τε καὶ εἰη, ut latinis *Est tibi sitque*, multi mirantur.

βασιλείας τὴν σύντροφον [1] καὶ συναρξαμένην Αὐγούστῳ φιλοσοφίαν· ἣν καὶ οἱ πρόγονοί σου πρὸς ταῖς ἄλλαις θρησκείαις ἐτίμησαν. Καὶ τοῦτο μέγιστον τεκμήριον τοῦ πρὸς ἀγαθοῦ τὸν καθ' ἡμᾶς [2] λόγον συνακμάσαι τῇ καλῶς ἀρξαμένῃ βασιλείᾳ, ἐκ τοῦ μηδὲν φαῦλον ἀπὸ τῆς Αὐγούστου ἀρχῆς ἁπαντῆσαι, ἀλλὰ τοὐναντίον ἅπαντα λαμπρὰ καὶ ἔνδοξα κατὰ τὰς πάντων εὐχάς. Μόνοι πάντων [3] ἀναπεισθέντες ὑπό τινων βασκάνων ἀνθρώπων, τὸν καθ' ἡμᾶς ἐν διαβολῇ καταστῆσαι λόγον ἠθέλησαν Νέρων καὶ Δομετιανός· ἀφ' ὧν καὶ τὸ τῆς συκοφαντίας ἀλόγῳ συνηθείᾳ περὶ τοὺς [4] τοιούτους ῥυῆναι συμβέβηκε ψεῦδος. Ἀλλὰ τὴν ἐκείνων ἄγνοιαν [5] οἱ σοὶ εὐσεβεῖς πατέρες ἐπηνωρθώσαντο· πολλάκις πολλοῖς ἐπιπλήξαντες ἐγγράφως, ὅσοι περὶ τούτων νεωτερίσαι ἐτόλμησαν. Ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Ἀδριανός, πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ δὲ τῷ ἀνθυπάτῳ ἡγουμένῳ [6] τῆς Ἀσίας γράφων [7] φαίνεται· ὁ δὲ πατήρ σου καὶ σοῦ τὰ σύμπαντα [8] διοικοῦντος αὐτῷ, ταῖς πόλεσι

ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܐܦ ܥܡ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܐܬܝ ܠܗ ܒܫܘܠܛܢܗ ܘܫܪܝ ܠܡܫܪܝ ܥܡ ܐܓܘܣܛܘܣ ܗܘ ܕܝܢܐ ܕܐܝܬ ܠܗ ܠܐ ܒܛܠ ܐܠܐ ܩܐܡ ܠܥܠܡ ܘܠܥܠܡ ܥܠܡܝܐ ܘܐܦ ܐܒܗܬܟ

περὶ τοῦ μηδὲν νεωτεριζειν περὶ ἡμῶν[1] ἔγραψεν· ἐν οἷς [2] καὶ πρὸς Λαρισσαίους [3] καὶ πρὸς Θεσσαλονικεῖς καὶ Ἀθηναίους, καὶ πρὸς πάντας Ἕλληνας [4]. Σὲ δὲ καὶ μᾶλλον περὶ τούτων τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἔχοντα γνώμην, καὶ πολύ γε φιλανθρωποτέραν καὶ φιλοσοφωτέραν, πεπείσμεθα πάντα πράσσειν ὅσα σου δεόμεθα.

ا٥ حصمبهمه ابهوصها ؛اهسا. احمر
بم صهكه، حمد كصبسها ؛لا ابسه
لهوز. حب اف ابه كصنه صبحنه
ههسه حكصبمر. اف كصتسمسا
مكهشكمسما ه٥ابسه مكحصه
كصصبم. حكسر ؛م صوهسمبم ؛مسمنه
هم ؛وهم ابه كمر ؛ذحسها ؛حها كلا
ههكم. ههوهشبم ؛مسمنابه حكصبمر
حسحصها ؛وهم ابه هبمر ؛حكم هلمر:

Ἐκ τοῦ βιβλίου Ἀπολογίας.

V... Οὐκ ἐσμὲν[5] λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταὶ, ἀλλὰ μόνου Θεοῦ τοῦ πρὸ πάντων καὶ ἐπὶ πάντων· καὶ ἔτι[6] τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὄντος Θεοῦ Λόγου πρὸ αἰώνων, ἐσμὲν θρησκευταί.

vitates, ne contra nos tumultus concitarent : nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos. Te vero, quippe qui idem quod illi de nobis sentias, immo etiam longe humanius atque sapientius; tanto magis confidimus omnia esse facturum quæ rogamus.

V. Non sumus cultores lapidum sensu omni carentium ; sed solius Dei, qui est ante omnia, et super omnia, et in Christo ejus, vere Deo Verbo ante secula, cultores sumus.

II.

؛هكسهم اهصمها ؛هسمنام صم صاهنا ؛كلا نعما ههيسنا ...

MELITONIS, EPISCOPI SARDIUM, EX TRACTATU DE ANIMA ET CORPORE.

صهلا ؛وما اما هبز كحنه صم همسا
؛لا يسمعا. ؛هما ؛الي سمر حسب
هنحدا ؛حهكها ه٥الكم حنعما. نسا
كحنعما ه٥حنب كه؛نهوه امكسم
..... ؛حبز صهلا. حم فكيه كحنعما

Propterea pater misit filium suum e cœlo sine corpore, ut, postquam incarnatus esset in utero Virginis et natus esset homo, vivificaret hominem et colligeret membra ejus a morte dispersa. Divisit hominem.....

(1) Περὶ ἡμᾶς Gruter. apud Routh. Paulo supra μηδὲ Niceph. — (2) Ἐν οἷς ὀνομαστὶ Christoph. Ἐν αἷς Woog. p. 35.—(3) Pro Λαρισσαίους Syrus præ oculis habuisse videtur Παρισαίους vel Φαρισαίους; idem pro Ἕλληνας habet *gentes*. Etenim Ἕλληνες gentiles erant κατ' ἐξοχήν.— (4) Πρὸς non repetit Norfolc. ante Θεσσαλονικεῖς, neque codd. B, E. Omisit Steph. Ἕλληνας. Tum verba καὶ Ἀθηναίους desunt apud Niceph. — (5) Ἐσμέν. Afferuntur hæc ab auctore *Chronici Paschalis*, seu *Alexandrini*, p. 259 ed. Cang. — (6) Καὶ ἔτι legimus post Halloix, Wesseling., Grabb., Routh. Cf. Rom. IX, 5; Ephes. IV, 6; Eccles. XLII, 21. Codd. vero nostri, editique libri habent καὶ ἐπὶ. Cæterum huic loco non modicam lucem dabit testimonium cœtanei cujusdam senioris, quod paulo infra, p. 21, ex Irenæo adducimus.

ܘܗܘ ܐܡܬܠܐ .... ܬܙܥ ܐܪܥܐ ܘܐܙܥ
ܗܘ ܐܫܬܐ. ܘܟܠ ܡܕܡ ܕܗܘ ܐܬܙܥ
ܘܐܬܒܠܒܠ. ܘܐܬܚܫܟ ܗܘ ܫܡܫܐ
ܠܝܬ ܟܝܢ ܕܚܙܘ ܠܡܪܝܐ ܠܐ ܟܠ ܡܢ
ܕܬܠܐ ܥܠ ܥܘܗܪ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܘܐܬܒܗܬ
ܘܐܡܪ ܡܢ ܗܘ ܪܙܐ ܗܕܬܐ ܕܐܬܪܐ
ܕܐܬܕܝܢ ܘܐܬܕܝܢ ܠܗ ܘܫܪܐ ܘܫܠܝ
ܘܠܐ ܡܬܒܥܫ ܘܐܬܚܙܐ ܘܠܐ ܡܬܟܣܝ
ܘܐܬܬܦܣ ܘܠܐ ܡܬܒܥܫ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܢܩܡ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܚܝ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ܘܐܬܚܫ ܘܠܐ
ܡܬܥܢ ܘܐܬܡܬ ܘܠܐ ܡܬܩܝܡ ܘܐܬܩܒܪ
ܘܐܬܛܥܢ ܘܠܐ ܡܬܥܩܪ ...

et post extrema..... terra tremuit, et fundamenta ejus concussa sunt, fugit sol, et elementa subversa sunt, et dies immutatus est : non enim tulerunt [videre] Dominum suum pendentem a ligno. Et obstupuit creatio, exclamans et dicens : « Quid est hoc novum mysterium? Judex judicatur et quietus est; invisibilis videtur, nec erubescit; incomprehensibilis prehenditur, et non indignatur; incommensurabilis mensuratur, nec repugnat; impassibilis patitur, nec ulciscitur; immortalis moritur, nec respondet verbum unum; cœlestis sepelitur, et fert. Quid est mysterium hoc novum? » Admirata est creatio; sed quum Dominus noster surrexit e domo mortuorum [1], et conculcavit mortem, et vinxit potentem, et solvit hominem, tunc intellexit omnis creatio quod propter hominem judicatus est judex, et invisibilis visus est, et incommensurabilis mensuratus est, et impassibilis passus est, et immortalis mortuus est, et cœlestis sepultus est. Dominus enim noster, homo natus, judicatus est ut misericordiam faceret; vinctus est ut solveret; prehensus est ut laxaret; passus est ut [mederetur[2]]; mortuus est ut vivificaret; mortuus est ut resuscitaret.

III.

DE ABSALONIS ALLEGORIA.

Μελίτων γοῦν ὁ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, φησὶν αὐτὸν εἶναι τύπον τοῦ διαβόλου ἐπαναστάντος τῇ Χριστοῦ βασιλείᾳ, καὶ τούτου μόνου μνησθεὶς οὐκ ἐπεξειργάσατο τὸν τόπον.

Melito Asianus ait « ipsum [Absalonem] esse figuram diaboli qui adversus Christi regnum rebellavit, » sed id solum indicat, nec fuse persequitur (ORIGENES, *in ps.* II, t. III, p. 548, ed. BB).

(1) *Mortuorum*. Cf. *Spicil.*, t. I, p. 3, iterum *domus mortuorum* pro *sepulcro;* ut vox videatur Syris esse solemnis. — (2) *Mederetur*. Syrus habet : *ut pateretur*, quod contextui non quadrat.

IV.

ܒܟܘ ܕܒ ܒܟܘ ܡܢ ܗܕܐ ܒܕܠ ܡܫܬ...

EJUSDEM, EX SERMONE DE CRUCE [1].

ܗܘ ܒܟܘ ܐܬܐ ܠܢ. ܗܘ ܒܟܘ
ܕܒ ܐܬܓܫܡ ܠܐ ܒܝܢ. ܒܝܢ ܡܢ
ܒܝܬܟ ܒܢ ܟܘ. ܕܒ ܒܥܐ ܡܢ
ܐܫܪ ܢܟܐ ܒܡ ܟܘ. ܕܒ ܒܟܐ ܐܗܒ
ܚܢܘܢ ܒܡ ܠܐ ܡܒܢ. ܕܒ ܡܢ ܡܢܡ
ܗܒܟܡ ܘܠܐܘܡ ܟܒܒ. ܕܒ ܒܟ ܐܢ
ܐܢ ܘܟܡܢ ܡܠ. ܕܒ ܒܟܘ ܗܒܫ.
ܘܟܗܘܡܗ ܒܡܢ ܠܐ ܒܝ. ܕܒ
ܒܝܢ ܟܟܗ ܘܟܡܗ ܒܟܘ
ܠܐ ܐܫܟ. ܕܒ ܡܗܟ ܐܗܒ ܗܒܟ
ܠܐ ܐܫܟ. ܕܒ ܒܟ ܡܟ ܐܗ
ܐܘ ܚܢ ܐܗܒ. ܡܢ ܡܒ ܒܗ ܐܗ
ܟܒܐ ܚܡ ܐܘ ܐܗ ܘܐ ܠܐ ܐܠ.
ܕܒ ܗܒ ܒܟ ܐܗ ܟܟ. ܘܟ
ܐܢ ܚܡ ܠܐ ܡܟ. ܡܒ ܡܟ ܐܘ ܚܡ
ܠܐ ܡܗ ܡܟ. ܡܒ ܡܟ ܐܢ ܡܗ ܡ
ܘܟ ܐܢ ܒܟ ܐܘ ܡܗ ... ܐܘ

1. Propter hæc venit ad nos, propter hæc, quum sit incorporeus, corpus ex massa nostra texuit sibi. Agnus quidem visus est, pastor vero mansit; servus reputatus est, dignitatem vero filii non abdicavit; a Maria portatus, et Patre suo indutus; super terram gradiens, et cœlum implens; puer apparens et immortalitatem naturæ suæ non fallens; corpus induens, et simplicitatem naturæ suæ non coarctans; pauper visus est, et divitiis suis non se spoliavit; cibo, in quantum homo erat, indigens, escam vero, qua mundum cibat, in quantum Deus erat, dare non desistens; servi speciem indutus, et tamen Patris speciem non mutavit, quod ad naturam immutabilem pertinebat; coram Pilato stabat et cum Patre sedebat; ligno affixus erat, et omnia tenebat.....

Μελίτωνος, ἐπισκόπου Σάρδεων, ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ Πάθος [2].

Ex sermone de Passione.

Ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ἰσραηλίτιδος [3].

II. Deus passus est a dextera Israelitidis.

(1) *Cruce.* Forte hic est *Sermo de passione*, ab Anastasio Sinaita in *Hodego*, c. 13, Melitoni vindicatus. — (2) Πάθος. Attulit hoc Anastasius, dum testimonia excuteret, quibus male confisi Theodosiani et Gainitæ, asserebant ipsum Deum Verbum in carne sua passioni fuisse obnoxium: Μελίτωνος, κ. τ. ε. (*Hodeg.*, c. XIII, p. 216, ed. Gretser.) — (3) Locus insignis multis visus est, neque immerito: luculentum enim testimonium de Christi divinitate præstat; ad quod illustrandum velim huc referas quæ exponuntur infra, in Melitonis *Clave*, de allegorica *Dexteræ* significatione, p. 8, 31, 230. Huc respiciunt etiam veteris cujusdam, Asiani forte episcopi, verba, quæ Irenæus, pene Melitonis discipulus, a seniore aliquo se accepisse testatur: Καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προφεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων [scilicet ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ]· δύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς, μία δὲ μέση κεφαλή, ὅτι εἷς ὁ Θεός, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν Iren., lib. v, c. 17, p. 314. Itaque ἡ δεξιὰ allegoristis gens erat Israelitica, secundum Melitonem. Hæc Routhius aptissime.

V.

؛مكمهم اهمهما حلا ومنعنه12.

MELITONIS EPISCOPI DE FIDE [1].

مم نعهما مثما حنعم حلا امكم
؛12حنز حلا مم معه معمما. ؛ممما
كممحصم ؛ومما امهوم مجما
معكعنا مكما ؛كموا. ؛مم ؛مجم
نهوزا 12مكم. ؛مم ؛امهوم حنما حمر
احا. ؛مم ؛حمكه ؛حنما. ؛مم ؛حمحلا
حلا ؛ما. ؛مم ؛حنجمم احنة12 نمم
احنة12. ؛مم ؛حنعمما نعمما. حمنة12
نمم حنة12. حنكحا مجحنا. حنثما
نحما حمللاثا نمم مللاثا. حملا مكما.
حنومما نومما. حاحا حنا. حاكوا كموا.
مكحا حنكمر حكمم. ؛ما ؛مممن
امهوجب ؛مم ؛كنمم ؛ما معحنمها.
؛مم ؛12احنوجمر ؛حنا. ؛مم ؛حمر امممم
12مممن. ؛مم ؛حمر مكممم ؛ما
حاحمنما. ؛مم ؛حمر مممم ؛ارحم.
؛مم ؛حمر ممما ؛ما نا مملا. ؛مم ؛حمر
معمم حنمم ؛ما معكي منة12.
؛مم ؛حمجمم ؛محنحما احنز مثما ؛مكمه. ؛مم

Ex lege et prophetis collegimus ea quæ prædicantur de Domino nostro Jesu Christo, ut demonstraremus charitati vestræ ipsum esse intellectum perfectum, Verbum Dei. Ipse est qui ante lucem genitus est; ipse est creator cum patre; ipse fictor hominis; ipse est qui in omnibus omnia erat: ipse est qui in patriarchis patriarcha erat; in lege, lex; in sacerdotibus, princeps sacerdotum; in regibus, gubernator; in prophetis, propheta; in angelis, princeps angelorum; in voce, Verbum; in spiritibus, spiritus; in Patre, Filius; in Deo, Deus; rex in secula seculorum. Ipse enim est qui Noëmo fuit κυβερνήτης; ipse qui Abrahamum duxit; ipse qui cum Isaaco ligatus est; ipse qui cum Jacobo fuit peregrinus [2]; ipse qui cum Josepho venditus est; ipse qui cum Moise fuit dux; ipse qui cum Josue filio Nun divisit hære-

(1) *Fide.* Fragmentum hocce in t. I *Spicilegii Solesmensis* ex syriaca et armeniaca versione, sed multo brevius editum est, sub nomine Irenæi. Idem ex arabica versione publici juris fecit Em. Card. Maius (*Spic. rom.*, t. III, p. 704), sub nomine *Hierothei*. Verum sub *Hierotheo Irenæi* nomen depravatum latere non dubito. Etenim, quum in nominibus propriis peregrinis Arabes puncta diacritica plerumque aut non scribant aut male scribant, ايرثاوس et ايرناوس inter se non differunt. — Cæterum Irenæum et Melitonem, ut faciunt ipsi codices, sociare videtur auctor *Parvi labyrinthi*, apud Eusebium : Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλοντα τὸν Χριστόν; (*Hist. eccles.*, l. v, c. 28). — Hæc doctissimus interpres. Meminerit enimvero lector Irenæi nomen non temere fuisse, in tomo I, eidem loco appositum : id quippe jussit inexspectatus, multaque attentione dignus, consensus cum interprete syro duorum codd. armeniorum idem Irenæi nomen præ se ferentium. — (2) *Peregrinus.* Quæ sequuntur desunt in versione syriaca, nuper in *Spicilegii* t. I edita; sed, pars eorum legitur in versione armenia quæ ibidem exstat. Textus autem quem ex arabica versione Cl. A. Maius protulit falso nomine Hierothei inscriptum, nostro simillimus est.

ditatem; ipse qui per Davidem et prophetas prædixit passiones suas; ipse qui in Virgine incarnatus est; ipse qui in Bethleem natus; ipse qui in præsepi fasciis cinctus est; ipse qui a pastoribus visus est; ipse qui ab angelis laudatus est; ipse qui a Magis adoratus est; ipse qui a Johanne annuntiatus est; ipse qui apostolos congregavit; ipse qui regnum prædicavit; ipse qui claudos sanavit; ipse qui cæcis dedit lucem; ipse qui mortuos suscitavit; ipse qui in templo visus est; ipse qui a populo non creditus est; ipse qui a Juda proditus est; ipse qui a sacerdotibus comprehensus; ipse qui a Pilato judicatus est; ipse qui in carne clavibus perforatus est; ipse qui a ligno suspensus est; ipse qui in terra sepultus est; ipse qui e domo mortuorum surrexit; ipse qui apostolis apparuit; ipse qui ad cœlos sublatus est; ipse qui ad dexteram Patris sedet; ipse qui est requies defunctorum, repertor perditorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, redemptor captivorum, rector errantium, refugium mœrentium, sponsus Ecclesiæ, Cherubim ἡνίοχος, princeps exercitus angelorum, Deus ex Deo, filius ex Patre, Jesus Christus rex in secula. Amen.

VI.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

DE SEQUENTI LIBRO TESTIMONIUM.

Καὶ ἐν τῷ λόγῳ δὲ αὐτοῦ τῷ περὶ τοῦ Πάσχα ἐκθιασθῆναι ὁμολογεῖ πρὸς τῶν ἑταίρων, ἃ; ἔτυχε παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων ἀκηκοὼς παραδόσεις, γραφῇ τοῖς μετὰ ταῦτα παραδοῦναι· μέμνηται δὲ ἐν αὐτῷ Μελίτωνος καὶ Εἰρηναίου καί τινων ἑτέρων, ὧν καὶ τὰς διηγήσεις τέθειται [Euseb. H. E. lib. VI, c. 13].

Ἐκ τοῦ α΄ περὶ τοῦ Πάσχα.

EX INITIO TRACTATUS DE PASCHA [1].

Ἐπὶ Σερουΐλίου [2] Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις [3] καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο [4] ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ πάσχα, ἐμπεσόντος κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις [5], καὶ ἐγράφη ταῦτα.

حدثوهم هكذا: هكذا اهدا اهدا اسنة. ٢٥٥٥ حدثا هي بالا حكيما لا هو هدا هذه حدم اح حنهم هذا هكذا وكم.

Cæterum in libro de Pascha, tempus ipsum quo scribebat, in principio operis sui designat his verbis : Servilio Paulo, inquit, Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris matyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestive in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc a nobis perscripta sunt.

VII.

Ἐκ τοῦ περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ λόγου γ΄.

EX LIBRO III

DE INCARNATIONE CHRISTI.

Οὐδεμία ἀνάγκη τοῖς νοῦν ἔχουσιν, ἐξ ὧν μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε [6], παριστᾶν τὸ ἀληθὲς καὶ ἀφάνταστον [7] τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος, τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνης φύσεως. Τὰ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ θεότητα ἐδήλουν, καὶ ἐπιστοῦντο τῷ κόσμῳ. Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν· τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ, ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος· ἐν οἷς διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα ἀπεκρύβη [8] τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ θεότητος· καίπερ Θεὸς ἀληθὴς προαιώνιος ὑπάρχων [ANASTAS. *Sinaita*, in *Hodego*, c. XIII, p. 260, ed. Grets.].

Minime necesse est, si quis mente non careat, illud ex iis quæ post baptismum Christus gessit, astruatur, scilicet in veritate et sine ulla inani apparentia ipsius animam et corpus, juxta nostram humanam naturam, consistere. Nam quæ post baptismum Christus egit, et in primis miraculorum signa, suam in carne absconditam divinitatem declarabant, quæ et mundo credita sunt. Quippe quum ipse Deus simul et homo sit perfectus, utramque suam substantiam nobis patefecit : suam quidem divinitatem per signa trium post baptismum annorum ; suam vero humanitatem ex triginta annis ante baptismum elapsis ; in quibus videlicet per eam quæ carnis est vilitatem occultabantur signa divinitatis ejus, tametsi Deus verus ante sæcula exstiterit.

(1) *Pascha.* Apud Eusebium, *Hist. eccl.* IV, c. 26, his præmissis : Ἐν μὲν οὖν τοῖς περὶ τοῦ πάσχα Vales. Τῷ α΄ περὶ τ. π. Stroth. Ἐν τῷ περὶ Γ. Ἐν μὲν οὖν τῷ Δ, H. Ex catalogo duos fuisse libros *De pascha* constat — (2) Σεργίου legebat Rufinus. — (3) Σάγγαρις Niceph De eo Eusebius iterum meminit lib. v, c. 24 ; agun vero Bollandiani ad d. v octobr. p. 261, annumque sancto martyri gloriosum assignant CLXXV. In syro *Agaris* ; ᾧ eidem deest ante hoc nomen. — (4) Καὶ ἐγένετο, juxta syrum. — (5) Ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις B. — (6) Ἔπαρξε Woog. — (7) Ἀναφάνταστον id. — (8) Ἀνέκρυβε id.

VIII.

EPISTOLA MELITONIS AD ONESIMUM,

SIVE PROOEMIUM AD VI LIBROS Ἐκλογῶν

Ἐκ τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν [1].

Μελίτων Ὀνησίμῳ [2] τῷ ἀδελφῷ χαίρειν. Ἐπειδὴ πολλάκις ἠξίωσας σπουδῇ τῇ πρὸς τὸν λόγον χρώμενος γενέσθαι σοι ἐκλογὰς ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν περὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως ἡμῶν, ἔτι δὲ καὶ μαθεῖν τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἐξουλήθης ἀκρίβειαν, πόσα τὸν ἀριθμὸν καὶ ὁποῖα τὴν τάξιν εἶεν [3], ἐσπούδασα τὸ τοιοῦτο πρᾶξαι, ἐπιστάμενός σου τὸ σπουδαῖον περὶ τὴν πίστιν, καὶ φιλομαθὲς περὶ τὸν λόγον [4]· ὅτι τε μάλιστα πάντων πόθῳ τῷ πρὸς Θεὸν [5] ταῦτα προκρίνεις, περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας ἀγωνιζόμενος. Ἀνελθὼν οὖν εἰς τὴν ἀνατολὴν, καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς [6] μαθὼν τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία, ὑποτάξας ἔπεμψά σοι· ὧν ἐστὶ τὰ ὀνόματα· Μωϋσέως [7] πέντε· Γένεσις, Ἔξοδος, Ἀριθμοὶ, Λευιτικὸν, Δευτε-

ܡܠܝܛܘܢ ܠܐܘܢܣܝܡܘܣ ܐܚܘ ܡܚܒ. ܐܝܟ ܕܒܟܬ ܐܢ ܐܝܬ ܠܟ ܒܥܝ ܕܐܢܐ ܐܫܬܕܠ ܒܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ ܘܒܗܝܡܢܘܬܢ ܐܦ ܒܥܝ ܕܐܢܐ ܐܬܚܢܢ ܠܟ ܡܢ ܟܬܒ̈ܐ ܕܝܬ̈ܐ ܕܐܢ

ρονόμιον. Ἰησοῦς Ναυῆ. Κριταί. Ῥούθ. Βασιλειῶν τέσσαρα. Παραλειπομένων δύο. Ψαλμῶν Δαυίδ [1]. Σολόμωνος Παροιμίαι ἡ καὶ Σοφία [2], Ἐκκλησιαστής. Ἆσμα Ἀσμάτων. Ἰώβ. Προφητῶν, Ἡσαΐου, Ἱερεμίου. Τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ. Δανιήλ. Ἰεζεκιήλ. Ἔσδρας [3]. Ἐξ ὧν καὶ τὰς ἐκλογὰς ἐποιησάμην, εἰς ἓξ βιβλία διελών.

ܚܢܐ ܕܥܒܕܬ. ܕܡܠܟܐ ܘܝܘܚܢ ܡܠܟ
ܠܥܡܐ. ܡܠܟ ܒܥܐ ܕܚܢܐ ܕܥܒ
ܒܢܬ ܢܟܪܐ. ܕܥܒ ܫܟܚ ܐܚܕ. ܥܒ
ܒܢܝ ܒܝܬ ܐܠ. ܕܥܒ ܕܡܫܬܥ ܒܡ.
ܒܢܝ ܒܝܬ ܐܠ. ܕܥܒ ܕܡܫܬܥ ܒܡ.
ܘ

ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπ' ὄρος εἰς σφαγὴν [1], ὃν συμποδίσας ἔθηκεν ἐπὶ τὰ ξύλα τῆς καρπώσεως, ἑτοιμάζων μετὰ σπουδῆς τὰ πρὸς τὴν σφαγὴν αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἰσαὰκ σιγὰ πεπεδημένος ὡς κριὸς, οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα, οὐδὲ φθεγγόμενος φωνῇ. Τὸ γὰρ ξίφος οὐ φοβηθείς, οὐδὲ τὸ πῦρ πτοηθείς, οὐδὲ τὸ παθεῖν λυπηθείς, ἐβάστασε καρτερῶν τὸν τύπον τοῦ Κυρίου. Ἦν οὖν ἐν μέσῳ προκείμενος Ἰσαὰκ πεποδισμένος ὡς κριὸς, καὶ Ἀβραὰμ παρεστὼς καὶ κρατῶν γυμνὸν τὸ ξίφος, οὐκ αἰδούμενος φονεῦσαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ.

quem postquam eum colligasset, super lignum holocausti posuit, rebus ad occisionem pertinentibus paratis. Isaac autem siluit, vinctus ut aries non aperiens os suum, nec vocem emittens. Gladium enim non reformidans, neque ignem horrens, nec doloris impatiens, typum Domini fortiter gessit. In medio ergo propositus est Isaac sicut aries ligatus, Abrahamo astante, nudumque gladium manu tenente, haud reverito filium trucidare suum [Routh, *Reliquiæ sacr.*, t. I, p. 120.]

Μελίτωνος τῶν Σάρδεων [2].

II. Ὑπὲρ Ἰσαὰκ τοῦ δικαίου ἐφάνη κριὸς εἰς σφαγὴν, ἵνα δεσμῶν Ἰσαὰκ λυθῇ. Ἐκεῖνος σφαγεὶς [3] ἐλυτρώσατο τὸν Ἰσαάκ· οὕτω καὶ ὁ Κύριος σφαγεὶς ἔσωσεν ἡμᾶς, καὶ δεθεὶς ἔλυσε, καὶ τυθεὶς ἐλυτρώσατο [4].

III. Ἦν γὰρ ὁ Κύριος ὁ ἀμνὸς ὡς [ὁ] κριὸς, ὃν εἶδεν Ἀβραὰμ κατεχόμενον ἐν φυτῷ Σαβέκ, ἀλλὰ [5] τὸ φυτὸν ἀπέφαινε τὸν σταυρὸν, καὶ ὁ τόπος ἐκεῖνος τὴν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ὁ ἀμνὸς τὸν Κύριον ἐμπεποδισμένον [6] εἰς σφαγήν.

IV. Τὸ « κατεχόμενος [7] » τῶν κεράτων ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος « κρεμάμενος » φησίν· ὡς σαφέστερον τυποῦν [8] τὸν σταυρόν· ἀλλὰ καὶ τὸ « κριὸς » τοῦτο ἀκριβοῖ· οὐ γὰρ εἶπεν « ἀμνὸς, » νέος ὡς ὁ Ἰσαὰκ, ἀλλὰ « κριὸς, » ὡς ὁ Κύριος τέλειος. Ὥσπερ δὲ φυτὸν Σαβὲκ, τοῦτ' ἔστιν ἀφέσεως, ἐκάλεσε τὸν ἅγιον σταυρὸν, οὕτω καὶ Ἰεζεκιὴλ ἐν τῷ τέλει ὕδωρ ἀφέσεως ἐκάλεσε τὸ ἐκτυποῦν τὸ ἅγιον βάπτισμα. Δύο γὰρ συνέστη τὰ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων παρεχόμενα, πάθος [9] διὰ Χριστὸν, καὶ βάπτισμα.

II. Pro Isaac justo apparuit aries in occisionem, ut Isaac vinculo exsolveretur. Ille mactatus redemit Isaac, ita et Dominus occisus nos salvavit, et vinctus absolvit, et immolatus redemit.

III. Dominus enim erat agnus, sicut aries, quem vidit Abraham detentum in planta Sabec. Nam planta designabat crucem; et locus ille, Jerosolymam; et aries, Dominum ad occisionem pedibus constrictum.

IV. Illud, *hærens cornibus*, Syrus et Hebræus *pendens* posuit, quo clarius crux repræsentaretur, sed et in illo *aries*, accuratus est; non enim *agnum* dixit, juvenem sicut Isaac, sed *arietem*, ut Dominum, adultum. Quemadmodum autem plantam Σαβὲκ, hæc est dimissionis, vocabat sanctam crucem, ita et Ezechiel sub finem *aquam dimissionis* vocabat illam, quæ sanctum baptismum exprimit. Duæ enim res exsistunt, quæ peccatorum donant remissionem, Christi causa martyrium et baptismus.

(1) Ἐπὶ σφαγὴν Woog, qui paulo infra legit : σφαγὴν αὐτῷ. — (2) Μελίτωνος Σάρδεων K, A. Brevius M nudum nomen Melitonis recitat. — (3) Ἐκεῖνος σφαγῆς I, A. — (4) Καὶ δεθεὶς ἐλυθρώσατο I, K, A. Τυθεὶς Vat. 748 et Niceph. Reliqui ἔλυσε καὶ θυθεὶς quod omisit Vat. 746. Item καὶ δυθεὶς ἐλυτρώσατο Grab. ἐλυξώσατο Woog mend.. — (5) Ἐν φυτῷ Σαβέκ. Ἄλλως. Ἀλλὰ τὸ φύτον M. — (6) Ἐμπεπεδημένον A, Halloix, Woog. — (7) Κατεχόμενος. Melitonis nomen solum paulo ante hunc locum remansit in M, quasi pro ejusdem continuo textu. Operæ tamen pretium est annotare in cod. I eidem loco præmitti duo alia, quorum quidem priori distincte affligitur nomen *Succensi*, Σουκένσου Διοκαισαρείας; posteriori vero non minus clare præfulget : Εὐσεβίου. Cujus etiam nomen distincte pariter in margine A rubricatur. Vide quæ supra de hoc loco disquiruntur. — (8) Σαφέστερον τυποῦντα M, ed Niceph. Scholium Vatican. Δηλοῦν τὸν K. — (9) Πάθος ... βάπτισμα : desunt hæc verba in Nicephoro. Ἁμαρτημάτων χαριζόμενα, πάθος I, K, A.

IX.

INDEX LIBRORUM S. MELITONIS,

I. APUD EUSEBIUM.

Τούτων εἰς ἡμετέραν γνῶσιν ἀφῖκται τὰ ὑποτεταγμένα Μελίτωνος·	ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܒܝܕܢ ܐܬܘ ܠܝܕܥܬܢ ܠܟܬܒ̈ܐ ܕܡܠܝܛܘܢ ܗܠܝܢ ܕܟܬܝܒ̈ܝܢ ܗܘ ܒܠܫܢ̈ܐ ܕܝܘܢ̈ܐ ܘܐܝܬ ܠܗ̇ܘ ܕܡܬܬܠ̈ܝܢ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠܟ̈ܐ ܕܒ̈ܢܝ ܐܪ̈ܥܐ ܘܠ̈ܐ ܡܬܬܠ̈ܝܢ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠܟ̈ܐ ܕܒ̈ܢܝ ܐܪ̈ܥܐ ܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܫ̈ܡܝܢ ܘܐܝܬ ܠܗ̇ܘ ܕܡܬܬܠ̈ܝܢ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܫ̈ܡܝܢ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܐ̈ܪܥܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܐ̈ܪܥܐ ܘܝܡ̈ܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܝܡ̈ܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܝܡ̈ܐ ܘܢ̈ܚܠ̈ܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܢ̈ܚܠ̈ܐ ܘܡ̈ܝ̈ܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕܡ̈ܝ̈ܐ ܘܐ̈ܪ̈ܥܐ ܘܐ̈ܠܐ ܒܫ̈ܡܗ̈ܝ ܕܡܠ̈ܟܐ ܕ

XII. Καὶ περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χρι- ܘܠܐ ܥܠ ܒܪܝܬܐ ܘܥܠ ܝܠܕܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ.
στοῦ.

XIII. Καὶ λόγος αὐτοῦ περὶ προφητείας. ܘܠܐ ܡܠܬܐ ܕܢܒܘܬܗ.

ܘܠܐ ܬܪܥܐ ܕܫܘܠܡ.

XIV. Καὶ ὁ περὶ φιλοξενίας. ܘܠܐ ܫܘܠܡ ܕܣܗܕܐ ܐܚܪܢܐ

XV. Καὶ ἡ κλεῖς.

XVI. Καὶ τὰ περὶ τοῦ διαβόλου, καὶ τῆς ܘܠܐ ܣܦܪܐ ܘܠܐ ܓܠܝܐ ܕܝܘܚܢܢ.
Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου.

XVII. Καὶ ὁ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ. ܘܠܐ ܫܘܠܡ ܕܣܗܕܐ ܒܦܓܪܐ.

XVIII. Ἔτι πάσι καὶ τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον ܘܠܐ ܫܘܠܡ ܕܒܬ ܠܡܠܟܐ ܐܢܛܘܢܝܢܘܣ
βιβλιδίων. ܣܗܕܐ.

II. Apud Hieronymum.

Melito[1], Asianus, episcopus Sardensis, librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro christiano dogmate dedit. Scripsit quoque et alia, de quibus ista sunt, quæ subjecimus :

I. De pascha libros duos. — II. De Vita prophetarum librum unum. — III. De Ecclesia librum unum. — IV. De Dominica librum unum. — V. De Fide librum unum[2]. — VI. Περὶ πλάσεως[3] librum unum. — VII. De Sensibus librum unum. — VIII. De Anima et Corpore librum unum. — IX. De Baptismate librum unum. — X. De Veritate librum unum. — XI [4]. [De Generatione Christi librum unum]. — XII. De prophetia sua librum unum. — XIII. De Philoxenia librum unum. — XIV. Et alium librum, qui Clavis inscribitur. — XV. De Diabolo librum unum. — XVI. De Apocalypsi Joannis librum unum. — XVII Καὶ τὸν περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ [5] librum unum. — XVIII. Et Eclogarum libros sex.

Hujus elegans et declamatorium ingenium Tertullianus [6], in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, cavillatur dicens eum a plerisque nostrorum prophetam putari.

— XII. Περὶ κτίσεως A, Γ. Sed notatur in margine A : γε. πίστεως. Eamdem correctionem aperte confirmant tum B, Γ, Δ, E, H, tum Rufinus, Christophors. Cæteri vero editi libri et tres alii codd. apud Routhium retinuere κτίσεως. De quo titulo satis supra in proleg. disputatum. — XIII. Περὶ προφητείας αὐτου in Hieronymi et Rufini codicibus, ut videtur, quod etiam in nostro B invenitur. Γ, E habent : Καὶ λόγος αὐτοῦ προφητείας. Genuinum forte textum unus nobis retinuit Syrus, scilicet : *Et de verbo prophetiæ ejus*, vid. *Proleg.* — XIV. Καὶ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος, καὶ ὁ περὶ εὐσεβείας : hæc debuit esse scriptura bis repetita codicis Rufini, quæ obtinet in codd. nostris B, Δ, E. Bis enim inscribitur καὶ ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος in A, B, Δ, E. Eadem repetitio occurrit in Syro. Quam quidem A ponit post n. XIV, B vero, Δ et E ante eumdem, ut Rufinus. Pene crediderim Eusebium ipsum bis eadem scripsisse, dum codices suos eadem continentes recenseret. — XV. Excidere in Syro paucula verba *de Clave*. — XVI. Duplicem libellum illic una recensuere Hieronymus et Rufinus : *De diabolo librum unum : De apocalypsi librum unum.* — XVII. Tam de titulo hujus libri, quam de ejus argumento multi multa disseruerunt, quæ breviter in proleg. tetigimus. Nihil nisi sphalma videtur quod eo loci addit codex roman. S. Crucis : *De æternitate Dei* τὸν ἕνα. — XVIII. Hisce addunt codd. Hieronymi omnes, quod erit melitoniani catalogi num. XIX : *Et* ἐκλογῶν, *libros* VI, sane Eusebio consentiente quum ipse illarum eclogarum προσφωνητὴν ad Onesimum servaverit. Ad hæc in eodem albo certe inscribentur alicubi libri aut sermones *de cruce* aut *de passione Christi*, quos syri retinuere cum Anastasio, eoque monente eosdem esse adversus Marcionem a *sapientissimo* et *divino* Melitone conscriptos. Testis si quidem est Hieronymus, in epist. LXXXIII *ad Magnum*, Melitonem adversus hæreticos calamum direxisse, ut ex quibus philosophorum fontibus venena hæreseon emanarint, explicaret.

(1) *Melito.* Vetustiorem e codd. Parisiens. 1790, numeris additis, sequimur. — (2) *Unum.* Ordinem in editis deversum restituimus juxta cod. — (3) *De plaso* cod. Hieronymus utique græcum rescripserat. — (4) Hæc cod. desunt. — (5) Καὶ τὸν περὶ ΕΝΣΩΜΑΤΟΥ ΘΕΟΥ cod. — (6) *Tertullianus.* Libri septem Tertulliani de *Exstasi*, ex quibus hoc de Melitone testimonium repetiit Hieronymus, interciderunt.

APPARATUS

DE TRIBUS PRÆCIPUIS RECENSIONIBUS

LIBRI QUI DICITUR CLAVIS.

I.

RECENSIO THEODULFI AURELIANENSIS

AD CALCEM SS. BIBLIORUM.

I.

1. *Caput Domini,* ipsa Divinitas.
2. *Capilli Domini, candidi*, eo quod antiquus sit dierum.
3. *Oculi Domini,* inspectio divina.
4. *Palpebra Domini,* occulta ... mysteria.
5. *Odoratus Domini,* delectatio ejus in orationibus.
6. *Os Domini,* Filius ejus. — Sermo ad homines.
7. *Lingua Domini,* Spiritus ejus sanctus.
8. *Facies Domini*, ostensio ejus.
9. *Verbum Domini,* Filius.
10. *Brachium Domini*, Filius.
11. *Dextera Domini*, Filius. — Gloria sive beatitudo perpetua. — Electi omnes.
12. *Alæ Domini,* protectio divina.
13. *Scapulæ Domini,* patientia.
14. *Manus Domini*, divina operatio.
15. *Digitus Domini,* Spiritus sanctus. — *Digiti*, legislator Moyses sive prophetæ.
16. *Sapientia Domini*, Filius.
17. *Uterus Domini,* secretum divinitatis.
18. *Pedes Domini,* stabilitas et æternitas.
19. *Thronus Domini*, angeli sive sancti.
20. *Sedes,* angeli vel sancti.
21. *Descensus Domini*, visitatio ejus. — Item in malam partem.
22. *Ascensus Domini*, elevatio hominis assumti a terra in cœlos.
23. *Stare Domini*, patientia divinitatis.
24. *Transitus Domini*, assumtio carnis.
25. *Gressus Domini*, adventus vel visitatio ejus.
26. *Via Domini,* operatio divinitatis. — Præcepta ejus.
27. *Vestigia Domini*, operum secretorum signa.
28. *Cognitio Domini*, quod cognoscentes nos faciat.
29. *Nescire Domini,* reprobare est.
30. *Recordatio Domini*, misericordia ejus.
31. *Pœnitentia Domini,* rerum mutatio.
32. *Ira et furor Domini*, ultio divinitatis.
33. *Dormire Domini,* quum ... fides ejus minime vigilat.

Causam antea diximus cur apposite accedat ad Prolegomena nostra triplex illud epimetrum : in primo instituitur Clavis ordo qualis in codice, quem dixerunt *Theodulfi* Biblia, exhibetur; in secundo, *Octavi* Melitoniani codicis, quem nuper invenire contigit mihi, bibliothecam Pictavensem obiter perlustranti, indiculus ipsomet insertus describitur; in tertio demum nostra et novissima libri recensio, variorumque codicum generalis indoles uno in conspectu videtur. Quumque incidimus in codicem Pictavensem, dum textus noster jam prælo expeditus evaderet, eumdem etiamnunc ad cæteros conferendi, et præcipuas ex eo legendi rerum, non verborum varietates, quibus ad cumulum augeatur hæc supellex nostra, opportunam sane occasionem prætermittere minime debuimus. Huic igitur Theodulfi recensioni lectiones Pictavenses in imis marginibus attexantur. Si quid fortasse minus perspicuum lectori offecerit, necesse omnino est quemque se ad fusiorem editionis nostræ textum referat. Theodulfi codex, sive Mesmianus, ut alias, hic sub littera C; Pictavensis vero sub octava littera H designabitur. Sequentium notarum numeri, sive romani, sive arabici, pertinent ad capita aut distinctiones quæ supra recensentur.

I. In codice Theodulfi, ab initio *Clavis* remansit spatium vacuum, ignoto forte auctoris nomine, agnito vero libri titulo quem Theodulfus versibus expressit. Tribus primis capitibus H non caret omnino, quæ disjecta hic illic in sequentibus partim distribuuntur. Invenimus e primo capite dist. 2, 16, 8, 10, 17, 18, 22, sine ulla varietate; desunt 7, 12, 13, 15, 16, 24, tum a 25 ad 34 et 38. Cætera variant ut infra. — 1. *Caput*, divinitas. Apostolus : « Caput Christi, Deus. » [I Cor. XI, 3.] In Genesi Jacob apud Luzam dormiturus lapidem supposuit. Sic Christus factus est Patri obediens usque ad mortem H. — 3. *Oculi* D. Providentia H. — 5. Ejus in profectu sanctorum H. — 11. Concordat C cum H et D in dist. E. art. XI, infra p. 8, hinc corrige not. 11 et 12. — 20. *Sedes Dei*, cœlum, id est angelici spiritus H. — 23. Patientia Dei H.

C.

34. *Vigilæ Domini*, inelectorum suorum custodia.
35. *Sedere Domini*, regnare.
36. *Scabellum Domini*, homo assumptus.
37. *Ambulatio Dei*, delectatio divinitatis in operibus sanctorum.
38. *Tabi Dei*, vox manifesta.

II.

DE FILIO DEI SECUNDUM CARNEM.

39. *Caput Christi*, Deus.
40. *Corpus Christi*, S. Ecclesia.
41. *Capilli Christi candidi*, multitudo sanctorum.
42. *Oculi Christi*, evangelica præcepta.
43. *Dentes Christi*, apostoli.
44. *Lingua Christi*, evangelicus sermo.
45. *Fauces Christi*, prædicatores Evangelii.
46. *Labia Christi*, annuntiatores verbi.
47. *Barba Christi*, homo assumptus a Verbo, vel perfecti omnes.
48. *Manus Christi*, operarii justitiæ.
49. *Digiti Domini*, fortes in Ecclesia.
50, 51. *Dextera Domini*, testamentum novum. — *Sinistra*, vita præsens. — *Dextera*, electi. — *Sinistra*, reprobi.
52. *Ubera Christi*, evangelica doctrina.
53. *Mamillæ Domini*, duo testamenta legis.
54. *Venter Christi*, lavacrum regenerationis.
55. *Intestina Domini*, secretum divinitatis. — Scripturæ occulta sacramenta.
56. *Crura ejus*, apostoli vel cæteri prædicatores.
57. *Pedes Domini*, homo assumptus a Verbo.
58. *Ossa Christi*, fortes in Ecclesia.
59. *Carnes Christi*, infirmi in Ecclesia.
60. *Vestimenta Domini*, caro assumta. — Electi omnes.
61. *Tunica Christi*, ejus Ecclesia.
62. *Stola Christi*, caro assumta.
63. *Pallium Christi*, sancta Ecclesia.
64. *Lumbare Domini*, populus Judæorum.
65. *Cingulum Christi*, justitia sive fides ejus.
66. *Calceamentum Domini*, mysterium incarnationis.

III

DE SUPERNIS CREATURIS.

67. *Cœlum*, sancti angeli. — Ecclesia. — Scriptura. — Apostoli vel cæteri prædicatores. — Libri legis. — Aer sive spiritualia nequitiæ in cœlestibus.
68. *Angeli*, potestates supernæ. — *Angelus Domini*, Jesus Christus. — Joannes, præcursor. *Angeli*, prædicatores. — Diabolus, immundi spiritus.
69. *Sol*, Christus. — Justi homines. — Acumen sapientiæ. — Ecclesiæ fides. — Manifesta Domini operatio. — Persequutionis ardor. — Prosperitas.
70. *Luna*, adversitas mundi. — Ecclesia. — Præsens sæculum. — Homo stultus.
71. *Stella*, Christus. — *Stellæ*, sancti.
72. *Astra*, sancti angeli.
73. *Lucifer*, Christus.
74. *Pleiades*, sancti prædicatores.
75. *Arcturus*, sancta Ecclesia.
76. *Lucifer*, diabolus.
77. *Vesper*, Antichristus.
78. *Nubes*, apostoli vel cæteri prædicatores. — Corpus Christi. — Virgo Maria. — Protectio divina. — Obscuritas scripturarum.
79. *Nebula*, velamentum mysteriorum Dei. — *Nebulæ*, hæretici.
80. *Caligo*, divinorum secretorum operimentum.
81. *Venti*, angeli. — Animæ sanctorum.
82. *Penna ventorum*, virtutes animarum.
83. *Auster*, Spiritus sanctus. — Calor fidei.
84. *Africus*, hoc quod supra.
85. *Aquilo*, diabolus vel homines infideles.

37. *Ambulare Dei*, delectari in H.

H. Non inveni in H dist. 39, 40, 42, 44, 49, 50, 51, 55, 61 ad finem. — 41. *Capilli*, sancti H. — 43. Evangelici H. — 57. *Pedes Christi*, apostoli. In Deuteronomio : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipiant de doctrina ejus [XXXIII, 3]. » Et in psalmo : « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus [Ps. CXXXI, 7]. » In Deuteronomio, de Aser : « Tingat in oleo pedem suum [XXXIII, 24]. » H. Consentit A.

III. His incœpit Adamus, eo scilicet ordine : *Mundus, oriens, occidens, occasus, aquilo, auster, cælum, Spiritus, angelus, lumina, via, sol*, etc. Omisit subinde dist. 87, 90 ad 96, 101. — 67. In fine H. *Cœli*, aer ; unde : « Volucres cœli [Ps. VIII, 8]. » *Cœli*, immundi spiritus. Apostolus : « Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus [Eph. VI, 12]. » — 68. Addit H : *Angelus*, Elias, in Apocalypsi : « Vidi angelum volantem per medium cœli [XIII]. » *Angeli*, sacerdotes : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est [Malach. II, 7]. » — 69. Addit H : *Sol*, Ecclesia in futuro, in Canticis : « Electa ut sol [VI, 9]. » *Sol*, opus bonum : « Si vidi solem quum fulgeret [Job XXXI, 26]. » — 70. Addit H : *Luna*, fama, ut in Job : « Et lunam incedentem clare [*ibid.*] » — 71. Item H : *Stellæ* manentes in ordine et cursu suo, angeli in judicio. Baruch : « Dederunt lumen in custodiis suis [III, 4]. » Cf. A. — 84. Explicat H : *Africus*, Spiritus sanctus.

86. *Venti*, diabolus. — Superbia.
87. *Aer*, inanitas verborum.
88. *Pluvia*, præcepta divina. — *Imber matutinus et serotinus*, vetus et novum testamentum.
89. *Nives*, baptismi profusio. — Futura tribulatio.
90. *Grando*, comminationes Domini. — Futura percussio.
91. *Tonitrua*, Evangelii voces.
92. *Coruscationes*, splendores Evangelii.
93. *Fulgura*, virtutes Jesu, vel miracula sanctorum.
94. *Sagittæ*, præcepta divina.
95. *Iris*, duorum judiciorum Dei figura.
96. *Ros*, verbum Domini.
97. *Pruina*, tribulatio hujus vitæ. — Rigor legis.
98. *Glacies*, duritia peccatorum.
99. *Gelu*, corda peccatorum. — Futura tribulatio.
100. *Tempestas*, examen judicii. — *Turbo*, persequutionum vel tribulationum impetus.
101. *Serenitas*, indulgentia delictorum per sanguinem J.C. post tenebras peccatorum data.
102. *Spiritus*, Deus. — Angeli. — Animæ hominum. — Ratio. — Animæ jumentorum. — Venti. — Vox hominum. — Diabolus.

IV.

DE DIEBUS, ANNIS ET TEMPORIBUS.

103. *Dies*, D. J. C. — Evangelica annuntiatio. — Vita præsens. — Futura justis. — Sancti prædicatores.
104. *Dies* et *Nox*, justi et peccatores. — Prosperitas et adversitas.
105. *Matutinum*, judicii dies. — Resurrectio.
106. *Aurora*, Ecclesia.
107. *Mane*, lux actuum bonorum, vel baptismus, vel resurrectio.
108. *Meridies*, plena doctrina. — Factorum claritas. — Et in malam partem.
109. *Vespere*, finis vitæ vel sæculi, sive pœna. — Passio corporis Salvatoris.
110. *Occasus*, mors Salvatoris. — *Occidens*, vitæ melioris defectus. — *Occasus*, tentationis ardor. (Cf. 189.)
111. *Lumen*, Christus. — *Lux*, apostoli vel omnes sancti. — *Lumen*, illuminatio fidei vel donum Spiritus sancti.
112. *Lux* et *tenebræ*, electi et reprobi. — Justitia et iniquitas. — *Tenebræ*, diabolus et dæmonia.
113. *Umbra*, testamentum vetus. — Protectio divina. — Vita hominis. — Mors carnis. — Pœna perpetua. — Delectatio carnis.
114. *Hodie*, divinitatis æternitas. — Omne præsens tempus.
115. *Cras*, futurum tempus.
116. *Dies unus*, mille anni.
117. *Dies duo*, vetus et novum testamentum.
118. *Dies tres*, passionis, sepulturæ et resurrectionis Salvatoris sacramentum.
119. *Dies sex*, præsens mundus.
120. *Septimus dies*, requies omnium sanctorum.
121. *Dies septem*, omne tempus vitæ præsentis.
122. *Dies octava*, resurrectio dominica. — Futura omnium resurrectio.
123. *Hora*, quingenti anni.
124. *Horæ duodecim*, apostoli.
125. *Hora prima*, infantia sive pueritia.
126. *Hora tertia*, adolescentia.
127. *Hora sexta*, juventus.
128. *Hora nona*, senectus.
129. *Hora undecima*, senium.
130. *Nox*, vita præsens. — Futurum sæculum peccatoribus. — Vita peccatorum. — Cæcitas co

88. Addit idem H : *Pluvia*, divinitas Christi. In psalmo : « Descendet sicut pluvia in vellus [LXX, 16]. » Concordat A. — 89. Add. H : *Nix*, peccati malitia obdurati. In psalmo : « Qui dat nivem sicut lanam [CXLVII, 16]. » *Nix*, candor justitiæ, in psalmo : « In nive dealbabuntur in Selmon [LXIV, 17], » id est in umbra sub Christo.

IV. Omnia lemmata omisit H, et sectioni IV distinctiones 111, 112, 113 præmisit, ut ibidem cod. A, omnia quæ pertinent ad lucem. Omissa ab H dist. 119 ad 122, 157, 158, 159. — 105. Addit H : *Dies*, Deus Pater ; *Dies* et Deus Filius. In psalmo : « Annuntiate de die in diem [XCV, 2]. » *Dies*, intellectus. Ad Corinthios : « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die [I, c. IV, 3], » i. e. in intellectu. *Dies*, manifestatio. Ad Thessalonicenses : « Dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet [I, v, 2]. » *Diem tubarum* celebrat qui in lege Domini meditabitur die ac nocte ; primo mense fit hæc solemnitas. *Dies*, virtutes. In Genesi : « Mortuus est Abraham plenus dierum [XXXV 29]. » *Dies*, peccati detectatio. Apostolus : « Redimentes tempus, quoniam d. m. s. [Col. IV, 5]. » — 106. Addit idem : *Aurora*, Maria vel Ecclesia, de qu post tenebras malitiæ et ignorantiæ, veritatis et justiti lumen mundo enituit. In Canticis : « Quæ est ista etc. » — 108. *Meridies*, ascensio Christi. In psalmo : « Vespere et mane et meridie [LIV, 18]. » — 109. *Vesperum*, Antichristus. In Job : « Et vesperum super filios hominum consurgere faciam [VII, 4]. » — 111. H add. *Lumen scientiæ*. In libro Sapientiæ : « Erravimus a via veritatis et lumen scientiæ n. l. n. [V, 5]. » *Lumen inexcusabile*. Apost. « Omne quod manifestatur lumen est [Eph. V, 13]. » *Lucerna* et *lumen*, verbum Dei. In psalmo : « Lucerna pedibus meis v. t. [CXVIII, 105]. » *Lux*, gratia Dei. In Job : « Super quem non consurgit l. e. [XXV, 3]. » — 115. *Cras*, superfluum

dis. — Vetus secundus. — Futura tribulatio. — Tribulatio vitæ præsentis.

131. *Media nox*, occultum Dei judicium, mors ex improviso adveniens.

132. *Prima vigilia*, prima ætas.

133. *Secunda vigilia*, adolescentia vel juventus.

134. *Tertia vigilia*, senectus.

135. *Tempora opportuna*, distributio voluntatis divinæ.

136. *Ver*, vitæ renovatio per baptismum vel resurrectionem, sive pax Ecclesiæ.

137. *Æstas*, venturæ jucunditatis præfiguratio. — Futura beatitudo.

138. *Autumnus*, transacta salutis tempora.

139. *Hiems*, persequutio vel tribulatio. — Torpor mentis.

140. *Anni*, pro æternitate. — *Annus*, D. N. J. C. — Præsens tempus.

141. *Menses* XII, apostoli.

142. *Anni sex*, præsens tempus.

143. *Quinquagesimus annus*, venturæ quietis significatio.

V.

[DE NUMERIS.]

144. *Unus*, ad unitatem divinitatis. — Ecclesiæ. — Fidei sive operis perfectionem. — Ad unitatem malorum.

145. *Duo*, ad duo præcepta charitatis. — Ad duas personas, regiam et sacerdotalem. — Duorum populorum. — Anima et caro. — Electi et reprobi.

146. *Tres*, ad Trinitatis mysterium. — Ad passionis Domini et sepulturam et resurrectionem sacramentum. — Ad fidem, spem et charitatem. — Ad tria tempora, ante legem, sub lege, post legem. — Ad trimodam hominum operationem. — Ad trimodam fidelium professionem.

147. *Quatuor*, ad quatuor evangelia. — Ad quatuor sanctorum virtutes. — Ad quatuor mundi partes. — Ad corpus humanum.

148. *Quinque*, ad quinque libros Moysis. — Ad quinque hominum sensus.

149. *Sex*, ad dies sex in quibus Dominus omnem condidit creaturam. — Omne præsens sæculum. — Ad operis perfectionem.

150. *Septem*, ad diem septimum in quo Dominus requievit. — Ad requiem futuram sanctorum. — Ad septiformem gratiam Spiritus sancti. — Ad plenitudinem omnium sanctorum. — Ad septiforme Ecclesiæ sacramentum. — Legis præfiguratio. — Omne præsens tempus. — Ad plenitudinem peccati. — Ad perfectionem flagellorum Dei.

151. *Septem* et *octo*, legis et Evangelii figuratio. — *Octo*, quietis et resurrectionis sacramentum. — Ad diem dominicam.

152. *Novem*, ad sacramentum quod hora Dominus nona emisit Spiritum. — Ad novem angelorum ordines. — Ad omnium malorum plenitudinem.

153. *Decem*, ad decalogum. — Ad perfectionem operis et plenitudinem sanctorum.

154. *Undecim*, ad transgressionem legis vel peccatorum figuram.

155. *Duodecim*, ad omnium sanctorum sacramentum.

156. *Tredecim*, ad legis plenitudinem et fidem Trinitatis.

157. *Quatuordecim*, ad sacramentum dominicæ generationis. — Ad præsens tempus vel futurum.

158. *Quindecim*, legis et Evangelii, quietis et resurrectionis mysterium.

159. *Sexdecim*, ad numerum sexdecim prophetarum.

160. *Septem* et *decem*, ad numerum omnium perfectorum.

161. *Viginti*, ad perfectionem operis quod per charitatem operatur.

162. *Viginti duo*, ad sacramentum divinorum voluminum.

163. *Viginti quatuor*, XXIV librorum veteris testamenti figura. — Ad patres V. et N. testamenti.

164. *Viginti quinque*, ad quinque sensus corporis.

165. *Viginti octo*, ad Evangelii et legis mysterium.

166. *Triginta*, ad fructum fidelium conjugatorum.

167. *Triginta duo*, ad mysterium ætatis qua Dominus in carne conversatus est.

168. *Quadraginta*, legis et Evangelii sacramentum. — Ad quadragesimæ sacramentum. — Ad resurrectionis sacramentum. — Omne præsens sæculum.

in Evang., etc. — 124. *Hora*, tempus gratiæ, apostolus : « Hora est jam nos de s. s [Rom. XIII, 11]. » — 140. *Anni*, brevitas vitæ. In psalmo : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur [LXXXIX, 9]. » *Annus* septimus, vel futura quies et libertas. — *Tempus*, prosperitas temporalis. In Numeris dicunt Josue et Caleb, explorata terra promissionis : « Abscessit tempus ab eis, Dominus autem in nobis est [Numer. XIV, 9, juxta veter. interpret.]. »

V. In C, distinctio a præcedentibus nulla neque ullus titulus aut lemmatis spatium. Totum caput omisit H et in horum loco ad calcem posuit libellum *De numeris* Isidorianum, quem in medium proferendi occasio forte nobis erit. Capitula paulo infra dantur in fine recensionis Adami. Pauca quæ exstant in A *de Numerorum mysteriis*, ad calcem quasi parergon rejiciuntur.

169. *Quadraginta duo*, ad numerum in eremo mansionum.
170. *Quinquaginta*, ad Pentecostem vel adventum Spiritus sancti. — Ad spem et indulgentiam peccatorum.
171. *Sexaginta*, omnium perfectorum sacramentum. — Ad fructum viduis sive continentibus debitum.
172. *Septuaginta duo*, ad numerum presbyterorum Moysis vel discipulorum quos Dominus elegit.
173. *Septuaginta quinque*, ad numerum animarum quæ in Ægyptum descendisse narrantur.
174. *Octoginta*, ad quorumdam christianorum animos.
175. *Centum*, ad martyrum fructum sive virginum.
176. *Centum quinquaginta tres*, omnium electorum sacramentum.
177. *Trecenti*, ad numerum perfectorum.
178. *Quingenti*, ad quinque ætates mundi.
179. *Mille*, ad retributionis beatitudinem.
180. *Mille ducenti*, apostolorum figura.
181. *Septem millia*, ad omnium electorum sacramentum.
182. *Sexcenta millia quingenti quinquaginta*, ad sacramentum filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto.
183. *Decem millia*, ad decalogum.
184. *Centum quadraginta quatuor millia*, ad sacramentum electorum ex Judæis. — Ad sacramentum omnium virginum.

VI.

DE MUNDO ET PARTIBUS EJUS.

185. *Mundus*, præsens orbis terrarum, de quo in psalmo : « Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et qui habitant in eo. » — Hominum genus : « Et mundus eum non cognovit. »
186. *Terra*, homo ipse. — *Arida*, caro. — Caro Christi. — Ecclesia. — Carnalis potentia. —
187. *Terra deserta*, populus Judæorum, sive omnes peccatores. — *Desertum*, populus gentium.
188. *Oriens*, D. J. C. — Populus Judæorum, sive illuminatio fidei.
189. *Occidens*, populus gentium.
190. *Aquilo*, idem populus. — Diabolus.
191. *Auster*, Ecclesia quæ ex Judæis.
192. *Pulvis*, peccatores.
193. *Lutum*, medicinæ cœlestis glutinum. — Peccatoris glutinum. — Adulatio deceptoris.
194. *Mons*, Salvator. — Ecclesia. — Sacra Scriptura. — Populus Judæorum. — Apostoli. — Divites et potestates. — Diabolus. — Dogma hæreticorum. — Dæmones vel hæretici. — *Montes duo*, duo testamenta. — *Fundamenta montium*, spes superborum.
195. *Colles*, sancti, sed minores merito.
196. *Rupes*, superbia.
197. *Spelunca*, corda hominum, vel caro. — *Antrum*, peccator. — *Speluncæ*, corda peccatorum.
198. *Vallis*, mundus. — Contritiones cordis humiles. — Hæretici, vel Judæi. — Infernus.
199. *Campus*, mundus. — Sancti sive Scripturæ divinæ. — Et in aliam partem.
200. *Petra*, Christus. — Firmamentum fidei. — Testimonia Scripturarum.
201. *Lapis*, Christus. — *Lapides*, sancti. — Ordo præpositorum. — Populus Judæorum. — Gentium. — Obduratio diaboli vel peccatoris.
202. *Lapides pretiosi*, sancti angeli. — Apostoli vel omnes sancti.
203, 204. *Jaspis et sardius*, duorum judiciorum Dei figura. — *Jaspis*, testimonia scripturarum.
205. *Sapphirus*, spes regni cœlorum.
206. *Margarita*, D. J. C.
207. *Acervus lapidum*, congregatio fidelium populorum in unam fidem. — Collectio reproborum.
208. *Sal*, condimentum sapientiæ. — *Sal infatuatum*, Judæorum scientia.
209. *Salsugo*, cordis compunctio. — Infidelitas Judæorum vel ariditas mentis.

VI. Cf. not. ad III. Omisit H dist. 188, 195, 196, 206, 211, 212, 214 ad 225, 227, 230 ad 234. Exsulare jussit in alia loca 208, 209, 213. — 185. Describimus C ex integro, ea quippe desunt editioni nostræ. Respicitur Ps. XXIII, 1, et Joan. I, 10. — 185. In H : *Mundus*, amatores mundi. Deinde : *Mundus*, electi de mundo. Apostolus : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi [II Cor. V, 19]. » *Mundus*, ornatus virtutum interior. In Evangelio : « In mundo erat et mundus per ipsum f. e. [Jo. I, 10]. » *Mundus*, ornatus exterior. In Esther : « Dedit ei mundum muliebrem [II, 3, 9]. » *Mundus*, homo qui minor mundus ; hinc græce μικρόκοσμος dicitur. In Evangelio : « Non enim misit Deus Filium suum in mundum [Joan III, 17]. » — 186. Ad loc. 4 ita C laudat psalmum : « Domine, a paucis de terra dispertire eos [XVI, 14] B, C, D, E duas interpretationes *De Ecclesia* et *De vita futura* in unam conflarunt, quas distinguit H : *Terra*, vita futura. In psalmo : « Credo videre bona Domini in terra viventium [Ps. XXVI, 13]. » In Deuteronomio : « Oculi Jacob in terra frumenti [XXXIII, 28]. » *Terra*, Maria. In Genesi : « Non erat homo qui operaretur terram ; et formatus est homo de terra rudi [II, 5]. » *Terra*, desiderium terrenum. Salomon : « Oculi stultorum in finibus terræ [Prov. XVII, 24], » quia tota intentione ad finem terreni desiderii pergunt. — 193. *Medicinam cœlestem* in C intellige ut exponit H *Lutum*, incarnatio Christi. In Evangelio : « Lutum fecit et linivit oculos

210. *Iger*, hic mundus. — Ecclesia. — Sacra Scriptura. — Populus Judæorum.
211. *Cultura*, sancti qui excoluntur.
212. *Sulci*, corda fidelium.
213. *Semen*, divina prædicatio. — Hæreticorum prædicatio.
214. *Agricola*, Deus. — *Agricolæ*, apostoli.
215. *Coloni*, sancti.
216. *Aratrum*, crux Christi, sive prædicationis officium, vel inchoatio bonorum operum.
217. *Arare*, prædicationis officium exercere.
218. *Seminare*, prædicationis sermonem in corda fidelium spargere.
219. *Messis*, ubertas fidelium. — Sermo prædicationis.
220. *Operarii*, apostoli vel prædicatores. — Hæretici.
221. *Falx*, mors.
222. *Manipuli*, fructus justitiæ. — [Injustitiæ.]
223. *Spicæ*, initia fidei vel bonorum operum.
224. *Stipula*, aridi ad fidem vel inanes.
225. *Acervi*, collectio fidelium, sive sanctorum perfecta prædicatio.
226. *Area*, Ecclesia. — Præsens mundus.
227. *Ventilabrum*, examen justitiæ.
228. *Triticum*, sancti, vel electi Dei.
229. *Frumentum*, corpus Christi, sive evangelicus sermo. — *Granum frumenti*, Christus. — *Frumentum*, prædicationis sermo.
230. *Horreum*, regnum cœlorum.
231. *Hordeum*, legis littera.
232. *Paleæ*, peccatores.
233. *Zizania*, scandala, vel male viventes.
234. *Cribrum*, separatio fidelium.
235. *Molæ duæ*, duo testamenta legis. — Spes et formido. — Circuitus vitæ.
236. *Farina*, multitudo fidelium. — Opus bonum.
237. *Panis*, Christus vel sermo ejus. — Fides. — Charitas. — *Panes* XII, plenitudo omnium sanctorum. — *Panes* XII *supra mensam propositionis*, XII apostoli. — *Panis*, dogma hæreticorum.
238. *Azyma*, sinceritas mentis.
239. *Similago*, fidelium multitudo.
240. *Subcinericius*, humilitatis oblatio.
241. *Fermentum*, fides. — Corruptio mentis.
242. *Clibanus*, combustio sempiterna. — Tribulatio vitæ præsentis.

VII.

243. *Vinea*, Ecclesia. — Plebs judaica. — Fidelium plebes. — Bonorum opera. — Et in aliam partem.
244. *Vitis*, Christus.
245. *Palmites*, sancti. — [Mali.]
246. *Uvæ*, fructus justitiæ. — Et in aliam partem.
247. *Botrus*, Ecclesia, sive corpus Domini.
248. *Vindemia*, consummatio sæculi vel vindicta.
249. *Torcular*, altare. — Futura tribulatio.
250. *Lacus*, infernum.
251. *Maceria*, divina protectio. — Crux Christi.
252. *Lacuna*, corda hominum.
253. *Vinum*, sanguis Christi. — Gratia Spiritus sancti. — Sermo divinus, sive compunctio cordis. — Judicium divinum. — Sacra doctrina. — Opera luxuriæ.
254. *Ebrietas*, sobrietas mentis.
255. *Sobrietas*, temperantia.
256. *Acetum*, asperitas corruptæ mentis.
257. *Sicera*, peccati dulcedo.
258. *Calix*, passio Domini. — Sacra Scriptura. — Supplicia peccatorum. — Tribulatio vitæ præsentis.
259. *Phialæ*, doctores. — Ira divina.
260. *Merum*, sinceritas judicii et veritatis vel calor fidei.
261. *Fæx*, ultimum judicium.
262. *Cibus*, sermo vel voluntas Domini.
263. *Potus*, idem.
264. *Promtuaria*, cordis receptacula.
265. *Pera*, victus solitudinis.
266. *Modius*, corpus humanum, vel legis littera, vel populus Judæorum.
267. *Oliva*, Christus et Ecclesia.
268. *Oleaster*, homo sine fructu, vel gentilis.
269. *Oleum*, gratia Spiritus sancti. — Opera mise-

cæci [Joan. IX, 11]. » — 257. Extra locum proprium H addit : *Panis doloris*. In psalmo : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes [XLI, 4]. » *Panis*, Ecclesia. Apostolus : « Multi unus panis sumus [I Cor. X, 17]. » *Subcinericius Eliæ, Abrahæ*, caro Christi.

VII. Distinctionis signum ob spatium in codice vacuum apposui. Desunt in H dist. 248, 250, 251, 252, 254, 255, 262 ad 265, 277, 279, 281, 289 ad 301, 303, 304, 307, 310, 311. — 249. *Torcular*, crux. Isaias : « Torcular calcavi solus. » — 253. Ultima desunt in H; item et prima ad 259. — 258. Aliter H : *Calix*, felicitas transitoria. Propheta : « Calix aureus Babylon [Jer. LI, 7]. » *Calix*, passio transitoria. In psalmo : « Calicem s. a. [CXIV, 13]. » *Calix*, divinæ correctionis. In psalmo : « Calix in manu Domini [LXXIV, 9]. » *Calix*, dominici sanguinis. In psalmo : « Calix meus inebrians quam p. e. [XXII, 5] »—269. Ultima in C post 270 rejecta. H integrius habet : *Oleum*, sermo adulatorius. In psalmo : « Oleum peccatoris non impinguet caput meum [CXL, 5]. » *Oleum*, sermo deceptorius. Salomon : « Nitidius oleo guttur ejus [Prov. V, 3]. » Osee : « Oleum in Ægyptum ferebant [XII, 1]. » scilicet ad sæcularium mentes decipiendas. *Oleum*, fomentum consolationis. In Evangelio, Samaritanus vulneribus in-

ricordiæ.— Hilaritas mentis. — Testimonium conscientiæ bonæ. — Hæreticorum deceptio. — Fomentum blanditiæ.

270. *Unguentum*, nomen Salvatoris.— Gratia Spiritus sancti. — Chrismatis unctio.

271. *Utres*, vasa humani corporis.

272. *Ficus*, prisca lex. — Populus Judæorum. — Homo infructuosus. — *Folia ficus*, asperitas legis, vel prurigo nuptiarum.

273. *Sycomorus*, vana scientia. — Et in bonam partem.

274. *Mala punica*, Ecclesia, sive unitas fidei et pacis concordia.

275. *Mustum malogranatorum*, sanguis sanctorum martyrum.

276. *Nuces*, incarnatio Salvatoris, sive mysterium Trinitatis. — Canon veteris testamenti.

277. *Amygdalum*, Ecclesiæ primitiæ ex Judæis.

278. *Poma*, sancti sive sacra Scriptura. — Peccati dulcedo.

279. *Palma*, perfectio, vel victoria.

280. *Arbor*, homo.

281. *Ramus*, successio.

282. *Folium*, sermo doctrinæ.

283. *Radix*, origo. — Et in aliam partem.

284. *Paradisus*, sancta Ecclesia.

285. *Hortus*, internæ deliciæ paradisi. — Ecclesia. Populus Judæorum. — Hypocritarum simulata operatio.

286. *Areola*, Virgo Maria. — Corda sanctorum.

287. *Pigmenta*, virtutum odoramenta.

288. *Flos*, Christus. — Sancti. — Gloria sæculi hujus.

289. *Lilium*, Christus.

290. *Rosæ*, martyres.

291. *Violæ*, confessores.

292. *Aromata*, virtutum odoramenta.

293. *Myrrha*, mortificatio carnis.

294. *Thus*, virtus operationis, vel compunctio cordis.

295. *Gutta*, vis amoris Dei.

296. *Casia*, doctrina recta, sive opinio bonorum operum.

297. *Cyprus*, incorruptio.

298. *Nardus*, fortitudo.

299. *Crocus*, martyrium.

300. *Fistula*, prædicatio.

301. *Cinnamomum*, odor virtutum.

302. *Olus*, simplex prædicatio. — Minima operatio bona.

303, 304. *Cœpe* et *allia*, corruptio mentis, et uredo peccati.

305. *Arundo aurea*, incarnatio Salvatoris. — *Arundo*, homines infructuosi.

306. *Calamus*, regnum Judæorum. — Prædicatio sanctorum.

307. *Juncus*, fideles.

308. *Herba*, æterna paradisi viriditas. — Vita carnis. — Vita mortalium.

309. *Prata*, Scriptura divina.

310. *Fenum*, historia legis, sive commoda temporalia. — Peccatores.

311. *Hyssopus*, humilitas pœnitentiæ, sive baptismus.

VIII.

DE LIGNIS INFRUCTUOSIS.

312. *Ligna*, angeli. — Gentes. — Peccatores. — Christus. — Homo. — Testimonia Scripturarum. — *Lignum*, crux. — Peccata.

313. *Silvæ*, gentes. — Sacra Scriptura.

314. *Condensa*, opaca divinæ Scripturæ.

315. *Saltus*, populus Ecclesiæ. — Saltus agri. — *Meridiani*, populus Judæorum.

316. *Cedrus*, Christus, sive Ecclesia. — Prophetæ, sive apostoli.— Superbi, hæretici, philosophi, vel dæmones. — Divites fideles in Ecclesia.

317. *Cypressus*, Christus, vel Ecclesia.— Prophetæ, vel patriarchæ.

318. *Abietes*, viri spirituales.

319, 320. *Pinus* et *Buxus*, lenes in Ecclesia.

321. *Ulmus*, divites sæculi.

322. *Quercus*, sancti fide robusti.

323. *Terebinthus*, sancti.

324. *Salices*, fideles in Ecclesia. — Homines infructuosi.

325. *Populus*, virgulta.

326. *Platanus*, sancti.

327. *Ilex*, mysterium crucis Christi.

328. *Myrtus*, compassio fraternæ necessitatis. — Populus gentium.

329. *Spinæ*, sollicitudo sæculi. — Carnis stimuli. — Conscientia peccati.

fudit oleum et vinum H.— 271. *Utres*, vetus et novus homo. H. — 275. *Sycomorus*, arbor crucis, in Evangelio, etc. H. — 283. *Radix*, caritas, in psalmo, etc. H. — 308. *Herba*, moralis doctrina. Jeremias : « Defecerunt oculi eorum, eo quod non erat herba [XIX, 5].—309. *Pratum*, carmina [sic] infructuosa et delectabilia. Salomon : « Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra [Sap. II, 8]. » H.

VIII. Resecuit Adamus Præmonstr. distinct. 318 ad 323, 325 ad 328, 333 ad 336, 349, 350, 361 ad 368, 375, 379, 386, 394, 399, 402 ad 408, 411, 416, 417 ad 425, 427, 429 ad 444, 448 ad 463, 465 ad 469, 472, 475 ad 484, 486, 491 ad 499, 500 ad 505.—312. Finem alieno in loco ponit C, omisit H.

330. *Tribuli*, aculei vitiorum.
331. *Vepres*, obligatio peccatorum.
332. *Pulveres*, defensio peccati.
333. *Rumnus*,
334. *Ortica*, prurigo luxuriæ.
335. *Trabs*, peccatum majus.
336. *Testuca*, peccatum minus.
337. *Rubus*, sanctæ Mariæ Virginis præfiguratio.
338. *Virga*, divinæ potestatis insigna. — Virgo Maria. — Populus fidelis. — Correptio divina. — *Virgæ duæ*, plebs Judæorum et gentium.
339. *Sepes*, fides.

IX.

DE VARIIS HOMINUM APPELLATIONIBUS.

340. *Homo*, mens hominis vel homo totus. — Christus. — Carnalis conversatio. — *Homines*, rationabiles quique. — Peccatores.
341. *Filius hominis*, Christus. — *Filii hominum*, fideles.
342-346. *Vir*, rationabilis sensus. — *Mulier*, anima et caro. — *Filii*, opera ab utrisque genita. — *Vir*, Christus. — *Mulier*, Ecclesia. *Vir* et *uxor*, Christus et Ecclesia. — *Filii*, fideles, spiritualiter renati. — *Filiæ*, animæ sanctorum. — Et in malam partem. — *Viri*, apostoli vel prædicatores. — *Mulieres*, animæ fidelium, sed infirmæ. — *Viri* et *mulieres*, fortes et infirmi. — *Mulier* vel *uxor*, sapientia. — *Filii*, virtutes sanctorum. — *Mulieres septem*, septiforme Ecclesiæ sacramentum.
347. *Parvuli*, sancti spiritu humiles. — Cogitationes pravæ.
348. *Filia*, anima fidelis, sive Ecclesia.
349. *Lactantes*, in Christo proficientes.
350. *Ablactatus*, Christus. — *Ablactati*, perfecti.
351. *Parvulus*, Christus.
352. *Puer*, Christus. — *Pueri*, sancti. — Et in aliam partem.
353. *Adolescentes*, fideles operibus proficientes.
354. *Adolescentia*, voluptas.
355. *Juvenes*, alacres in Deum. — Et in malam partem.
356. *Senes*, consummati in justitia. — Perfecte stulti. — *Juvenes* et *senes*, apostoli et prophetæ.
357. *Puer centum annorum*, peccator perfectus stultitia.
358. *Vir*, diabolus.
359. *Mulier*, urbs Babylonia. — *Mulieres duæ*, plebs judaica et hæretica. — *Mulier*, hæretica pravitas.
360. *Vir* et *uxor*, diabolus et urbs Babylonia.
361. *Filii*, reprobi omnes.
362. *Adulter*, Zabulus vel dæmones.
363. *Fornicaria*, carnalis propagatio. — Plebs judaica.
364. *Meretrix*, anima peccatrix.
365. *Lupanar*, conscientia hominis peccatoris. — Corpus.
366. *Prægnantes*, animæ fidelium. — Animæ peccatorum.
367. *Partens*, aure cordis, fidei verbo concipiens.
368. *Primogenitus*, Christus. — Populus Judæorum. — Primitiva hominum vita.
369. *Caput omnium sanctorum*, Christus. — *Caput*, mens hominis. — Inchoatio bonorum operum, sive ipsa hominis voluntas.
370. *Corpus*, opus bonum et malum.
371. *Ossa*, virtutes sanctorum.
372. *Carnes*, infirma operatio.
373. *Capilli*, virtutes. — Vitia.
374. *Oculi*, scientia cordis. — *Oculi duo*, activa et contemplativa vita.
375. *Aures*, obedientia in præceptis.
376. *Odoratus*, discretio boni et mali.
377. *Facies*, summa in mente declaratio.

— 333. Nudum nomen inest omnibus codd.

IX. Non inveniebam in H distinct. 341, 342, 343. Pleraque alio in ordine ponit, huc reducit quæ in dist. 358, 359 et 360, et addit : *Mulier*, stultus. Salomon : « Mulieres insensatæ [Sap. III, 12]. » *Mulier*, sapientia. In Evangelio : « Mulier miscuit fermentum f. s. t. [Matth. XIII, 33]. » Salomon : « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, et fruere vita cum uxore q. d. [Eccl. XI, 9].» *Mulier*, turpis delectatio. In Numeris præcipit Moyses mulieres captas, quæ noverunt virum, interfici. *Mulier*, caro. In Job : «Pavit enim sterilem [XXIV, 21].» — 347. *Parvulus*, humilis. In psalmo : « Custodiens parvulos Dominus [CXIV, 6]. » — 369. *Caput*, principium. In psalmo : « In capite libri scriptum est de me [XXXIX, 8]. » *Caput*, prima diaboli suggestio. In Genesi : « Ipsa conteret caput tuum [III, 15]. » *Caput*, ratio. In psalmo : « In verticem ipsius iniquitas ejus descendet [VII, 17]. » *Caput*, potestas. In psalmo : «Tu confregisti capita draconum in aquis [LXXIII, 13].» —371. *Ossa*, fortes in Ecclesia. In psalmo : «Dissipata sunt ossa nostra [XXI, 15]. » *Ossa*, interiora nostra : « Conturbata sunt omnia ossa mea. » *Os*, ratio. In psalmo : « Non est pax ossibus meis [XXXVII, 4]. » — 372. Huc bene reducit H distinct. 409 et 820, qui addit : *Carnes*, Christi, infirmi in Ecclesia. In psalmo : « Ut edant c. m. [XXVI, 2]. » — 373. *Capilli*, cogitationes. In Canticis : « Capilli tui sicut grex caprarum [VI, 4]. » *Capilli*, substantia terrena, in Evangelio Magdalena pedes Domini capillis tersit [Luc. XVII, 38]. Ultima eadem in A. — 374. Addit H : *Oculus*, miseratio. In psalmo : « Oculi ejus in pauperem respiciunt [X, 5]. » *Oculus*, ratio vel memoria vel intellectus. In psalmo : « Illumina oculos meos, etc. [XII, 4]. » *Oculi*, doctores sancti. In psalmo : « Defecerunt

378. *Os*, loquutio bona vel mala.
379. *Lingua*, doctrina recta vel prava.
380. *Dentes*, intellectus.
381. *Labia*, idem quod supra.
382. *Collum*, intelligentiæ decor. — Dogma hæreticorum.
383. *Humeri*, operatio vel pondus ejusdem operis.
384. *Manus*, virtus animæ, sive opus bonum. — Opus pravum.
385. *Cubitus*, unitas fidei, vel operis plenitudo. — *Cubiti duo*, duo charitatis præcepta.
386. *Palmus*, operationis sive contemplationis sacramentum.
387, 388. *Dextera*, operatio bona, vel intentio recta. — *Sinistra*, operatio prava. — *Dextera*, amicus, vel propinqui. — Prosperitas hujus mundi.—*Sinistra*, adversitas, vel vituperatio.
389. *Ubera*, sensus cordis.
390. *Venter*, cordis intima.
391. *Viscera*, effectus pietatis.
392. *Umbilicus*, appetitus concupiscentiæ.
393. *Lumbi*, fortitudo animi. — Luxuria carnis.
394. *Jecur*, ratio mentis.
395. *Renes*, interiora cordis.
396. *Vulva*, interiora animæ.— Ecclesiæ fides interior.
397. *Genua*, confessio humilitatis. — Virtus fidei. — Fortes in Ecclesia.
398. *Pedes*, cursus vitæ, vel stabilitas mentis aut fidei.
399. *Gressus*, profectus operum.
400. *Vestigia*, signa virtutum.
401. *Calcaneus*, supplantatio vitiorum. — Et in aliam partem.
402. *Stare*, fide consistere.
403. *Ambulare*, ad Dominum tendere.
404. *Sedere*, in Domino humiliter præsumere.
405. *Jacere*, aut vitiis aut tentationibus succumbere.
406. *Currere*, in operibus bonis properare.
407. *Ascensus*, profectus ad Dominum. — Superbiæ præsumtio.
408. *Descensus*, defectus in Domino.
409. *Caro*, homo exterior.
410. *Sanguis*, operatio carnalis. — *Caro* et *sanguis*, ingluvies atque luxuria.
411, 412. *Femur*, generis propago. — Caro hominis.
413, 414. *Pater*, Deus. — *Mater*, Ecclesia. — Cœlestis Jerusalem. — *Pater*, homo primus, Adam. — *Mater*, Synagoga Judæorum. — *Patres*, apostoli, sive prophetæ.— Et in malam partem. — *Filii*, populi fideles. — Hæreticorum discipuli. — *Pater*, mundus, sive diabolus. — *Mater*, Babylonia, sive carnalis generatio. — *Filii*, reprobi omnes.
415, 416. *Frater*, Christus. — *Soror*, Ecclesia. — *Fratres*, apostoli, sive omnes sancti.
417. *Amici*, apostoli, vel omnes sancti.
418. *Sodales*, apostoli.
419. *Vicini*, propinqui.
420. *Proximi*, hoc quod supra.
421. *Virgo*, Ecclesia. — *Virgines*, animæ sanctorum. — Animæ continentium.
422. *Lampades*, opera justitiæ.
423. *Sterilis*, Ecclesia ante Salvatoris adventum.
424. *Sponsus*, Christus.
425. *Sponsa*, Ecclesia.
426. *Nuptiæ*, copulatio Verbi divini. — Societas angelorum et hominum per D. C. facta.
427. *Thalamus*, uterus Virginis Mariæ. — *Thalami*, corda sanctorum.

oculi mei [LXVIII, 14]. » *Oculi fidei*, pœnitentia. Psalmus : Ad te levavi oculos meos [CXXII, 1]. » *Oculi intentionis*. In psalmo : « Oculi omnium in te sperant [CXLIV, 15]. » *Oculi diaboli*, pravi doctores. In Job : « Oculi ejus velut palpebræ diluculi [XLI, 9]. » *Oculi*, contemplatio mentis infirmæ. In Canticis : « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt [VI, 4], » quia incomprehensibilem comprehendere quæris. *Videre*, eligere. In Evangelio Dominus ad Nathanael : « Dum esses sub ficu vidi te [Joan. I, 48]. — 378. *Os*, cogitatio. In psalmo : « Delictum oris eorum, sermonum labiorum ipsorum [LVIII, 13] » H. — 380. *Dentes*, ordo discretionis. In Deuteronomio : « Dentes Moysis non sunt moti [XXXIV, 7]. » H. — 381. Hæc pauca etiam exciderunt in editione nostra. Sed his abunde supplebit H : *Labia*, pax Dei. Psalmus : « Propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras [XVI, 4]. » *Labia*, duo testamenta. In Canticis : « Favus distillans labia tua [IV, 11]. » *Labia*, prophetæ. In psalmo : « Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. [LXXXVIII, 25]. » *Labia*, præsentia humanitatis Christi. In psalmo : « Diffusa est gratia in labiis tuis [Ps. XLIV, 3]. » *Labia* cordis, in psalmo : « Et exsultaverunt labia mea, quum cantavero tibi [LXX, 23]. » — Deinde ibidem : *Barba*, opus virile. In Levitico Nazareus diebus observationis non radit barbas [XXI, 5]. — 387-388. Addit in fine H : *Dextera*, gaudium. In Evangelio : « Viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida [Marc. XVI, 5]. » — 390. Sequitur in H : *Cor*, cogitatio. In psalmo : « Innocens manibus et mundo corde. » *Cor*, Patris secretum, vel mens. In psalmo : « Eructavit cor meum verbum bonum [XLIV, 2]. » *Cor*, fides. In psalmo : « Transferentur montes in cor maris [XLV, 3], » id est in fidem gentium. *Cor*, mala cogitatio. In psalmo : « Defecit caro mea et cor meum [LXXII, 26]. » — 395. Addit H : *Renes*, carnalis delectatio. In psalmo : « Renes mei commutati sunt; » et : « Ure renes meos [LXXII, 11 ; XXV, 2]. » — 410. *Sanguis*, origo animæ. In Levitico jubetur sanguis hostiæ fundi... *Sanguis*, peccatum. Amos : « Sanguis sanguinem tetigit [Respicit Osee IV, 2]. » — 412. *Patres*, doctores et exemplares malorum. Zacharias ; « Patres nostri, ubi sunt [I, 5] ? » — 414. *Filius hominis*, Christus. *Filii hominum*, pertinentes ad Filium hominis. — *F. hominum*, imitatione. In psalmo : « Filii hominum, usque quo gravi corde [IV, 3] ? » *Filii*. In Ecclesia renati, in psalmo : « Qui habitare facit sterilem i. d. [CXII, 9]. » *Filii*, reprobi

428. *Osculum*, reconciliatio hominis in Dominum. — Et in malam partem.
429. *Risus*, gaudium sempiternum.
430. *Saltare*, totis viribus in Domino gaudere.
431, 432. *Canticum*, scientia. — *Psallere*, opus bonum exercere. — *Canticum* ad contemplativam, *psallere* ad activam.
433. *Jubilatio*, clamor spiritualis fervore expressior.
434. *Psalterium*, opera bona.
435. *Cythara*, pectus devotum.
436. *Psalterium X chordarum*, operatio decem præceptorum.
437. *Organum*, homo, sive corpus Dominicum. — Vana impiorum lætitia.
438. *Tympanum*, corpus attenuatum.
439. *Chorus*, concordia charitatis. — Et in aliam partem.
440. *Tuba*, vocis exaltatio in prædicatione divina, sive in laude Dei.
441. *Cymbala*, labia Dominum confitentia. — Dilectio Dei et proximi.
442. *Chordæ*, virtutes in corde sanctorum extentæ.
443. *Lyra*, exsultatio sanctorum.
444. *Vestimentum*, Ecclesiæ fides, sive virtutum varietates, vel nationum diversitas. — Christi corpus assumtum. — Sanctorum opera. — Opera iniquitatis. — Caro hominis. — Simulatio hypocritarum.
445. *Stolæ*, indumentum baptismi vel fides.
446. *Vestis nuptialis*, fides vel charitas.
447. *Vestimentum lineum*, virtus animæ, sive munditia charitatis.
448. *Linum*, fides Ecclesiæ, vel spiritualis intellectus. — Occulta malitia.
449. *Lana*, fides Ecclesiæ. — Falsa simplicitas.
450. *Vellus*, populus Judæorum.
451. *Chlamys*, laudis ornatus.
452. *Cingulum*, spiritualis operis accinctus.
453. *Balteus*, accinctura virtutum.
454. *Purpura*, martyrii species.
455. *Coccus*, charitatis ardor.
456. *Byssus*, castitatis candor.
457. *Ornamenta*, virtutum varietas.
458. *Inauris*, obedientia, sive intellectus in Scriptura rectus.
459. *Torques*, prædicationis decus.
460. *Armillæ*, decus operis vel virtus.
461. *Dextralia*, recta operatio.
462. *Annulus*, fidei signaculum. — Obsignatio sacræ legis.
463. *Specula*, præcepta divina.
464. *Calceamenta*, præparatio pacis. — Opera mortalitatis, vel exempla pravorum hominum.
465. *Polymitum*, varia virtutum charismata.
466. *Stragulum*, virtutum diversitas, vel gentium in Ecclesia varietas.
467. *Tapetia*, variæ philosophorum et hæreticorum sectæ.
468. *Pelles*, signum mortalitatis. — *Pelles hyacinthinæ*, vel *rubricatæ*, mortificatio sanctorum ob spem regni cœlorum, sive Ecclesiæ protectio Christi cruore decorata.
469. *Pulvilli*, hoc est cervicalia capitis, adulatio sacerdotum peccatoribus adhibita.
470, 471. *Rex*, Deus. — *Regina*, Ecclesia. — *Reges*, apostoli. — *Reginæ*, animæ perfectorum.
472. *Concubinæ*, animæ quorumdam christianorum.
473. *Adolescentulæ*, animæ reproborum.
474. *Reges*, pravi doctores.
475, 476. *Servi*, sancti. — *Ancillæ*, animæ sanctorum. — Apostoli. — Animæ peccatorum. — *Servus*, Christus. — Doctor fidelis. — Homo peccator.
477. *Inimicus*, diabolus. — Judæi.
478. *Adversarius*, sermo divinus. — Diabolus.
479. *Crudelis*, diabolus.
480. *Alieni*, dæmones.
481. *Extranei*, dæmones.
482, *Judex*, Deus. — *Judices*, apostoli.
483. *Testes*, apostoli. — *Testis*, Christus. — *Testes falsi*, Judæi.
484. *Judicium*, discretio boni ac mali. — Separatio bonorum a societate malorum. — Damnatio futura. — Injusta reprehensio. — Confessio pœnitentis. — Falsa præsumtio.
485. *Chirographum*, conscriptio hominis peccatoris. — *Cautio*, agnitio peccatorum.
486. *Princeps*, Christus. — *Principes*, sancti. — *Duces*, impii.
487. *Dux*, D. J. C. — Sancti prædicatores. — Judæi.
488. *Fortis*, Dominus. — *Fortes*, sancti. — Diabolus.
489. *Dives*, Deus. — *Divites*, sancti. — *Dives*, populus Judæorum. — *Divites*, superbi hujus mundi.
490. *Pauper*, Christus. — *Pauperes*, sancti. — Divites sæculi. — *Inops*, populus gentium.
491. *Divitiæ*, virtutes animæ, sive sermo sapientiæ. — Et in aliam partem pro hæretico.
492. *Pecunia*, verba divina.
493. *Sacculus*, thesaurizatio in Deum. — Congregatio avaritiæ.

omnes : « Præparate filios ejus occisioni [Is. XIV, 21]. » — 446. *Vestis*, pompa sæcularis, vel peccatum ignorantiæ. In Canticis : « Tulerunt pallium meum [V, 7]. » *Vestis*, impedimentum sæculare. In Canticis : « Exspoliavi me tunica mea : quomodo induam eam [Cant. V, 5] ? » — 486. Addit H : *Principes*, angeli. In psalmo : « Principes Juda, duces eorum [Psalm. LXVII, 28]. »

494. *Statera*, æquitas, vel divinæ gubernationis potentia.
495. *Negotiatores*, apostoli.
496. *Cathedra*, doctrina. — Doctrina legis Moysis. — In malam partem, hæreticorum doctrina.
497. *Scabellum*, humiliatorum subjectio.
498. *Rex*, diabolus.
499. *Princeps*, diabolus, sive Antichristus.
500. *Judex*, idem.
501. *Mendax*, idem.
502. *Homicida*, idem.
503. *Adulter*, idem.
504. *Fur*, idem.

X.

DE VARIIS ÆDIFICATIONUM VOCABULIS.

505. *Civitas Dei*, Ecclesia, vel animæ. — *Civitates*, Judæi.
506, 507. *Cives*, fideles.
508, 509. *Murus*, Dominus et Salvator. — *Antemurale*, patriarchæ vel prophetæ. — *Muri*, munimenta Scripturarum, vel prophetæ, aut sancti.
510. *Turris*, Salvator. — Scriptura divina. — *Propugnacula*, testimonia Scripturarum. — *Turris*, Ecclesia. — *Turres*, apostoli, vel perfecti.
511. *Maceria*, lex, vel angelorum custodia.
512. *Porta*, Christus, vel fides. — Uterus Virginis. — Canon veteris testamenti, sive Scripturæ sacræ. — Corda hominum.
513. *Plateæ*, beatitudo dilatata sanctorum.
514. *Fundamentum*, Christus, vel fides, sive apostolorum prædicatio.
515, 516. *Seræ*, repagula adversus impios.
517-520. *Via*, Christus. — Vita præsens. — Libri legis. — *Semitæ*, præcepta divina. — *Via spatiosa*, vitiorum illecebræ. — *Arcta*, tribulationibus pressa. — *Directa*, præceptis Dei ordinata. — *Plana*, obedientia. — *Aspera*, inobedientia.
521. *Civitas*, canon veteris testamenti. — *Babylonia*, res publica. — *Turris*, superbia Zabuli. — *Turres*, corda reproborum. — *Murus*, duritia peccatorum. — *Civitas*, infernum. — *Portæ inferni*, hæretici, vel opera iniquitatis. — *Murus*, exclusio hominum a paradiso. — *Civitates*, corpora, vel corda impiorum.
522. *Suburbana*, populus [Judæorum].
523. *Templum, in civitate*, fideles in Ecclesia. — Corpus Salvatoris.
524. *Gradus*, spiritualis ascensus. — *Eburnei*, antiquorum patrum exempla.
525. *Villa*, mundialis conversatio. — *Villæ*, plebes fidelium.
526. *Domus*, caro Salvatoris, vel sancta Ecclesia. — Corda fidelium, vel corpora.
527-529. *Cœnaculum*, altitudo meritorum, vel scientiæ.
530. *Ostium*, Christus. — *Introitus*, ingressus per fidem. — *Egressus*, per dissolutionem carnis ad contemplationem divinam. — *Ostium*, cogitatio mentis, sive aditus cordis.
531. *Paries*, corpus Salvatoris. — Structura bonorum operum. — Simulatio.
532. *Fenestra*, auditus fidei. — Sensus carnis. — cogitatio cordis.
533. *Pictura in pariete*, cogitationes pravæ in corde. — Corpus hominis.
534. *Tectum*, intentio cœlestis operationis. — Corpus hominis. — Velamen legis.

—497. Post hanc dist. addit H : *Sedes*, regni potestas. In psalmo : « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. [XLIV, 7]. » *Sedes*, sancti in quibus nunc requiescit Deus. In psalmo : « Quia illic sederunt sedes in judicio [CXXI, 5]. » *Sedes*, magisterii vel judicii potestas. In psalmo : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam [CXXX, 1]. » *Sedes*, iniqui. In psalmo : « Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis [XCIII, 20]. » *Sedes Dei*, cœlum, id est angelici spiritus ; unde : « Cœlum mihi sedes est [Is. LXVI, 1]. »

X. In illa sectione non pauciora desunt in H ; videlicet dist. 516, 508, 510, 513 ad 517, 522, 532, 533, 537 ad 545, 545 ad 565, 569 ad 601, 615 ad 633, 638, 639, 654, 655. — 505. Add. idem : *Civitas*, cœlestis Jerusalem. In Apocalypsi : « Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo [XXI, 2]. » *Civitas*, vetus instrumentum. In Canticis : « Invenerunt me custodes civitatis [III, 3] » *Civitas diaboli*, perversa cogitatio, quæ separat a Deo. In Numeris ceperunt Filii Israel Hesebon, id est cogitationes, urbem præcipuam regis Seon, id est Elati [XXI, 26]. — 507. Fusior H : *Murus*, Ecclesia, glutino charitatis et vivis lapidibus compacta. In Canticis sponsa : « Ego murus, et ubera mea, sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens [VIII, 10]. » — 512. H ut A : *Porta mortis*, peccata. Psalmus : « Aperite mihi portas justitiæ [CXXII, 19]. » *Porta*, exitus per mortem carnis. Psalmus : « Non confundetur quum loquetur inimicis suis in porta [CXVII, 5]. » — 514. *Fundamentum*, charitas. Apostolus : « In charitate fundati et radicati [Eph. III, 17]. » *Fundamentum*, spes malorum. In psalmo : « Movebuntur omnia fundamenta terræ [LXXXI, 5]. » — 523. *Templum*, sanctorum cœtus. Apostolus : « Templum Dei sanctum, quod estis vos [I Cor. III, 17]. » *Templum*, corpora sanctorum. Apostolus : « An nescitis, etc. » — 526. *Domus*, corda reproborum. In Evangelio : « Revertar in domum meam [Matth. XII, 14]. » *Domus*, universitas reprobrorum. Salomon : « Ne forte labores tui sint in domo aliena [Prov. V, 10]. »

543. *Parimentum*, humilitas fidelium. — Afflictio animæ.
536. *Domus*, corda reproborum. — *Domus diaboli*, conventus omnium malorum.
537. *Ramosa*, corda reproborum.
538. *Scalæ*, sanctorum prolectus.
539. *Scopæ*, curæ superstitionis.
540. *Edificare*, bona opera facere, vel recte docere.
541. *Destruere*, mala opera exercere.
542. *Mundare*, a vitiis expurgare.
543. *Claves*, adapertio spiritualis. — Virtutes. — Apertio Scripturarum, vel potestas ligandi atque solvendi, seu jus introducendi ad vitam sive excludendi ad mortem.
544. *Tabernaculum Dei*, corpus Salvatoris. — Sancta Ecclesia.
545. *Columnæ tabernaculi*, doctores Ecclesiæ.
546. *Seræ columnis interjectæ*, concordia peregrinantium.
547. *Bases columnarum*, librilegis et prophetarum.
548. *Caput columnarum*, Christus.
549. *Cortinæ tabernaculi*, multitudo fidelium.
550. *Ansulæ cortinarum*, cœlestia præcepta.
551. *Saga silicina* XI, peccatorum forma.
552. *Sancta sanctorum*, cœlestis patria.
553. *Arca testamenti*, Ecclesia.
554. *Propitiatorium super arca*, Christus.
555. *Quatuor circuli aurei*, quatuor evangeliorum libri.
556. *Vectes*, fortes prædicatores.
557. *Urna aurea*, caro Salvatoris.
558. *Mensa*, D. J. C.
559. *Candelabrum*, corpus Domini, vel sancta Ecclesia.
560. *Septem lucernæ*, septiforme Ecclesiæ sacramentum.
561. *Limbus*, Ecclesiæ fides.
562. *Paxilli æræi*, patriarcharum et prophetarum sacramentum. — *Paxillus*, Dominus Jesus Christus. — Compunctionis stimulus.
563. *Circuli*, spirituales in Scriptura circuitus.
564. *Catenulæ*, testimonia Scripturarum.
565. *Vasa in tabernaculo*, fideles in Ecclesia.
566. *Ostium tabernaculi*, præsens vita.
567, 568. *Altare aureum*, ipsa divinitas. — *Altare*, corpus Salvatoris. — Sancta Ecclesia. — Pascua Scripturarum. — Corda sanctorum. — *Cornua altaris*, altitudo cœlestis patriæ. — *Altare æreum*, corda carnalium.
569. *Incensum*, orationes sanctorum.
570. *Sacrificium*, oblatio justitiæ.
571. *Holocaustum*, totus fidei accensus, sive carnis mortificatio.
572-582. *Hostia pacifica*, opus misericordiæ.
583. *Idipes pacificorum*, compunctio cordis, etc. [vid. t. III, p. 225].
584. *Sacerdos*, D. J. C. — *Sacerdotes*, sancti.
585. *Vestimenta sacerdotum*, opera justitiæ. — plebs fidelium.
586. *Tunica hyacinthina*, Christi Ecclesia.
587. *Superhumerale*, virtus operationis.
588. *Rationale*, doctrinæ declaratio.
589. *VII lapides* in rationali, fidem Trinitatis et Evangelicum sermonem atque XII apostolorum doctrinam in pectore sacerdotis semper inesse demonstrant.
590. *Poderis*, doctrina secretior.
591. *Tintinnabula aurea*, sermo prædicationis.
592. *Mala punica*, unitas fidei, et concordia civitatis.
593. *Lamina aurea*, crucis præfiguratio.
594. *Sancta sanctorum*, mysteria Dei, vel regna cœlorum.
595. *Sapientia*, Christus. — Doctrina cœlestis. — *Sapientia hujus mundi*, philosophia.
596. *Sapiens*, Deus. — *Sapientes*, sancti. — Philosophi, Judæi, vel hæretici.
597. *Stulti secundum sæculum*, sancti. — *Secundum Dominum*, sapientes hujus mundi.
598. *Languor*, vitiorum morbus.
599. *Infirmitas*, impossibilitas mentis.
600. *Febris*, carnalis cupiditas.
601-613. *Paralyticus*, anima vitiis dissoluta.
614. *Lepra*, doctrina hæreticorum vana, et falsa, vel Judæorum. — *Leprosi in capite*, hæretici, etc. [vid. t. III, p. 263].
615. *Profluvium seminis*, immoderata loquutio.
616. *Nocturna pollutio*, peccatorum occulta cogitatio.
617. *Mulier menstruata*, anima immundis cogitationibus polluta.
618-630. *Fluxus sanguinis*, profusio peccatorum.
631. *De debilitate membrorum*, etc. [t. III, p. 266].
632. *Medicus*, Christus.
633. *Resina*, cœlestis medicina.
634. *Lectum*, Ecclesia. — Quies spiritualis. — Illecebrosa hæreticorum deceptio. — Tribulatio vitæ præsentis.
635. *Somnus*, mors.
636. *Dormire*, quiescere apud Christum. — Ab operibus mundi in Domino quiescere.
637, 638. *Vigilare*, cordis custodiam adhibere. —

— 544. *Tabernaculum*, corpus humanum. Apostolus : « Velox est depositio tabernaculi mei [II Petr. I, 14]. » *Tabernaculum*, mens. In Job : « Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, » scilicet quum mandata Dei tacitus cogitarem [XXXIX, 16]. — 635. *Somnus*, quies contemplationis. In Canticis : « Ne excitetis dilectam, donec ipsa velit [II, 7; III, 5]. » *Somnus*, post mortem quies apud Deum. In psalmo : « In pace in idipsum dormiam [IV, 9]. » *Somnus*, mors animæ. Apostolus : « Surge qui dormis [Eph. V, 14]. » *Somnus*, quies a mundi actionibus. In Canticis : « Ego dormio et cor meum vigilat [V, 2]. »

Oculos cordis ad supernam lucem contemplandam apertos habere.

639. *Vivi*, justi. — *Mortui*, reprobi omnes. — *Mortui mundo*, justi. — *Mortui Domino*, peccatores.

640. *Vigilare*, a mortuis resurgere.

641. *Sepulcrum*, memoria mortis et resurrectionis Domini. — Corpus peccatis subditum, sive simulatores. — Hæreticorum prædicatio.

642-652. *Fossa*, damnatio peccatorum. — Diaboli, vel Antichristi. — *Fovea*, dolus. — Hæretica deceptio.

653. *Caput omnium malorum*, diabolus, etc.

654. *Dormire Zabuli*, in corde reproborum requiescere.

655. *Pascere Zabuli*, in peccatis delectare.

XI.

656. *Aurum*, Deus. — Spiritualis sensus. — Ecclesiæ fides. — Sancti. — Sapientia. — Reprobi.

657. *Electrum*, Christi divinitas carni conjuncta.

658. *Argentum*, divina Scriptura, sive historia legis. — Oris confessio, sive munditia castitatis. — Populus Judæorum. — Sermo prædicationis.

659. *Denarius*, beatitudinis retributio. — *Denarii duo*, duo præcepta charitatis.

660. *Dragma*, homo ad imaginem Dei factus.

661. *Talentum*, intelligentiæ donum. — *Duo talenta*, duo testamenta legis, sive intellectus et operatio. — *Quinque talenta*, quinque libri legis, vel quinque sensus. — *Decem millia talenta*, operatio decem præceptorum legis.

662. *Vitta aurea*, futura beatitudo.

663. *Circuli aurei*, spiritualis in Scriptura circuitus.

664. *Thesaurus*, Christus. — Corona sapientum.

665. *Gazophylacium*, corda sanctorum.

666. *Thesaurizatio*, boni operis repositio in Dominum.

667. *Ærugo*, avaritia.

668. *Crystallum*, baptismus. — Duritia peccatorum.

669. *Vitium*, donum baptismi.

670. *Lampades*, corda sanctorum.

671. *Æs*, Scripturæ divinæ. — Patientiæ fortitudo, vel sonus prædicationis. — Fortes Ecclesiæ. — Murmuratores.

672. *Aurichalcum*, apostoli, vel cæteri fortes.

673. *Stannum*, dissimulatio.

674. *Plumbum*, pondus peccati.

675. *Æs*, vanitas, vel inanitas fidei.

676. *Scoria*, populus Judæorum.

677. *Fornax*, calor tribulationis.

678. *Ferrum*, fortes in Ecclesia. — Tribulatio vitæ præsentis. — Acumen mentis. — Sermo increpationis. — Insidiæ inimici.

679. *Faber*, Deus. — *Fabri*, sancti prædicatores. — Regna gentium.

680. *Gladius*, vis amoris divini. — Testimonia Scripturarum. — *Gladii duo*, duo testamenta. — *Gladius*, hæreticorum prædicatio. — Seductio diaboli. — Damnatio sempiterna. — Judicium Dei. — Vindicta, vel sermo Domini.

681. *Romphæa*, idem.

682. *Machæra*, sermo dolosus.

683. *Framea*, ultio divina.

684. *Arcus*, evangelicus sermo. — Intuitio comminationis divinæ. — Hæreticorum dogma. — Insidiæ diaboli.

685. *Sagitta*, D. J. C. — Præcepta divina. — Insidiæ inimici. — Inspirationes diaboli.

686. *Funda*, Ecclesia.

687. *Scutum*, protectio divina. — Fides. — Obduratio cordis, vel peccati defensio.

688. *Clypei*, testimonia divinæ Scripturæ.

689. *Lorica*, opera justitiæ.

690. *Galea*, spes salutis.

691. *Arma*, protectio divina et adjutorium ejus in sanctos. — Opera justitiæ. — Opera peccati.

692. *Bella*, certamen adversus nequitias spirituales.

693. *Pax*, Christus. — Carnis atque spiritus concordia.

694. *Victoria*, de diabolo triumphus.

695. *Bravium consummatorum*, præmium meritorum.

— 637. *Vigilare*, inquiete agere. *Vigilare*, bonis operibus studere. — 641. Addit H : *Sepulcrum*, infernus. In Evangelio : « Dives sepultus est in inferno [Luc. XVI, 22]. »

XI. Deest titulus in C, neque dum cæteri fere omnes legunt : *De Metallis*. Eo tantum loco H in eumdem prope rerum ordinem qualis est in C, incidit : nam exponit continuo *sepulcrum, fossam, speluncam*, deinde *aurum*. Quæ interponuntur in C de *diabolo*, dist. 645-655, procul dubio interpolantur. Jam desiderantur in H distinct. 657, 559 ad 670, 672 ad 677, 681, 686, 689 ad 724. — 680. Addit H : *Gladius*, sermo dolosus. In psalmo : « Lingua eorum gladius acutus [LVI, 5]. » Eadem A. — 684. *Arcus*, Salvator. In Genesi : « Apparebit arcus meus in nubibus [IX, 13], » quia a sanctis patribus prædictus est et præfiguratus. *Arcus*, dies judicii. Psalmus : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus [LIX, 6]. » *Arcus*, Scriptura sacra. In Job : « Arcus meus in manu mea instaurabitur [XXIX, 20]. » — 685. *Sagittæ*, prophetæ et apostoli. In psalmo : « Misit sagittas suas, et dissipavit eos [XVII, 15]. »

696. *Coronæ*, æternæ gloriæ merces.
697. *Cœtus*, conventus Ecclesiæ. — Ecclesiæ protectio, vel fidelium erga suos custodia.
698. *Munitiones*, virtutum defensio.
699. *Agger*, cumulus tentationum.
700. *Iactus*, tentationum stimuli, vel persecutionis impetus.
701. *Malleus*, diabolus. — Flagella peccatorum. — Tribulatio futura. — Comminationes divinæ adversus peccatores.
702. *Incus*, obduratio diaboli.
703. *Forcipes*, utrumque instrumentum legis.
704. *Securis*, sæculi hujus tribulatio.
705. *Asciæ*, peccatorum persecutio.
706. *Bipennis*, gemina afflictio.
707. *Uncinus*, supplicium peccatorum. — *Uncini*, divina testimonia.
708. *Clavi*, sanctorum prædicatio.
709. *Falces*, idem. — Succisio carnis per mortem, vel ipsa divinitas circumplectens omnia atque dijudicans.
710. *Pomerve* et *ligones*, prædicationes.
711. *Sarculus*, idem.
712. *Arare*, vel *fodere*, prædicationis opus exercere.
713. *Circulus*, circuminspectio sanctorum.
714. *Annulla*, circumplectens genus humanum misericordia divina.
715. *Cophinus*, tribulatio vitæ præsentis. — xii apostoli.
716. *Stercus*, sacrificia Judæorum. — Recordatio peccatorum. — Peccata luxuriæ. — Odor terrimus peccatorum.
717. *Funis*, fides Trinitatis. — Populi fideles. — Prolongatio peccatorum.
718. *Ignis*, Deus. — Charitas. — Tribulatio vitæ præsentis. — Ira Dei. — Voluntas peccandi. Cupiditas sæculi. — Iracundia cordis.
719. *Carbones*, charitatis ignis. — Corda hominum. — Corda reproborum.
720. *Fumus*, initia compunctionis futuræ. — Vanitas, vel tentatio diaboli. — Superbia, sive hominum vanitas.
721. *Cinis*, peccatores. — Similitudo pœnitentiæ.
722. *Olla*, generis prosapia. — Damnatio sempiterna. — Plebs judaica. — Præsens mundus, vel quælibet anima peccatrix.
723. *Sartago*, tribulatio vitæ præsentis. — Zelus rectitudinis.
724. *Mortariola*, martyrum in passione labor.

XII.

DE AVIBUS.

725-727. *Aves*, sancti. — Dæmones. — *Volucres*. — angeli. — Dæmones. — Homines superbi. — *Volatilia*, apostoli. — *Aris*, Salvator. — Plebs judaica. — Diabolus.
728. *Volatus*, sanctorum ad Dominum ascensus.
729. *Alæ duæ*, duo testamenta. — *Sex*, prædicatio divina in hoc mundo. — *Duæ*, duo præcepta charitatis, sive duo prophetæ in secundo adventu.
730. *Pennæ*, Scripturæ divinæ. — Animæ sanctorum, vel virtutes eorum.
731. *Nidus*, Ecclesia, aut requies excelsa. — Bona conscientia.
732. *Ovum*, fides. — Hæreticorum discipuli aut prædicatio.
733. *Pulli*, sancti. — Dæmones.
734. *Aquila*, Dominus. — Divinitas Filii Dei. — *Aquilæ*, sancti. — *Pulli aquilæ*, fideles in Ecclesia. — *Aquila*, diabolus, vel Antichristus. — Gens impia.
735. *Accipiter*, sanctus regnum Dei rapiens. — Et in aliam partem.
736. *Herodius*, sanctus.
737. *Vultur*, populus Judæorum. — Peccator.
738. *Struthio*, hæreticus, vel philosophus.
739. *Pelicanus*, D. C. in passione.
740. *Nycticorax*, Christus, vel vir sanctus.
741. *Milvi*, rapaces.
742. *Corvus*, Christus in sanctis. — Sanctus prædicator. — Nigredo peccati. — Peccatoris tarditas ad pœnitentiam. — Diabolus, vel dæmones.
743. *Perdix*, diabolus.
744. *Noctua*, homines veritatis lucem fugientes.
745. *Cygnus*, cervicis alta superbia.
746. *Bubo*, tenebris peccatorum deditus.
747. *Vespertiliones*, idolorum monstra.
748. *Mergus*, homo luxuriosus.
749. *Gallus*, Christus, vel apostoli. — Sacerdotium Judæorum.
750-752. *Gallina*, sapientia, sive Ecclesia, vel anima fidelis.
753. *Columba*, Deus. — Spiritus sanctus. — *Duæ pennæ columbæ*, duo testamenta legis. — *Columba*, Ecclesia. — Apostoli. — Judæa. — Simplicitas mentis. — *Duo pulli columbarum*, duplex pœnitentium lamentum.
754. *Turtur*, Spiritus sanctus aut intelligentia spi-

XII. Hic demum uberior recensio Pictavensis : tantum enim ex hoc lemmate censor iste neglexit distinct. 726, 738 ad 740, 742 ad 747, 751, 755, 760 ad 762. — 729. Addit H : *Alæ*, quibus volant Cherubim, amor et spes ; quibus reguntur, timor et pœnitentia. — 730. *Nidus*, Synagoga. In Deuteronomio : « Si ambulaveris per viam et in arbore vel in terra nidum avis inveneris [xxii, 6]. » *Nidus*, tranquilla quies fidei. Job : « In nidulo meo moriar [xxix, 18.] » Psalmus : « Et turtur nidum [lxxxiii, 6]. » — 751 *Pulli*, virtutes. In psalmo : « Turtur nidum, ubi ponat pullos suos. » — 737. H et A simul : *Vultur*, Christus, i

ritualis. — Caro Christi. — Castitatis indicium.

755. *Passeres*, Christus. — *Passeres*, Sancti. — Et in aliam partem.

756. *Fulica*, Salvator.

757. *Coturnices*, legis historia.

758. *Apis*, forma virginitatis. — Et in aliam partem.

759. *Locusta*, Christus. — Populus gentium. — Dæmones. — Superbia, vel mentis vagatio.

760. *Bruchus*, ingluvies ventris.

761. *Rubigo*, iracundia cordis.

762. *Eruca*, prurigo luxuriæ.

763. *Musca*, diabolus, vel dæmones.

764. *Ciniphes*, hæretici.

765. *Scarabæus*, peccator, vel unus ex latronibus.

XIII.

766. *Jamenta*, fideles. — Intellectu et eloquio carentes. — Homines luxuriosi. — Corpus Salvatoris.

767. *Equus*, Corpus Domini. — *E. albus*, sermo prædicatoris, vel baptismi figura. — *E. niger*, pœnitentia. — *E. rufus*, bella et effusi sanguinis aut martyrum cruor. — *E. pallidus*, pestilentia, sive Antichristus. — *E. albi*, corpora sanctorum. — *Equi*, apostoli. — Martyres. — Peccatores luxuriosi. — Carnalis potentia. — Præsens sæculum.

768. *Currus Dei*, quadriga evangelistarum.

769. *Mulus*, irrationabilis quisque.

770. *Camelus*, populus gentium. — D. C. — Amor sæculi.

771, 772. *Asinus*, corpus humanum et populus gentium. — Homo stultus. — *Asina*, Synagoga. — *Primogenita asini*, exordia vitæ luxuriosæ.

773. *Boves*, apostoli. — Populus Judæorum. — Diabolus. — Homo deceptus.

774. *Taurus*, Christus. — *Tauri*, prophetæ. — Potestates sæculi. — Hæretici.

775. *Vitulus*, Christus. — *Vituli*, sancti Judæi lascivientes.

776. *Vacca*, caro Christi. — Plebs judaica credens in Christo. — Eadem lasciviens. — Fidelis in Ecclesia. — Carnalibus vitiis pleni. — Divites sæculi.

777. *Cornu*, Christi regnum. — *Cornua septem*, potestas Christi. — Trophæum crucis Christi. — Superbia diaboli. — Regnum sæculi hujus. — Superbia.

778. *Tubæ*, sanctorum prædicatio. — *Tubæ duæ*, veteris et novi testamenti prædicatio.

779. *Ubera*, quatuor evangeliorum doctrina.

780. *Lac*, prisca lex. — Simplex doctrina. — Apostolorum doctrina Ecclesiæ parvulos nutriens. — Mentis sinceritas. — Et in aliam partem.

781. *Coagulatum*, charitate concretum.

782. *Caseus*, sensus spiritualis.

783. *Butyrum*, evangelicus sermo. — Fructus Ecclesiæ.

784. *Mel*, dulcedo præceptorum Dei. — Dulcedo Salvatoris Dei. — Dulcedo peccati.

785. *Favus mellis*, caro Salvatoris divinitatis dulcedine plena. — Scriptura divina. — Illecebrosa hæreticorum deceptio.

786. *Aries*, Christus. — *Arietes*, apostoli, vel ecclesiarum principes. — Principes pravi.

787. *Hirci*, peccatores. — Gentiles. — *Duo hirci*, uterque populus, Judæorum et gentiles.

788. *Oves*, populus fidelis. — *Ovis*, Christus. — Vita activa. — *Oves duæ*, populus gentium. — Et in malam partem.

789. *Pecora*, simpliciores quique. — Peccatores.

790. *Grex*, fidelium congregatio. — Peccatorum oblatio.

791. *Agnus*, Christus. — *Agni*, sancti — Homines lascivientes.

792. *Agna*, vita activa.

793. *Septem agni* et *septem agnæ*, sanctorum omnium plenitudo, vel operis innocentiæ mysterium.

794. *Fœtus gemelli*, duo charitatis præcepta.

795. *Capræ*, justi. — *Capra*, caro Salvatoris. — Peccatores, sive gentiles,

796. *Hœdus*, peccatorum forma. — *Hædus*, Christus. — Antichristus.

797. *Duo hinnuli capræ*, duo populi.

798. *Ovile ovium*, Ecclesia.

799. *Pastor*, Christus. — *Pastores*, apostoli, vel cæteri principes ecclesiarum. — Sacerdotes improbi. — *Pastor*, Antichristus.

Job de Judæa : « Nec intuitus est eam oculus vulturis [XXVIII, 7]. »—758. *Locusta*, gentilis. In Ecclesiaste : « Et impinguabitur locusta [XII, 5]. »

XIII. Vide an huc reduci oporteat titulum distinctionis seq. Sub eo quoque lemmate epitoma Pictavensis minus parce veteres codices Melitonianos excerpsit. Omisit tamen dist. 768, 769, 798 ad 802, 811 ad 813, 817 ad 857. — H addit ad 769 : *Cameli*, peccatores. In Judicum : « Cameli eorum sicut locustæ in multitudine [VI, 5]. » — 774. *Tauri*, principes Judæorum. In psalmo : « Tauri pingues obsederunt me [XXI, 13] H. » — 777. *Cornua septem*, tempestas, ibidem ; sed lege : potestas.—780. *Lac*, peccati delectatio. In Exodo : « Non coques hædum in lacte matris suæ [Deuter. XIV, 21] H. »—790. *Grex*, peccatorum collegium H. Corr. C.

800. *Custos*, Dominus. — *Custodes*, apostoli, vel cæteri prædicatores.
801. *Mercenarii*, sacerdotes improbi. — Populus Judæorum.
802. *Inquilinus*, hæreticus.
804. *Fur*, diabolus.
804. *Latrones*, dæmones. — *Fures* et *latrones*, hæretici, vel Judæorum doctores. — *Fur*, dies Domini.
805. *Pecta*, exitus per mortem carnis.
806. *Cervi*, patriarchæ. — Apostoli. — Viri spirituales.
807. *Cerva*, caro Domini.
808. *Hinnulus*, Christus.
809. *Dama*, idem.
810. *Cervæ*, apostoli.
811. *Ibices*, sancti.
812. *Lepus*, timens Deum.
813. *Herinacius*, peccator.
814. *Onager*, monachus. — Arrogans quisque. — *Onagri*, principes Judæorum.
815. *Aper*, diabolus.
816. *Sues*, hæretici. — *Porci*, immundi et luxuriosi. — *Sues*, pœnitentes negligentes. — *Porci*, immundi spiritus. — *Sus*, peccator.
817. *Porcina*, peccata.
818. *Jus carnium*, cogitationes sordidæ.
819-823. *Animalia quæ ruminant*, sancti. *Quæ ungulam findunt*, etc. [vid. t. III, p. 1, 2].
824. *Sacpus*, animæ origo. — Opera carnis. — Peccatum.
825. *Adeps*, pinguedo gratiæ. — Compunctio cordis. — Spiritualis gratiæ intellectus. — Crassitudo malitiæ.
826. *Crassitudo*, duritia cordis.
827. *Arvina*, hoc quod supra.
828. *Medullæ*, cogitationes sanctæ.
829. *Caro*, sacramentum corporis Domini. — *Carnes*, historiæ legis.
830. *Panis*, D. J. C., vel evangelicus sermo.
831. *Comedere*, divina verba sumere spiritualiter.
832. *Coquere*, verbum Dei in corde meditari.
833, 834. *Fames* et *egestas*, adeptio verbi divini.
835. *Sitis*, hoc quod supra.
836. *Ignis*, in sacris eloquiis intellectus bonus vel malus.
837. *Torris* et *Titio*, humanum genus. — *Titiones duæ*, potestates sæculi hujus atque hæretici.

XIV.

DE BESTIIS ET CÆTERIS ANIMALIBUS.

838-840. *Leo*, Dominus. — *Catulus leonis*, Christus Dominus. — *Læna*, Ecclesia. — *Catuli lænæ*, apostoli. — *Leones*, præpositi Ecclesiæ. — Potestates sæculi. — *Leo*, diabolus. — *Catuli leonum*, dæmones, sive pravi homines.
841. *Cubile leonum*, præsens mundus. — Corda reproborum.
842. *Cubilia draconum*, corda impiorum.
843. *Rhinoceron*, Christus D. — Fortis quisque.
844. *Monoceron*, Christus.
845. *Unicornis*, superbi, vel unum habentes testamentum.
846. *Pardus*, diabolus, vel peccator. — Antichristus.
847. *Elephas*, peccator immanis.
848. *Ursus*, diabolus.
849. *Tigris Femina*, arrogantia.
850. *Lupus*, diabolus. — Populus Judæorum. — *Lupi*, hæretici.
851. *Vulpes*, diabolus vel dæmones. — Hæretici. — Peccatores callidi.
852. *Canes*, apostoli. — *Muti*, sacerdotes improbi. — Judæi. — Populus gentium. — Hæretici. — Homo peccator. — Homines rixosi.
853. *Catelli*, fideles ex gentibus.
854. *Venator*, Christus. — *Venatores*, apostoli. — *Venator*, diabolus. — *Venatores*, dæmones, vel homines pravi.
855. *Lamia*, diabolus. — Hæretici, vel quilibet hypocritæ.
856-857. *Onocentauri*. — *Pilosi*, dæmones.
858. *Mustela*, furti figura.
859. *Talpa*, hæretici.
860. *Vermis*, Christus. — Cupiditas sæculi, vel peccati conscientia.
861. *Aranea*, humana fragilitas.
862. *Ranæ*, dæmones. — Hæretici.
863. *Formica*, providus operarius.
864. *Serpentes*, diabolus, vel homines impii. — *Serpens*, Christus.
865. *Draco*, diabolus.
866. *Leviathan*, idem.
867. *Coluber*, idem.
868. *Regulus*, idem.
869. *Aspis*, duritia cordis peccatorum.
870. *Aspis* et *basiliscus*, peccatum et mors.
871. *Cerastes*, Antichristus.
872. *Vipera*, diabolus, vel ministri ejus.
873. *Scorpius*, idem.
874. *Lacerta*, vitæ incerta varietas.
875. *Sanguisugæ*, diabolus.

XIV. Solent codices sedulo quæ sequuntur a præcedentibus secernere, quod tamen neglexerunt A et H. | In hoc vero non habentur dist. 841, 842, 847, 848, 849, 856 ad 859, 861 ad 865, 866 ad 876. — 858. *Leo*,

XV.

876. *Aquæ*, angeli. — Gentes. — D. J. C. — Donum Spiritus sancti. — Fluenta divinæ prædicationis. — Sanctorum obscura prædicatio. — Baptismus. — Effusio lacrymarum. — Charitas. — Persequutiones. — Tentationes diaboli. — Baptismata hæreticorum. — Multiplicatio peccatorum. — Dogma hæreticorum. — Immoderata loquutio. — Luxuria carnis.

877. *Abyssus*, profunditas Scripturarum. — Ineffabilia judicia Dei. — Aquæ immensitas. — Corda hominum. — Damnatio peccatorum. Infernus.

878. *Mare*, præsens sæculum. — Scriptura divina. —Populus gentium.— *M. orientale*, populus Judæorum.— *M. novissimum*, populus gentium. — Baptismus.— *M. desertum*, præsens mundus. — *Cor maris*, hominum corda. — Judæa. — *Profundum maris*, corda hominum. — Sempiterna damnatio. — *Lingua maris Ægypti*, philosophia hujus mundi.

879. *Littus maris*, finis mundi.

880. *Fluctus*, tentationes.

881. *Unda*, idem.

882. *Insulæ*, Ecclesia, vel anima. — Plebs Judæa.

883. *Navis*, Ecclesia, vel anima. — *Naves*, Ecclesiæ fidelium. — Et in malam partem.

884. *Arena maris innumera*, gentium multitudines, sive reprobi omnes.

885. *Piscatores*, apostoli, vel cæteri prædicatores. — Et in malam partem.

886. *Sagena*, Ecclesiæ fides, vel prædicatio.

887. *Retia*, deceptio diaboli.

888. *Pisces*, sancti. — Reprobi. — *Piscis*, D. J. C. — *Pisces duo*, duo testamenta legis, vel duo charitatis præcepta, sive duæ personæ, regia et sacerdotalis.

889. *Hamus*, divinitas Filii Dei. — In malam partem.

890. *Flumina*, prædicatio sanctorum. — Gratia Spiritus sancti et redundatio sapientiæ.— Infidelium populi. — Actiones sæculi hujus.— Impetus persequutionis. — *Flumen*, philosophia hujus mundi.— Inundatio Spiritus sancti. — Baptismus. — Humanum genus.

891. *Rivi*, prædicatio sanctorum.

892. *Fons*, Salvator. — Baptismus. — *Fontes*, sancti prædicatores. — Hæretici. — Origo generis humani.

893. *Stagna*, philosophia hujus mundi.

894. *Lacunæ*, hæretici.

895. *Torrens*, mortis origo.—Doctrina sanctorum. — Tentationis impetus.

896. *Cisterna*, hæretici, vel prava intelligentia.

897. *Lacus*, dolor, vel lapsus in morte.—Infernus.

898. *Puteus*, Salvator, vel evangelicus sermo. — Fluenta spiritualis intelligentiæ. — Infernus, vel diabolus. — Libri legis et prophetarum.

899. *Amphora*, diabolus.

900. *Situla*, caro Christi.

901. *Hydria*, caro hominum.—Carnalis cupiditas.

902. *Rota*, circuitus vitæ præsentis. — Præsens mundus.

903. *Figulus*, Salvator.

904. *Spongia cava*, infidelitas Judæorum.

905 *Fel*, amaritudo malitiæ.

906. *Pix*, inquinamentum et nigredo dilectorum.

populus Judæorum, in psalmo ; « Sicut leo rapiens et rugiens [An respectu ad I Petr. v, 8?]. »

XV. Vacat spatium in C, majorque littera textum orditur, quibus solent capitula designari. Hic vero satis integre cæteros codd. H refert, prætermissis dist. 882, 887, 900, 901, 904, 905, 906. — Ad 876 addit H : *Aqua*, cruciatus inferni. In Job de divite : « Apprehendet eum quasi aqua inopia [XXVII, 20]. » *Aqua*, electorum corda. In Job : « Et aquas appendit in mensura [XXVIII, 25]. » Alibi : « Beati qui seminatis super omnes aquas [Is. XXXII, 20]. » *Aqua*, angelica et humana natura. In Genesi : « Fiat firmamentum in medio aquarum [I, 8], » id est Scriptura sacra. *Aquæ*, ignorantiæ profundum. Job : « Ecce gigantes gemunt sub aquis [XXVI, 5], » quia apostata spiritus ignorantiæ abyssus premitur. H plerumque cum A consentit.— 879. Addit H : *Semitæ maris*, actiones hujus sæculi. In psalmo : « Qui perambulant semitas maris [VIII, 9].» — 893. *Fontes*, vetus et novum testamentum. Isaias : « In Ecclesiis benedicite Deo, fontes aquarum [Ps. LVII, 27]. »—907. Huc usque continuus codicis Theodulfi textus, quem ibi omnino consistere Grabiani apographi scriptor persuasum habuit. Sed alibi disjecta esse magna ex parte ultima capita, ut vel hunc textum in editione nostra maxime sequuti fuerimus, dixi in t. III p. 380 sqq. Disserui præterea in Prolegomenis tum hujusce tomi, quum proxime sequentis [v. p. XXXVIII] quis antiquior videretur ordo rerum, quisve potior et exactior. — Indiculum proxime sequentem fere integrum ex it Adamus Præmonstratensis, a quo acceptum, paulo tamen locupletiorem, edidi ex eodem cod. Pictavensi 70 supra memorato.

II.

INDICULUS BREVIORIS RECENSIONIS

CURA, UT VIDETUR, ADAMI PRÆMONSTRATENSIS EXACTÆ.

De mundo.
De oriente.
De occidente.
De aquilone.
De austro.
De cœlo.
De spiritu.
De angelis.
De luminaribus.
De sole.
De luna.
De stellis.
De astris.
De lucifero.
De pleiadibus.
De arcturo.
De nube.
De nebula.
De caligine.
De ventis.
De austro.
De africo.
De aquilone.
De pluvia.
De nive.
De pruina.
De glacie.
De tempestate.
De luce.
De lucerna.
De umbra.
De die.
De matutino.
De aurora.
De mane.
De meridie.
De vespere.
De hodie.
De cras.
De die una.
De diebus duobus.
De diebus tribus.
De hora.
De nocte.
De vere.
De anno.
De tempore.
De terra.
De deserto.
De campo.
De agro.
De monte.
De valle.
De pulvere.

De luto.
De petra.
De lapidibus.
De acervo lapidum.
De lignis.
De arbore.
De radice.
De folio.
De virga.
De ramis.
De flore.
De nuce.
De pomis.
De malis punicis.
De vinea.
De uva.
De botro.
De torculari.
De vino.
De musto.
De mero.
De aceto.
De sicera.
De fæce.
De calice.
De utre.
De oleo.
De unguento.
De igne.
De ficu.
De sycomoro.
De cedro.
De cypresso.
De salicibus.
De spinis.
De vepribus.
De paliuro.
De rubo.
De silvis.
De condensis.
De saltu.
De sale.
De salsugine.
De area.
De areola.
De messe.
De semine.
De tritico.
De frumento.
De molis.
De farina.
De similagine.
De pane.
De azymo.

De subcinericio.
De pane.
De fermento.
De clibano.
De aquis.
De abysso.
De mari.
De corde maris.
De profundo maris.
De lingua maris.
De fluctu maris.
De semita maris.
De flumnibus.
De rivis.
De fonte.
De stagno.
De lacuna.
De lacu.
De torrente.
De cisterna.
De puteo.
De hydria.
De rota.
De pice.
De pisce.
De insulis.
De littore maris.
De nave.
De piscatoribus.
De sagena.
De retibus.
De hamo.
De domo.
De cœnaculo.
De tabernaculo.
De pariete.
De tecto.
De pavimento.
De altari.
De templo.
De thalamo.
De lecto.
De nuptiis.
De osculo.
De civitate.
De muro.
De turre.
De porta.
De ostio.
De fundamento.
De maceria.
De horto.
De olere.
De prato.

De herbis.
De arundine.
De calamo.
De lacte.
De coagulo.
De caseo.
De butyro.
De melle.
De favo.
De venatoribus.
De cornu.
De canibus.
De catellis.
De leone.
De leæna.
De catulo leonis.
De rhinocerote.
De pardo.
De lupo.
De vulpe.
De lamia.
De cervo.
De cerva.
De hinnulo.
De onagro.
De apro.
De sue.
De porcis.
De jumentis.
De equo.
De camelo.
De asino.
De asina.
De bove.
De tauro.
De vitulo.
De vacca.
De pecoribus.
De grege.
De ariete.
De hirco.
De ovibus.
De agnis.
De agna.
De fetibus gemellis.
De capris.
De hædo.
De avibus.
De pennis.
De alis.
De nido.
De ovo.
De pullis.
De aquila.

De accipitre.
De vulture.
De struthione.
De corvo.
De gallo.
De gallina.
De columba.
De columbarum pullis.
De turture.
De passere.
De locusta.
De api.
De musca.
De ciniphe.
De scarabæo.
De verme.
De serpente.
De capite.
De capillis.
De oculo.
De palpebris.
De odoratu.
De naribus.
De ore.
De facie.
De vultu.
De labiis.
De barba.
De dentibus.
De aure.
De faucibus.
De genis.
De lingua.
De collo.
De humero.
De brachio.
De cubito.
De manu.
De dextera.
De sinistra.
De uberibus.
De mamillis.
De utero.
De ventre.
De corde.
De umbilico.
De visceribus.
De lumbis.
De dorso.
De renibus.
De vulva.
De crure.
De femore.
De genibus.
De pedibus.
De vestigiis.
De calcaneo.
De cauda.
De ossibus.
De carne.
De sanguine.
De adipe.
De homine.
De viro.
De muliere.
De uxore.
De parvulo.
De puero.
De adolescente.
De juvene.
De sene.
De senecta.
De vestimento.
De calceamento.
De vigiliis.
De somno.
De prægnante.
De pariente.
De patre.
De matre.
De fratre.
De primogenito.
De filio.
De filia.
De rege.
De regina.
De principe.
De duce.
De forti.
De divite.
De divitiis.
De paupere.
De sede.
De cathedra.
De scabello.
De sepulcro.
De fossa.
De spelunca.
De antro.
De auro.
De argento.
De ære.
De ferro.
De fabro.
De armis.
De gladio.
De arcu.
De sagitta.
De scuto.
De clypeo.
De tuba.
De judicio.
De stare.
De sedere.
De ambulare.
De descensu.
De ascensu.
De ludo.
De lepra.
De regno cœlorum.
De Deo.

APPENDIX DE NUMERIS.

De unitate.
De binario.
De ternario.
De quaternario.
De quinario.
De senario.
De septenario.
De octonario.
De novenario.
De denario.
De XI.
De XII.
De XIII.
De XIV.
De XV.
De XVI.
De XVII.
De XVIII.
De XIX.
De XX.
De XXI.
De XXII.
De XXIII.
De XXIV.
De XXV.
De XXVI.
De XXVII.
De XXVIII.
De XXIX.
De XXX.
De XXXII.
De XL.
De XLII.
De L.
De LX.
De LXX.
De LXXII.
De LXXV.
De LXXX.
De C.
De CXX.
De CXLIV.
De CC.
De CCXXXII.
De CCC.
De D.
De M.
De MCC.
De MMM.
De IV$\overline{M}$.
De V$\overline{M}$.
De VII$\overline{M}$.
De XXX$\overline{M}$.
De LX$\overline{M}$.
De CCXLIV$\overline{M}$.

III.

ELENCHUS RECENSIONIS NOVISSIMÆ

AD FIDEM SEPTEM CODICUM, ET JUXTA ORDINEM COD. A.

Signo præmotantur lemmata quæ vel unus e septem codicibus omisit.

CAPUT I.

DE DEO.

[*Art.* I-XXXVI-1, *infra* p. 1-22.]

* Deus		Descensus	Domini.
Caput	Domini.	* Ascensus	—
Capilli	—	* Transitus	—
Oculi	—	* Gressus	—
* Palpebræ	—	Thronus	—
Odoratus	—	* Stare	—
Os	—	* Via	—
Lingua	—	Vestigia	—
Facies	—	Cognoscere	—
* Verbum	—	Nescire	—
Brachium	—	Recordare	—
Dextera	—	Pœnitere	—
* Alæ	—	Ira et furor	—
Scapulæ	—	Dormire	—
Manus	—	Vigilare	—
Digitus	—	Ambulare	—
* Sapientia	—	Scabellum	—
Uterus	—	* Tuba	—
* Pedes	—		

CAPUT II.

DE FILIO DEI SECUNDUM CARNEM.

[*Art.* I-XXVIII, *ibid.* p. 25-44.]

Caput	Christi.	* Mammillæ	Christi.
Corpus	—	Intestina	—
Membra	—	Venter	—
Capilli	—	Crura	—
Oculi	—	Pedes	—
Dentes	—	Carnes	—
* Fauces	—	Ossa	—
* Lingua	—	Vestes	—
* Labia	—	Tunica	—
Barba	—	Stola	—
Manus	—	Pallium	—
Digiti	—	Cingulum	—
Dextera	—	* Lumbare	—
Ubera	—	Calceamentum	—

CAPUT III.

DE SUPERNIS CREATURIS.

[*Art.* I-LIII, *ibid.* p. 46-118.]

Spiritus.	Firmamentum.
Cœlum.	Angelus.
Sol.	Nix.
Luna.	Iris.
Stella.	Ros.
Astra.	Tempestas.
Lucifer.	* Serenitas.
Vesper.	Dies.
Pleiades.	Hora.
Arcturus.	Aurora.
Nubes et nebula.	Matutinum.
Aer.	Lux.
Caligo.	Meridies.
Venti.	Vespere.
Auster.	Nox.
Aquilo.	Tenebræ.
Oriens.	Umbra.
Occidens.	Hodie.
Tonitruum.	Cras.
Coruscatio.	Tempora.
Fulmina.	Menses.
Grando.	Anni.
Glacies.	Ver.
Pruina.	Æstas.
Pluvia.	Autumnus.
Imber.	Hiems.

CAPUT IV.

DE MUNDO ET PARTIBUS EJUS.

[*Art.* LIII, *ibid.* p. 120-185.]

Terra.	Mare.
Pulvis.	Fluvius.
Ager.	Rivus.
Sulci.	Torrens.
Campi.	Fons.
Vallis.	Puteus.
Platea.	* Stagna.
Via.	Lacus.
Desertum.	Undæ.
Antrum.	Cisterna.
Lutum.	* Gurgites.
Stercus.	* Stillicidium.
Cophini.	* Canales.
* Glebæ.	Insulæ.
Mons.	Navis.
* Colles.	Arena.
* Rupes.	Sagena.
* Salsugo.	Piscatores.
Aquæ.	* Retia.
Abyssus.	Piscis.

Nolim id sibi lector animo concipiat ea expungenda esse quibus præfulget asteriscus ; immo vero prudens existimet aut eadem in sex codicibus exstare, uno tantum deficiente, quod fit in primis capitibus usque ad IX; aut bene multa facile omissa quod communiora olim essent et ubivis trita, cujusmodi esse reor pleraque in capitulo X stellulis distincta, quæ unus A omisit; alia denique obsoleta excidisse, prout vetustiora, quales fuisse non illibenter putem, ad caput XI, veteres in mosaicæ legis ritus allegorias.

Hamus.
Lacunæ.
Amphora.
*Situla.
Hydriæ.
Rota.
Figulus.
Ignis.
*Scintillæ.
Lampas.
Fumus.
Carbones.
Cinis.

CAPUT V.

DE VARIIS HOMINUM APPELLATIONIBUS.

[*Art.* I-LXVI, *ibid.* p. 189-271.]

Homo.
*Anima.
Caput.
*Cervix.
*Vertex.
Capilli.
*Cincinni.
Oculus.
Palpebræ.
Nasus.
Os.
Lingua.
Dentes.
*Saliva.
*Maxillæ.
*Genæ.
Facies.
*Barba.
Collum.
*Aures.
Humerus.
*Scapulæ.
Brachium.
Cubitus.
Manus.
Dextera.
Sinistra.
Digitus.
*Dorsum.
Pellis.
Cutis.
Caro.
Sanguis.
Adeps.
Os.
Cartilago.
Medulla.
*Nervus.
*Pectus.
*Cor.
Ubera.
*Costæ.
Venter.
Uterus.
Intestina.
Viscera.
Umbilicus.
Lumbi.
*Renes.
Femur.
Genua.
*Crura.
Pedes.
Vestigia.
*Tali.
Calcaneus.
*Planta.
*Unguis.
*Ungula.
*Stare.
*Jacere.
*Sedere.
*Ambulare.
*Currere.
*Ascensus.
*Descensus.

CAPUT VI.

DE METALLIS ET ALIIS REBUS QUÆ EX EIS FIUNT.

[*Art.* I-LXVIII, *ibid.* p. 275-343.]

Aurum.
*Obrizum.
Denarius.
Dragma.
Talentum.
Electrum.
Argentum.
Pecunia.
Thesaurus.
Gazophylacium.
Æs.
*Aurichalcum.
*Ærugo.
Stannum.
Plumbum.
Ferrum.
Fornax.
*Scoria.
Fabri.
Arma.
Scutum.
Clypei.
Gladius.
Arcus.
*Pharetra.
Sagittæ.
Funda.
*Hasta.
*Jaculum
Lanceæ.
Galea.
Lorica.
*Thorax.
Securis.
Ascia.
*Bipennis.
Uncinus.
Forcipes.
Clavus.
Falces.
*Vomeres.
*Sarculus.
Malleus.
Incus.
*Bella.
*Pax.
*Victoria.
*Bravium.
*Corona.
*Castra.
Munitiones.
*Agger.
*Arietes.
Petra.
Lapis.
Lapides pretiosi.
Acervus lapidum.
Jaspis.
Sardius.
Sapphirus.
Sardonicus.
*Topazius.
Crystallum.
Vitrum.
*Adamas.
*Margarita.
Sal.
Salsugo.

CAPUT VII.

DE LIGNIS ET FLORIBUS.

[*Art.* I-CXIV, *ibid.* p. 347-467.]

Lignum.
Silva.
Arbor.
Cedrus.
Cypressus.
Platanus.
Abies.
Buxus.
*Pinus.
Quercus.
Terebinthus.
Salices.
Ilex.
Myrtus.
Sycomorus.
Spina.
*Vepres.
Tribuli.
Paliurus.
*Rhamnus.
Rubus.
Ficus.
*Mala.
Malogranata.
Poma.
Palma.
Nuces.
Amygdalum.
Oliva.
Oleum.
*Unguentum.
Radix.
*Baculus.
Virga.
Sepes.
Rami.
Frondes.
Cortex.
*Trabs.
Festuca.
Flos.
Paradisus.
Hortus.
Areola.
Aromata.
Prata.
Fenum.
Herba.
Lilium.
Myrrha.
Gutta.
*Cassia.
Cyprus.
Nardus.
Cinnamomum.
Fistula.
Crocus.
*Thus.
*Rosæ.
*Violæ.
Hyssopus.
Calamus.
Arundo.
Scirpus.
Juncus.
Urtica.
*Olus.
*Lactucæ.
*Sinapis.
Cœpe.
Allia.
Frumentum.
Hordeum.
*Messis.
Fruges.
*Spicæ.
Paleæ.
Stipulæ.
Culmus.
Cultura.
Semen.
Aratrum.
Arare.
Manipulus.
Acervus.
Zizania.

Area.
*Ventulabrum.
Horreum
*Molendinum.
Mola.
*Cribrum
Farina.
Similago.
Panis.
Azyma.
Fermentum.
Clibanus.
Vinea.
Vitis.
*Palmites.
Uva.
Botrus.
*Racemus.
Vindemia.
Torcular.
Maceria.
*Operarii.
*Agricola.
Vinum.
Acetum.
*Fæx.
Sicera.
Calix.

CAPUT VIII.

DE AVIBUS.

[*Art.* I-XXX, *ibid.* p. 470-519.]

Avis.
Volatus.
Alæ.
Nidus.
Ovum.
Pulli.
Aquila.
Columba.
Gallus.
Gallina.
Turtur.
Passeres.
Accipiter.
Herodius.
Fulica.
Milvus.
Corvus.
Cycnus.
Vultur.
Struthio.
Pelicanus.
Nycticorax.
*Bubo.
Vespertilio.
Coturnix.
*Perdix.
*Mergus.
Apis.
Locusta.

CAPUT IX.

DE BESTIIS ET CÆTERIS ANIMANTIBUS.

[*Art.* I-LXXXIV, t. III, p. 1-98.]

Animalia.
Jumentum.
Equus.
*Mulus.
Camelus.
Asinus.
Asina.
Boves.
Taurus.
Vitulus.
Vitula.
Vacca.
Cornu.
Aries.
Ovis.
Agnus.
Agna.
Hirci.
Caprea.
Hœdus.
Lac.
Caseus.
Butyrum.
Mel.
Favus.
*Cera.
Ovile.
*Pecora.
*Grex.
Pastor.
*Custos.
Mercenarius.
*Inquilinus.
Fur.
Aper.
Porci.
*Bestia.
Leo.
Leæna.
Catulus leonis.
Cubile leonum.
Rhinoceros.
*Monoceron.
Pardus.
Elephas.
Ursus.
Tigris.
Lupus.
Vulpes.
Onager.
Onocentauri.
Cervus.
Cerva.
Hinnulus.
Dama.
Ibices.
Herinaceus.
Lepus.
Canes
Venatores.
*Lamia.
Pilosi.
Mustela.
Talpa.
*Aranea.
*Reptilia.
Ranæ.
*Formica.
Vermis.
*Tinea.
*Behemoth.
Leviathan.
Serpens.
Draco.
Coluber.
Regulus.
Aspis.
Basiliscus.
Vipera.
*Cerastes.
*Scorpius.
*Lacerta.
Sanguisuga
Diabolus.

CAPUT X.

DE HOMINIBUS

[*Art.* I-LXIX, *ibid.* p. 102-167.]

Vir.
Mulier.
*Uxor.
*Vidua.
Filius.
Infans.
Parvulus.
Puer.
*Puella.
Adolescentes.
Senes.
Virgo.
*Sponsus.
Sponsa.
*Nuptiæ.
Thalamus.
*Adulter.
*Fornicaria.
*Meretrix.
*Lupanar.
*Prægnantes.
*Pariens.
*Sterilis.
*Pater.
*Mater.
*Frater.
Soror.
Primogenitus.
*Amici.
*Vicini.
*Proximi.
*Osculum.
*Risus.
*Saltare.
*Canticum.
*Psallere.
Jubilatio.
*Cithara.
*Chordæ.
*Organum.
*Tympanum.
Chorus.
Tuba Dei.
*Cymbala.
*Lyræ.
*Vestimentum.
Stola.
*Linum.
*Lana.
*Coccus.
*Byssus.
*Purpura.
Balteus.
Cingulum.
*Chlamys.
*Polymitum.
*Stragulum.
*Ornamenta.
*Inauris.
Torques.
*Armillæ.
*Dextralia.
*Discriminalia.
Annulus.
Circulus.
*Specula.
Calceamentum.
*Tapetia.
*Pulvilli.

CAPUT XI.

DE CIVITATE.

[*Art.* I-CXXVIII, *ibid.* p. 169-276.]

Civitas.
Murus.
Antemurale.
Maceria.
Turris.
*Propugnacula.
*Suburbana.
Villa.
Domus.
Cœnaculum.
Tabernaculum.
Templum.

Fundamentum.
Paries.
Pictura.
Tectum.
Pavimentum.
*Atrium.
*Vestibulum.
Porta.
Ostium.
*Limina.
*Superliminare.
Fenestræ.
*Gradus.
*Seræ.
*Clavis.
Columnæ.
Bases columnarum.
*Caput —
*Seræ.
Cortinæ.
Ansulæ cortinarum.
*Saga.
Circulus.
*Vectes.
*Vitta aurea.
*Funis.
Catenulæ.
*Armillæ.
*Sancta sanctorum.
Duo Cherubim.
Arca testamenti.
*Propitiatorium.
*Urna aurea.
*Mensa.
*Candelabrum.
Lucerna.
*Paxillus.
*Altare.
Vasa.
Mortariola.
Sartago.
Lagena.
Lacuna.
Phialæ.
*Cyathi.
Utres.
Olla.
*Incensum.
*Sacrificium.
*Holocaustum.
*Hostia.
*Sacerdos.
*Vestimenta sacerdotum.
*Ædificare.
*Destruere.
*Ruinosa.
*Mundare.
*Scopæ.
*Spongia.
*Fel.
Currus.
Rex.
*Regina.
*Consules.
Dux.
Princeps.
*Servus.
Ancillæ.
*Inimicus.
*Alieni.
*Cives.
*Judex.
Judicium.
*Chirographum.
*Cautio.
*Testes.
*Fortis.
*Dives.
*Divitiæ.
*Pauper.
*Sacculus.
*Pera.
*Modius.
*Statera.
*Negotiatores.
*Cathedra.
*Scabellum.
*Rex, diabolus, etc.
*Coquere.
*Torris.
*Fames.
*Sitis.
*Cibus.
*Potus.
*Ebrietas.
Sobrietas.
*Promtuaria.
*Scalæ.
Sapientia.
*Stulti.
*Languor.
*Febris.
*Paralyticus.
*Lepra.
*Medicus.
*Fluxus sanguinis.
*Debiles membris.
*Resina.
*Pix.
*Lectum.
*Somnus.
*Vigilare.
Vivi et mortui.
Fovea.
*Sepulcrum.

CAPUT XII.

DE NUMERIS.

[*Art.* I-XXVII, t. III, p. 282-289.]

Unitas.
Duo.
Tres.
Quatuor.
Quinarius.
Sex.
Septenarius.
Septem et octo.
Novem.
Decem.
*Undecim.
Duodecim.
*Tredecim.
Quatuordecim.
Quindecim.
*Sexdecim.
Septem et decem.
*Viginti.
— duo.
— quatuor.
— quinque.
— octo.
Triginta tres.
Quadragenarius.
Quadraginta duo.
*Quinquaginta.
Sexaginta.
*Septuaginta.
* — duo.
* — quinque.
Septuaginta et octoginta.
*Octoginta.
*Centum.
Centum quinquaginta tres.
Trecenti.
Quingenti.
Mille.
* — ducenti.
Septem millia.
Decem millia
*Sexcenta millia DL.
CXLIV millia.

CAPUT XIII.

DE NOMINIBUS.

[Ibidem, p. 290 ad finem.]

I. *De civitatibus et provinciis.*
II. *De fluminibus et piscinis.*
III. *De gentibus.*
IV. *De Deo et nominibus ejus.*
V. *De patribus V. T.*
VI. *Patriarcharum nomina.*
VII. *Variorum nomina.*
VIII. *Reges Juda.*
IX. *Reges Israel.*
X. *Prophetarum nomina.*
XI. *Apostolorum nomina.*
XII. *Canon Scripturæ.*

SIGLA

CODICUM PRÆCIPUORUM QUI IN HOC TOMO AD OPERA S. MELITONIS ADHIBENTUR.

CODICES GRÆCI.

A	Biblioth. Parisiens. imper.	1450.
B	—	1451.
Γ	—	1455.
Δ	—	1457.
E	—	1452.
Ϛ	—	1454.
Z	—	1455.
H	—	1456.
I	—	128.
K	—	129.
Λ	—	130.
M	—	161.

CODICES LATINI.

A	Codex Biblioth. Trecensis prior	510.
B	Codex Bodleianus, e Claromontano descriptus	Grab. IV.
C	Codex Mesmianus sive Theodulfi Biblia, in Bibl. Paris. imper. Supplem. lat.	687.
D	Codex Biblioth. Argentoratens.	195. A. 106.
E	Codex Biblioth. Trecensis posterior	827.
F	Codex Alcobacensis in Bibl. Ulissipon	XL.
G	Codex Parisiens. in Biblioth. imper.	2327.
H	Codex Biblioth. Pictavensis	70.
÷	Loci in uno codice A exstantes. Cs. *Prolegom.*	p. XXI.
÷	Loci qui in eodem codice desiderantur. Cs. ibid et infra	p. 2, n. 3.

[*Vide ad calcem tomi III locupletiorem indicem omnium codicum qui duobus tomis exigendis inservierunt.*]

SPICILEGIUM SOLESMENSE.

TOM. II.

S. MELITONIS CLAVIS

CUM VARIORUM COMMENTARIIS.

SPICILEGIUM

SOLESMENSE.

SANCTUS MELITO,

SARDENSIS EPISCOPUS.

MELITUS, ASIANUS EPISCOPUS, HUNC LIBRUM EDIDIT,

QUEM ET *CLAVIM* APPELLAVIT [1].

CAPUT I.

DE DEO [2].

I.

÷ Deus [3] dicitur aliquando nuncupative, aliquando essentialiter.

Essentialiter : « Ego sum Deus patris tui [4]. Quorum patres, et ex quibus Christus, qui est super omnia Deus [5]. »

Nuncupative : « Ecce constitui te deum Pharaonis [6]. Ego dixi : Dii estis [7]. Diis non detrahes [8], » id est sacerdotibus. « Deus stetit in synagoga deorum [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius Magnus [10]. Deus summus et conditor spiritus, qui essentialiter dicitur Deus; unde ad Moysen : « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. » — Deus nuncupative etiam vir sanctus dicitur; unde ad Moysen dictum est : « Ecce constitui te, etc. » Et ibi : « Ego dixi : Dii estis. »

Prævia siglorum interpretatio et librorum mss. descriptio paulo supra præmittuntur.

(1) *Appellavit.* Titulus deest in A, E, F, G. Eumdem litteris rubris D habet, quem videre est in tabella huic volumini præfixa, hisce constantem verbis : *Miletus, Asianus episcopus, hunc librum edidit, quem librum* clavorum *appellavit.* De cæteris vero codd. B, C in Bodleiano Grabii apographo legitur : « Ex mss. codice collegii Claromontani Parisiensis Soc. Jesu, collato cum eodem opere, ut jacet ad calcem Bibliorum Theodulfi Aurelianensis episcopi, quæ asservantur in bibliotheca Ill. D. de Mesmes, in senatu Parisiensi præsidis infulati. » Tum in summo margine Grabius sua scripsit manu : « In anterioris folii suprema parte codicis Jesuitarum hæc leguntur, eadem, qua codex integer, manu exarata : *Miletus, Asianus episcopus,*

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. I, p. 1.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. IV, n. 9, 10.

Rabanus [1]. Deus, essentialiter : « Ego sum, etc. » — Nuncupative, ubi : « Ego constitui te, etc. » — Loquens per seipsum : « Audiam quid loquatur in me Deus [2]. » — Per subjectam creaturam, ut : « Vidi Dominum facie ad faciem [3]. » — Per angelos, ubi : « Vocavit Dominus Deus Adam, et dixit ei [4]. » — Pro persona Patris, ut : « Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum [5]. » — Pro persona Filii, ut : « Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. » — Pro persona Spiritus sancti, ubi : « Non es mentitus hominibus, sed Deo [6]. » — Pro tota Trinitate, ubi : « Dominus Deus tuus, Deus unus est [7]. » — Judices, ubi : « Deus stetit in synagoga deorum. » — Prælati, ubi : « Diis non detrahes. »

Petrus Cantor Paris. [8] in *Summa* quæ dicitur Abel. Deus est nomine, vel natura sive essentia; unde in Exodo : « Audi, Israel; Deus tuus, Deus unus est. » — Nuncupative; unde : « Omnes dii gentium dæmonia [9]. » — Potestate, ut prælati et rectores ecclesiarum; unde : « Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. » — Item : « Constituam te, etc. » — Veneratione, ut vitia; unde : « Quorum Deus venter est [10]. » — Dii etiam vocantur angeli; unde in Genesi : « Dii ventos emittentes, everterunt turrim Babel [11]. »

Petrus Capuanus [12], in *Rosa alphabetica* ad litt. IV art. I. *Deus quinque modis in bono, uno in malo.* Deus, natura. Genesis : « In principio creavit Deus cœlum et terram [13]. » — Deus, adoptione. Psalmus : « Ego dixi, etc. » — Deus, potestate. Genesis : « Sic vidi faciem tuam quasi vultum Dei [14]; » id est alicujus potentissimi. — Deus, miraculorum operatione. Exodus : « Constitui te d. p. id est, potentem signa facere in terra ejus. » — Deus, prælatione : « Diis n. d. » — Deus, sola nuncupatione. Psalmus : « Non est similis tui in diis, Domine; et non est secundum opera tua [15]. » Jeremias : « Dii qui non noverunt cœlum et terram, pereant de terra [16]. »

Primus regit omnia. Sapientia : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter [17]. » Isaias : « Qui appendit tribus digitis molem terræ [18]. » Nonne regit omnia ipse qui dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt; et in cujus ditione cuncta sunt posita, et non est qui resistere possit voluntati ejus?

Secundus regit cordis secreta. Sapientia : « Cor regis in manu Dei est [19]. » Nonne

hunc librum edidit : quem et congruo nomine CLAVIM *appellavit.* » In exteriori vero margine : « *Melitonis, episcopi in Asia et martyris,* CLAVIS *sacræ Scripturæ.* Titulum hunc composuit Philippus Labbe, Soc. Jesu. » Hactenus Grabius, quem de verbo propemodum expressit Routhius in *Relig. sacr.* t. I, p. 132 ed. vet. Priorem titulum accepit Gallandius in *Bibl. vet. PP.* t. I, *Prol.* p. 119. Posterior vero Labbeanus M. Crusio (*Diss. epist.* p. 13) et Chr. Woog (*de Meliton. script.* p. 21) præplacuit. — (2) *De Deo.* Excidit titulus e codd. — (3) *Deus.* Artic. ille primus in uno codice nostro principe A reperitur; quem quidem e fontibus Gregorianis sic putem derivatum, ut multa ab annosa antiquitate referat. Operi enim Melitonis ab initio quædam de Deo præclare dicta præivisse, haud ægre persuasus erit, quisquis evolverit solemnia hujuscemodi proœmia, quæ adornant sive latinorum, sive græcorum [Cf. Ath., t. III, p. 192] expositiones de Dei et Christi nominibus. Cæterum obelo aut limnisco præfigendas ῥήσεις curavimus, quascumque non vidimus omnium codicum nostrorum auctoritate confirmatas. — (4) *Tui.* Exod. III, 6. — (5) *Deus.* Rom. IX, 5. — (6) *Pharaonis.* Exod. VII, 1. — (7) *Estis.* Ps. LXXXI, 6. — (8) *Detrahes.* Exod. XXII, 18. — (9) *Deorum.* Ps. LXXXI, 1. — (10) Gregorius M. Sunt enim excerpta Gregoriana, hactenus inedita, e codice Parisiensi 562, quæ concinunt cum *Gregoriano* Garnerii S. Victoris plus semel infra laudandi. Cf. *Proleg.* — (11) Rabanus diversus ab editis libris *Allegoriarum* et *de Universo;* vide *Proleg.* — (12) *Deus.* Ps. LXXXIV, 9. — (13) *Faciem.* Genes. XXXII, 30. — (14) *Ei.* Ib. III, 9. — (15) *Suum.* Act. III, 13. — (16) *Deo.* Act. V, 3. — (17) *Est.* Deuter. VI, 4, ex vers. antiqua. — (18) Petrus Cantor Parisiensis, cujus utraque Summa, tum una quæ dicitur *Abel,* tum altera de *Tropis Scripturæ sacræ* hisce commentariis frequenter inserenda est. — (19) *Dæmonia.* Ps. XCV, 5. — (20) *Est.* Phil. III, 19. — (21) *Babel.* Næ! locum hunc nequicquam quæsieris sive in Genesi, sive in toto corpore Scripturarum. Habes enim sibyllinum quoddam vaticinium, quod integrum tibi reponere placet : « Quum omnes mortales una lingua uterentur, quidam ex his altissimam turrim ædificavere, cœlum per eam cupientes scandere. *Dii vero turbines ventosque mittentes, evertere turrim,* et propriam atque diversam unicuique tribuere linguam. Unde urbem quoque appellari contigit *Babylonem.* » Dutripon *Concord. Bibl.* ad h. v. — (22) Petrus S. R. E. Card., Capuanus episcopus, de quo actum a nobis est in *Proleg.* — (23) *Terram.* Genes. I, 1. — (24) *Dei.* Genes. XXIII, 10. — (25) *Tua.* Ps. XXXIX, 6. — (26) *Terra.* Jerem. XI, 10. — (27) *Suaviter.* Sapient. VIII, 1. — (28) *Terræ.* Is. XL, 12. — (29) *Est.* Prov. XXI, 1.

sancti regunt cordis secreta, qui, secundum quod Petrus ait, sunt « genus electum, regale sacerdotium [1] ? » Propter quod regimen beatus Job ait : « Somno meo quiescerem, cum regibus et consulibus terræ [2]. »

Tertius regit familiam suam. Evangelium : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt [3]. » Paulus : « Omnis potestas a Domino Deo est; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit [4]. » Nonne potentes docet Paulus regere familiam suam, quum ait domui suæ bene præponi [5] ? Propter quod et in Sapientia dicitur : « Filii tibi sunt? erudi illos [6]. »

Quartus regit subditos suos, eos signis in fide corroborando. Evangelium : « Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis [7]. » Nonne bene regebant apostoli subditos, et signis in fide corroborabant, quando, ipsis fulgurantibus coruscationes, hostes dissipabantur; dum illuxerunt coruscationes suæ orbi terræ, vidit et commota est terra [8]; et ad umbram etiam Petri sanabantur infirmi [9] ?

Quintus regit hæc terrena et mundana. Psalmus : « Et nunc, reges, intelligite [10]. » Nonne prælati in hoc mundo regunt terrena et mundana ista, quando « reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem exercent in illos benefici vocantur [11] ? » In futuro tamen cessabit omnis prælatio.

Sextus regit tartara. Evangelium : « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus [12]. Dum fortis armatus custodit atrium suum [13], etc. » Paulus : « Adversus principes et potestates tenebrarum harum [14]. » Nonne ante adventum Christi regebat diabolus tartara, qui dicebatur princeps hujus mundi? Sed postquam David noster venit, « contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit [15]. » Atque ibi : « Alligavit fortem, et diripuit vasa illius [16]. »

Bibliorum codex Bellevallensis [17]. Deus, summus et conditor Spiritus, qui essentialiter dicitur Deus [18], etc.

Petrus de Riga [Cf. infra cap. xi, Rex].

Anonymus Clarevallensis [19]. Deus est nomen in latinum ex græca appellatione translatum. Nam Deus græce Θεός, quasi δέος dicitur, id est timor; unde tractum est *Deus*, quod eum colentibus sit timor [20]. Deus proprium nomen est Trinitatis, pertinens ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Deus est substantia incorporea, essentia invisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis. Totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens; vel ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa justitia, ipsa æternitas existens; omnem creaturam instar puncti in se continens. Purus, simplex, integer, perfectus. Constans sibi; nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis. Non habens quod ad numerum dividat; non quod colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum; non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod perfectum est. Voluntas omnipotens est; benivolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo. Creans mentes ad se participandum; vivificans ad sentiendum; afficiens ad appetendum; dilatans ad capiendum; justificans ad promerendum; accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.

(1) *Sacerdotium*. I Petr. II, 9. — (2) *Terræ*. Job III, 15. — (3) *Viderunt*. Luc. X, 24. — (4) *Resistit*. Rom. XIII, 2. — (5) *Præponi*. I Tim. III, 4. — (6) *Illos*. Eccli. VII, 25. — (7) *Signis*. Marc. XVI, 20. — (8) *Terra*. Ps. LXXVI, 19. — 9) *Infirmi*. Act. V, 15. — (10) *Intelligite*. Ps. II, 10. — (11) *Vocantur*. Luc. XXII, 25. — (12) *Ejus*. Matt. XXV, 41. — (13) *Suum*. Luc. XI, 21. — (14) *Harum*. Ephes. VI, 12. — (15) *Confregit*. Ps. CVI, 13. — (16) *Illius*. Matt. XII, 29. — (17) Biblior. cod. Bell. Descripsi obiter in Proleg. elegantissimum hunc codicem in Bibliotheca Carolopolitana asservatum. — (18) *Deus*. Gregoriana ad litteram excerpuntur. — (19) Anonymus Clarevall. ex cod. sæc. XIII, de quo non vacat hic regerere *Prolegom.*; ignotus quidem monachus, sed præ multis commendandus. — (20) *Timor*. Isid. *Etymol.* p. 294 ed. Arev.

DEUS EST

Essentialiter.		Patris.	Per totam Trinitatem	Per angelos.
Nuncupative.	Per personam	Filii.	Per subjectam creatu-	Judices.
Per seipsum.		Spiritus sancti.	ram.	Prælati [1].

II.

Caput Domini, ipsa [2] divinitas; quia est principium omnium rerum [3].

III.

Capilli Domini candidi, dierum ejus æternitas [4]; quod antiquus sit dierum [5].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius [6], *de Nativit. Dom.* v. 5 et 143.

Eucherius [7] in *Formul. spirit. intell.* edit. II, col. 730 C.

Rabanus, *de Universo*, lib. I, c. 1, *Opp.* t. V, col. 17 A.

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 11. *Caput octo modis in bono, duobus in malo.* Caput materiale, spirituale, cœleste et infernale.

Materiale duplex, scilicet corporale cujuslibet. Evangelium « Moventes capita sua [8]. » — Et summa sacerdotii et principes Judæorum. Isaias : « Omne caput languidum, et omne cor mœrens [9]. »

Spirituale duplex, scilicet ratio vel mens nostra. Psalmus : « Impinguasti in oleo caput meum [10]. » Sapientia : « Oleum de capite tuo non deficiat [11]. » Canticum : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me [12]. » — Et prædicatio; unde et in lege [13] : « Caput turturis retorquetur ad ascellas, » quum scilicet prædicatio consonat operi.

Cœleste duplex, scilicet divinitas Christi. Canticum : « Caput dilecti mei, sicut aurum optimum [14]. » — Et ejusdem humanitas. Psalmus : « Constitues me in caput gentium [15]. » Paulus : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ [16]. »

Infernale quoque duplex, scilicet diabolus caput omnium malorum, sicut Christus bonorum. Habacuc : « Percussisti caput de domo impii [17]. » — Et initium diabolicæ suggestionis. Job : « Caput aspidis suget, et occidet eum lingua viperæ [18]. » Genesis : « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus [19]. »

Qui capilli adhæreant capiti? Materiali capiti adhærent capilli litterales; unde et in Levitico : « Sacerdos ponebat capillos Nazaræorum in igne sacrificii [20]. » Nonne sic adhæserunt capiti Absalonis, quum quanto magis tondebat eos, tanto amplius crescebant; et semel in anno tonsos ponderabat eos CC siclis [21]?

Spirituali adhærent capilli virtutum; quibus tonsis, Samson amisit vires : sed renascimur per pœnitentiam. Nonne hi fortiter adhæserunt capilli Magdalenæ, postquam pedes Domini tersit capillis suis?

Cœlesti autem capiti adhærent capilli, id

(1) *Prælati*. Iidem singulis distinctionibus apponuntur loci Scripturæ sacræ ac supra in Rabano, quem noster præ oculis habere solet. — (2) *Ipse* B, C. Voogius tamen ex apographo Crusiano edidit in dissert. II Melitoniana, uti et nos : *Ipsa divinitas*. — (3) *Eo quod principium et creator sit omnium rerum, in Daniele* B-G, R. — (4) *Dierum ejus æternitas* ib. deest. — (5) *Dierum*. Dan. VII, 19. Apoc. I, 14. Additur ibid. *ubi et supra*. — (6) *Orientius*. Galland. *Bibl. vet. PP.* t. X, p. 195. — (7) *Eucherius*. Utrumque deest in priore Eucherii edit. Cf. *Prolegom.* — (8) *Sua*. Matt. XXVII, 39. — (9) *Mœrens*. Is. I, 5. — (10) *Meum*. Ps. XXII, 5. — (11) *Deficiat*. Eccle. IX, 10. — (12) *Me*. Cant. II, 6. — (13) *Lege*. Scribendum *Levitico*, scilicet c. I, 17. — (14) *Optimum*. Cant. V, 11. — (15) *Gentium*. Ps. XVII, 44. — (16) *Ecclesiæ*. Ephes. V, 25. — (17) *Impii*. Habac. III, 13. — (18) *Viperæ*. Tob. XX, 16. — (19) *Ejus*. Genes. IX, 15. — (20) *Sacrificii*. Num. VI, 18, juxta peculiarem quamdam versionem. — (21) *Siclis*. II Reg. XIV, 26.

est sancti. Psalmus : « Multiplicati sunt super capillos capitis mei [1]. » Nonne hi firmiter adhærebant suo capiti Christo, quum dicebant : « Verba vitæ æternæ habes. Et ad quem ibimus [2] ? »

Infernali adhærent capilli vitiorum et superfluarum cogitationum. Job, tonso capite, corruit in terram. Nonne hi fortiter adhæserunt diabolo capiti suo, quando dixerunt : « Non hunc, sed Barabbam ! » Et quum vellet Pilatus liberare eum, ipsi inclamabant : « Crucifige, crucifige eum [3] ! »

Figura. In primo capite homo ad imaginem Dei formatur. In secundo, Judæorum unctio evacuatur. In tertio, Adam Evæ dominatur. In quarto, Petro de pascendis ovibus mandatur. In quinto, hircus emissarius in solitudine mittitur. In sexto, lucerna a muliere evangelica accenditur. In septimo, Golias a David occiditur. In octavo, Eva a serpente decipitur.

Caput etiam Filii dicitur Deus Pater. Paulus : « Caput mulieris, vir; caput viri, Christus ; caput Christi, Deus [4]. » Psalmus : « In capite libri scriptum est de me [5]. »

Petrus de Riga [6].

Aurora in Cant. v. 692-711.

Caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium (cap. v, 2).

Quippe caput sponsi Deus est; et frigore roris
Frigida signatur mens, nodo stricta rigoris.
Sic est rore caput Christi plenum, quia multi
Esse Deum credunt, sed sunt in corde sepulti
Frigore torporis, nec habent cœlestis amoris
Dulces scintillas, sed nudas igne favillas.
Cincinni populi sunt : nam divinitus isti
Credendo, quasi dependent a vertice Christi.
Sed pleni guttis nocturnis esse feruntur :
Namque fluunt multis, quia vana sequuntur.

III.

Oculi Domini, inspectio [7] divinæ cogitationis : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus [8]. »

IV.

÷ Palpebræ [9] Domini, occulta et spiritualia in divinis præceptis mysteria [10]. In psalmo : « Palpebræ ejus interrogant, hoc est, probant filios hominum [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4 ad III; ed. II, col. 730 C ad III et IV.

Orientius, l. I. v. 165.

Gregorius M. Quum Deus longe dissimiles in se similitudines trahit, solerter intuendum est quod quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam ejus substantiam majestatis. Nam quum in Deo *oculus, scapulæ* atque *alæ* nominantur, effectus quidam operationis ostenditur. Quum vero *manus, brachium, dextera* vel *vox* in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur.

Adrianus [12], Εἰσαγωγὴ Α', α'. Β', α', 6'.

Petrus Capuanus, ad litt. XIV, ex art. 8. *Oculi quatuor modis in bono, septem in malo.* Oculi exteriores, interiores, superiores, inferiores.

Oculi..... superiores sex modis : oculi namque superiores, vis divina quæ intuendo penetrat omnia. Paulus : « Omnia nuda, etc. » His ipse prospicit secretiora et interiora nostra. Psalmus : « Scrutans corda et renes Deus [13]. » Evangelium : « Jesus ergo intelligens cogitationes eorum [14]. » His ipse Christus viderat Nathanael, antequam veniret ad eum, sicut ipse ait : « Antequam Philippus vocaret

(1) *Mei.* Ps. XXXIX, 13. — (2) *Ibimus.* Joan. VI, 69. — (3) *Eum.* Marc. XV, 14. — (4) *Deus.* I Cor. XI, 3. — (5) *De me.* Ps. XXXIX, 8. — (6) Petrus de Riga, canonicus S. Dionysii Remensis, sæc. XII, de quo multa in *Proleg.* — (7) *Inspectio divina, eo quod omnia videt, sicut est in Apostolo : omnia enim nuda.* B-G, R. — (8) *In oculis.* B, C. *Ejus.* Hebr. II, 13. — (9) *Palpebræ.* Art. IV exstat in codd. B-F. — (10) *Ministeria* D, F. — (11) *Hominum.* Ps. X, 5 — (12) *Adrianus* ille, a Photio laudatus, græcos Melitonis commentatores repræsentet. *Critic. sacr.* t. VI, p. 11. — (13) *Deus.* Apoc II, 23. — (14) *Eorum.* Matt. XII, 25.

te, quum esses sub ficu, vidi te [1]. » — Oculi superiores, dona Spiritus sancti. Zacharias : « Super lapidem unum septem oculi [2]. » Hos oculos perdidit Samson, quando eruerunt Philistini oculos ejus, qui in sinu Dalilæ jam amiserat crines. His orbatus Sedechias, cæcus ductus est in Babylonem. — — Oculi superiores, respectus misericordiæ Dei. Psalmus : « Oculi Domini super justos [3]. » Sapientia : « In omni loco oculi Domini contemplantur intuentes eum [4]. » His ipse Dominus conversus respexit Petrum, quando « egressus foras, flevit amare [5]. » — Oculi superiores, fides; et quasi dexter est fides divinitatis; quasi sinister, fides humanitatis. Evangelium : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem [6]. » Hi oculi caligaverunt in discipulis qui ibant cum Domino in Emmaus, quando oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent; sed recessit caligo, quando « agnoverunt eum in fractione panis [7]. » Hi etiam caligabant in Magdalena, quando existimans hortulanum, dixit : « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi [8]. » — Oculi quoque superiores, spes. Job [9] : « Defecerunt oculi omagrorum, quia non erat herba. » Hi caligaverunt in Cain, quum ait : « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear [10]. » Et in Juda, quando desperans et abiens laqueo se suspendit. His clare prospiciebat Paulus, quum dicebat : « Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei [11]. » Paulus : « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem [12]. » — — Oculi etiam superiores, Lia et Rachel, activa vita scilicet et contemplativa; e quibus contemplativa quasi dexter, activa vero quasi sinister oculus reputatur : e quibus contemplationis oculus magis placitus Deo. Canticum : « Vulnerasti cor meum, soror mea, in uno oculorum tuorum [13]. » His oculis Lia lippa dicitur, et Rachel venusto aspectu, quia dum illa temporalium sollicitudine implicatur, quasi lippitudinem oculorum incurrit; et hæc, dum divinæ contemplationi inhæret, quasi venusto aspectu clarescit [14].

V.

Odoratus Dei [15], delectatio ejus in orationibus sanctorum [16] : « Odoratus est Dominus odorem suavitatis [17]. »

VI.

÷ Os [18] Domini, filius ejus, vel sermo ad homines. In propheta : « Os Domini loquutum est [19]. » Et alibi : « Os ejus ad iracundiam provocaverunt [20]. »

VII.

÷ Lingua Domini, Spiritus [21] sanctus. In psalmo : « Lingua mea calamus [22]. »

VIII.

÷ Facies Domini, ostensio ejus [23]. In Exodo : « Facies mea præcedet te [24]. » Et in propheta : « Facies Domini divisit eos [25]. »

(1) Joan. I, 48. — (2) *Oculi.* Zachar. III, 9. — (3) *Justos.* Ps. XXXIII, 16. — (4) *Eum.* Prov. XV, 3. — (5) *Amare.* Matt. XXVI, 75. — (6) *Patrem.* Joan. XIV, 9. — (7) *Panis.* Luc. XXIV, 35. — (8) *Mihi.* Joan. XX, 15. — (9) *Job.* Neutiquam : legendum quippe *Jerem.* vid. c. XIV, 6. — (10) *Merear.* Genes. IV, 13. — (11) *Dei.* Tit. II, 13. — (12) *Diem.* II Tim. I, 12. — (13) *Tuorum.* Cant. IV, 9. — (14) *Clarescit.* Cf. infra *Oculi* ad cap. II et V. — (15) *Domini* B-G, R constanter; neque id necesse est ultra notetur. — (16) *Sive operibus sanctorum : in Genesi*, ib. — (17) *Suavitatis.* Genes. VIII, 21. — (18) *Os.* Hæc et sequentia ad finem capitis, præfixo distincta obelo, desunt in codice principe A. — (19) *Est.* Is. I, 20, *passim.* — (20) *Provocaverunt.* Thren. I, 18, ubi tamen legitur : *provocavi*, concinentibus LXX cum Vulg. — (21) *Spiritus ejus* B, C, D, G, R. — (22) *Calamus.* Ps. XLIV, 1. — (23) *Ejus per Filium ad homines* D, E, G, R. — (24) *Te.* Ex. XXXIII, 14. — (25) *Eos.* Thren. IV, 16. *In psalmis : Facies Domini dimisit eos* G.

IX.

÷ Verbum Domini, Filius. In psalmo : « Eructavit cor meum Verbum bonum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in decreto *de libris legendis* [2].

Sylvius, in carmine *de Christi nominibus* [3], v. 11.

Phœbadius [4], *Adversus Arianos*, cap. vi.

Nicetas [5], *de diversis Appellationibus D. N. J. C.*

Orientius, *ib.* v. 1 et 118.

Eucherius, edit. i, p. 4 ad vi et ix; edit. ii, col. 731, b, c ad vi, vii, viii et ix.

Gregorius M. Oris nomine Dei Unigenitus designatur, ut sponsa : « Osculetur me osculo oris sui [6]. » Sonus autem de hoc ore procedit, quum consubstantialis ei Spiritus ad nos per Filium venit.

Lingua, Spiritus sanctus, ut ibi : « Apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ, tamquam ignis [7]. » Habet enim cognationem lingua cum verbo. Unde, quia eadem est Filii et Spiritus sancti substantia, congrue Spiritus monstratur in lingua.

Facies, cognitio Dei, sicut per Eliud dicitur : « Videbit faciem ejus in jubilo [8]. » Quod utique tunc eveniet, quum fiet sermo qui in Apostolo scriptus est : « Cognoscam sicut et cognitus sum [9]. »

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α′, α′. Β′, γ′, δ′, ε′.

Rabanus. Cf. *de Universo* [10], ib. col. 17 d.

Os, Filius Dei : « Et sonum de ore ejus procedentem [11]. »

Lingua, Filius, ut : « Lingua mea, calamus scribæ. » — Vox Christi, ut : « Adhæreat lingua mea faucibus meis [12]. » — Spiritus sanctus, ut : « Apparuerunt illis dispertitæ linguæ. »

Facies, Deus pater, ubi : « Angeli eorum semper vident faciem Patris [13]. » — Filius, ubi : « Usquequo avertis faciem tuam a me [14]? » — Notitia Dei, ut : « Quærite faciem ejus semper [15]. » — Benivolentia Dei, ut : « Ne projicias me a facie tua [16]. » — Scientia Dei, ut : « Avertit faciem suam, ne videat in finem [17]. » — Protectio Dei, ut : « Ante faciem ejus ibit mors [18]. » — Animadversio Dei, ut : « A facie tua non abscondar [19]. »

Petrus Cantor. Odor quem redolere debemus triplex est : primus odor est opinio bonæ famæ ; secundus, testimonium propriæ conscientiæ ; tertius, beneplacitum majestatis divinæ.

Primus est necessarius, ut placeamus proximis ; secundus, ut placeamus nobis ; tertius, ut placeamus oculis divinæ majestatis.

De primo dicit Apostolus : « Aliis sumus odor mortis in mortem ; aliis, odor vitæ in vitam [20]. » Item in Canticis : « Oleum effusum, nomen tuum [21]. »

De secundo gloriatur sponsa in Canticis, dicens : « Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedi [22]. »

De tertio lætatur Apostolus, dicens : « Christi bonus odor sumus Deo [23]. »

Est odor orationum ; unde in Apocalypsi : « Habentes phialas aureas, plenas odoramentorum [24]. » — Famæ ; unde : « Domus impleta est ex odore unguenti [25]. » — Malorum ; unde Apostolus : « Aliis sumus odor, etc. » — Dei, qui placet sanctis ; unde : « Trahe me ; post te curremus in odorem unguentorum tuorum [26]. » — Sanctorum ; unde : « Vineæ florentes odorem dederunt [27]. » Et odor sanctorum placet Deo ;

(1) *Bonum.* Ps. xliv, 1. — (2) *Legendis.* Cf. Arevalo ad calc. opp. Sedulii edit. Migne, col. 781-790. — (3) *Nominibus.* Areval. ad v. 104 *Eleg.* Sedul. — (4) *Phœbadius.* Galland. *Bibl. vett. PP.* t. v, p. 261. — (5) *Nicetas.* Maii *Coll. vett. Script.* t. vii, p. 350. — (6) *Sui.* Cant. i, 1. — (7) *Ignis.* Act. ii, 3. — (8) *Jubilo.* Job xxxiii, 26. — (9) *Sum.* I Cor. xiii, 12. — (10) *Universo.* Migne. *Patrol.* t. cxi. — (11) *Procedentem.* Job xxxvii, 2. — (12) *Meis.* Ps. cxxxvi, 6. — (13) *Patris.* Matt. xviii, 10. — (14) *Me.* Ps. xii, 1. — (15) *Semper.* Ps. civ, 4. — (16) *Tua.* Ps. iv, 13. — (17) *Finem.* Ps. ix, 32. — (18) *Mors.* Habac. iii, 5. — (19) *Non abscondar.* Job xiii, 20. — (20) *In vitam.* II Cor. ii, 16. — (21) *Tuum.* Cant. i, 2. — (22) *Dedi.* Minime in Canticis, sed in Eccli. xxiv, 20. — (23) *Deo.* II Cor. ii, 15. — (24) *Odoramentorum.* Apoc. v, 8. — (25) *Unguenti.* Joan. xii, 3. — (26) *Tuorum.* Cant. i, 3. — (27) *Dederunt.* Ib. ii, 13.

unde : « Odoratus est, etc. » Et placet mundo ; unde : « Fracto alabastro, impleta, etc. »

Verbum Dei dicitur quandoque præceptum ; unde : « Verbum misit Dominus in Jacob, » id est, præceptum de rege faciendo de tribu Juda, « et cecidit in Israel [1], » quia ipsi fecerunt Jeroboam regem, de tribu Ephraim, super decem tribus. — Quandoque Christus ; unde : « Verbum misit Dominus, » id est Christum « in Jacob, » et Judæi repulerunt eum ; et Israel, id est, gentiles conversi, videntes Deum per fidem, receperunt eum. Item : « Verbo Domini cœli firmati sunt [2]. » Item : « Misit Verbum suum, et sanavit eos [3]. » Item : « In principio erat Verbum [4]. » Item : « Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum Verbum tuum [5], » id est per Christum, qui est Verbum Patris. Hic Filius Patris dicitur Verbum, et alibi manus, ut ibi : « Manus tuæ fecerunt me [6]. » Et ibi « Emitte manum tuam de alto [7]. » Nec est contrarium : idem enim est Verbum Dei et manus Dei. Verbum ideo dicitur Filius, quia sicut verbum notum fecit loquentem, id est, per verbum suum cognoscitur homo : ita per Verbum suum, id est per Filium, a nobis cognoscitur Deus Pater. Quandoque Evangelium, secundum tertiam expositionem : « Verbum, id est Evangelium, misit Deus in Jacob, qui interpretatur supplantator. » Prius enim debet homo supplantare vitia, ut postea Deum videre possit.

X.

÷ Brachium Domini, Filius per quem omnia operatus est. In propheta Isaia : « Et brachium Domini, cui revelatum est [8] ? »

XI.

1. Dextera Domini, Filius, qui et supra. In psalmo : « Dextera Domini fecit [9] virtutem [10]. »

÷ 2. Gloria [11], sive beatitudo perpetua, sicut in Evangelio de Filio dicitur : « Sede [12] ad dexteram Dei [13]. »

÷ 3. Electi omnes [14], ut in Deuteronomio : « In dextera ejus ignea lex [15]. »

XII.

÷ Alæ Domini, protectio divina. In psalmo : « In umbra alarum tuarum sperabo [16]. »

XIII.

÷ Scapulæ [17] Domini, divina patientia, qua [18] portare dignatur infirmos. In Deuteronomio : « Suscepit eos et superposuit scapulis suis [19]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius, v. 6 et 148.

Eucherius, ed. I, p. 4 ad X et XI, 1 ; ed. II, col. 731 D ad X ; 732 A ad XI, 1, 2, 3 ; 733 A ad XIII.

Gregorius M. Brachium, unigenitus Dei Filius, ut in Job : « Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas [20]. » Deo autem brachium habere est operantem filium gi-

(1) *Israel.* Is. IX, 8. — (2) *Sunt.* Ps. XXXII, 6. — (3) *Eos.* Ps. CVI, 20. — (4) *Verbum.* Joan. I, 1. — (5) *Tuum.* Ps. CXVIII, 25. — (6) *Me.* Ps. CXVIII, 73. — (7) *Alto.* Ps. CXLIII, 7. — (8) *Est.* Is. LIII, 1. — (9) *Facit* B, C. Voog tamen edidit : *fecit.* — (10) *Virtutem.* Ps. CVII, 16. — (11) *Gloria.* 2ª distinctio deest in B, C ; cætera in A. — (12) *Sede* excidit in D. *Sedit* F, G. — (13) *Dei.* Matt. XXII, 44, ex ps. CIX, 1. Lectio nostra, qualis omnino est, alias non reperitur. — (14) *Electio omnis* B, C, D. *Dei electi omnes* E, F. — (15) *Lex.* Deuter. XXIII, 2. — (16) *Sperabo.* Ps. LVI, 2. — (17) *Scapulæ.* Mendose Woog : *palpebra.* — (18) *Quæ* B, C. — (19) *Suis.* Deuter. XXXII, 11. In margine apographi Grabiani legitur : « Canticum Moysis ex veteri translatione latina, » quæ scilicet ignota videtur fuisse D. Sabatier, erudito veterum versionum SS. editori. Cf. *Biblior. SS. lat. vers. ant.* t. I, p. 1, p. 387. — (20) *Tonas.* Job XL, 13.

gnere. Voce simili tonare, consubstantialem sibi demonstrare filium.

Isidorus, *Etymol.* lib. vii, cap. ii, 23.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α', α'. Β', ς'.

Rabanus. Brachium, Christus; ut : « Brachium e. r. c. d. » — Vigor Salvatoris, ut : « Brachio suo congregabit agnos [1]. »

Dextera, Filius Dei, ut : « Dextera d. f. v. » — Gratia Dei, ut : « Operi manuum tuarum porriges dexteram [2]. »

Scapulæ, defensio : « Scapulis suis obumbrabit tibi [3]. » — Exercitium boni operis : « Deposuit hydriam super scapulas [4]. »

Petrus Cantor. Brachium Patris dicitur Christus, quantum ad humanitatem; quia Deus eo operatur omnia; unde : « Omnia per ipsum facta sunt [5]. » — Et quia manifestavit Patrem, sicut brachium manifestum est; unde : « Domine, quis credidit auditui nostro [6], etc. » — Et quia sicut brachiis portamus omnia, ita Christus portavit oves; unde : « Fœtas ipse portabit [7]. » — Et quia brachio pugnamus; unde : « Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis [8]. »

Dextera Dei Patris dicitur Christus, propter operationem, quia per eum operatus est omnia; unde : « In principio, hoc est in Filio, creavit Deus cœlum et terram. » — Propter protectionem; unde : « Dextera tua protexit me [9]. » — Propter hostium impugnationem, unde : « Dextera Domini fecit virtutem. » Dextera, id est Christus, qui est dextera Dei Patris, fecit virtutem. Magna virtus exaltare humilem, deificare mortalem, de subjectione gloriam, de passione victoriam, [de] terrenis dare cœlum.

Hermannus [10] Werdinensis.

Hort. deliciar. lib. i, v. 1010-1017.

Splendida regna poli, bona momentanea mundi
Quis dare rex poterit? Dat Deus ambo suis.
Dextera, cœleste regnum; terrestre, sinistra
Signat : dilectos Christus utroque beat.
Mysteriis fidei cibat hic in carne fideles;
Illic electis fulget imago Dei...
Hujus et æternæ dum præstat commoda vitæ,
Dextra datur justis, atque sinistra viris.

XIV.

÷ Manus Domini, divina operatio. In propheta : « Nonne manus meæ fecerunt hæc omnia [11]? »

XV.

÷ 1. Digitus Domini, Spiritus sanctus, cujus operatione tabulæ legis in Exodo sculptæ referuntur. Et in Evangelio : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia [12]. »

÷ 2. Digiti [13] Domini, legislator Moyses sive prophetæ [14]. In psalmo : « Videbo cœlos, » hoc est libros legis et prophetarum, « opera digitorum tuorum [15]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. ii, col. 731 B, C ad xiv et xv.

Orientius, v. 5 et 142.

Gregorius M. Manus, unigenitus Dei Filius, ut ibi : « Tollam in cœlum manum meam [16]. » In cœlum namque manus Dei tollitur, quum ejus Unigenitus in sua dextera collocatur. — Manus activa vita, ut ibi : « Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus [17]. » Manus sub pennis est virtus operis sub volatu contemplationis. « In quatuor partibus, » pro quatuor vir-

(1) *Agnos.* Is. xl, 11. — (2) *Dexteram.* Job xiv, 15. — (3) *Tibi.* Ps. xc, 14. — (4) *Scapulas.* Genes. xxiv, 18. Vulg. legit *ulnam.* — (5) *Sunt.* Joan. i, 2. — (6) *Nostro.* Is. liii, 1. — (7) *Portabit.* Is. xl, 11. — (8) *Tribulationis.* Is. xxxiii, 2. — (9) *Me.* Ps. xvii, 36; aut lxii, 9; utrobique tamen legitur : *suscepit me.* — (10) Hermannus, monachus et custos Abbatiæ Werthinensis, hæc et sequentia cecinit in *Horto* suo, anno 1225, cf. *Proleg.* (11) *Omnia.* Is. lxvi, 2. Juxta veteres Hilar. Ambros. et Aug. versiones. — (12) *Dæmonia.* Luc. xi, 20. — (13) *Digitus* E, F. — (14) *Propheta* D. — (15) *Tuorum.* Ps. viii, 4. De art. x, xi, xiv, xv. Cf. quæ infra, p. 32 et cap. v. — (16) *Meam.* Deuter. xxxii, 40. — (17) *Partibus.* Ezech. i, 8.

tutibus, quibus nostra munienda sunt opera.

Isidorus. *Ib.*, lib. VIII, c. III, n. 2.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α', α'. Β, ζ'.

Rabanus. Manus, Christus veniens in mundum, ut : « Emitte manum tuam de alto [1]. » — Christus ascendens, ut : « Levabo ad cœlum manum meam. » — Consolatio divina : « Manus Domini erat mecum [2]. » — Gratia, ut : « Dominus supposuit manum suam [3]. » — Munificentia, ut : « Aperis tu manum tuam [4]. » — Vindicta, ut : « Confirmasti super me manum tuam [5]. » — Potestas Dei, ut : « Facta est super me manus Domini [6]. » — Dispositiones Dei, ut : « In manibus tuis sortes meæ [7]. » — Misericordiæ Dei [8], ut : « In manus tuas commendo spiritum meum [9]. » — Digitus, Spiritus sanctus,— Dona spiritualia [10], etc.

Rabanus et Garnerius [11] Lingonensis. Manus est Christus, Filius Dei, per quem facta sunt omnia, ut in Isaia : « Omnia, etc. » Et in psalmo : « Emitte m. t. d. a., » id est Filium tuum de cœlo. — Manus, Christus ascendens, ut in cantico Deuteronomii : « Levabo, etc., » quia Christus ad cœlos elevatus est.

Garnerius. Manus [12] Dei Patris sunt Filius et Spiritus sanctus qui cooperantur. Nec est contrarium quod in Evangelio dicitur de Verbo Dei : « Omnia p. i. f. s., » quia idem est Verbum Dei et manus Dei. — Manus Dei dicitur virtus operationis ; unde : « Manus tuæ fecerunt me ; » vel, quia pluraliter dicit « manus tuæ, » accipiuntur virtus et sapientia, quia utraque est Christus.

Petrus Cantor et Garnerius. Manum mittit Deus per vindictam ; unde : « Super tribulantes eos mittam manum meam [13] : » — Per potentiam ; unde : « Mitte manum tuam, et tange cuncta quæ possidet [14]. » — Per protectionem ; unde : « Posuisti super me manum tuam [15]. » — Per nativitatem ; unde : « Emitte m. t. d. a. » — Per benedictionem, ut ibi : « Tu impones manum super filios Israel, et ego benedicam eis [16]. »

Petrus Cantor. Manus Dei est, ut ait Hieronymus in tractatu *De essentia Dei* [17], Filius Dei per quem omnia facta sunt. Unde Isaias : « Omnia hæc manus mea fecit [18]. » — Potestas ; unde Jeremias : « Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Israel [19]. » — Flagellum ; unde Sophonias : « Extendam manum meam super Judam et super habitantes Jerusalem, ut disperdam de loco hoc reliquias Baal [20]. » — Aliquando percussio ; unde Job : « Manus Domini tetigit me [21]. »

Petrus de Riga.

Aurora in Cant., v. 1159-1164.

Mens caput est nostrum ; per dextram, vita beata,
Per lævam Christi præsens est vita notata.
Sic Judæus aget, quia menti subdet amorem
Rerum quas cernit, mundi fugiendo favorem ;
Et quæ corporeis res non cernuntur ocellis,
Toto corde bibet, plenas dulcedine mellis.

XVI.

÷ Sapientia Dei [22], Filius. In Apostolo : « Christus Dei virtus [23] et Dei sapientia [24]. » Et in Salomone : « Sapientia Domini attingit [25] a fine usque ad finem fortiter [26]. »

(1) *Alto.* Ps. CXLIV, 7.—(2) *Mecum.* Ezech. V, 14. — (3) *Suam.* Ps. XXXVI, 24. — (4) *Tuam.* Ps. CXLIV, 16.—(5) *Tuam.* Ps. XXXIV, 23.—(6) *Domini.* Ezech. XXXVII, 1. — (7) *Meæ.* Ps. XXX, 15. — (8) *Dei.* Inde supplenda est lacuna hians in *Allegor.* Rabani ad vocem *Manus.* — (9) *Meum.* Ps. XXX, 6. — (10) *Spiritualia.* Eadem loca laudantur quæ supra ad n. 1 et 2. — (11) Garnerius, monachus et abbas Clarevallensis, deinde Lingonensis episcopus, de quo legenda *Proleg.* — (12) *Manus.* Cf. supra p. 8. Petrum Cantorem, una cum Rabano, Garnerius plerumque sequitur. — (13) *Meam.* Ps. LXXX, 15. Vulg. *Misissem.* —(14) *Possidet.* Job I, 11.—(15) *Tuam.* Ps. CXXXVIII, 5. — (16) *Eis.* Locus mihi ignotus. — (17) *De essentia Dei.* Exstat nimirum vetus libellus ille, tum inter Hieronymi spuria (Opp. t. XI, p. 175, ed. Vallars.) ; et Augustini appendices (Opp. tom. VIII, col. 1199, edit. Paris. recent.) ; tum in Eucherii *Form. spirit. int.* cap. I, ed. II ; tum demum, nonnullis mutatis apud Isidorum *de Etymol.* lib. VII, c. I, II (Areval. t. III, p. 299) ; et apud Rabanum *de Universo* (l. I, p. 57). Immo eadem et fuisse perperam ascripta Ambrosio, Anselmo, Bonaventuræ, et rectius esse Melitonianis fontibus referenda, in *Prolegom.* monuimus. — (18) *Fecit.* Is. LXVI, 2. — (19) *Israel.* Jerem. XVIII, 6. — (20) *Baal.* Soph. I, 4. — (21) *Me.* Job XXX, 21. — (22) *Domini* B, C. *Sapientia. Dei Filius* R. — (23) *Filius* B, C. — (24) *Sapientia.* I Cor. I, 24. — (25) *Attingit.* Cætera in E, F exciderunt. — (26) *Fortiter.* Sapient. VIII, 1.

Damasus, in *Decreto* et *carm.* VI, v. 1.
Phœbadius, l. l., p. 261.
Sylvius v. 5.
Nicetas, *ib.*, p. 330.
Orientius, v. 1 et 117.
Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. 2, n. 25.

Petrus Cantor. Sapientia dicitur quandoque divina essentia; unde Apostolus : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [1]. » — Quandoque cognitio quam habemus de Deo; unde : « Omnis sapientia a Domino Deo est [2]. » — Filius qui est Dei virtus et Dei sapientia, sicut ait Apostolus : « Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemtio [3]. » Et ibi : « O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, etc.» Hæc est sapientia supercœlestis, quæ antonomastice dicitur Sapientia, scilicet Filius Dei. Sicut enim potentia Patri, ita sapientia Filio, et benignitas Spiritui sancto attribuitur. Licet autem opera trium personarum sint indivisa, tamen specialiter dicitur sapientia ædificare. Unde Salomon : « Sapientia ædificavit sibi domum, et excidit in ea columnas septem [4], » quia Christus Jesus inhabitavit uterum Mariæ. Hæc est domus Dei et porta cœli. In hac Sapientia excidit columnas septem; septem scilicet dona Spiritus sancti, vel septem principales virtutes : justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, fidem, spem et charitatem. De quatuor primis philosophi diu disputaverunt et scripserunt; sed de tribus ultimis non gustaverunt. Hæ sunt septem columnæ; hæ sunt septem gratiæ. Sunt et septem mulieres illæ quæ « apprehenderunt virum unum, in die [5] » gratiæ. Per istas gratias multiplices quasi comprehensus et detentus, elegit eam, scilicet Mariam, in habitationem sibi. In hac, tamquam in domo, tamquam in throno, tamquam in lecto, tamquam in sacrario requievit.

Hermannus Werdinensis.
Hort. deliciar. lib. I, v. 646-659.

I. *Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia* [6].

Stultitiam patitur hujus sapientia mundi,
Quando fulgescit vera sophia Dei.
Illis dat Dominus hæc sanctæ dona sophiæ,
Qui caste vivunt, absque dolore petunt.
Et quia non datur hæc reprobo sapientia cordi,
Accipiet puri cordis amator eam.
Æterni genita sapientia Patris ab ore,
Humanæ menti scire dat omne bonum.
Hæc est perpetua mundum ratione gubernans,
Tempore constituens, tempus abire jubens.
Imbuit humanam Patris hæc sapientia mentem,
Stans, stabilis semper, cuncta creando movens.
Qui petit hanc, et corde bono nil hæsitat, inquit
Jacobus, a Domino sancta sophia datur.

II. Lib. II, c. CXXX. v. 1018-1029.

Sapientia ædificavit sibi domum.

Hic homo signatur, qui fulget imagine Christi;
Construxit talem vera sophia domum.
Si fuerit hæc munda domus a crimine mundi,
Regis in hac sedem mansio suscipiet.
Ecclesiam quam construxit, domus ista figurat,
De Christi latere sanguis et unda fluens.
Doctores sanctos septem dic esse columnas,
Quos septiformi munere, Christe, reples.
Hos excidit enim sapientia mundi ab amore,
Ut super hos staret sponsa locata Dei;
Hanc ut sustineant, sic dogmata sancta docentes,
Ne ruat in scelera schismaticamve luem.

XVII.

÷ Uterus Domini, secretum Divinitatis, ex quo Filium protulit. In psalmo : « Ex utero ante luciferum genui te [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, Gregorius M., Rabanus, Petrus Cantor, etc. Cf. infra ad cap. v.

Petrus Capuanus ad litter. XX, ex art. 71. Uterus materialis, uterus Virginis

(1) *Absconditi.* Coloss. II, 3. — (2) *Est.* Eccli. I, 1. — (3) *Redemtio.* I Cor. I, 30. — (4) *Septem.* Prov. IX, 1. — (5) *In die.* Is. IV, 1. — (6) *Scientia.* Prov. II, 6. — (7) *Te.* Ps. CX, 2.

Mariæ : « Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum [1]. » Evangelium : « Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet Filium [2]. »

Uterus spiritualis triplex : uterus enim spiritualis est unitas Ecclesiæ. Genesis : Dedit conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in utero ejus parvuli [3]. » — Uterus quoque spiritualis, instructio qua homo instruitur. Psalmus : « In te confirmatus sum ex utero [4]. » — Uterus etiam spiritualis, littera legis, in quo quasi clausus erat Joannes, id est spiritualis gratia et intelligentia. Evangelium : « Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans in utero meo [5]. »

Uterus est nihilominus cœlestis triplex : scilicet, secretum illud ex quo Pater genuit Filium. Psalmus : « Ex utero ante luciferum genui te [6]. » — Uterus quoque cœlestis, secreta gratia Dei. Psalmus : « Suscepisti me de utero matris mei [7]. » — Uterus etiam cœlestis, consilium Dei. Job : « Orabam filiis uteri mei [8]. » Job : « Quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies [9]? Et gelu de cœlo quis genuit? »

Uterus infernalis est conceptus peccati. Job : « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum [10]. » Job : « Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero, non statim perii? Cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus [11]? »

Biblia Bellevall. Uterus, secretus Dei gratiæ sinus. — Mens hominis.

XVIII.

÷ Pedes Domini, æternitatis stabilitas [12]. In psalmo : « Et caligo sub pedibus ejus [13]. »

XIX.

1. Descensus Domini [14], visitatio ejus ad homines [15] : « Ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet conculcans extrema terræ [16]. »

÷ 2. Item in malam partem, in Genesi : « Descendit Dominus, ut videret turrim [17]. »

÷ 3. Descensus, defectus a Domino : « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho [18]. » Et in Isaia : « Væ qui ascenditis equos, ut descendatis in Ægyptum [19]. »

XX.

÷ 1. Ascensus Domini, elevatio hominis assumti a terra in cœlos [20]. In psalmo : « Qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem [21]. »

÷ 2. Ascensus [22], superbiæ præsumtio. In Evangelio : « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro [23]. »

(1) *Jesum*. Luc. 1, 31. — (2) *Filium*. Is. VII, 14. — (3) *Parvuli*. Genes. XXV, 22. — (4) *Utero*. Ps. LX, 6. — (5) *Meo*. Luc. I, 41. — (6) *Te*. Ps. CIX, 3. — (7) *Mei*. Ps. CXXXVIII, 13. — (8) *Mei*. Job XIX, 17. — (9) *Glacies*. Ib. XXXVIII, 29. — (10) *Aspidum*. Ib. XX, 14. — (11) *Uberibus*. Ib. III, 11. — (12) *Stabilitas et æternitas* B, C, E. — (13) *Ejus*. Ps. XVII, 10. — (14) *Descensus ejus* A. — (15) *Homines, sicut in Michæa* B-G, R. — (16) *Terræ*. Mich. I, 3. — (17) *Turrim*. Genes. XI, 5. — (18) *Jericho*. Luc. X, 30. — (19) *Ægyptum*. Is. XXX, 1, 2. Vulg. et vett. vers. legunt : *qui ambulatis, ut descendatis*. Cæterum hæc distinctio 3 tantum in A exstat ; præcedentes vero obelo signatæ reperiuntur in B-G. — (20) *In cœlum* D. — (21) *Orientem*. Ps. LXVII, 34. — (22) *Ascensus*. Solus A 2am dist. habet. — (23) *Latro*. Joan. X, 1.

XXI.

÷ Transitus Domini, carnis assumtio, per quam nascendo, moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo, quosdam transitus fecit. In Cantico canticorum : « Ecce iste venit saliens montes, transiliens colles [1]. »

XXII.

÷ Gressus Domini, adventus vel visitatio ejus, in psalmo.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. 1. p. 4 ad xviii et xxii; ed. ii, col. 733 b, a, 734 b, d ad xviii, xix, 1, xx, 1, xxi.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α′, α′, ια′. Β′, η′, θ′.

Isidorus. *Etymolog.* lib. vii, c. i, n. 34.

Rabanus, *De Universo*, col. 18 b, c.

Alanus [2]. *Descendere quot modis dicitur?* 1° Proprie, ab alto loco ad inferius tendere. — 2° Descendere dicitur Deus per assumtam humanitatem; unde in Evangelio : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo [3]. »—3° Per angelorum apparitionem; unde in Evangelio : « Descendit Deus super tabernaculum Moysi [4]. » — 4° Punire, per vindictæ exsequutionem; unde in Genesi : « Descendam, et videbo utrum opere compleverint [5]; »id est, puniam et pœna probabo, seu cognoscere faciam quod tale commiserint peccatum. — 5° Revelare; unde in Genesi : « Descendamus, et confundamus linguas eorum [6]; » id est, revelemus angelis, ut descendant, et confundant linguas eorum. — 6° Per gratiæ collationem; unde descendit Spiritus sanctus super apostolos. Nota quod Spiritus dicitur descendere, quia significatur descendisse; unde in Evangelio, descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum; id est, columba quæ apparuit in corporali specie, significavit Spiritum sanctum descendisse in eum ab articulo incarnationis, sed non tunc primum. Et ideo dicitur descendisse corporali specie, quia columba fuit illius descensus signum. 7° Descendere dicitur homo per humilitatem. — De bono in malum; — —de statu honoris in statum dejectionis, etc.

Anonymus Clarevallensis.

Ascensus
- Elevatio corporis Christi; unde : « Qui ponis nubem ascensum tuum [7]. »
- Afflictio martyrum; unde : « Ascensum fecit purpureum [8]. »
- Perfectio vitæ; unde : « In septem gradibus ascensio ejus [9]. »

Descensus
- Christi ad inferos; unde : « Descendit ad inferos. »
- Lapsus in peccatum; unde : « Homo quidam descendebat ab Jerusalem. »
- Activæ vitæ labor; unde : « Descendit Moyses de monte [10]. »
- Compassionis; unde : « Vidi afflictionem populi mei, et descendi [11]. »

Transire
- Parcentis, ut : « Transibit ostium [12]. »
- Ascendentis, ut : « Quum transisset David [13]. »
- Moventis, ut : « Sciens Jesus quia transiret de hoc mundo ad Patrem [14]. »
- Dominantis, ut : « Incurvare, ut transeamus [15]. »
- Deficientis, ut : « Vetera transierunt [16]. »
- Mundum contemnentis, ut : « Transivi, et ecce non erat [17]. »

(1) *Colles.* Cant. ii, 8. — (2) Alanus. Ex unica et rarissima sæc. xv editione *Summæ* quæ dicitur *Quotmodis*, Alano magno ascribendæ, pauca hic illic disjecimus, cum codicibus denuo recensita. Cf. *Prolegom.* — (3) *De cœlo.* Joan. iii, 13. — (4) *Moysi.* Num. xii, 5. — (5) *Compleverint.* Genes. xviii, 21. — (6) *Eorum.* Genes. xi, 7. — (7) *Tuum.* Ps. ciii, 3. — (8) *Purpureum.* Cant. iii, 10. — (9) *Ejus.* Ezech. xl, 25. — (10) *Monte.* Exod. xix, 14. — (11) *Descendi.* Ib. iii, 8. — (12) *Ostium.* Ib. xii, 23. —(13) *David.* II Reg. xvi, 1. — (14) *Patrem.* Joan. xiii, 1. — (15) *Transeamus.* Is. li, 23. — (16) *Transierunt.* II Cor. v, 17. — (17) *Erat.* Ps. xxxvi, 36. Illius ad instar columnæ describi solent codices nostri, et multa cum elegantia. In sequentibus Petri de Riga versibus adornatur notissimus S. Bernardi locus in Cant. ii, 8.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 226-241.

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

Ad sponsam veniens, humilis factus Deus altus,
Ad terras quosdam demittit ab æthere saltus.
Venit ab excelsis, saliens in Virginis alvum,
Virgo eumque deus fuit hic in Virgine salvum.
In breve præsepe saliit de ventre pudoris,
Ubera sugendo divini plena liquoris.
Hinc de præsepe crucis in prænobile lignum
Venit, et attrivit hostem moriendo malignum.
De cruce præclara saltum dedit in monumentum,
Sustinuitque sacrum mundi lapis iste talentum.
Ex tumulo quo decubuit penetravit avernum.
Hinc rediit surgens, solium petit inde supernum.
Transiit montes et colles sic operando:
Nam nullus sanctus par exstitit huic imitando.
Montes designant majores et meliores;
Colles declarant mediocres sive minores.

XXIII.

1. THRONUS DOMINI [1], angeli vel sancti [2] : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi [3]. »

÷ 2. SEDES [4], idem quod supra, angeli vel sancti, quod in his Dominus sedeat. In psalmo : « Qui sedes super Cherubim [5]. »

3. Sedere Dei, regnare : « Deus sedet super sedem sanctam suam [6]. »

÷ 4. Sedere in Domino, humiliter præsumere. In Evangelio : « Vos autem sedete in civitate [7]. » Et in libro Regum pro David : « Seditque coram Domino [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS. Ad loc. 1, edit. I, p. 5. — Ad loc. 2, edit. I, ib. — Ad loc. 3, edit. II, col. 734 D.

ADRIANUS, Εἰσαγωγὴ Α', θ'. Β', κγ'.

ISIDORUS, *Etymol.*, lib. VII, c. I, n. 39.

RABANUS. Thronus, angeli, ut : « Super similitudinem throni similitudo hominis [9]. » — Ecclesia, ut : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi » — Prædicatores, ut : « Thronus ejus, flamma ignis [10] » — Tribunal judicis, ut : « Sedisti super thronum qui judicas justitiam [11]. » — Sedes, mens sancta : « Anima justi, sedes sapientiæ [12]. » — Ecclesia : « Sedem ejus in terram collisisti [13]. » — Apostoli : « Illic sederunt sedes in judicio [14]. » — Vitæ Sanctorum : « Seniores qui in conspectu Dei sedebant [15]. »

Cf. *De Universo*, ib. col. 18 B, C.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Solium, angelica et humana natura; unde : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum [16]. » — Gloria regni cœlestis, ut : « Qui timet vultum solii sui [17]. » — Sublimitas mentis, ut : « Reges in solio collocat [18]. » — Sedes consilii, ut : « Non est sedes filiæ Chaldæorum [19]. » — Altitudo mundi, ut : « Surrexerunt de solio suo [20]. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. I, v. 590-603.

Mens tua sit pura cella et purgata cathedra,
In qua cœnare rex velit ipse poli.
Mite cor ac animus humilis, caroque pudica,
Hæc tua sunt sedes hospitiumque Dei.
Mentibus elatis hæc gratia sancta negatur,
Quæ justis jure simplicibusque datur.
Filius esse Dei sapientia dicitur ista,
Cujus opem sapiens postulet omnis homo.
Quum jubet inclinare cor, ut sapientia detur,
Innuit in puro corde sedere Deum.
Non est quærenda mundi sapientia quævis,
Sed virtutis opus cognitioque Dei.
Mentibus humanis ad se sapientia Christi
Sit via justitiæ, sit rationis iter. — Amen.

(1) DOMINI. Passim A legit continuo textu : *ejus*. — (2) *Sancti*. Addunt B-G : *Vel ipsa regnandi potestas, in psalmo*. — (3) *Sæculi*. Ps. XLIV, 7. — (4) *Sedes* ex codd. B-G. Ita et 4ª dist. et qui sequentur art. XXIV, XXV, XXVI — (5) *Cherubim*. Ps. LXXIX, 2. — (6) *Suam*. Ps. XLVI, 9 — (7) *Civitate*. Luc. XXIV, 49. — (8) *Domino*. II Reg. VII, 18. — (9) *Hominis*. Ezech. I, 26. — (10) *Ignis*. Dan. VII, 9. — (11) *Justitiam*. Ps. IX, 5. — (12) *Sapientiæ*. Proverbii instar, potius quam Scripturæ loco positum, nisi forte respiciat ad Prov. II, 10. — (13) *Collisisti*. Ps. LXXXVIII, 45. — (14) *Judicio*. Ps. CXX, 5. — (15) *Sedebant*. Apoc. XI, 16. — (16) *Excelsum*. Is. VI, 1. — (17) *Sui*. Job XXVI, 9. — (18) *Collocat*. Job XXXVI, 7. — (19) *Chaldæorum*. Is. XLVII, 1. Hinc editas sub nomine Rabani *Allegorias* emendare est. — (20) *Suo*. Is. XIV, 9. Vulg *de soliis suis*. Alia hic laudat Rabanus, in his tantum ab Anonymo diversus.

XXIV.

÷ Stare Domini [1], patientia divinitatis, per quam peccatores ad pœnitentiam sustinet, sicut in Habacuc : « Stetit, et mensus est terram [2], » Et in Evangelio : « Stetit Jesus, et jussit eum vocari [3], » hoc est cæcum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 735 A.

Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. II, n. 34.

Rabanus, *de Universo*, lib. I, c. 1, col. 18 C.

Petrus Cantor, in *Summa de tropis* [4]. Quomodo Christus quandoque stans, quandoque dicitur sedens? Item legitur in Actibus apostolorum, quod Stephanus videt « Jesum stantem a dextris virtutis Dei [5]. » Contrarium videtur quod Marcus ait : « Sublatus est Jesus in cœlum, sedens ad dexteram Patris [6]. » Sed numquid similis est ibi stans et sedens? vel numquid de sedente fit stans, vel e converso? Dicimus quia non. Stabilis enim manens dat cuncta moveri. Sedere est quiescentis, et ideo dicitur Christus sedere in cœlo empyreo, sed vel in qualibet anima justa. Stare autem est parati ad bellum; ideoque Stephanus vidit eum stantem, quasi accinctum secum ad bellum.

XXV.

÷ 1. Via Domini [7], operatio divinitatis; sicut in Job pro diabolo : « Ipse est principium viarum Domini [8]. »

÷ 2. Item viæ Domini, præcepta ejus. In Osee : « Quoniam rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis [9]. »

XXVI.

÷ Vestigia Domini, operum secretorum [10] signa, ut in psalmo : « Et vestigia tua non cognoscentur [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ib. col. 338 A, ad XXVI.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. I, n. 38.

Gregorius M. [Vide [12] art. 8 infra ad cap. IV.]

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Ι', κϛ'.

Rabanus, l. l. col. 18 D.

Petrus Capuanus ad litt. XX, ex art. 149. *Via* XIII *modis in bono*, IV *indifferenter*, X *in malis*. Via vitæ, et via mundi, et via mortis. Dicitur via vitæ, via Dei. Via autem Dei dicitur, vel qua ipse pervenit ad nos, vel qua nos imus ad ipsum.

Via Dei qua ipse venit ad nos multiplex est. Duæ namque viæ Dei, quibus ipse ad nos venit, misericordia et justitia sunt. Psalmus : « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas [13]. »

Aliæ etiam duæ viæ intelliguntur duo Christi adventus. Primus in carne, in quo nobis exhibuit misericordiam; quia « non secundum opera quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos fecit. » — Et secundus, qui erit in majestate, in quo exhibebit justitiam, licet non sine misericordia;

(1) *Stare Domini*, ita et infra, *cognoscere Dei, nescire Domini, recordare Dei, pœnitere Dei*, etc., ex quibus conjicere est primigenium hujusce Melitoniani operis textum græce scriptum fuisse. — (2) *Terram*. Habac. III, 6. — (3) *Vocare* D, E. Marc. X, 49. Vulg. et pleræque vett. vers. *stans Jesus, jussit*. — (4) *Tropis*. Uti prior quæ dicitur *Abel*, sic ejusdem Petri posterior illa Summa nondum fuit typis edita. Cf. *Proleg.* — (5) *Dei*. Act. VII, 55. — (6) *Patris*. Marc. XVI, 19. *Assumtus est in cœlum et sedet ad d. P.* — (7) *Viæ Domini* D, E, G. — (8) *Dei* D. Job XL, 14. — (9) *Eis*. Osee XIV, 10. — (10) *Operum suorum signa* E. — (11) *Cognoscentur*. Ps. LXXVII, 20. — (12) *Vide* alios commentator. ib. — (13) *Veritas*. Ps. XXIV, 10.

quia omnes astabimus ante tribunal judicis, ut recipiat unusquisque secundum ea quæ gessit, sive bona, sive mala.

Via Dei qua ad nos venit, virgo Maria. Ezechiel : « Converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respicit ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur. Vir non pertransibit per eam [1]. »

Via quoque Dei, qua ad nos venit, est fides. Malachias : « Ecce ego mittam angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis [2]. »

Via etiam Dei, qua ipse venit ad nos, est pœnitentia. Isaias : « Vox clamantis in deserto : Parate vias Domini, rectas facite semitas Dei nostri [3]. »

Hermannus Werdinensis, ib. lib. I, v. 534-541.

Orbita justitiæ, pacis sum consiliumque ;
Extra me gradiens mortis adibit iter.
Est via pravorum peccandi prona voluntas,
Qua currit more mens scelerata pedum.
Hi proprio fructu concedentis more fruentur,
Dignam mercedem crimina quando dabunt ;
Hi sunt arentes stipulæ fructusque gehennæ,
Æterno qui se dant alimenta rogo.

Ib., v. 722-727.

In tenebras vadit, æternum qui jubar odit :
Abnegat huic pacem dando gehenna picem.
Actio sanctorum lux splendida dicitur ; hujus
Est iter in tenebris, qui mala semper agit.
« Sum via, Christus ait ; ego splendida lux quoque mundi.
Extra me gradiens ad necis intrat iter. »

Ib., v. 1020-1029.

Quæ via sit pulchra, quæ pacis semita cerne,
Christus ait : « Lucis et via pacis ego. »
Curre viam Domini, vivens sine criminis actu,
Sicque beatus eris non retrahendo pedem.
Atria Jerusalem, Deus, ut possimus adire,
Cor mundum faciens, igne perure tuo.
Corvorum plantæ, splendens quoque penna columbæ
In monte Domini nos statuendo ferant.
Cor sine lite geras ; mundus sine crimine vivas,
Justus, pacificus ; hæc via pulchra Dei est.

XXVII.

Cognoscere Dei [4], est quod alios cognoscere facit : « Nunc cognovi quod timeas Dominum [5]. »

XXVIII.

Nescire Domini, reprobare [6] : « Nescio vos [7]. »

XXIX.

Recordare Dei [8], misereri : « Recordatus est Dominus Noe [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ad xxvii et xxviii ed. II, col. 736, A, B.

Rabanus, *de Universo*, col. 19 A.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Est scientia sive notitia interior inspiratione ; unde illud : « Audiam quid loquatur in me Deus [10]. » — Est scientia interior, ratione, videlicet ductu rationis per Scripturas ; unde Apostolus : « Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam sunt scripta [11]. » Item in Evangelio : « Scrutamini Scripturas [12]. »

(1) *Eam.* Ezech. XL, 6. — (2) *Vultis.* Malach. III, 1. — (3) *Nostri.* Is. XL, 3. Plura fortasse ex hoc articulo, si locus vacat, ad cap. IV excipiam. — (4) *Cognitio Domini, quod cognoscentes faciat* B, C, E-G. *Fiant* D. *Nos faciat* R. *Ad Abraham* B, C, G. *Ut ad* E. *Sicut dicit ad Abraham : nunc* D. *Unde dicit ad* R. — (5) *Dominum.* Genes. XII, 22. B-G addunt : *hoc est, cognoscere te feci.* — (6) *Reprobare est in Evangelio* B, C, E, G. *Reprobare ejus* D. — (7) *Vos.* Matt. XXV, 12. — (8) *Recordatio Domini, misericordia ejus, per quam respicit et miseretur cui vult, sicut in Genesi* B, C, E-G, R. *Respuit* mendose Voog. — (9) *Noe.* Genes. VIII, 1. Addunt B-R. *Et alibi : Recordatus est Dominus populi sui* [Esther X, 12]. — (10) *Deus.* Ps. LXXXIV, 9 — (11) *Scripta.* Rom. XV, 14. — (12) *Scripturas.* Joan. V, 39.

Exterior, per creaturas; unde : « Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, visibilia conspiciuntur [1]. »

Scientia sive cognitio Dei est, quantum ad divinitatem; unde : « Nemo novit Patrem, nisi Filius; nec Filium, nisi Pater [2]. » Item : « Deum nemo vidit umquam [3]. » Item : « Neque me nostis, neque Patrem meum [4]. » Item Joannes dicit : « Ecce agnus Dei. » Et subjunxit : « Et ego nesciebam eum [5]. » Item Judæi : « Hunc scimus unde sit : Christus vero quum venerit, nemo scit unde sit [6]. »

Scientia sive notitia, quantum ad humanitatem; unde : « Et me scitis, et unde sim scitis. [7]. » Item : « Notus in Judæa Deus [8]. »

Scientia sive intelligentia est approbationis; unde : « Scimus quia Moysi loquutus est Deus; istum autem nescimus unde sit, » id est, non approbamus eum. Item Petrus : « Nescio quid dicis [9], » id est, non approbo. Item : « Non adhæsit mihi cor pravum; declinantem a me malignum non cognoscebam [10], » id est, non approbabam eum, scilicet hæreticum. De hac approbatione dicitur : Qui plus cognoscit, plus diligit; et e converso. Id est, qui plus approbat; quia notitia hujus sæculi non remunerabitur in futuro, sed cognitio, id est probatio.

Scientia est comminationis; unde : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui habetis clavem scientiæ, nec intratis, nec alios intrare permittitis [11]. » — Jucunditatis; unde : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua [12]! » Item : « Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum [13]. » — Operationis; unde : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum [14], etc. » Primam habent etiam mali; secundam et tertiam, tantum boni.

Petrus Capuanus ad litt. XII, ex art. 23. *Memoria tribus modis in bono, duobus in malo.* — Memoria Dei, et memoria hominis.

Memoria Dei misericordia est. Job : « Memento, quæso, quod sicut lutum fecisti me [15]. » Job : « Memento quia ventus est vita mea [16]. » Psalmus : « Quid est homo, quia memor es ejus [17] ? »

Est autem Deus memor bonorum nostrorum in præsenti. Psalmus : « Quia in humilitate nostra memor fuit nostri [18]. » Psalmus : « Psallite Domino, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus [19], » quia memor fuit sanctificare nos. — Memor erit etiam in futuro, remunerando. Isaias : « Quo modo mater non potest oblivisci filium uteri sui, ita non obliviscar populi mei [20]. »

Memor est etiam malorum in præsenti, animadvertendo. Psalmus : « Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat [21] ? » — Et ad pœnitentiam vocando. Psalmus : « Memor ero Raab et Babylonis scientium me [22]. » Memor etiam erit in futuro malorum, puniendo. Psalmus : « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem [23]. » Psalmus : « Excitabitur tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino [24]. »

Homo autem debet habere memoriam præsentium, scilicet mandatorum, etc.

XXX.

Poenitere Dei [25], res mutare, non sententiam : « Pœnitet me quod constituerim Saul regem [26]. »

(1) *Conspiciuntur.* Rom. I, 20. — (2) *Pater.* Matt. XI, 87. — (3) *Umquam.* Joan. I, 18. — (4) *Meum.* Joan. VIII, 19. — (5) *Eum.* Joan. I, 31. — (6) *Sit.* Joan. VII, 27. — (7) *Scitis.* Joan. 28. — (8) *Deus.* LXXXV, 2. — (9) *Dicis.* Matt. XXVI, 70. — (10) *Cognoscebam.* Ps. C, 4. — (11) *Permittitis.* Luc. XI, 52. — (12) *Tua.* Ps. CXVIII, 103. — (13) *Pretiosum.* Ps. XVIII, 11. — (14) *Eum.* Ps. CX, 10. — (15) *Me.* Job X, 9. — (16) *Mea.* Job VII, 7. — (17) *Ejus.* Ps. VIII, 5. — (18) *Nostri.* Ps. CXXXV, 23. — (19) *Ejus.* Ps. XXIX, 5. — (20) *Mei.* Is. XLIX, 15. — (21) *Considerat.* Ps. XCIII, 9. — (22) *Me.* Ps. LXXXVI, 4. — (23) *Jerusalem.* Ps. CXXXVI, 7. — (24) *Vino.* Ps. LXXXVII, 65 — (25) *Pœnitentia Domini, rerum mutatio, sicut in libro Regum* B-G, R. — (26) *Regem.* IReg. XV, 11. *In regem* D.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. II, col. 736 C.

Rabanus, *de Universo*, lib., col. 19 A.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Pœnitere dicitur Deus, vel quando delet quod fecerat, et tunc ponitur antecedens pro consequente; unde ante diluvium dixit Deus : « Pœnitet me fecisse hominem [1], » id est, more pœnitentis agam, delebo quod feceram. — Vel quando non facit quod facere videbatur, quando scilicet, præter hominum spem [2], mutat res, consilio non mutato. Unde legitur pœnituisse quod non subverterit Niniven; quod facturus videbatur, quum dixisset : « Adhuc XL dies, et Ninive subvertetur [3]. » Ita dicitur et oblivisci, quando tardat; et memor esse, quando cito dat. — Vel quando non consummat quod inchoaverat, ut de interfectione Judæorum quam quandoque inchoavit, sed non consummavit. Unde Jeremias : « Si gens ista pœnitentiam egerit de malo quod proposuit facere, agam et ego pœnitentiam de eo quod cogitavi eis facere [4]. » Quando filii Israel peccaverunt, tradidit eos Dominus in manus regum alienorum; quando pœnituerunt, suscitavit eis principem qui liberaret eos. Sic nos quando peccamus, vires contra nos præbemus dæmonibus. Quando vero ad Dominum convertimur, mittit ad nos doctores, qui nobis ostendant viam salutis, et, subjectis hostibus, gratiam restituant libertatis.

XXXI.

Ira et Furor Domini, non secundum æquitatem judicantis [5], qui cum tranquillitate omnia judicat, sed secundum turbationem patientis : « Domine, ne in furore tuo arguas me [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 736 C.

Adrianus, Εἰσαγωγή, Α', Γ'; Β', Ε'.

Petrus Cantor. Ira Dei est indignationis; unde : « Misit in eos iram indignationis suæ [7]. » — Correctionis; unde : « Flagellat Deus omnem filium quem recipit [8]. » Item : « Usquequo, Deus, irasceris in finem? » — Condemnationis vel consummationis; unde : « Dies illa, dies iræ [9], » quando reprobi audient : « Nescio vos! » et illud : « Ite, maledicti! »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Irascitur Deus malis, propter bonos; unde : « Tunc loquetur ad eos in ira sua [10]. » — Irascitur Deus salubriter bonis, eos puniendo; unde : « Deus, repulisti nos et destruxisti nos [11]. » — Irascetur malis in futuro; de qua ira dicitur : « Domine, ne in furore tuo arguas me. »

Anonymus Clarevallensis. *Ira :*

Inquinat, infatuat, contemnit Pneumatis almi
Hospitium; turbat, concinnat jurgia; pronum
Ad mala quemque facit, excæcat mentis acumen;
Debilitat, servire facit, dissolvit amoris
Vincula; consilium et Christum de corde repellit,
Decurtat vitam; quin nil putat ira cruorem.

Ira, zelus contra peccatum, ut : « Conturbatus est in ira oculus meus [12]. » — Prævaricatio, ut : « Lex iram operatur [13]. » — Pœna æterna, ut : « Revelatur ira Dei de cœlo su-

(1) *Hominem*. Gen. VI, 7. — (2) *Morem*. Codd. duo Petri Paris. — (3) *Subvertetur*. III, 4. — (4) *Facere*. Jerem. XVIII, 8. — (5) *Judicantis*, κατὰ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ κρίνοντος, pro τοῦ δικαστοῦ, *Judicis*; ut græce hæc sapiunt, sic alia bene multa. Cæterum B-R legunt : *furor Domini, ultio divinitatis in peccatores secundum vindictam patientis, et non secundum æquitatem judicantis, ut in psalmo*. Quæ quum Eucherius, nisi fallor, legisset ac minus perspicua censeret, ita eadem ille, aut secundæ editionis auctor videtur exposuisse : « Irasci dicitur Deus, non animi motu vel qualibet perturbatione quæ illi omnino accidere non potest; sed creaturæ delinquenti..... justam dicitur inferre ultionem, hoc est reddere illis quod merentur : et hæc ultio divina furor ejus dicitur. » Nonne eadem nostra præ lucebant S. Maximo, hæc scribenti : Ὀργὴ Θεοῦ ἐστιν, ἡ τῶν παιδαγωγουμένων ἐπίπονος... Ὀργὴ Κυρίου ἐστὶν, ἡ ἀνακωχὴ τῆς τῶν θείων χαρισμάτων χορηγίας. *Opp.*, t. I, p. 559, 10, 11. — (6) *Me*. Ps. VI, 2. — (7) *Suæ*. Ps. LXXVII, 49. — (8) *Recipit*. Hebr. XII, 6. — (9) *Iræ*. Sophon. I, 15. — (10) *Sua*. Ps. II, 5. — (11) *Nos*. Ps. LIX, 3. — (12) *Meus*. Ps. XXX, 10. Concordat Rabanus, quem ideo consulto omisimus. — (13) *Operatur*. Rom. IV, 15.

per omnem impium [1]. » — Futurum judicium, ut : « Conturbabit eos in ira sua [2]. » —Vindicta temporalis, ut : « Ignis accensus est in Jacob et ira [3]. »

HERMANNUS WERDINENSIS, ib., v. 434-445.

« Spiritus ecce meus grandem præcedet ad iram,
Sermo, mei vultus, ensis acutus erunt. »
Spiritus iste gravis est ultio, terribilisque,
Quæ dat pro meritis præmia digna reis.
Hinc Job ; « Flante Deo, dixit, periere maligni ;
Iræ consumsit Spiritus hosce Dei.
Tempore judicii, quum dicitur : « Ite — venite, »
Monstrat vera Deus verba fecisse sua ;
Quæ per Scripturas et doctores modo spondent,
Lætitiam justis, suppliciumque reis ;
Quum flebunt reprobi, scelerum quos actio damnat,
Quando beat sanctos actio sancta viros.

XXXII.

DORMIRE [4] EJUS est, quum in corde fides ejus non vigilat : « Exsurge : quare obdormis, Domine [5] ? »

XXXIII.

VIGILARE [6], custodia ejus in electis : « Ecce non dormitabit, neque obdormiet [7]. »

XXXIV.

AMBULARE [8], delectari in operibus sanctorum [9] : « Ambulabo [10] inter vos [11], et ero vobis Deus [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS. Ad XXXII et XXXIII, ed. II, col. 737 B, C. — Ad XXXIV, ib. col. 735 B.

ADRIANUS, Εἰσαγωγὴ Α′, δ′. Β′, η′, ιε′.

ISIDORUS, *Etymolog.* lib. VII, c. I, n. 34.

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, ex art. 20.

Dormire sex modis in bono, tribus in malo.

Dormit homo, dormit Christus, dormit Deus, dormit diabolus.....

Christus dormivit per passionem. Psalmus : « Ego dormivi et somnum cepi [13] » mortis, et passioni me sponte obtuli, « et resurrexi. » Sic dormiebat Christus, quando « sicut fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus, ita et Filius hominis in corde terræ [14]. »

Deus dormit, per peccatorum dissimulationem. Psalmus : « Exsurge, etc. » Sic dormiebat Deus, quum Propheta dicebat ei : « Exsurge, Domine, adjuva nos [15]. »

Dormit Christus in navicula, et fluctuum commotio ejus sedatur imperio. — Dormit Jesus in patibulo, et humani generis fit redemtio.

Mors Christi dicitur dormitio, propter facilitatem resurrectionis. Evangelium : « Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam [16]. » Nonne facilitatem habuit resurgendi, quando et imperans carni suæ, dixit : « Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cythara? » Et certus etiam de resurrectione inquit : « Exsurgam diluculo [17]. » — Propter celeritatem : « Sicut fuit Jonas, etc. » Nonne celeriter resurrexit, quando sic dixit Propheta : « Vivificabit nos post duos dies, et in die tertia resurgemus [18]? » — Propter integritatem. Psalmus : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem [19]. » Nonne integrum judicabat se resurrexisse, quando dicebat discipulis : « Palpate, et videte quoniam spiritus

(1) *Impium.* Rom. I, 18. — (2) *Sua.* II Paralip. XV, 6. — (3) *Ira.* Is. IX, 18. — (4) *Dormire Domini, dum in quorumdam hominum cordibus fides ejus minime vigilat : in psalmo* B, C, E-G, R. *Dum in cordibus* D. — (5) *Domine.* Ps. XLIII, 23. — (6) *Vigiliæ Domini in electorum suorum custodia : per præsentiam divinitatis semper adest. In psalmo* B-D. *Semper adesse* D, F, G, R. *Vigilia* E. — (7) *Dormiet* A, D, E, F. Ps. CXXI, 3. — (8) *Ambulatio Dei, delectatio divinitatis in operibus* B-R. — (9) *Electorum suorum* D, E, G. *Sanctorum suorum* B, C. — (10) *In propheta : Et ambulabo* B-D. *Et inambulabo* E, G. — (11) *In illis* B-F. — (12) *Deus.* Levit. XXV, 12. *Ero illorum Dominus* B-D. *Deus* E. — (13) *Cepi.* Ps. III, 6. — (14) *Terræ.* Matt. XI, 40. — (15) *Nos.* Ps. LXXVIII, 9. — (16) *Eam.* Joan. X, 18. — (17) *Diluculo.* Ps. CXII, 3. — (18) *Resurgemus* Osee VI, 3. — (19) *Corruptionem.* Ps. XV, 10.

carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere [1]. » — Propter voluntatem. Isaias : « Oblatus est quia ipse voluit [2]. » Nonne volens ad passionem accessit, quando antequam vellet pati, dicebat matri : « Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea [3]. » Et quando postmodum voluit, inquit discipulis : « Baptismo habeo baptizari; et quomodo coaretor usquedum perficiatur [4]? » — Propter quietem. Psalmus : « In pace in idipsum dormiam et requiescam [5]. » Nonne in magna fuit quiete, quando, quum Joseph ab Arimathia corpus Jesu, involutum in sindone munda, posuisset in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, caro ejus requievit, in spe scilicet resurgendi...? »

Idem ad litt. xx, ex art. 23. *Vigilare novem modis in bono, uno in malo.* Vigilare dicitur Deus, angelus, homo et diabolus. Deus dicitur vigilare multis modis. Vigilat enim Deus per misericordiam. Job : « Quum incesseris ad Dominum, statim evigilabit ad te [6]. » — Vigilat per custodiam. Isaias : « Custos quid de nocte [7]? » De nocte scilicet vigilans... — Vigilat etiam per pœnam, sive vindicationem. Daniel : « Vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos [8]. » Jeremias, etc. — Primum vigilare Dei est nobis amplectendum; in secundo est nobis exsultandum; tertium est nobis metuendum. Primum est ex pietate. Isaias : « Numquid oblivisci potest mulier, etc. » Secundum vigilare Dei est ex cautela, ne scilicet sine custodia illius tueamur. Psalmus : « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo [9]. » Tertium vigilare Dei est ex justitia. Paulus : « Omnes astabimus ante tribunal judicis [10]. » Ergo, fratres, ipsum vigilantem nostra vigilia præveniamus, rogantes ut hic urat, hic secet, quia « horrendum est incidere in manus Dei viventis [11]. »

Idem ad litt. i, ex art. 38. *Ambulare septem modis in bono, septem in malo.* Ambulat homo, Deus et diabolus... Deus ambulat, peccata arguendo. Genesis : « Audierunt vocem Domini deambulantis in paradisum, ad auram, post meridiem [12]. » Sic nimirum ambulabat, quum dicebat : « Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint [13]. » — Discipulos vocando. Evangelium : « Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem et Andream, et vocavit eos [14]. » Sic nimirum ambulabat, quoniam secedens in partem vocavit ad se quos voluit, quos et apostolos nominavit. — Virtutes in corde augendo. Evangelium : « Ambulans Jesus in templo, in porticu Salomonis [15]. » Sic nimirum ambulabat in corde illius cui dixit in Apocalypsi : « Sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, introibo ad eum, et cœnabo cum illo [16]... »

Anonymus Clarevallensis. Ambulatio, securitas animæ; unde : « Perambulabam in innocentia cordis mei [17]. » — Ad Deum corde et opere tendere; unde : « Et ambulabam in latitudine [18]. » — In lege Dei meditari; unde : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini [19]. »

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar. lib. II, v. 978-987.

Deliciæ meæ esse cum filiis hominum [20].

Molliter ut nostro requiem capias in amore,
Deliciæ tibi sunt, o benedicte Deus!
Ergo sumsisti carnem, passus quoque mortem es,
Ut nos vivamus, o benedicte Deus!
Noli damnare quod gustu mortis amaræ
Plasma redemisti, rex pie, sancte Deus!
Gratia sanctorum perducat nos meritorum
Ante tuos vultus, o benedicte Deus!

XXXIV.

Scabellum Dei [21], homo assumtus vel sancti [22] : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est [23]. »

(1) *Habere.* Luc. xxiv, 39. — (2) *Voluit.* Is. liii, 7. — (3) *Mea* Joan. ii, 4. — (4) *Perficiatur.* Luc. xii, 5. — (5) *Requiescam.* Ps. iv, 9. — (6) *Te.* Job viii, 6. — (7) *Nocte.* Is. xxi, 11. — (8) *Nos.* Dan. ix, 14. — (9) *Homo.* Ps. cxvii, 6. — (10) *Judicis.* Rom. xiv, 10. — (11) *Viventis.* Hebr. x, 31. — (12) *Meridiem.* Genes. iii, 8. — (13) *Compleverint.* Ib. xviii, 21. — (14) *Eos.* Matt. iv, 8. — (15) *Salomonis.* Joan. x, 23. — (16) *Illo.* Apoc. iii, 20. — (17) *Mei.* Ps. c, 2. — (18) *Latitudine.* Ps. cxviii, 45. — (19) *Domini.* Ib. 2. — (20) *Hominum* Prov. viii, 31. — (21) *Domini* B-F. — (22) *Homo assumtus a verbo, vel sancti ejus a quibusdam putantur. In psalmo* D-G. *Sanctis ejus* B, C. — (23) *Est.* Ps. xcviii, 5.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 762 C.

Rabanus et Garnerius Lingonensis[1], *De Universo*, ib. col. 19 B, et *Allegor.* col. 1043.

Petrus Capuanus ad litt. XVIII, art. 58. *Scabellum duobus modis in bono, uno in malo.* Scabellum incarnationis, scabellum inquinationis, et scabellum subjectionis.

Scabellum incarnationis est homo assumtus. Psalmus : « Adorate scabellum p. e. » — Scabellum inquinationis sunt peccatores. Isaias : « Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum[2] ». — Scabellum subjectionis est plena illa subjectio qua omnes inimici tamdem subjicientur Christo. Psalmus : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[3]. »

Primum secum tulit Dominus Jesus. Psalmus : « Beatus quem elegisti et assumsisti[4]. » Secundum calcavit pedibus suis. Isaias : « Calcavi eos in furore meo[5]. » Tertium in futuro erit plene subjectum sub pedibus ejus. Psalmus : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus[6]. » Paulus : « In eo enim quod dicit omnia, nihil dimisit non subjectum ei. »

Nonne primum ferebat secum Dominus Jesus, quando, postquam Verbum assumsit hominem, numquam deposuit, propter quod ait in psalmo : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem[7] ? » Nonne secundum calcabat, quando, flagello facto de funiculis, ejiciebat vendentes et ementes de templo? Et quando, quum vidissent eum illi qui ipsum quærebant ad mortem, abierunt retro, et ceciderunt in facies suas? Nonne tertium plene erit subjectum, quando mittet angelos suos, et separabit malos de medio justorum, et mittet eos in caminum ignis ardentis?

Scabellum autem solet supponi pedibus. Ergo scabellum incarnationis sive humanitatis suppositum fuit pedibus divinitatis. Nam humanitas fuit calceamentum divinitatis. Psalmus : « In Idumæam extendam calceamentum meum[8]. » Scabellum inquinationis fuit suppositum pedibus potestatis divinæ. Sapientia : « Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi[9]. » Psalmus : « Super aspidem et basiliscum ambulabam[10], etc. » Scabellum subjectionis tunc plene supponetur pedibus Christi, quando « Pater non judicabit quemquam; sed omne judicium dabit Filio[11], quum veniet Filius hominis in majestate Patris et angelorum; et tunc congregabuntur ante eum omnes. »

XXXV.

÷ Tuba Dei, vox manifesta. In Apostolo : « In jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo[12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4; ed. II, col. 738 B.

Rabanus et Garnerius Lingonensis. *Allegor.* col. 1069 A. Cf. *De Universo* ib. l. I.

Concionator Præmonstratensis[13], caput XLVIII, *Prædicator* II. I.

« Canite tuba in Sion, Joel II. » Nota quod tuba mirabiliter deservit exercitui. Interdum enim tuba populus coadunatur; interdum confortatur in bello; interdum signum victoriæ ostenditur per tubam; item quum aliquis occidebatur maleficus, signum cum tuba dabatur.

Spiritualiter, per talia nota prædicatorem verbi Dei. Ad prædicatorem ait Domi-

(1) Lingonensis. Summa quæ dicitur *Angelus* ex integro fere resolvitur in editas Rabani *Allegorias*, vel in *Summam Abel*, utroque textu plerumque ad litteram expresso. — (2) *Meorum.* Is. LXVI, 1. — (3) *Tuorum.* Ps. CIX, 2. — (4) *Assumsisti.* Ps. LXIV, 5. — (5) *Meo.* Is. LXIII, 8. — (6) *Ejus.* Hebr. II, 8. — (7) *Corruptionem.* Ps. XV, 10. — (8) *Meum.* Ps. LIX, 10. — (9) *Calcavi.* Eccli. XXIV, 11. — (10) *Ambulabam.* Ps. XC, 14. — (11) *Filio.* Joan. V, 22. — (12) *Cælo.* I Thess. IV, 15. — (13) Concionator Præmonstratensis; eo namque nomine designari posse auctorem anonymum *Summæ* concionatoriæ, in cod. Bruxellensi 2487 asservatæ, præmonui in *Prolegg.* Quo vero iste sermone humilior, eo solemnior evadit doctrinæ symbolicæ testis.

nus : « Clama, ne cesses ; quasi tuba, exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum [1]. »

Figura, Levit [2]. x, ubi legimus quod Dominus ait ad Moysen, dicens : « Fac duas tubas argenteas, ductiles. » Et hoc propter quatuor : primo ad convocandum populum ; secundo ad amovenda castra inimicorum ; tertio ad animandum populum ad bella ; quarto ad convocandum populum ad festa ; quia tunc campanas non habuerunt. Igitur cum his duabus tubis populum convocaverunt.

Moraliter, per has duas tubas nota prædicatorem verbi Dei, quia ut tubæ fuerunt argenteæ, ita prædicator debet fulgere doctrina et exemplo ; et quidquid docet ore, ostendat exemplo : tunc duplex est tuba prædicationis suæ. Debet igitur quilibet prædicator verbi Dei his duabus tubis, doctrina et exemplo, uti ad quatuor : primo debet populum convocare de statu peccatorum ad statum gratiæ et misericordiæ ; prædicare populo quod « misericordia Dei plena est terra [3]. » Secundo fideles christianos animare ad prælium spirituale, pugnare adversus vitia ; quia sunt tria quæ nos impugnant die ac nocte, videlicet mundus, diabolus et propria caro. Tertio, facta victoria, castra inimicorum amovere, de virtute in virtutem ascendendo. Quarto invitare ad festum futurum, videlicet ad diem judicii, ubi Dominus vult facere festum suis electis, ut ipse ait Lucas. : « Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos [4]. »

De hoc ait Gregorius super Ezechielem : « Vita prædicantium sonet verbo, ardeat desiderio ; quia eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium perveniunt, et eorum verba sunt scintillæ, quia quos in corde tetigerunt, incendunt. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora in Numer. v. 151-160.

Fac tibi duas tubas argenteas.

Duplex argenti tuba ductilis esse jubetur :
Jussa duo complens doctor utramque gerit.
Est tuba doctoris vox ; argentum, nitor oris,
De falso plumbo si nihil istud habet.
Ductile crescit opus, dum tunditur ; amplius exstat
Doctoris merces, si patienter agat.
Concussa clamore tubas dum turba sonantes
Audit, qui debent castra movere, movent.
Vox ita doctoris quanto subtilius intus
Corda ferit, tanto fortius illa movet.
Vox ita doctoris quanto subtilius intus
Corda ferit, tanto fortius illa movet.

APPENDIX AD CAPUT I.

SCRIPTORES PRÆCIPUI VETERES DE DIVINIS NOMINIBUS [5].

I.

S. HIEROTHEUS [6].

Ἐκ τῶν θεολογικῶν στοιχειώσεων.

[Apud Areopagitam, *de Divinis Nominib.* cap. II, n° 10.]

II.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA.

α. Περὶ θείων ὀνομάτων.

β. Περὶ συμβολικῆς θεολογίας [Ib. I, 7].

Καὶ γοῦν οἱ θεολόγοι..... κατ' ἄλλας καὶ ἄλλας αἰτίας τε καὶ δυνάμεις ὀνομάζουσι τὴν ὑπερφαῆ καὶ ὑπερώνυμον ἀγαθότητα, καὶ μορφὰς αὐτῇ καὶ τύπους ἀνθρωπικοὺς, ἢ πυρίνους ἢ ἠλεκτρίνους περιτιθέασι, καὶ ὀφθαλμοὺς αὐτῆς, καὶ ὦτα, καὶ πλοκάμους, καὶ πρόσωπα, καὶ χεῖρας, καὶ μετάφρενα,

(1) *Eorum.* Is. LVIII, 1. — (2) *Levit.* Corrige *Numer.* X, 2.—(3) *Terra.* Ps. XXXII, 5.—(4) *Multos.* Luc. XIV, 16.—(5) *Nominibus.* Præter minora veterum anecdota quæ Clavi nostræ in perpetui commentarii locum inserviunt, fusiores quosdam commentarios haud displicuit recensere, ac recitare saltem per scriptorum nomina aut titulos librorum, qui idem argumentum data opera retractant. Quos plerosque, quoad licuit, obiter inserui in *Prolegom.* — (6) *Hierotheus.* Cf Baron. *ad Martyrol.* IV octobr. Halloix. *de Scriptor. orient. vit.* t. I. Dionys. Areop. *Opera*, ed. Cord. Par. 1644, p. 426. Unum quidem locum illic, et alterum in capite sequenti, una cum Areopagiticis juvat adducere ; nullum vero de iis judicium interponere animus est.

καὶ πτερὰ, καὶ βραχίονας, καὶ ὀπίσθια, καὶ πόδας ὑμνοῦσι· στεφάνους τε καὶ θώκους, καὶ ποτήρια, καὶ κρατῆρας αὐτῇ καὶ ἄλλα ἄττα μυστικὰ περιπλάττουσι, περὶ ὧν ἐν τῇ ΣΥΜΒΟΛΙΚΗ ΘΕΟΛΟΓΙΑ κατὰ δύναμιν ἐροῦμεν[1].

γ. Ἐπιστολὴ θ΄ Τίτῳ Ἱεράρχῃ [*Ib.* p. 795, *per totum*].

III.

Clemens Alexandrinus.

Promittit dicturum se in peculiari libro *de membris et affectibus, quando de Deo dicuntur, allegorice interpretandis.*

... Διὸ καὶ χεῖρας, καὶ πόδας, καὶ στόμα, καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ εἰσόδους, καὶ ἐξόδους, καὶ ὀργὰς, καὶ ἀπειλὰς, μὴ πάθη Θεοῦ τις ὑπολάβῃ παρὰ Ἑβραίοις λέγεσθαι μηδαμῶς· ἀλληγορεῖσθαι δέ τινα ἐκ τούτων τῶν ὀνομάτων ὁσιώτερον· ἃ δὴ καὶ προϊόντος τοῦ λόγου κατὰ τὸν οἰκεῖον καιρὸν διασαφήσομεν[2].

IV.

Anonymus auctor, ut videtur, antenicenus[3].

Libelli, qui sub hisce variis titulis circumfertur : *De membris Domini. — De vestimentis et membris et actibus Dei. — De essentia Divinitatis. — De essentia et invisibilitate et immensitate* (al. *incommutabilitate*) *Dei. — De his quæ Deo in Scripturis attribuuntur.*

V.

Hieronymus.

Epistola ad Marcellam, de decem Dei nominibus [ed. Vallars., *epist.* xxv, al. cxxxvi].

VI.

Isidorus.

De Deo et nominibus ejus. — De latinis nominibus ad Trinitatem pertinentibus[4] [*Etymolog.*, lib. vii, c. 1, 2].

VII.

Evagrius.

Εἰς τὸ IIIII sive de Dei nomine τετραγράμμῳ[5] [Coteler. *Monum. Eccles. gr.*, t. iii, p.].

VIII.

Anonymus Græcus.

De decem Dei nominibus [Vallars., t. iii, col. 1270].

(1) Ἐροῦμεν. Ib. p. 585. *Siquidem theologi... ob multiplicem causam et vim nominant bonitatem divinam, quæ omne nomen, omnemque splendorem superat, formasque ei figurasque humanas aut igneas aut electri inducunt, et oculos ejus, atque aures, capillos, facies, manus, scapulas, alas, brachia, posteriora, et pedes laudant, tum coronas, sedes, pocula et crateras, et quædam ei affingunt, de quibus in* SYMBOLICA THEOLOGIA *pro virili parte dicemus.* Nemo non videt quam opportune illa, cujuscumque sint, nostris coaptentur. Nec minus etiam nobiscum facit Pachymeres in suo ad præfata commentario; quippe qui eadem adducat Scripturæ loca, ac si Melitonem præ oculis habuerit. Ὀνομάζουσι γοῦν τὴν ὑπερφαῆ ἀγαθότητα, καὶ τύπους ἀνθρωπίνους, ἢ πυρίνους, ἢ ἠλεκτρίνους περιτιθέασιν, ὡς ἐν τῷ Ἰεζεκιὴλ εὕρηται. Καὶ πάλιν μέλη ἀνθρώπινα λέγουσιν, ὡς ἐν τοῖς ψαλμοῖς, καὶ ἐν ἑτέραις γραφαῖς. Ὡς τό· Οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ εἰς τὸν πένητα ἐπιβλέπουσι [Ps. x, 5]. Καὶ τό· Εἰς ὦτα Κυρίου Σαβαὼθ [Jac. v, 4]. Καὶ τό· Ἡ θρὶξ αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον [Dan. vii, 9]. Καὶ τό· Πρόσωπον δὲ Κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά [Ps. xxxiii, 17]. Καὶ τό· Αἱ χεῖρές σου ἐποίησάν με [Job x, 8]. Καὶ τό· Ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ ἐπισκιάσει σοι [Ps. xc, 4]. Καί· Ἐν τῇ σκέπῃ τῶν πτερύγων σου σκεπάσεις με [Ps. xvi, 8]. Καὶ τό· Ὁ βραχίων σου ἔσωσεν αὐτούς [Ps. lxxxviii]. Καὶ τὰ ὀπίσθια Κυρίου, ὧν ἠξιώθη Μωυσῆς [Exod. xxxiii, 23]. Καὶ τό· Ἤκουσαν τῆς φωνῆς Κυρίου περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ [Gen. iii, 8]. Πάλιν στεφάνους περιτιθέασιν, ὡς τό· Εὐλόγησον τὸν στέφανον τῆς χρηστότητός σου [Ps. lxiv, 12]. Θρόνους, ὡς τό· Ὁ θρόνος σου ὁ Θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα [Hebr. i, 8]. Καὶ ποτήρια, ὡς τό· Ποτήριον ἐν χειρὶ Κυρίου [Ps. lxxiv, 19]. Καὶ κρατῆρας· ὡς τό· Ἐκέρασε τὸν ἑαυτῆς κρατῆρα [Prov. ix]. Περὶ ὧν ἐστιν εἰπεῖν ἐν τῇ συμβολικῇ θεολογίᾳ [Ib. p. 412.] — (2) Διασαφήσομεν. *Quocirca et manus et pedes, et os, et oculos, et ingressus, et egressus, et iras, et minas, nemo existimet dici Dei affectiones apud Hebræos. Nequaquam : est autem magis pium quædam ex his nominibus dici allegorice, quæ quidem in progressu expositionis, suo loco aperiemus,* Stromat. lib. v, n. xi, p. 687, ed. Pott.].—(3) *Antenicenus.* Quæ ad hunc auctorem pertinent, multis quidem tricis impedita, pro modulo meo, tetigi in *Prol.*— (4) *Pertinentibus.* Titulos adduxi ex codice Sang. 352, ita ab editis diversos, ut Martianæo minus vigilanti haberentur larva novi operis. Quem carpendi pro more suo, occasionem non omisit Vallarsius, incuriosus et ipse, qui non viderit in his latere tritas Isidori *Etymologias.* Neque diligentissimus Arevalo ipse huic loco videtur satis attendisse. Cf. Hier. *opp.* edit. Vallars. t. iii, col. 1506; Isid. *opp.* ed. Arev. t. iii, p. 294. — (5) Τετραγράμμῳ. Hunc locum et sequentem quam diligentissime post Cotelerium Martianæus illustravit; cf. Vallarsii l. l. Idem Evagrii locus nobis forte occurrit, tacito auctoris nomine, in cod. olim Regio xxxix ad calcem, et Coisliniano vii, fol. 40. Jam vero ut latius in hunc campum excurramus, et locus non deest, et vacua pagella invitat. Sed et ampliora, nec tamen eadem omnino, habes in *Proleg.*

IX.

VUIDO [1].

De Dei nominibus.

X.

POETA ANONYMUS.

Rhythmus ad Deum de Dei nominibus.

XI.

SIMEON JUDÆUS.

Decem Dei nominum expositio Vallars. ad *Hieronymi* t. III, col. 1305, 1306].

XII.

JOANNES CYPARISSIOTA.

Expositio eorum quæ de Deo a theologis dicuntur. Decas 1ª *de Theologia symbolica* [2] Bibl. PP. Lugd. t. XXI, p. 380 sqq.[3].

XIII.

GUIDO EBROICENSIS.

Summa de divinis nominibus.

XIV.

PAULUS DE S. MARIA, BURGENSIS EPISC.

De nomine divino quæstiones XII.

XV.

HENRICUS DE HASSIA.

De septem clavibus Scripturæ et de divinis Nominibus.

XVI.

ANONYMUS.

De significatione mystica litterarum positarum in lamina aurea quam Aaron in fronte gestabat [3].

(1 VUIDO. Ignotum nomen et hominem, quem sub charactere græco et barbaro latentem, in codice sæc. IX deteximus, descripsimus, et infra proferemus. — 2 *Symbolica*. De auctore isto græco et sequentibus latinis cf. *Proleg.* — 3 *Gestabat*. Cod. Paris. 5056. Paulus vero de S. Maria, Burgensis episcopus 1453), in *Critic. sacr.* t. VI, col. 2180, exstat, quin immo vapulat, ludibriis potius quam notis emendatus a Joanne Drusio. Iste vero dicacior homo sensit ipse quoque censoriam virgam ab aliis, qui de eodem argumento post eum egerunt. Ex multis sat erit adducantur pauci,

1° Præeunte tamen J. Drusio, cujus exstant : ELOHIM, *sive de nomine Dei* אלהים, additis notis in *epistolam Hieronymi ad Marcellam* et *quæstionibus XIV* cum responsis *Crit. sacr.* ib. 2112 ; TETRAGRAMMATON, *sive de nomine Dei proprio* ib. 2141. Nunc prodeat.

2° Ludovicus de Leone immortale opus condidit, hispanice inscriptum : *de los Nombres de Christo* lib. III, Salamant. Barcin. 1585.

3° L. Lessius *Quinquaginta nomina Dei, seu divinarum perfectionum compendiariam expositionem* edidit Paris. 1654 in-12.

4° Osiander *Exercitationib. de nominibus divinis* ; Tubing. 1665, 4°.

5° Hochstetterus *de Dei nominibus et natura*, in ejusd. *Disputat. academic.*

6° Jo. Bapt. Corticci, *dissert. de Divinis nominibus* : Viennæ, 1753, 4°.

7° Sanctem Pagninum ex hebræo nonnulla latio dedisse *de Divinis nominibus*, testis est *Bibliotheca Scriptor. Dominicanor.* p. 118.

Quæ quidem Wolfius *Bibl. hebr.* t. IV, p. 61 interpretatur fuisse translata e libro R. Abrahæ Coloniensis, inscripto : *Corona bonæ famæ*, sive *de nomine tetragrammato*. Huc vero recensendi veniunt innumeri antiquatæ synagogæ doctores, quos omittere omnino piget, etsi veterum gnosticorum et sophistarum commentis commenta sua addentes, circa divina nomina ineptissime delirare potius videantur quam philosophari. Erit tamen qui disjecta rei symbolicæ semina invenire forte poterit in vetustis libris quos vocant *Jesiah*, *Zohar*, *Behir*, *Raziel*, *Librum lucis*, *Sod Adonai*, *Ordines nominis Dei*, *sive* XLII, *sive* LXXII *litteris constantis*.

Singulariter laudantur :

1° *Hai Gaon*, *filius Rau*, circa ann. 997 in Nomina præfatis litteris constantia ; cui multa Athan. Kircher accepta refert in *Œdip. Ægypt.* t. II, p. 232 ;

2° Celeberrimus *Maimonides*, qui in parte 1ª libri *More novechim*, nomina et φράσεις ἀνθρωποπαθῶς in scriptura accipiendas, pene dicam ad methodum hanc Melitonianam, explicare nititur.

3° *Aben Ezra* dicitur scripsisse *de nomine Tetragrammato* mss.

4° *R. Abraham Provincialis*, gallus, *Opus nominis* sive de Tetragr. fertur edidisse Venet.

5° *Abraham Videns* reliquit librum *Vitæ futuri sæculi* de Tetragr. et de litteris nominum divinorum.

6° *Zacharias* hispanus, circa a. 1285, *prophetiam* edidit, qua per LXX nomina explanare tentavit *Tetragrammaton*.

7° *Serach Jom Tob* cabbalisticis nominibus e Tetragr. crutis sensum dedit fidei christianæ accommodatum.

Ne ultra septenarii terminum excurram, mitto sexcentos omnis generis scriptores de XIII Dei attributis, et de XXVI eadem exponendi modis ; mitto ingentia anonymorum et apocryphorum librorum de Kabbala et X Sephiroth plaustra, aliaque hujusce furfuris, quæ uti et præcedentia abunde præstant Bartoloccius in *Biblioth. Rabbinica*, Wolfius in *Biblioth. Hebræa*, de Rossi, etc.

CAPUT II.

DE FILIO DEI, SECUNDUM CARNEM.

I.

Caput Christi, Deus : « Caput autem Christi Deus [1]. »

II.

Corpus Christi, Ecclesia [2] : « Et corpus ejus, quod est Ecclesia [3]. »

III.

Membra Christi, fideles [4] : « Caput Ecclesiæ, Christus; caput autem mulieris, vir [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius, *De Nativ. Dom.* v. 5 et 143.

Gregorius M. Vertex, Christus, caput Ecclesiæ, ut in libro beati Job : « Percussit Job vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem [6]. » A planta usque ad verticem Satan vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit.—Vertex, fides, ut per Jeremiam : « Constupraverunt te usque ad verticem [7]. » Usque ad verticem quippe constuprari, est post malæ operationis cibum, et ipsam fidei sublimitatem corrumpi.

Gregorius apud *Garnerium* [8] *S. V.* l. v, c. 4-6, p. 202-211.

Rabanus. Caput, humanitas Christi, ut : « Exaltavit caput meum super inimicos meos [9]. » — Fides, ut : « Caput meum plenum est rore [10]. » — Diabolus, ut : « Caput, circuitus eorum [11]. » — Antichristus, ut : « Percussisti caput de domo impii [12]. »

Corpus, persona Christi, ut : « Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ [13]. » — Cf. *de Universo*, lib. I, c. I, *Opp.* t. V col. 21 C.

Notkerus [14], *sequent.* XXXVII, v. 5.

Petrus Cantor Paris. Caput, ad litteram mens, cui omnes actiones obsequi debent. De hoc dicitur : Qui turpiter et bestialiter vivunt, capite damnantur. — Mystice, Christus, sine quo usus vivendi non valet haberi; de hoc capite, scilicet Christo, dicitur : Qui turpiter vivunt, c. d. —Moraliter, humilitas, quæ caput est virtutum, qua totum fovetur nostrorum actuum corpus; et de hoc capite, scilicet humilitate, dicitur secundum tertiam expositionem : Qui turpiter v. c. d.

Corpus Christi dicitur tabernaculum, propter belli similitudinem, quia debellavit

(1) *Deus.* I Cor. XI, 3. — (2) *Sancta Ecclesia, ubi et supra* B F. Quibuscum consentit Rabanus *De universo* l. I. — (3) *Ecclesia.* Coloss. I, 24. — (4) *Fideles* A. Cæteros in codices aut irrepsit glossema, aut interturbata lectio : *Caput Ecclesiæ, Christus; in Apostolo : Caput*, etc. — (5) *Vir.* I Cor. XI, 3. — (6) *Verticem.* Job II, 7. — (7) *Ad verticem.* Jerem. II, 16. — (8) *Garnerium.* Abs re minime visum est loca iterum adducere parallela e libello eximio, satis autem raro, edito nimirum semel in exigua forma, sub hoc titulo : Garnerii *can. S. V. Gregorianum opus, sive allegoricas explicationes ex S. Gregorio PP. excerptas* edid. Jo. Picard. Paris. 1608. — (9) *Meos.* Ps. XXVI, 6. — (10) *Rore.* Cant. V, 2. Inde emenda textum *Allegoriarum*.—(11) *Eorum.* Ps. CXXXIX, 10. — (12) *Impii.* Habac. III, 13. — (13) *Aquilæ.* Matth. XXIV, 28. — (14) *Notkerus* haud impar qui cæteris accedat interpretibus Cf. Pez. *Anecd.* t. I. p. 1.

arcas potestates. — Propter peregrinationem; unde : « Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet [1]. » — Propter vationem; unde : « Exsultavit ut gigas, ut curreret viam suam [2]. » — Propter obumbrationem; unde : « Obumbrasti super caput meum [3]. »

Corpus Christi in sepulcro positum fuit, in quo nondum quisquam positum fuerat, ut narrat Evangelium Joannis, de passione Domini. Ita et nos corpus Christi ponere debemus, ubi non sit aliud positum, id est diabolus, vel peccatum.

Corpus Christi accipit malus, id est sacramentum, et non rem [4]; unde : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit [5]. » — Bonus, sacramentum et rem; unde : « Qui manducat me, vivet propter me [6]. » — In futuro, nullus accipiet sacramentum, sed rem; unde : « Ut edatis et bibatis super mensam meam [7]. » Item : « Constituite diem solemnem in condensis [8], » etc.

Petrus et Garnerius Lingonensis. Corpus Christi benedixit Christus, quando in tertia die illud fecit gloriosum, id est, in resurrectione. — Fregit, quando fragilitati supposuit, id est, in passione. — Dedit discipulis suis in cœna, et dat quotidie in Ecclesia. Hilarius dicit [9] quod non erat Judas cum discipulis, quando dedit eis Jesus corpus et sanguinem suum. Omnes alii sancti dicunt quod interfuit.

Corpus Christi non est negandum iis qui in patibulo suspenduntur, si confessi fuerint, et licet pro eis sacrificare [ut ait magister Petrus Præcentor Parisiensis [10]].

Corpus Christi dari potest et debet infirmis singulis septimanis; sicut extrema unctio semel in anno [ut ait idem magister Petrus [11].]

Ad corpus Christi accedendum est fideliter : unde Beda *super Lucam* in passione : « Majus peccatum est tradere corpus Christi membris suis peccatoribus quam Judæis crucifigentibus [12]. » Alibi dicit Auctoritas [13] : Non minus peccat qui tradit Christum peccatoribus, quam Judas qui tradidit eum crucifixoribus. Non minus peccatum est contemnere Christum regnantem in cœlis, quam crucifigere eum ambulantem in terris. — Imitatione; ut pro eo patiamur, si opus fuerit, sicut ipse passus est pro nobis.

Unde omnis christianus debet carnem Christi sumere in illa die in qua Christus carnem nostram suscepit. Ad hoc nempe tenemur, non solum ex institutione Ecclesiæ in nova lege [14]; sed etiam ex præcepto Domini, in veteri testamento dicentis : « Non apparebis vacuus in conspectu Domini Dei tui tribus vicibus in anno, in pascha, in pentecoste, et scenopegia [15], » pro qua nos nativitatem Domini celebramus. Vacuus autem apparet in conspectu Domini sui, qui sine Domino suo illa die in domum vacuus quidem accedit, et vacuus recedit. Quidam tamen abstinent multis de causis, etc. Si quæratur quare sub specie panis et vini traditum est corpus Christi potius quam sub alia forma; respondeo, quia major est convenientia : quia sicut panis ex multis granis, et vinum ex multis acinis, sic corpus Christi ex multis fidelibus constat; et sicut in pane

(1) *Reclinet.* Luc. IX, 58. — (2) *Suam.* Ps. XVIII, — (3) *Meum.* Ps. CXXXIX, 8. — (4) *Rem,* scilicet gratiam sacramenti intellige ex contextu. Nostri erit interpres coævus Petrus Cancellar. in lib. *Sentent.* V, c. 13 : « Sacramentaliter sumunt boni et mali. Nam sacramentaliter sumere est ipsam carnem veram Christi sumere, sive inde perficiatur fructus, id est ecclesiastica pax, sive non. » P. 524 edit. D. Mathoud, fol. Par. 1655. Quin ipse se paucis egregie interpretatur in *Verb. abbrev.* c. 30. « *Dominus quum gustasset acetum, noluit bibere :* ita nec tales sibi incorporat, etsi *sacramentaliter* Eucharistiam sumant, » p. 84. edit. Galop. — (5) *Bibit.* I Cor. XI, 29. — (6) *Me.* Joan. VI, 58. — (7) *Meam.* Luc. XXII, 30. — (8) *Condensis.* Ps. CXVII, 27. — (9) *Dicit.* Hil. *opp.* col. 740, D. — (10) *Parisiensis* Garner. Eo loco uti pronum est ad discernendum auctorem nostrum. Cf. *Prolegom.* Cæterum videre est de eodem argumento inter recentiores Emin. Th. Gousset, S. E. R. Cardinalem, præclarum insignis Ecclesiæ Remensis ornamentum, in dissert. epistolari ad D. abb. Blanc, *de Communione capite damnatis non neganda.* Remis, 1841. — (11) *Petrus.* Forte in ejusdem *Summa sacramentor.* mss. — (12) *Crucifigentibus.* Cf. *opp.* t. III, col. 597, D. — (13) *Auctoritas*, solemnis Sententiariis dictio, qua videntur indigitare sive magistri sui Petri Lumbardi *Sententias*, sive auctoritates ab eodem Magistro adductas. — (14) *Lege.* Adduci solet concil. Enhamens. in Angl. — (15) *Scenopegia.* Exod. XXIII, 15.

et vino plena est refectio corporum, sic in sacramento plena est refectio animarum.

Petrus Capuanus ad litt. XII, ex art. 14. *Membra duobus modis in bono, uno in malo.* Membra Christi et diaboli, sanctificationis et iniquitatis.—Membra Christi sunt sancti. Paulus : « Vos estis membra de membro [1]. » — Membra diaboli sunt mali, vel vitia. Paulus : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram [2]. » Membra sanctificationis sunt membra nostra, quum bene utimur eis; iniquitatis sunt, quum male utimur eis. De membris sanctificationis et iniquitatis dicit Paulus : « Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis ea servire justitiæ in sanctificationem [3]. » Ex membris Christi efficitur corpus Ecclesiæ. Paulus : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ [4]. Omnes unum corpus et unus panis sumus in Christo [5]. » Ex membris diaboli efficitur corpus malorum. Apocal. : « Sed sunt synagoga Satanæ [6]. » Ex membris sanctificationis aut iniquitatis efficitur corpus justitiæ vel injustitiæ. Evangelium : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si oculus tuus fuerit tenebrosus, totum corpus erit tenebrosum [7]. »

IV.

Capilli Christi candidi, multitudo sanctorum [8] : « Neque [9] per capillos juraveris [10]. Caput autem et capilli ejus erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, Gregorius, etc. [Cf. supra cap. I, p. 4 sqq. et infra ad cap. V.]

Rabanus. Capilli, angeli; unde : « Capilli ejus erant candidi. » — Sacramenta legis; unde Job legitur capillos rasisse [12]. — Ordo prædicatorum; unde Habacuc capillo transvectus [13]. — Fideles populi; unde : « Capilli tui sicut grex tonsarum [14]. » — Substantia terrena : « Tersit pedes Domini capillis [15]. » — Subtilitas cogitationum, ut : « Verticem capilli perambulantium in deserto [16]. » — Cogitationum superfluitas, ut : « Nazaræi ponunt in igne capillos [17]. »

Alanus. Caput significat divinitatem; capilli, creaturam rationalem; candor, immortalitatem. Ideo capilli significant creaturam rationalem, quia, sicut capilli a capite habent originem, et accipiunt crescendi vegetationem; sic creatura rationalis a Deo habet substantiam per conditionem et incrementum justitiæ per gratiæ cœlestis susceptionem. Sicut capilli inhærent capiti, sic creatura rationalis summe inhæret divinitati. Sed capilli recte dicuntur habere colorem capitis, quia spiritualis creatura, sive angelica, sive humana, per divinam gratiam candorem habet immortalitatis. Per lanam, quæ de terrenis animalibus nascitur, humanam naturam accipimus; per nivem, quæ de supernis est, recte angelicam naturam intelligimus. Et bene dixit « lana alba, » ad differentiam malorum, qui per culpam nigrescunt, et ad mortis æternæ nigredinem descendunt. Sancti vero, qui habent albedinem sanctitatis, in cœlo merentur habere candorem immortalitatis.

(1) *Membro.* I Cor. XII, 27. — (2) *Terram.* Col. III, 5. — (3) *Sanctificationem.* Rom. VI, 19. — (4) *Ecclesiæ.* Ephes. I, 22. — (5) *Christo.* I Cor. X, 17. — (6) *Satanæ.* Apoc. II, 9. — (7) *Tenebrosum.* Matt. VI, 23. — (8) *Sanctorum dealbatorum; in Apocalypsi* B-G, hæc et sequentia Rabanus paulo fusius adornat, *de Universo* l. I. Addit enim : « Ubi scriptum est : « *Caput autem ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix.* Antiquitas et immortalitas majestatis in capitis candore ostenditur. Cui præcipue justi quique velut capilli adhærentes, propter oves ad dexteram futuras, instar lanæ; et propter dealbatorum innumerabilem turbam et electorum e cœlo datorum, instar nivis effulgent. » — (9) *Et in Evangelio : neque* B-F. — (10) *Juraveris.* Paulo aliter in Matt. V, 36. — (11) *Nix.* Apoc. I, 14. Excidit locus in B-F. — (12) *Rasisse.* Job I, 20. — (13) *Transvectus.* Dan. XIV, 35. — (14) *Tonsarum.* Cant. VI, 4. — (15) *Capillis.* Luc. VII, 38, 44. — (16) *Deserto.* Ps. LXVII, 22. — (17) *Capillos.* Num. VI, 18.

PETRUS DE RIGA.

Aurora in Cant. v. 792-800.

Caput ejus, aurum optimum; comæ ejus, sicut elatæ palmarum.

Natura caput est Christi generans Pater illum,
Cum quo semper habet capitis formare capillum.
Aurum cuncta domat pretio, virtute, decore.
Sic est summus honor, sub summi Patris honore.
Justos quosque comæ Christi signare videntur;
Qui dum mente fidem retinent, linguaque fatentur,
Sunt quasi pendentes crines e vertice Christi;
Suntque sacri capitis tamquam decus et decor isti.
Ad summum tendens doctorem palma figurat.

V.

OCULI EJUS [1], sancti vel præcepta : « Pulchriores sunt oculi ejus [2] vino [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS vide supra ad cap. I.

GREGORIUS M. Oculus Dei, perfecta cognitio ejus, ut ibi : « Qui tetigit vos, tangit pupillam oculi mei [4]. » — Oculi, consiliarii; sicut de antiquo hoste dicitur : « Oculi ejus, ut palpebræ diluculi [5]. » Palpebras diluculi extremas horas noctis accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum initia venturæ lucis ostendit. Sic Antichristi consiliarii, fidem Christi quasi noctem erroris asserentes, venerationem Antichristi venturi mane pollicentur. — Oculi, spes; sicut de typicis onagris dicitur : « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba[6]; » quasi diceret : spes Judæorum ab eo quod intendebat corruit, dum temporalia diligens, æterna neglexit, et terrena quæ Deo præposuit, amisit. — Oculi, prælati; ut ibi : « Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum illorum semper incurva [7]. » Obscuratis enim oculis, dorsum flectitur, quando, prælatis in scientia caligantibus, subditi peccatorum onere deprimuntur. — Oculus, ordo eorum qui in Ecclesia lumine sunt veritatis illustres; unde ipsa ait : « Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt [8]. » Tales enim oculi, dum se diutius a pravis despici conspiciunt, de occulti judicii admiratione turbantur; et tunc membra Ecclesiæ in nihilum rediguntur, quia infirmi plerumque usque ad infidelitatem corruunt. — Oculi, Spiritus sancti operationes; unde Zacharias : « Super lapidem unum septem oculi sunt[9], » quia super Redemtorem nostrum septem requieverunt operationes Spiritus sancti.

GREGORIUS apud *Garnerium S.V.* lib. v, c. 10, p. 215.

RABANUS. Oculus, prædicator : « Oculum videntem et aurem audientem [10]. » — Prophetæ : « Oculi tui sicut columbæ, super rivos aquarum. » — Oculi, prædicatores boni : « Pulchriores sunt o. e. v. » — Prædicatores mali : « Obscurentur, etc. — Apostoli : « Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum [11]. » — Sensus spirituales : « Oculi tui columbarum [12]. » — Doctores Judæorum : « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. » — Consiliarii diaboli : « Oculi ejus velut palpebræ diluculi. » — Prædicatores Antichristi : « Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me [13]. » — Sancti Spiritus operationes : « Super lapidem, » etc. — Populus : « Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum [14]. »

Cf. *de Universo*, l. l. col. 11 D.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar. lib. II, v. 2218-2233.

Sicut acetum dentibus et fumus oculis, sic piger his qui miserunt illum.

Fumus obest oculis, et dentes lædit acetum :
Mysterium verbum pandit utrumque tibi.

(1 *Christi, evangelica præcepta : in Genesi* B-G, R. — (2 *Oculi tui* E, F. — (3) *Vino.* Genes. XLIX, 12. — (4 *Mei.* Zachar. II, 8. — (5) *Diluculi.* Job XLI, 9. — (6) *Herba.* Jerem. XIV, 16. — (7 *Incurva.* Ps. LXVIII, 24. — (8) *Sunt.* Job XVII, 7. — (9 *Sunt.* Zachar. III, 9. — (10) *Audientem.* Prov. XX, 12. — (11) *Meum.* Ps. LXVIII, 4. — (12) *Columbarum.* Cant. IV, 1. — (13) *Me.* Job XVI, 9. — (14 *Tuorum.* Cant. IV, 9.

Doctores sanctos dentes oculique figurant,
Qui fidei præbent lumina, dantque cibos.
Schismaticus piger est hic, qui sufferre laborem
Non vult, ut detur vita perennis ei.
Mittitur a sanctis doctoribus iste : sed illis
Tristitiæ causa fit violando fidem.
Sicut degenerat ab aceto splendida vitis,
Sicut vanescit fumus ab igne suo :
Suavem dulcorem Christi perdens et amorem,
A justis reprobus degenerando perit.
Nam, licet inter eos versetur nomine justi
Catholici, vulpis fraus tamen est in eo.
« Exiit a nobis, nec de nobis fuit ille, »
Inquit discipulus qui sine labe fuit.

VI.

Dentes [1], Apostoli : « Et dentes ejus lacte candidiores [2]. »

VII.

÷ Fauces [3] Christi, prædicatores [4] : « Et lingua mea adhæsit faucibus meis [5]. »

VIII.

÷ Lingua [6] Christi, evangelicus sermo, ut in psalmo : « Lingua mea a. f. m. »

IX.

÷ Labia Christi, annuntiatores verbi. In Cantico canticorum [7] : « Labia illius, lilia distillantia myrrham primam [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II col. 731 D ad VIII et IX. Gregorius M. Dentes, sancti Apostoli, sicut per beatum Job ex persona nostri Redemtoris dicitur : « Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. [9] » Habebant enim in passione Domini motum loquutionis, sed perdiderant morsum correptionis. — Dentes, sancti prædicatores, peccantium suis prædicationibus duritiam conterentes, ut eos quasi commandant, et in uterum Ecclesiæ convertendo trajiciantur. — Dentes, pravi prædicatores ; de quibus ad Job a Domino dicitur : « Per gyrum dentium ejus formido [10]. » Perversi prædicatores dentes sunt, quia eos quos in errorem capiunt, veritatis soliditate confringunt. Per gyrum vero eorum formido est, quia quos occasionibus suis emollire non valent, parentium sibi principum persequutionibus terrent. »

Labia, sancti prædicatores, ut in Canticis de sponso ab Ecclesia dicitur : « Labia illius, lilia d. m. p. » Prædicatores enim sancti, dum mortes martyrum populis prædicant, quasi mortificandis carnibus myrrham stillant ; et bene lilia dicuntur, quia per munditiam vitæ bonum ubique odorem spargunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.* lib. V, c. 15, 16, p. 230, 233.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Β′, γ′.

Rabanus. Labia, judicia Dei. Job : « Aperiet labia sua tibi [11]. » — Verba Christi : « Labia illius, etc. » — Prædicatores, ut : « Sicut vitta coccinea, labia mea [12]. » — Duo testamenta, ut : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea [13]. »

Cf. *de Universo*, ib. col. 22 A.

Petrus Cantor. Labia sunt simulationis ; unde : « Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe est a me [14]. » — Discretionis ; unde : « Reddam tibi vota

(1) *Dentes Christi* B-G, R. — (2) *Candidiores.* Genes. XLIX, 12. — 3) *Fauces.* Art. VII deest in F. — (4) *Prædicatores Evangelii, ubi et supra* B-E, G. — (5) *Meis.* Ps. CXXXIII, 3. — (6) *Lingua.* VIII et IX desunt in A. — 7 *Canticorum.* Excidere verba Cantici in B, C, D. Suppletur in margine E : *Labia tua sponsa.* Restituimus ex Rabano. — (8) *Primam.* Cant. V, 13. — 9) *Meos.* Job XIX, 20. — (10) *Formido.* Job XLI, 5. — (11) *Tibi.* Job XXXII, 20. — (12) *Mea.* Cant. IV, 3. — (13) *Mea.* Ps. XV, 4. — (14) *Me.* Matt. XV, 8.

mea, quæ distinxerunt labia mea [1]. » — Consonantiæ, scilicet duo testamenta; unde : « In cymbalis benesonantibus [2], etc. » — Laudis; unde : « Eructabunt labia mea hymnum [3]. » — Confessionis; unde : « Domine, labia mea aperies [4]. »

Labia nostra sunt clausa quandoque propter peccatum; unde : « Non est speciosa laus in ore peccatoris [5]. » — Quandoque propter indignationem auditorum; unde : « Nolite sanctum dare canibus [6], etc. » — Quandoque propter infirmitatem auditorum; unde : « Multa habeo vobis dicere [7]. »

Labia dicuntur duo testamenta propter doctrinam; unde : « Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam [8], etc. » — Propter consonantiam : Sunt enim consona in præceptis, in promissis, in mysteriis spiritualiter intellectis. — Propter compaginationem; est enim « rota in medio rotæ [9]. »

Labia nostra polluuntur loquendo, detrahendo, et verba inhonesta proferendo.

Petrus de Riga.

Aurora in Cantic. v. 817-828.

Sunt sponsi labia, myrrham stillantia primam,
Qui populi culpas per linguæ radere limam
Norunt; et Christi pœnam morientis acerbam
Ostendunt aliis, carnem reprimendo superbam.
Et merito myrrham primam Scriptura vocavit :
Nam primum Christus propria nos morte sacravit.
Cur sponsi labia dicantur lilia, cerne :
Sancti doctores sunt lilia sive lucernæ;
Nam qui verba serit sacra, debet habere nitorem
Sinceri cordis et puræ carnis honorem.

X.

Barba [10], homo assumtus, sicut : « Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Barba decorem virtutis insinuat, ut in Ezechiele : « Fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et duces illum per caput tuum et barbam [12]. » Redemtor siquidem noster barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus abolevit. — Barba, vigor et fortitudo sanctorum Apostolorum, ut ibi : « Sicut unguentum, etc... » Prius enim de capite, id est, de Christo in Apostolos unctio superna descendit, et sic in corpus Ecclesiæ usque ad fimbriam vestimenti defluxit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.* lib. v, c. 21, p. 248.

Rabanus. Barba, divinitas Christi, ut : « Defluebat saliva in barbam [13] » [eo quod verba infima et infantilia tegebant divinitatem Christi [14]]. » — Cœtus Apostolorum, ut : « Descendit unguentum, etc. » [quod venit Spiritus sanctus in apostolos Christi]. — Populus Judaicus, ut : « Duces gladium hunc per c. e. b. » — Fiducia, ut : « Venerunt viri, rasi barba [15]. »

Cf. *de Universo*, l. 1.

Petrus Capuanus et alii [infra ad cap. v].

Petrus de Riga.

Aurora in 1 Reg. v. 452-459.

Quodque super barbam legimus stillasse salivam,
Infirmam carnem stultitiamque notat.
Stultus et infirmus gentilibus est et Hebræis
Visus Salvator, dum crucifixus obit.
Sed prudentior est et fortior omnibus illis
Fortibus et doctis, in patiendo crucem.
Barba viri signat deitatis honorem,
Et deitas fragili corpore tecta fuit.

(1) *Mea*. Ps. lxv, 14. — (2) *Sonantibus*. Ps. cl, 5. — (3) *Hymnum*. Ps. lxx, 23. — (4) *Aperies*. Ps. l, 7. — (5) *Peccatoris*. Eccli. xv, 9. — (6) *Canibus*. Matt. vii, 6. — (7) *Dicere*. Joan. xvi, 12. — (8) *Doctrinam*. Rom. xv, 4. — (9) *Rotæ*. Ezech. i, 16. — (10) *Barba Christi, homo assumtus a Verbo, vel perfecti omnes; in psalmo* B-G, R. — (11) *Aaron*. Ps. cxxxiii, 3. — (12) *Barbam*. Ezech. v, 1. — (13) *Barbam*. I Reg. xxi, 13. — (14) *Christi*. Additum ex *Allegoriis*. Ita et paulo post. — (15) *Barba*. Jerem. xli, 5.

XI.

Manus [1], operarii [2], vel opera : « Manus ejus tornatiles, aureæ [3]. »

XII.

Digiti [4], martyres agonizantes : « Digiti mei, pleni myrrha probatissima [5]. »

XIII.

1. Dextera ejus [6], novum testamentum [7], vel vita æterna : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me [8]. »

2. Item, dextera, beatitudo perpetua; sinistra, vita præsens, sicut in Cantico canticorum Ecclesia dicit : « Læva ejus, etc. »

÷ 3. Dextera [9], electi; sinistra, reprobi omnes. In Evangelio : « Statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *carm.* vi. 4.
Sylvius, *de nominibus Christi*, v. 8.
Phoebadius, *adv. Arian.* c. vi, p. 261 c.
Nicetas aquileiensis, iii *serm.*, p. 330.
Orientius, *de nativ. Dom.* v. 5 et 142.

Gregorius M. [Vide supra cap. i. p. 9.] Dextera, vita perpetua, ut ibi : « Læva, etc. » Læva enim sub capite nobis ponitur, si præsentis vitæ prosperitas sui amoris intentione prematur; dexteram vero ejus amplectimur, quum sub æterna ejus beatitudine tota devotione continemur. — Dextera, bonorum collectio, ut ibi : « Mittite in dexteram navigii rete [11]. » Hæc enim piscatio post resurrectionem Domini facta est, quæ signanter in solam dexteram mittitur; quia ad videndam gloriam immortalitatis ipsius, sola electorum Ecclesia producitur. — Dextera, quodlibet quod pro magno habetur. Hinc et socii Gedeonis, Christi martyres figurantes, in dextera tubas, in sinistra lagenas tenuerunt [12]; quia martyres sancti pro magno habent prædicationis sollicitudinem, et pro minimo reputant corporis utilitatem.

Gregorius apud *Garnerium S. V.* lib. v, c. 26, p. 260, 263, 264.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Β', ϛ', ζ'.

Rabanus. Per digitos, operarii Ecclesiæ, ut in Cantico : « Digiti, etc. » — Myrrha, martyres, ut in Cantico : « Messui myrrham meam cum aromatibus [13], » id est, martyres meos ad me perduxi.

Dextera, justi, ut : « In dextera ejus ignea lex [14]. » —Salus animæ, ubi : « Diabolus stet a dextris ejus [15] [id est, pecuniam præposuit saluti animæ ejus]. » — Bona actio, ut : « Dextera eorum repleta est muneribus [16]. » — Contemplatio, ubi : « Dextera illius amplexabitur me. » —Potentia, ubi : « Dextera eorum, dextera iniquitatis [17]. » —Prosperitas, ut : « Non declines ad dexteram. » —Amicus fidelis, ubi : « Considerabam ad dexteram [18]. » — Elatio de virtutibus, ubi : « Si me vertam ad dexteram, non videbo illum [19]. » —

(1) *Manus Christi* B-G, R. Cf. quæ supra in cap. i, p. 9, 10, et infra in cap. v. — (2) *Operarii justitiæ ad omne opus bonum parati. In Cantico* ib. — (3) *Aureæ.* Cant. v, 14. — (4) *Digiti Domini, fortes in Ecclesia, usque ad mortem pro justitia agonizantes, ubi et supra,* ibid. — (5) *Probatissima.* Cant. v, 5. *Digiti mei distillaverunt myrrham,* ibid. — (6) *Dextera Domini* B-G. — (7) *Testamentum, sinistra vetus: item, dextera, beatitudo,* etc. Ib. — (8) *Me.* Cant. ii, 6. — (9) *Dextera.* 3° decst in A. — (10) *Sinistris.* Matt. xxv, 33. — (11) *Rete.* Joan. xxi, 6. — (12) *Tenuerunt.* Jud. vii, 16. — (13) *Aromatibus.* Cant. v, 1. — (14) *Lex.* Deuter. xxxiii, 2. — (15) *Ejus.* Ps. cviii, 10. Sequentia ex *Allegor.* — (16) *Muneribus.* Ps. xxv, 10. — (17) *Iniquitatis.* Ps. cxliii, 8. — (18) *Dexteram.* Ps. cxli, 5. — (19) *Illum.* Job xxiii, 9.

Vita æterna, ubi : « In dextera ejus, longitudo dierum [1]. » — Collectio bonorum ; — martyres, ut supra.

Cf. *de Universo*, l. I. col. 22 B.

Petrus Cantor. Per dexteram intelligitur æternitas ; per lævam, hæc temporalia, vel mysterium incarnationis Christi. Unde in Cantico amoris : « Læva, etc. » Hæc temporalia sunt sub capite meo, id est sub mente mea, quia mens mea hæc contemnit, dicit sponsa, et tamen his sustentatur ; vel læva, id est, mysterium incarnationis et dona quæ dat in præsenti, erunt sub capite meo, id est mente mea, et dextera ejus, id est æternitas, recipiet me. Vel per dexteram Christi intelligitur tempus immortalitatis et impassibilitatis Christi ; sicut per lævam, tempus mortis et passionis Christi. Unde in bulla Summi Pontificis, imago beati Petri ponitur in sinistra parte, quia beatus Petrus adhæsit Domino, dum mortalis et passibilis erat ; imago sancti Pauli in dextera parte ponitur, quia tunc adhæsit Deo, quum immortalis et impassibilis fuit, seu post resurrectionem gloriosus.

Petrus Capuanus ad litt. IV ex art. 13. Dextera Dei duplex, scilicet ipse Filius. Psalmus : « Dextera Domini fecit virtutem [2]. » Psalmus : « Salvavit sibi dextera ejus [3]. » — Et vita æterna. Canticum : « Læva ejus, etc. » Evangelium : « Statuet agnos a dextris ; hædos autem a sinistris. » — Dextera Christi duplex : æqualitas Filii cum Patre. Psalmus : « Sede a dextris meis [4]. » Actus : « Et vidit Jesum stantem a dextris virtutis Dei [5]. » Evangelium : « Dominus quidem Jesus, postquam loquutus est eis, assumtus est in cœlum et sedet a dextris Dei [6]. » Paulus : « Sedet ad dexteram majestatis in excelsis. » — Et protectio Dei Patris. Psalmus : « Dominus est a dextris meis, ne commovear [7]. » Psalmus : « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ [8]. » Prima dextera Christi est ex fortitudine divinitatis, in qua est æqualis Patri. Paulus : « Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo [9]. » Hac ipse Christus dejecit Goliam illum qui tremendus filiis Israel et fidelibus suis quotidie exprobrabat. Hac ipse attingit a fine usque ad finem fortiter, et tamen disponit omnia suaviter. Nonne hac dextera contingit omnia fortiter et potenter, quando appendit in tribus digitis molem terræ? Et tamen omnia suaviter disponebat, quando, quum sol occubuisset, illi offerebant infirmos. At ipse singulis manus et hanc dexteram imponens, curabat eos. — Secunda dextera Christi fortis est contra persequutores. Psalmus : « Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo [10]. »... Hanc ipse Christus ostendit quando periclitantibus discipulis, ipse Christus imperavit ventis et mari ; et facta est tranquillitas magna. Hac etiam ipse Petrum, dum in fluctibus mergeretur, erexit. Nonne hanc ostendit Deus ad protectionem suorum, quando, dum appropiant super nos nocentes, et iniqui persequuntur nos, ipse Dominus extendit manum suam in retribuendo illis?

Petrus de Riga.

Aurora in Cantic. v. 829-842.

Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis [11].

In Christi manibus bona possunt acta notari,
Quæ tibi proposuit, ut possis hæc imitari.
Ars tornaturæ, quæ qualibet arte laborum
Promtior est, notat hoc, quod Christus, norma bonorum,
Quod vult semper agit ; retinet mora nulla volentem,
Omnis justitiæ mensuram semper habentem.
In mundi rebus nihil est pretiosius auro.
Et quid ait deitas? « Quidquid placet, illud inauro. »
Nam quidquid gessit in corpore fons pietatis,
Illud inauravit splendore suæ deitatis.
In gemmis istis color ætheris esse probatur,
Per quas plena quies et merces summa notatur ;
Nam qui corde pio Christi sanctos imitatur
Actus, muneribus plenis in fine beatur.

(1) *Dierum*. Prov. III, 16. — (2) *Virtutem*. Ps. CXVII, 15. — (3) *Ejus*. Ps. XCVII, 1. — (4) *Meis*. Ps. CIX, 1. — (5) *Dei*. Act. VII, 55. — (6) *Dei*. Marc. XVI, 19. — (7) *Commovear*. Ps. XV, 8. — (8) *Tuæ*. Ps. LXXIX, 18. — (9) *Deo*. Phil. II, 6. — (10) *Homo*. Ps. CXVII, 6. — (11) *Hyacinthis*. Cant. V, 14.

XIV.

Ubera [1], evangelica doctrina [2] : « Meliora sunt ubera tua super vino [3]. »

XV.

÷ 1. Mammilla [4], vetus testamentum : « Zona aurea ad mammillam præcinctus erat [5]. »

÷ 2. Mammillæ Domini, duo testamenta legis. In Apocalypsi : « Et zona aurea, circa mammillas ejus [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Uberum nomine, verba sacri eloquii designantur, sicut per Salomonem dicitur : « Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; qui vehementer emulget, elicit sanguinem [7]. » Ac si diceret : quum verba subtili intellectu pensamus, ubertate internæ pinguedinis ungimur; quum vehementer discutimus, efficitur carnale quod ex nimia spiritus discussione sentimus.

Gregorius apud *Garnerium. S. V.* lib. v, c. 44, 45, p. 295, 299.

Rabanus. Ubera, duo testamenta, ut : « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli caprarum [8]. » — Mystica Scripturæ verba, ut : « Qui fortiter, etc. » —Duo præcepta charitatis, ut : « Meliora, etc. » — Illicita blandimenta, ut Job : « Cur lactatus uberibus [9]? » — Illicita desideria, ut : « Veni, inebriemur uberibus [10]. »

Cf. *de Universo*, l. 1. col. 22 c.

Rabanus et Garnerius Lingonensis. Mammæ sunt prædicatores, ut in Cantico : « Mammæ tuæ, sponsa, quam pulchræ sunt [11]! » id est, quam sancti sunt prædicatores tui, qui lac fundunt prædicationis, o Ecclesia! — Sensus naturales; ut in propheta : « Fractæ sunt mammæ pubertatis tuæ [12], » quia in multis in genere humano naturales sensus obscurati sunt.

Petrus Capuanus ad litt. xx ex art. 43. In uberibus ad litteram, sicut dicunt qui rerum naturas scrutantur, solidus cibus fit lac, ut contemperetur infanti parvulo, vel sanguis dealbatur in lacte. Dependent autem ubera a pectore, quæ solent etiam lacte tumere; ex quibus emanat lac ad nutriendam infantiam parvulorum. Quæ etiam in uberibus duorum testamentorum attendi possunt. In ipsis namque solidus cibus fit lac, dum doctrina altior contemperatur capacitati minorum. Paulus : « Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem nihil judicavi me scire, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum [13]. » — Nam et ideo Jacob vidit angelos ascendentes et descendentes per scalam ejus, cujus cacumen erat tangens cœlum, quia et vestri angeli, id est prædicatores, per scalam Scripturæ, per quam ad cœlum ascendimus, nunc ascendunt, dum mittunt [14] profundiora majoribus; nunc descendunt, dum minoribus faciliora proponunt : ut scilicet dies diei eructet verbum [15], et nox nocti indicet scientiam. Per hanc ascendit evangelista Joannes quum ait : « In principio erat Verbum. » Descendit, quum addit : « Verbum caro factum est [16]. » In eisdem uberibus sanguis dealbatur in lacte, dum vindicta veteris testamenti (quæ quasi rubicunda erat, dum dicitur : « Oculum pro oculo, pellem pro pelle, sanguinem pro sanguine [17] ») per re-

(1) *Ubera Christi* B G, R. — (2) *In Cantica canticorum* add. ib. — (3) *Vino*. Cant. I, 1. *Super* deest ib. — (4) *Mammilla*. Dist. prima deest in B-G, R; et secunda in A. — (5) *Erat*. Apoc. I, 13, juxta græc. — (6) *Ejus*. Ibid. ex alia vers. — (7) *Sanguinem*. Prov. xxx, 33. — (8) *Caprarum*. Cant. IV, 5; VII, 3. — (9) *Uberibus*. Job VI, 12. — (10) *Uberibus*. Prov. VII, 18. — (11) *Sunt*. Cant. IV, 10. — (12) *Tuæ*. Ezech. XXIII, 3. — (13) *Crucifixum*. I Cor. II, 6. — (14) *Nutriunt*, cod. — (15) *Verbum*. Ps. XVIII, 3. — (16) *Est*. Joan. I, 1, 14. — (17) *Sanguine*. Exod. XXI, 24.

missionem et mansuetudinem novi testamenti, quæ tamquam lac dulcis est, quasi dealbatus et dulceratus. Nam et ideo aquæ Marath, quæ erant amaræ, adeo ut non possent gustare ex eis filii Israel [1], misso in eis ligno, dulceratæ sunt; quia per lignum crucis, ubi oratur pro inimicis, dulcorata est amaritudo legis, quæ vindictam exercebat in hostes. Hæc etiam ubera dependent a pectore sapientiæ, scilicet Christi : de cujus pectore pendent, quia et profunditate mysteriorum ejus manarunt. A quo pectore Joannes hausit arcana novi testamenti. Evangelium : « Qui et recubuit supra pectus Domini [2]. » Nam et ideo in nativitate inter bovem et asinum collocatur in præsepe, quia et ipsum duo testamenta annuntiabant et ideo pendebant. Habacuc : « In medio duorum animalium innotescescris [3]. » — Et etiam exuberantia sapientia Dei. Puteos namque eruderaverunt Abraham, Isaac et alii patriarchæ in veteri testamento, quos postmodum etiam pueri Isaac, id est apostoli, eruderantes in novo testamento, invenerunt aquam limpidam, id est intelligentiam claram. Hæc etiam ubera tument lacte divinæ sapientiæ et doctrinæ, quia plena sunt duo testamenta et etiam exuberantia sapientia Dei : « Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, et profert verba, etc. [4]. » Ex his etiam duobus uberibus testamentorum manavit lac doctrinæ ad nutriendam infantiam primitivæ Ecclesiæ. Evangelium : « Ite, docete omnes gentes [5]. » Petrus namque in ipso principio nascentis Ecclesiæ ex utroque istorum uberum expressit lac, ad nutriendam infantiam primitivam, inquiens in Actibus : « Non sunt hi ebrii, quum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus [6], etc. » Ubi inclinavit ex hoc in hoc, dum prophetiam veteris testamenti novo coaptavit. Primicerius etiam ille martyr, beatus Stephanus, ex utroque istorum ubere lac exprimens, utriusque doctrinam propinavit parvulis primitivis, inquiens etiam in Actibus : « Viri fratres et patres, audite! Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham [7], etc. » de veteri testamento exprimit lac. Et de altero ubere in fine prædicationis suæ : « Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri? et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis [8]. » Nam et ideo botrum in vecte de terra sancta portabant duo viri, quia et qui præcedebant in veteri testamento, et qui sequebantur in novo, clamabant : « Hosanna filio David! » In sanctis uberibus Virginis Mariæ, etc. [vide infra ad cap. v].

I.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 33 - 38.

Ubera tua super vino.

Ubera cerno tua, vini meliora liquore :
Fragrant unguentis, miroque replentur odore.
Ut procul unguenti diffusio spargit odorem,
Sic nomen Christi diffudit ubique vigorem.
Christus ubique sonat; hoc nomen prædicat orbis;
Multis consulitur in Christi nomine morbis.

XVI.

Intestina [9], secretum divinum [10] : « Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis [11]. »

XVII.

Venter Christi, lavacrum regenerationis, ex quo electos suos per adoptionis gratiam in filios regenerat [12] : « Venter ejus eburneus [13]. »

(1) *Israel.* Ex. xv, 23. — (2) *Domini.* Joan. xiii, 23. — (3) *Innotesceris.* Habac. iii, 2, juxta vet. interpret. — (4) *Verba.* Prov. i, 20. — (5) *Gentes.* Matt. xxviii, 19. — (6) *Diebus.* Act. ii, 13, 16. — (7) *Abraham.* Ib. vii, 2. — (8) *Fuistis.* Ib. 52. — (9) *Intestina Domini* B-G, R. — (10) *Divinitatis, sive in sacra Scriptura occulta sacramenta : in Exodo,* ib. — (11) *Vorabitis.* Exod. xii, 9. — (12) *Regenerat, ut in Cantico canticorum* B-F, R. — (13) *Eburneus.* Cant. v, 14.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, cap. II, col. 737 D.

Gregorius M. Intestina, occulta et mystica Dei mandata, sicut per Moysen dicitur : « Caput, etc. » Caput enim agni vorare, est divinitatem Christi fide percipere. Pedes vero vorare, est humanitatem ejus amando et imitando perquirere. Intestina quoque voramus, si mystica verba vitæ cum aviditate sumimus.

Rabanus, *de Universo*, l. I. col. 22 C.

Anonymus Clarevallensis. Venter, humanitas Christi, ut : « Venter tuus eburneus. » — Fons baptismi, ut : « Venter tuus, sicut acervus tritici [1]. » — Mens prava, ut : « Qui investigat omnia secreta ventris [2]. » — Cor compunctum, ut : « Ventrem meum doleo [3]. » — Avaritia, ut : « Non est satiatus venter ejus [4]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic. v. 842 — 851.

Venter ejus eburneus, distinctus saphiris.

Est venter dictus carnis mortalis amictus,
Qui velut est eboris, nitido pro flore pudoris.
Nullus enim niveo fuit ejus in ore reatus,
Qui candore boni fuit omni parte beatus.
Venter distinctus perhibetur inesse saphiris ;
Nam signis renitens fragili sub corpore miris,
Miscuit humano cœlestia signa decori.
Inseruit pœnas hominis deitatis honori,
Gemma saphirus enim signorum jure nitorem
Signat ; nam mundi cœli gerit ille colorem.

XVIII.

Crura ejus, Apostoli, vel [5] prædicatores : « Crura illius, columnæ marmoreæ. »

XIX.

1. Pedes Domini, homo assumtus a Verbo [6] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius [7]. » ÷ Et in psalmo : « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus [8]. »

÷ 2. Pedes Domini, Apostolus, vel prædicator.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. II col. 738 A.

Gregorius M. Pedes, prædicatores ; ut ibi : « Quando lavabam pedes meos butyro [9]. » Butyro enim pedes lavabantur, quando prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replebantur. Vel dicit hoc anima de affectibus suis : qui utique butyro lavantur, quando unctione spiritualis gratiæ liniuntur. — Pedes, extrema membra Ecclesiæ ; unde Job : « Pedes meos subverterunt et oppresserunt, quasi fructibus suis [10]. » Ecclesiæ pedes hæretici subvertunt, quum extrema ejus membra in sui dogmatis errorem trahunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.* lib. V, c. 56, p. 314.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Β′, η′.

Rabanus. Crura, doctores sancti ; ubi : « Non fregerunt crura ejus [11]. » — Itinera dominicæ incarnationis, ubi : « Crura ejus, sicut columnæ [12]. »

Cf. *de Universo*, l. I. col. 22 C.

Petrus Cantor. Pedes Christi, humanitas ejus, quia sicut pes est inferior pars

(1) *Tritici*. Cant. VII, 2. — (2) *Ventris*. Prov. XX, 27. — (3) *Doleo*. Jerem. IV, 19. — (4) *Ejus*. Job XX, 20. — (5) *Vel cæteri prædicatores totum Ecclesiæ corpus sustinentes : in Cantico canticorum* B-G, R. — (6) *Verbo, vel sancti Apostoli, ut in Deuteronomio* Ib. — (7) *Illius*. Deut. XXXIII, 3. — (8) *Ejus*. Ps. CXXXI, 7. — (9) *Butyro*. Job XXIX, 6. — (10) *Suis*. Ib. XXX, 12. — (11) *Ejus*. Joan. XIX, 33. — (12) *Columnæ*. Cant. V, 15

hominis; ita humanitas, divinitatis. — Divinitas, quia sicut pes portat hominem, ita deitas humanitatem, immo omnia. — Pauperes; unde Maria unxit pedes Jesu, ut mystice accipiantur. — Vel ad litteram quandoque intelliguntur; unde Petrus dixit ad Dominum : « Non lavabis mihi pedes in æternum [1], » id est numquam. — Vel pedes intelliguntur carnales affectus; unde : « Mei autem pene moti sunt pedes [2]. » — Quandoque plena subjectio, unde : « Donec ponam, etc. » — Quandoque increpatio Dei et in Christo promissio fidelium; unde : « Laqueum paraverunt pedibus meis [3]. » — Quandoque Apostoli; unde : « Quam pulchri pedes evangelizantium bona [4] ! » — Quandoque prædicatores; unde in Deuteronomio : « Qui appropinquant, etc. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 852—861.

Crura illius, columnæ marmoreæ.

Primi discipuli per Christi crura notantur,
Quos misit Christus Jesus ut sua signa loquantur.
More columnarum, quas marmoris esse fatemur,
Ipsi discipuli sunt, quos audire jubemur,
Quos fidei postes et sustentare potenter
Credimus Ecclesiam, sacra verba docendo frequenter.
Quique prophetarum basis aurea dicitur esse,
Qui docuere prius quidquid videre necesse;
In quorum scriptis doctrina prophetica splendet,
Et fidei virtus ex horum codice pendet.

XX.

CARNES, infirmi in Ecclesia [5] : « Dum appropiant [6] super me nocentes, ut edant carnes meas [7]. »

XXI.

÷ OSSA [8] CHRISTI, fortes in Ecclesia, quæ est corpus ejus, ut in psalmo : « Dispersa sunt ossa mea [9] secus infernum [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS [vid. infra cap. v, n. 36.]

IDEM apud *Garnerium*, l. v, c. 34, p. 274.

ADRIANUS, Εἰσαγωγῆς Β', λ'.

RABANUS, ib. col. 22 D.

PETRUS CANTOR. Caro dicitur natura, id est, ponitur pro natura carnis, quia significat carnis integram veritatem; unde : « Videbit omnis caro salutare Dei [11]. » Item : « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum verum [12]. » — Dicitur etiam carnis corruptio, quia significat carnis corruptionem; unde : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt [13]. » Item : « Scio quod non habitet in me bonum [14], id est in carne mea. » — Dicitur etiam carnalis infirmitas, scilicet sensus carnalis vel fomes peccati; unde : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi [15]. »

ALANUS. Os, Christus; sicut per Job ex persona Domini dicitur : « Pelli meæ, consumtis carnibus, adhæsit os meum [16]. » In osse quippe fortitudo, in carne vero infirmitas corporis designatur. Quia ergo Christus et Ecclesia sunt una persona, quid per os, nisi ipse Dominus figuratur? quid per carnem, nisi discipuli, qui in passionis tempore infirma ejus sapuerunt? Per pellem vero quæ exterior carni manet in cor-

(1) *Æternum*. Joan. XIII, 8. — (2) *Pedes*. Ps. LXXII, 2. — (3) *Meis*. Ps. LVI, 7. — (4) *Bona*. Is. LII, 7. Alanus ad vocem *Pedes* in multis cum Cantore consentit — (5) *Ecclesia, in psalmo* B-G, R. — (6) *Appropinquant* B-E, R. *Appropinquantur* F. — (7) *Meas*. Ps. XXVI, 2. — (8) *Ossa*. XXI deest in A. — (9) *Nostra* D. — (10) *Infernum*. Ps. XXI, 15 aut CXL, 7. Locus enim noster ex utroque videtur conflatus, nisi accipiatur ex antiqua versione, Prospero aliisque nota, nec a D. Sabathiero omissa, quæ nimirum habet Ps. CXL, 7. *Dispersa sunt ossa nostra secus infernum. Secus in infernum* B, C, *dispersa sunt omnia ossa mea* R. — (11) *Dei*. Luc. III, 6. — (12) *Verum*. Ps. LXXXIII, 3. — (13) *Possidebunt*. I Cor. XV, 50. — (14) *Bonum*. Job IX, 2. — (15) *Tibi*. Matt. XVI, 17. — (16) *Meum*. Job XIX, 20.

pore, quid, nisi illæ sanctæ feminæ figurantur, quæ ad præparanda corporis subsidia, exterioribus Domino mysteriis servichant?

Petrus Capuanus ad litt. xiv ex art. 12. *Ossa sex modis in bono, tribus in malo.* Ossa Christi, ossa Ecclesiæ, ossa animæ, et ossa diaboli.

Ossa Christi duplicia; scilicet divinitas ejus. Evangelium : « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo [1]. » Exodus : « Nec os illius confringetis [2]. » Et ipse Christus in Job : « Pelli meæ (mulieribus), consumtis carnibus (hoc est discipulis), adhæserunt ossa mea. » Ossa autem sunt quasi sustentamentum et robur corporis. Ergo divinitas Christi fuit robur et sustentamentum humanitatis ejus. — Et ipse Christus est sustentamentum et robur corporis sui. Evangelium : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam[3]. » — Ossa Ecclesiæ duplicia, scilicet Apostoli... et fortitudo carnis. [Vid. infra ad cap. v *Os.*]

Anonymus Clarevallensis. Caro suavis, fragilis, suadet dulcia; concupiscit adversus spiritum; pravos motus gignit; quanto plus colitur, tanto plus sordescit; hostis domesticus est; nunc dolet, nunc gaudet; nunc sana est, nunc infirma; nunc rubet, nunc pallet; nunc floret, nunc marcescit; nunc superbit in pulchritudine, nunc sordescit in pulvere.

Caro, natura; unde : « Caro de carne mea est [4]. » — Infirmitas; unde : « Recordatus est quia caro sunt [5]. » — Corruptio mortalis; unde : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. » — Vita carnalis : « Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro sunt [6]. » — Sapientia carnalis; unde : « Caro et sanguis non revelavit tibi. » — Peccatum; unde : « Operui in cinere carnem meam. [7] » — Concupiscentia; unde : « Caro concupiscit adversus spiritum. [8] »

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Job v. 303-313.

Pereat dies in qua natus sum!

« Illa dies pereat, quæ me produxit ad ortum,
Et nox non videat auroræ nobilis ortum!
Sit nox illa gravis, nec laudis digna favore!
Sit disjuncta procul a veræ lucis honore! »
Nascens Ecclesia surgens aurora vocatur.
Per noctem Satanas, remanens in nocte, notatur.
Nascentis decus Ecclesiæ non ille malignus
Aspexit, quia non erat hanc cognoscere dignus.
« Est data lux misero, cui rident gaudia rerum,
« Cui modo viventi sunt tempora grata dierum. »
Mens pia suspirat sic, ut sua crimina plangat,
Ut dulci gustu post cœlica fercula tangat.

II.

In Evang. v. 195-200.

Et Verbum caro factum est.

Christus, vera dies, splendorque decusque dierum,
In Domini natus creditur esse die.
Et qua luce Deus dixit : « Lux fiat! » ab alto
Descendens Oriens fulsit in orbe novo.
Angelus apparens pastoribus inquit : « In altis
Gloria lausque Deo; pax tibi fiat, homo! »

XXII.

1. Vestes Christi[9], caro [10] : « Ecce vir vestitus lineis [11]. » ÷ « Quis est [12] iste qui venit de Edom? Tinctis vestibus, de Bosra [13]? »

2. Electi [14] in Job : « Circumda tibi decorem et induere speciosis [15]. »

(1) *Ex eo.* Joan. xix, 36. — (2) *Confringetis.* Ex. xii, 46. — (3) *Meam.* Matt. xvi, 18. — (4) *Est.* Genes. ii, 23. — (5) *Sunt.* Ps. lxxvii, 39. — (6) *Sunt.* Genes. vi, 3. — (7) *Meam.* Job xvi, 16. — (8) *Spiritum.* Gal. v, 17. — (9) *Vestimenta Domini* B-G, R. — (10) *Caro assumta; in Ezechiele propheta* ib. — (11) *Lineis.* Ezech. ix, 9. *Lineis, id est, carne munda* B-F. — (12) *Est.* Locus ille tantum in A laudatur. — (13) *Bosra.* Is. lxiii, 1. — (14) *Vestimenta Christi, electi omnes, ut in Job,* B-G, R. — (15) *Speciosis.* Job xi, 5; *speciosis induere vestibus* B-G, R.

Adrianus, *Εἰσαγωγή* B, 45.

Rabanus. Vestimentum, humanitas Christi, ut : « Habens in vestimento et in femore suo scriptum [1]. » — Ecclesia, ut : « A multitudine eorum consumitur vestimentum meum [2]. » — Opus bonum; ut : « Vestimentum tibi est, princeps esto noster [3]. » — Corpus nostrum, ut : « Vestimentum tuum, mixtum sanguine [4]. » — Ordo fidelium, ut : « Quod descendit in vestimentum ejus [5]. » — Viri sancti, ut : « Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris [6]. » — Opera justitiæ, ut : « Scidit vestimenta sua [7]. » — Eloquia divina, ut : « Præparavit quidem vestimentum, sed justus vestietur illo [8]. » — Membra corporis, ut : « Omni tempore sint vestimenta tua candida [9]. » — Dona exteriora, ut : « Imposuerunt eum super vestimenta [10]. » — Dona gratiæ, ut : « Beatus qui custodit vestimentum suum, ne nudus inveniatur [11]. » — Vestis, caro Christi, ut : « Vestitus erat veste aspersa sanguine [12]. » — Charitas, ut : « Super vestem meam miserunt sortem [13]. » — Ecclesia, ut : « Non habentem maculam, neque rugam [14]. » — Martyres, ut : « Vestem purpuream circumdederunt eum [15]. » — Sententiæ Scripturæ, ut : « Vestibus Esau induit Jacob [16]. »

Cf. *de Universo*, l. I., col. 22 D, 23 A.

Petrus Capuanus ad litt. XX ex art. 113. Vestimentum superius multiplex, scilicet : Caro sive humanitas Christi. Isaias : « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum quasi calcantium in torculari [17] ? » Isaias : « Quis est iste qui venit, etc...? » Apocal. : « Qui habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. » — Vestis superior, auxilium et protectio angelorum. Apocal. : « Ne forte exspolium eum veste [18]. » — Vestimenta superiora, mandata Dei, quibus fit tegmen turpitudinis nostræ, ut supersedeat Christus. Evangelium : « Imposuerunt eum super vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. » — Vestimentum superius, lex Moysis. Vestes namque Esau induit Jacob, quando legem suscepit Ecclesia. Genesis : « Vestibus Esau valde bonis quas habebat domi, induit eum. » — Vestis superior, Christus qui est vestimentum sanctorum. Paulus : « Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis [19]. » Paulus : « Induimini Dominum Jesum Christum [20]. » — Vestimenta etiam superiora, stola geminæ glorificationis. Paulus : « Quum corruptibile hoc induet incorruptionem; et mortale, immortale [21]. » Proverbia : « Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus [22]. »

Hermannus Werdinensis in *Horto deliciarum*, *de Muliere forti*, ad Lameth.

I.

Lameth interpretatur *cor*, vel *servo*, vel *cor servitutis*, quia præcepta Domini prudenter sunt intelligenda et sollicite servanda. Sic Ecclesia, mundo corde serviens, « non timebit domui suæ, » id est corpori, ab igne gehennæ, et « frigore nivis, » id est diabolo, qui transfigurat se in angelum lucis. Sed omnes servi Christi « vestientur duplicibus, » præsenti bono et futuro; quia timentibus Deum nihil deest.

Lameth cor, servo, vel servitutis habetur :
Christo corde bono serviat omnis homo.
Nix Satan est, qui se mendaci veste coruscum
Transmutat, lucis angelus esse volens.

(1) *Scriptum*. Apoc. XIX, 16. — (2) *Meum*. Job XXX, 18. — (3) *Noster*. Is. III, 6. — (4) *Sanguine*. Is. IX, 5. — (5) *Ejus*. Ps. CXXXII, 2. — (6) *Thuris*. Cant. IV, 11. — (7) *Sua*. Job I, 20. — (8) *Illo*. Job XXVII, 16, 17. — (9) *Candida*. Eccle. IX, 8. — (10) *Vestimenta*. Matt. XXI, 7. — (11) *Inveniatur*. Apoc. XVI, 16. Inde restituendus editus *Allegoriarum* textus, fœde mutilus. — (12) *Sanguine* Apoc. XIX, 13. — (13) *Sortem*. Matt. XXVII, 35. — (14) *Rugam*. Ephes. V, 15. — (15) *Eum*. Matt. XXVIII, 28. — (16) *Jacob*. Genes XXVII, 15. — (17) *Torculari*. Is. LXIII, 4. — (18) *Veste*. Non exstat nisi in *Osee* II, 3, ubi legitur : *Ne forte exspoliem eam nudam*. — (19) *Induistis*. Gal. III, 27. — (20) *Christum*. Rom. XIII, 14. — (21) *Immortale*. I Cor. XV, 54. — (22) *Duplicibus*. Prov. XXXI, 21.

Frigora magna nivis reproborum corda figurant,
Quos nec accendit ignis amorque Dei.
Non timet Ecclesia reprobi vel dæmonis arma,
Christi in perpetuum quam petra firma tenet.

Filius Ecclesiæ duplici vestitur amictu,
Quem mundanus amor perpetuusque beant.
Auxilio quia divino, post prospera mundi,
Ipsis arrident gaudia læta Dei.
Vel justos gemina vestit stola, quando resurgunt,
Corpora spiritibus consociata nitent.
Vel toga doctoris qui duplo dogmata vestit,
Dic quod sit typice lex nova sive vetus.
Hunc stola namque duplex operis tegit atque fidei,
Qui facit exemplo quod docet atque jubet.

II.

Ibid., ad Mem.

Mem interpretatur *viscera* vel *ex ipsis*, quia agitur hic de charitate, quæ est ex ipsis medullis, quasi multum totis viribus diligens. Sic Ecclesia « stragulatam vestem fecit, » id est fortem in variis virtutibus. Byssus in castitatis candore; purpura, in sanguinis effusione, vel in continentia, quæ est genus martyrii. Hæ virtutes, quia ex ipsis visceribus cordis et medullis fidelis animæ procedunt, vestiunt animam indumento immortalitatis.

Mem sonat ipsius vel viscera: tu quoque totis
Visceribus, toto dilige corde Deum.

Stragula vestis habet varium textura colorem,
Robore firma nimis atque decore decens.
Ecclesiæ varios ornatus sive decorem,
Ipsius et fidei forte figurat opus.
Castam designat vitam toga candida byssus;
Purpura martyrium sanguinolenta notat.
Ecclesiæ candent et florent lilia pacis
Tempore; bellorum sed rosa sancta rubet.

XXIII.

Tunica, Ecclesia [1], ÷ vel charitas [2] : « Non scindamus eam, sed sortiamur [3]. »

XXIV.

Stola, caro Christi [4] : « Lavabat in vino stolam suam [5]. »

XXV.

Pallium, Ecclesia [6], ÷ vel anima : « Lavabit pallium suum in sanguine uvæ. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 759 C ad XXIV.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Β', κθ'.

Rabanus. *Tunica*, caro Christi aut humanitas, ut : « Vestiet sacerdos tunicam lineam [7]. » — Ecclesia, ut : « Erat autem tunica inconsutilis [8] » — *Stola*, caro Christi, ut : « Iste formosus in stola sua [9]. » — Innocentia, ut : « Cito proferte stolam primam [10]. » — Gaudium novum, ut : « Coopertum stola candida [11]. » — Gloria cœlestis, uti : « Datæ sunt singulis stolæ albæ [12]. »

Pallium, littera, vetus testamentum : « Relicto in manibus ejus pallio [13]. » — Pœnitentia : « Cito tulit pallium, et operuit se Rebecca [14]. »

Cf. *de Universo*, l. I. col. 23 A.

Petrus Capuanus ad litt. XIX ex art. 67. Tunica cœlestis triplex, scilicet : conversatio nostra cœlestis. Exodus : « Fecerunt quoque tunicam superhumeralem, totam hyacinthinam [15]. » — Tunica quoque cœlestis, sancta Ecclesia, sive ecclesiastica unitas. Evangelium : « Erat autem tunica Domini inconsutilis. » — Tunica etiam cœlestis, caro Christi. Genesis : « Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos,

(1) *Tunica Christi, ejus Ecclesia, cujus figuram tunica illa habuit, de qua in Evangelio scribitur : Non*, etc. B-F. Vetusta manus in D scripsit, supra *tunica illa*, quasi corrigendo : *tunicella*. — (2) *Vel charitas*. Solus A. — (3) *Sortiamur*. Joan XIX, 24. *Sortiamur cujus sit de illa* B, C; *de illa cujus sit* D-F, R. — (4) *Stola Christi, caro assumta, passionis vino mundata, in Genesi* B-F. *Hinc in Genesi scriptum est* R. — (5) *Suam*. Genes. XLIX, 2. — (6) *Pallium Christi, sancta Ecclesia, ejus aspersa cruore, ubi supra* B-D, G; *aspera cruore* E, F. — (7) *Lineam*. Levit. XVI, 1. — (8) *Inconsutilis*. Joan. XIX, 23. — (9) *Sua*. Is. LXIII, 1. — (10) *Primam*. Luc. XV, 22. — (11) *Candida*. Marc. XVI. — (12) *Albæ*. Apoc. VI, 11. — (13) *Pallio*. Genes. XXXIX, 19. — (14) *Rebecca*. Ib. XXV, 65. — (15) *Hyacinthinam*. Exod. XXVIII, 31.

fecitque ei tunicam polymitam [1]. » Confestim igitur ut pervenit ad fratres, nudaverunt eum tunica talari et polymita, miseruntque eum in cisternam veterem [2]. »...

Ea quæ solent pueri circa tunicam coaptantur carni Christi. Tunica autem illa cœlestis, id est caro Christi, fuit contexta, fuit incisa, fuit consuta, fuit induta, fuit distracta, fuit confracta, fuit consissa, fuit abjecta, fuit collecta, fuit reassuta, fuit reinduta, fuit reposita.

Textores hujus tunicæ fuerunt duo : Matthæus scilicet et Lucas. Sed Matthæus incepit texere a caputio et suprema parte hujus tunicæ, et prosequutus est texturam suam usque ad extremam partem ejusdem, inquiens in Evangelio : « Abraham autem genuit Isaac; » et usque ad : « Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus [3]. » Lucas vero texturam hujus tunicæ incepit ab infima et extrema parte hujus tunicæ, et eam orditur usque ad supremam partem ipsius, et hanc tunicam texit longiorem, inquiens in Evangelio : « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli [4], » usque « qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei [5]. »

Contexta autem fuit hæc tunica ex lana et lino, id est ex Judæis et gentibus. Per lanam namque Judæi designantur. Judices : « Ponam vellus hoc lanæ in area mundi [6]. » Area ergo gentilitatis remanente sicca, compluta est lana Judaici populi rore cælesti, quando Virgo Maria facta est gratia plena, adeo ut audierit etiam : « Dominus tecum! » Hæc lana est vellus illud de quo ait David in psalmo : « Descendit sicut pluvia in vellus [7]. » Per linum intelliguntur gentiles. Linum namque nascitur ex terra, et rude est, et adhæret terræ; sed postmodum per ablutionem dealbatur. Sic gentilitas, dum terræ adhæsit, et terrena dilexit, rudis erat et agrestis; unde et per sepes etiam designantur in Evangelio : « Exi in sepes [8]. » Sed per ablutiones baptismi facta est candida, quia mandatum est in Evangelio : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes, etc. » Lanam ergo in textura hujus tunicæ apposuerunt Abraham, Isaac, et Jacob, et cæteri patres Judaici populi, qui in ipsa genealogia disponuntur. Linum autem, Raab meretrix, Ruth Moabitides, et cæteræ personæ gentilis populi, quæ ibidem exprimuntur. Vel per lanam intelligitur humanitas Christi; et, ut prædictum est, per linum, divinitas. Parabolæ : « Quæsivit lanam et linum [9], etc. » Ex hac ergo lana et lino contexta fuit tunica illa cœlestis, quia divinitas et humanitas in unam Christi personam convenerunt. Ex his autem videtur contexere Joannes evangelista. Apponit enim linum, quum ait : « In principio erat Verbum, etc. » Apponit lanam, quum addit in eodem : « Verbum caro factum est. »

Et licet indictum esset a Moyse : « Non indueris vestem ex lana linoque contextam [10] », quia tamen, veniente veritate, debuit umbra cessare, eo quod lex et prophetæ usque ad Joannem prophetam, ipse Christus, quum lex posita esset in manu mediatoris, jam quasi evacuans cæremonias, hanc tunicam induit, ex prædicta lana linoque contextam, id est ex judæis et gentibus, ex quibus carnem assumsit, postquam emisit agnum Dominus dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. Quamquam et ipse in multis aliis non venit legem solvere, sed adimplere; quia et multas cæremonias ipse custodivit, utpote circumcisionem accipiens octavo die.

Nihilominus etiam contexta fuit hæc tunica ex illis quatuor pretiosis coloribus, quos præcepit Dominus Moysi assumere a populo ad conficiendas vestes pontificales. Exodus : « Accipient hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum retortam [11]. » Nam et hæc vestis ad opus illius tenebatur, qui pontifex factus est in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Itaque con-

(1) *Polymitam.* Genes. xxxvii, 3. — (2) *Veterem.* Ib. 31. — (3) *Christus.* Matt. i, 2, 16. — (4) *Heli.* Luc. iii, 23. — (5) *Dei.* Ib. 38. — (6) *Mundi.* Sic cod. Jud. vi, 37. — (7) *Vellus.* Ps. lxxi, 16. — (8) *Sepes.* Luc. xiv, 23. — (9) *Linum.* Prov. xxxi, 13. — (10) *Linum.* Deuteron. xxii, 11. — (11) *Retortam* Exod. xxvi, 4.

texta fuit ex purpura regalis dignitatis, quia carnem assumsit de regia tribu. Apoc. : « Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum [1] ! » Apoc. : « Vicit leo de tribu Juda. » — Ex hyacintho. Hyacinthus autem aerei vel cœlestis coloris est. Paulus : « Qualis cœlestis, tales cœlestes.[2] » — Quia in illa carne cœlestem habuit conversationem, eo quod ipse assumsit primitias nostræ massæ. — Ex cocco, eo quod coccus bis tinctus charitatem designat; quæ quasi bis tingitur, dum per geminam dilectionem, Dei scilicet et proximi, coloratur. Evangelium : « Ex his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ.[3] » Evangelium. « Majorem hac dilectionem nemo habet [4], etc. » — Ex bysso etiam munditiæ et castitatis. Byssus namque est genus lini candidi, quod carnis munditiam merito desi-
gnat. Ipse autem est qui munditiam carnis præ aliis habuit. Psalmus : « Qui ingreditur sine macula [5]. » Epistola canonica : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus [6]. »

Hos eosdem colores diversæ personæ in textura hujus tunicæ apposuerunt. Purpuram ergo regalis dignitatis apposuerunt in hac textura David et cæteri reges, qui in ipsa genealogia describuntur. Propter quod et David dicitur in psalmo : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam [7]. » — Coccum bis tinctum geminæ charitatis apposuerunt Abraham, Isaac, et Jacob, atque alii patriarchæ ibi contexti, qui flamma geminæ dilectionis per opera misericordiæ fortiter erant accensi. Paulus : « Quorum quidam placuerunt Deo, angelis hospitio receptis [8]. » — Hyacinthum cœlestis coloris apposuerunt aliæ personæ ibi nominatæ, quæ licet in terris, cœlestem tamen vitam ducebant. Paulus : « Nostra autem conversatio in cœlis est [9]. » — Byssum, quod est genus candidissimi lini, in extrema parte hujus telæ apposuit Virgo Maria, per candorem et integritatem virginitatis suæ. Canticum : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea [10], etc. » De qua inquit Isaias : « Ecce virgo concipiet [11], etc. » Et Ezechiel : « Porta hæc clausa erit, vir non transibit per eam [12]. »

Incisor et consutor hujus tunicæ fuit Spiritus sanctus : cujus manu tunica carnis Christi fuit incisa et postmodum consuta; quando opere Spiritus sancti caro illa a reliqua carne Virginis fuit præcisa : utpote lapis præcisus de monte sine manibus; et eam quasi sua manu consuit, manicas et alias partes hujus tunicæ conjungendo, dum opere suo invisibili manus, brachia, tibias, et cæteras partes in unum Christi corpus compaginavit, et in illa corporalia lineamenta distinxit, quæ in eo lege hominum servata fuerunt, utpote in secundo Adam, qui factus est quasi unus ex nobis. Evangelium : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. [13] » Nam et quum Virgo ipsa quasi dubitaret quo modo fieret istud, et incideretur ac consueretur hæc tunica, audivit in Evangelio : « Spiritus sanctus superveniet in te [14]. » Hæc est nubes illa levis, super quam Dominus ascendit, ut ingrederetur Ægyptum [15].

Induta autem fuit hæc tunica, quando Verbum carnem assumsit in unitatem suæ personæ. Evangelium : « Verbum caro factum est. » Paulus : « Habitu inventus ut homo [16]. » Propter quod et hoc indumentum admiratur Isaias, inquiens : « Quis est iste, qui venit de Edom? etc. » Et idem : « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum quasi calcantium in torculari? » Hoc est enim calceamentum illud quod Dominus extendit in Idumæam, quando venit ad nos divinitas calceata.

Fuit distracta in venditione : Evangelium : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » At illi constituerunt ei triginta argenteos. » Hæc est enim venditio Joseph, qui a fratribus venditus est Ismaelitis.

(1) *Regum.* Apoc. XIX, 16. — (2) *Cœlestes.* I Cor. XV, 48. — (3) *Prophetæ.* Matt. XXII, 40. — (4) *Habet.* Joan. XIII, 13. — (5) *Macula.* Ps. XIV, 2. — (6) *Ejus.* I Petr. II, 22. — (7) *Tuam.* Ps. CXXXI, 11. — (8) *Receptis.* Hebr. XIII, 12. — (9) *Est.* Phil. III, 20. — (10) *Mea.* Cant. II, 2. — (11) *Concipiet.* Is. VII, 14. — (12) *Eam.* Ezech. XLIV, 2. — (13) *Est.* Matt. I, 20. — (14) *In te.* Luc. I, 35. — (15) *Ægyptum.* Is. XIX, 1. — (16) *Homo.* Phil. II, 7. — (17) *Tradam.* Matt. XXVI, 15.

Contracta fuit in flagellatione et crucifixione. Psalmus : « Fodederunt manus meas [1]. » Hæ sunt plagæ illæ, de quibus interrogatus a propheta : « Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum [2] ? » Ad quod et ipse respondet : « His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me [3]. »

Conscissa fuit in passione. Psalmus : « Conscidisti saccum meum [4]. » Hæc est enim tunica Joseph, qua fratres sui Judæi non sine scissura spoliaverunt eum, et tinxerunt eam in sanguine hœdi.

Fuit abjecta in reputatione Judæorum, et Pilati concessione. Isaias : « Nos reputavimus eum quasi despectum et novissimum virorum [5]. » Evangelium : « Petiit corpus Domini Jesu, et concessit ei Pilatus [6]. » Hoc est enim sine omni specie sua, de quo inquit Isaias : « Non est ei species, neque decor : vidimus eum, et non erat aspectus. »

Collecta fuit in sepultura. Evangelium : « Posuit eum in monumento suo novo, in quo nondum quisquam positus fuerat [7]. » Evangelium : « Joseph autem mercatus est sindonem [8], etc. » Hic est enim Jonas in ventre ceti, scilicet Filius hominis in corde terræ.

Reassuta fuit in resurrectione. Psalmus : « Et præcinxisti me lætitia [9]. » Ad vesperum quidem passionis demoratus est fletus, de scissura scilicet : sed ad matutinum resurrectionis fuit lætitia de redintegratione. Evangelium : « Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium [10]. » Hoc est granum frumenti, quod postquam cecidit in terram, et mortificatum fuerit, attulit fructum multum.

Reinduta fuit in reassumtione hominis. Evangelium : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam [11]. » Hoc est psalterium et cithara, cui imperat ille qui potestatem habuit. In psalmo : « Exsurge, psalterium et cithara; exsurge, gloria mea. »

Tandem vero fuit reposita, quando « Dominus quidem Jesus assumtus est in cœlum, et sedet a dextris Dei [12]. » Actus : « Ecce video cœlos apertos [13], et Jesum stantem a dextris Dei. Sede a dextris meis [14]. » Hic est enim passer solitarius in tecto.

XXVI.

Cingulum [15], justitia vel fides [16] : « Et erit justitia cingulum lumborum ejus, » ÷ « et fides [17], cinctorium renum ejus. »

XXVII.

÷ Lumbare [18] Domini, populus Judæorum, superbiæ vitio [19] putrefactus. In Jeremia propheta : « Sicut lumbare adhæret corpori, sic et applicabo [20] populum istum ad me, dicit Dominus [21]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. II, cap. VII, col. 750 C ad XXVI.

Rabanus. Cingulum, vigor justitiæ, ut : « Cingulum tradidit Chananæo [22]. » —Lumbare, Ecclesia, ut : « Vade, et posside tibi lumbare [23]. »

Cf. *de Universo*, l. I. 23 A.

Anonymus Clarevallensis. Cingulum,

1 *Meas.* Ps. XXI, 17. — (2) *Me.* Zachar. XIII, 6. — (3) *Meum.* Ps. XXIX, 12. — (4) *Virorum.* Is. LIII, 3. — 5 *Pilatus.* Luc. XXIII, 52. — (6) *Fuerat.* Matt. XXVII, 60. — 7, *Sindonem.* Marc. XV, 46. — (8) *Lætitia,* vulg. *virtute.* Ps. XVII, 40. — (9) *Gaudium.* Joan. XVI, 20. — (10) *Eam.* Joan. X, 10. — (11) *Dei.* Marc. XVI, 19. — (12) *Apertos.* Act. VII, 55. — (13) *Meis* Ps. CIX, 1. — (14) *Cingulum Christi* B G, R. — (15) *Fides ejus, in Isaia :* « *Erit...* » ib. — 16 *Et fides..... ejus* deest in A Is. XI, 5. — (17) *Lumbare.* XXV deest in A et F. — (18 *Vino* E. — (19) *Sic et ego* D, E; *applicavi* E, G; *appellavi* R. — (20 *Dominus.* Jerem. XIII, 11. Operæ pretium est resarcire hunc locum, quum totus desideratur in *Versionib. aut. Bibl.* Sabaterianis. — (21) *Chananæo.* Prov. XXXV, 24. — (22) *Lumbare.* Jerem. l. l.

per diminutionem nominatum a cinctu. Cinctus est lata zona; et minus lata, cingulum. Ornatur auro, argento, lapide pretioso; signum est honoris. — Cingulum, corona vitæ æternæ; unde: « Præcinget se, et faciet illos discumbere [1]. » — Decor virtutum; unde : « Cingulum fecerunt de bysso retorta, hyacintho [2], etc. » — Castitas; unde : « Sint lumbi vestri præcincti [3]. » — Fides; unde : « Petrus tunica succinxit se [4].» — Justitia; unde : « Erit justitia, etc. » — Virtus; unde : « Præcinxit me virtute [5]. »

Lumbare vocatur quod lumbis religetur, vel quod lumbis hæreat. Hoc in Ægypto et Syria non tantum fœminæ, sed et viri utuntur. Lumbare lineum, candidum, renibus alligatum; calefacit, inquinatur, lavatur, sole et vento siccatur. — Lumbare, Ecclesia vel sancta anima, ut : « Vade et posside lumbare lineum. »

Petrus Capuanus ad litt. III, ex art. 39. Cingulum justitiæ, nequitiæ, gratiæ, continentiæ. [Propemodum ut supra. Exquiritur deinde : *Quis et quo cingulo cingatur? Quomodo cingulum fidei sit contextum? — Qui apposuerunt ad texturam fidei nostræ quatuor colores*, scilicet byssum, hyacinthum, purpuram, et coccum bis tinctum. Nec multum in hisce retexendis Noster a loco præcedente recedit.]

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar. Ibid. Sameth.

Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.

Sameth interpretatur *audi* vel *firmamentum*, quod concurrit : non enim firmatur, qui non audit intus spiritualibus auribus mentis quod sequi debeat. Per sindonem, subtilis prædicatio Ecclesiæ intelligitur, in qua mens fidelium quiescit, tamquam corpus in molli strato. Hanc Ecclesiam Christus vendit, quum pro eis quos in fide et charitate servat, æterna mercatur. Hoc est cingulum quod tradit Chananæo, id est gentili populo, quos cinctura fidei ad cultum Dei et ad agnitionem veritatis attrahendo cinxit, id est, in unitate fidei colligavit.

Sameth est audi, firmamentumve ; beata
Audi verba Dei, firmiter illa tenens.
Sindonis Ecclesiæ signatur nomine sanctum
Dogma magistrorum, sive beata fides.
Hoc stratu pia mens contemplativa quiescit,
Spe de cœlesti lætificata bono.
Texuit Ecclesia decus hoc sibi sindonis, in quo
Perfectæ fidei spes tibi sancta datur.
Gentilis populus genitor Chanaan exstitit, a quo
Principio genita gens Chananæa fuit.
Cinctura fidei fortis mulier ligat illas
Gentes, Ecclesia quum sibi jungit eas.
Transmigrans vel mutatus Chanaan innuit illos
Qui vitium mutant in bonitatis opus.

XXVIII.

Calceamentum [6], mysterium Incarnationis [7] : « Cujus non sum dignus recumbens [8] solvere corrigiam calceamenti [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. II. c. VII, p. 750 C.

Rabanus, *de Universo*, l. I. col. 23 B.

Petrus Cantor. Calceamenta sunt unionis divinitatis et humanitatis; unde : « In Idumæam extendam calceamentum meum [10], » vel verba humanitatis, id est incarnationis. — Mortuorum operum; unde : « Solve calceamenta de pedibus tuis; terra enim sancta est in qua stas [11]. » — Exemplorum patrum jam mortuorum; unde Apostolus : « Habeamus calceamentum in pedibus nostris ad prædicandum Evangelium [12].» Quæ duo significant, propter pellem mortui animalis.

(1) *Discumbere.* Luc. XII, 37. — (2) *Hyacintho.* Exod. XXXVI, 8. — (3) *Præcincti.* Luc. XII, 35. — (4) *Se.* Joan. XXI, 7. — (5) *Virtute.* Ps. XVII, 33. — (6) *Calceamentum Domini* E; *calceamenta* B-G, R. — (7) *In Evangelio* B-F. *De quo Joannes Baptista in Ev.* R. — (8) *Procumbens* R. — (9) *Calceamenti.* Marc. I, 7. Huc usque Melitonianum fragmentum apud Rabanum *de Universo* lib. I, cap. 1, 2. — (10) *Meum.* Ps. LIX, 10. — (11) *Stas.* Exod. III, 5 — (12) *Evangelium.* Eph. VI, 6. Etsi aliter Vulgata editio.

Evangelium dicitur calceamentum, quia calceamentum valet contra tria, aspera sive spinosa, venenosa, et frigida. Contra aspera; unde : « Jugum enim meum suave est [1]. » — Contra venenum; unde : « Dedi vobis potestatem calcandi super omnes serpentes et scorpiones [2]. » — Contra frigora infidelitatis; unde : « Ignitum eloquium tuum vehementer [3]. » Item Salomon : « Ignitus sermo Domini [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. III, ex art. 48. *Ea quæ attenduntur circa calceamentum, fuerunt in calceamento humanitatis Christi.* Calceamentum Dei, humanitas Christi..., et hoc venerandum est et adorandum. Psalmus : « Adorate scabellum pedum ejus [5], quoniam sanctum est. » Hoc autem calceamentum humanitatis factum est de pellibus mortuorum animalium. Nam de vetustate nostræ mortalitatis assumsit carnem. Jeremias : « Vetustam fecit pellem meam [6]. » Isaias : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit [7]. » Hinc ipse uno die et duabus noctibus jacuit in sepulcro, quia scilicet sua simpla vetustatem pœnæ nostræ duplicem, pœnæ videlicet et culpæ, destruxit.

Pes cui adhærebat hoc calceamentum, fuit divinitas. Paulus : « Habitu inventus ut homo [8]. » Evangelium : « Verbum caro factum est [9]. » Et alibi : Venit ad nos calceata divinitas.

Corrigia per quam fuit colligatum hoc calceamentum pedi, fuit modus unionis ad divinitatem. Evangelium : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. »

Solea solida, per quam terrena, id est terrenas pœnalitates, calcavit, fuit gloria immortalitatis, qua indutus est post resurrectionem. Paulus : « Christus resurgens a mortuis, jam non moritur. Mors illi ultra non dominabitur [10]. »

Filum quo hæc solea assuitur calceamento, fuit ipsa resurrectio. Psalmus : « Exsurge, gloria mea.... Exsurgam diluculo [11]. »

Subula qua facta sunt foramina in hoc calceamento, ut possit intrare filum, fuit angustia et punctio passionis. Evangelium : « Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum [12]. »

Seta per quam intromissum est filum, fuit potentia divinitatis, per quam, quando voluit, surrexit. Evangelium : « Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam [13]. »

Cultellus, quo præcisa sunt superflua ab hoc calceamento, fuit Spiritus sanctus vel operatio ejus in utero Virginis, quæ ejus carnem ab omni labe mundavit. Evangelium : « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est [14]. »

Forma ad quam factum est hoc calceamentum fuit formatio Adæ : Nam sicut ille de terra pura (Genesis : « Formavit igitur Deus hominem de limo terræ [15] »), ita iste de terra virgine. Psalmus : « Veritas de terra orta est [16]. » Psalmus : « Terra nostra dabit fructum suum [17]. »

Sutor fuit ipse Pater, cui obedivit Christus, sicut sutor disponit de calceamento secundum suam voluntatem. Paulus : « Christus factus est obediens » Patri « usque ad mortem. Propter quod et Deus exaltavit illum [18]... »

Petrus de Riga.

Aurora, in Deuteronom. v. 139—144.

Ferrum et æs, calceamentum ejus.

Ornamenta pedum, Scriptura teste, magistros,
Ad bona succinctos [19] verba, notare solent.
Per ferrum virtus penetrans adversa notatur,
Ut sit acumen ei, quæ documenta facit.
Ære figuratur mens propositum bene servans,
Perdurans in id quod bene cœpit opus.

(1) *Suave est.* Matt. XI, 30. — (2) *Scorpiones.* Luc. X, 19. — (3) *Vehementer.* Ps. CXVIII, 140. — (4) *Domini.* Prov. XXX, 5. — (5) *Ejus.* Ps. XCVIII, 15. — (6) *Meam.* Thren. III, 4. — (7) *Portavit.* Is. LIII, 4. — (8) *Homo.* Phil. II, 7. — (9) *Est.* Joan. I, 14. — (10) *Dominabitur.* Rom. VI, 9. — (11) *Diluculo.* Ps. LVI, 9. — (12) *Camelum.* Luc. XVIII, 25. Cf. infra *Camelus.* — (13) *Eam.* Joan. X, 18. — (14) *Est.* Matt. I, 20. — (15) *Terræ.* Genes. II, 7. — (16) *Est.* Ps. LXXXIV, 12. — (17) *Suum.* Ib. 13. — (18) *Illum.* Phil. II, 8, 9. — (19) *Magistri..... succincti* codd. neque sine sphalmate, ut videtur.

SCRIPTORES DE PRÆCIPUIS CHRISTI NOMINIBUS.

I.

S. Hierotheus.

De Resurrectione Domini[1].

II.

S. Irenæus Lugdunensis.

De Resurrectione Domini[2].

III.

S. Damasus

Recensuit 1° Nomina XXVII in decreto *de Libris legendis*[3]. — 2° Nomina XLII in carmine VI *de Cognomentis Salvatoris*[4].

IV.

Sylvius

Simili carmine[5], XLII Christi nomina adornavit.

V.

S. Phœbadius

Exposuit nomina XXI in libro *de Fide orthodoxa adv. Arianos*, cap. VI[6].

VI.

S. Nicetas Aquileiensis

Disseruit, destinato consilio, de nominibus XXIV *in Sermone de diversis appellationibus D. N. J. C. convenientibus*[7].

VII.

S. Orientius.

In carmine *de Nativitate Domini*[8] celebrantur nomina LXIV, quorum LII inseruntur in parte 1ª, et describuntur in 2ª; in 3ª vero XII seorsim exstant.

VIII.

S. Isidorus

Descripsit nomina LVII in *Etymolog.* lib. VII, cap. 2. *De Filio et Nominibus ejus.*

IX.

B. Rabanus

Præfixit lib. I. *de Laudibus sanctæ Crucis*, fig. I, versus XLII, cum lemmatibus X, quorum metrica VII; in quibus inseruntur nomina Christi LXIV; XXIV in ipsomet Christi in cruce pendentis corpore, exarantur; vagantur autem XL extra Christi imaginem; habentur A. M et Ω in cruce nimbi conspicua. Demum in scholiis nomina LXIV, non eadem omnino nec eodem ordine ac in versibus, singillatim definiuntur[9].

X.

B. Notkerus[10]

Recensuit nomina LIII in *Sequentia* XXXVII.

XI.

Ἀνεπίγραφος[11].

Ὀνόματα τοῦ Κυρίου ϛ'.

(1) *Domini.* Maii *Spicil. Rom.* t. III, p. 704. Hunc liceat præfigere titulum fragmento insigni, quod ex arabico codice cl. Card. Maius nuper eruit, in omnibus simillimum, maxime de nominibus Christi, cum loco eumdem hunc titulum præ se ferente, in duobus codd. armenis et syriacis, sed Irenæum auctorem sibi vindicante; quem videre est in *Spicil. Solesm.* l. l. Utrum vero Hierothei an Irenæi potiori jure sint, videsis *Proleg.* — (2) *Domini.* Vide *Spicil. Solesm.* t. I, p. 4. — (3) *Legendis.* Arevalus ad calc. Sedul., p. 787 ed. Migne. — (4) *Salvatoris.* Galland. t. VI, p. 546. — (5) *Carmine.* Areval. *ad Eleg. Sed.* v. 104, col. 761, ib. Sylvium et Damasum juxta fidem codicum infra recensemus. — (6) *VI.* Gall. ib. t. V, p. 261. — (7) *Convenientibus.* Maii *Coll. vet. Scr.* VII, p. 550. — (8) *Domini.* Gall. ib. X, p. 194, 195. — (9) *Definiuntur.* Eadem iterum ad calcem operum Rabani inepta fuisse recocta satis monuimus in *Proleg.*, ubi de hisce monumentis plura. Cf. Rabani *Opp.* t. I, col. 149; V, 19; VI, 1678. — (10) *Notkerus.* Carmen istud habuit ineditum Arevalus, et produxit in Prudent. *Proleg.* n. 212; exstaret licet tum in Pezii *Thesauro noviss.* t. I, p. I, p. 41, tum a multis annis in J. Chlichtovei *Elucidar.* l. I. — (11) *Anonymus.* Edendus infra ex cod. Paris. Cresceret in immensum parergon illud, nisi certos quosdam limites in Christi nominibus, iisque peculiari solemnitate sanctis, posuerimus. Venirent enim laudandi quotquot augustissima Jesu cognomina oratione, disquisitione, carmine, rhythmo, jubilo consecrarunt. « Tantam habentes impositam nubem testium, » paucissimos, præ loci et temporis angustia, raptim nos recitare nomine non piget. 1° Agmen ducat *S. Bonaventura*, cujus exstat, in *Supplem.* t. III, p. 495, Trident. 1774, « *pulcherrimum et devotissimum opusculum de laude melliflui Nominis D. N. J. C.* — 2° *Thomas de Stavesham* (+ 1346) scriptum reliquisse fertur *de Excellentia Nominis Jesu.* — 3° *Andreas Bilius*, teste Fabricio, ansam arripuit fuse disserendi *de littera H in nomine IHS.* — 4° Omnibus vero os occludere visus est *Joachim Garbicellus*, in magnæ molis volumine, inscripto : *Mirabiles Excellentiæ, sive grammaticæ, theologicæ, anagrammaticæ Versiones et divina Attributa augustissimi Nominis Jesu.* Mediolani, 1602 in fol. Sed hæc hactenus.

CAPUT III.

DE SUPERNIS CREATURIS [1].

I.

1. Spiritus [2], Deus [3] : « Spiritus est Deus. »

2. Angeli [4] : « Qui facit angelos spiritus [5]. »

3. Ratio quæ præeminet animæ [6] : « Spiritus et animæ justorum, laudate Dominum [7]. » ÷ « Ut integer spiritus vester servetur [8]. »

4. Vox hominis [9] : « Si oret lingua, spiritus meus orat. Mens autem mea sine fructu est [10]. »

5. Animæ hominum [11] : « Quis scit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum [12]? »

6. Spiritus [13], venti : « Adduxit Dominus Deus [14] spiritum super terram [15]. In spiritu vehementi conteres [16] naves Tharsis [17]. »

÷ 7. Spiritus [18], animæ jumentorum [19]. In Salomone : « Et spiritus jumentorum descendat deorsum [20]. »

÷ 8. Superbia [21] vel gratia : « Auferes spiritum eorum [22]. »

: 9. Spiritus, diabolus [23] vel dæmones. In Evangelio : « Quum immundus spiritus [24] exierit ab homine. » Et in Salomone : « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te [25]. » Et alibi : « Spiritus Domini malus irruebat in Saul [26]. » Item alibi, ubi et supra : « Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum [27]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Adrianus, Εἰσαγωγή, I', ρα'.

Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. III.

Rabanus. Spiritus, mens nostra, ut : « Renovamini spiritu mentis vestræ [28]. » — Appetitus peccatoris, ut : « Spiritus jumentorum, etc. » — Animæ jumentorum... — Venti... — Diabolus [29] [*ut supra*]. — Inspiratio divina : « Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ [30]... » — Timor Dei, ut : « Spiritus grandinis subvertens montes [31]. » — Robur

(1) *Creaturis.* Hunc titulum æque ac præcedentes habent B, C, F. In cæteris tamen codd. certa rerum distinctio per insigniorem litteram primam significatur. — (2) *Spiritus.* Ut capitulum primum Deo Patri pene dixerim sacrum, Filio vero secundum, ita et tertium Spiritui sancto, cui nimirum sectio illa prima palam inscribitur. At sectionem illam ex omni parte principem, modo rejectam ad capituli calcem, modo vagantem alio in loco et peregrino, necesse fuit in suam, ut videtur, restituere sedem, et capiti suo inserere. — (3) *Deus in Evangelio* B-D; *Evangelio Spiritus dicitur* E, F. Joan. IV, 24. — (4) *Spiritus angeli, in psalmo* B-F. — (5) *Spiritus.* Ps. CXII; *angelos suos* B, C, E, F. — (6) *Anima* A, D, E, F. — (7) *Benedicite Dominum* E, F, G. Dan. III, 86. — (8) *Servetur.* I Thess. V, 23, in A. — (9) *Hominum* B, C; *ver hominis* F. Heinius suspicabatur *os. In Apostolo* B-F. — (10) *Est.* I Cor. XIV, 14, addunt B, C, D, F, G. ex eodem loco : *Orabo et spiritu, orabo et mente.* — (11) *Hominum in Salomone* B-G. — (12) *Sursum.* Eccle. III, 21. *Ascendat sursum* E, F. — (13) *Spiritus venti, in Genesi* B-G. — (14) *Deus* deest in B, C. — (15) *Terram, et imminutæ sunt aquæ* [Genes. VIII, 1]. Et alibi : *Ecce ego creo spiritum* [Amos IV, 13]. *Et in psalmo* B-G. — (16) *Conterens* D. — (17) *Tharsis.* Ps. XLVII, 8. — (18) *Spiritus.* Distinctio septima deest in A, E, F. — (19) *Justorum* D. — (20) *Deorsum.* Eccle. III, 21. — (21) *Superbia.* Distinctio octava deest in B-F. — (22) *Eorum.* Ps. CXIII, 29. — (23) *Spiritus.* Dist. ultima deest in A. Signa præfixa varios codices ostendunt. *Diaboli* E, F. — (24) *Quum spiritus* D, E, F. Matt. XII, 43. — (25) *Te.* Eccle. X, 14. — (26) *Saul.* II Reg. — (27) *Prophetarum ejus.* E, F, G. II Paral. XVIII, 21. — (28) *Vestræ.* Ephes. IV, 23. — (29) *Diabolus.* Nonnulla eo loci et sub initio resecuimus ob prægrandes sequentium commentarios. — (30) *Aquæ.* Ps. CXLVII, 18. — (31) *Montes.* III Reg. XIX, 11.

hominis; ut : « Auferes spiritum eorum, et deficient. » — Superbia, ut : « Quarum indignatio ebibit spiritum [1]. » — Spirituales quique, ut : « Qui facis a. t. s. » Cf. *de Universo*, lib. VI, col. I, c. 141, b, c.

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS. Spiritus dicitur quandoque superbia, ut : « Auferam s. e., etc. » — Quandoque vita, ut Jeremias admonens Judæos ne interficerent Christum, dicit : « Quiescite ab homine cujus est spiritus in naribus : excelsus reputatus est ipse, cujus spiritus in veritate ejus [2], » id est, cujus vita sicut aliorum hominum. — Quandoque natura, ut anima, vel angelus; unde : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ [3]. » Et per Isaiam : « Omnem animam et flatum ego feci [4]. » — Quandoque pro voluntate; unde : « Beati pauperes spiritu [5]. » — Quandoque pro tertia persona in Trinitate; unde : « Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, » eo misso, in fide et bonis operibus. « Et renovabis faciem terræ [6], » id est novis hominibus confitentibus. Item : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum [7]. » Item : « Factus est repente de cœlo sonus [8], etc. »

PETRUS CANTOR. Hoc fuit quinquagesimo die post resurrectionem. In figura etiam hujus rei, præcepit Dominus observari in lege quinquagesimum annum in quo debita et servitutes remittebantur, quia hac die per adventum Spiritus sancti chirographus peccati a cordibus fidelium evacuatur. Qui enim visibiliter de cœlo descendit super apostolos, quotidie invisibiliter, maxime in die Pentecostes, credendus est mentibus fidelium illabi. Patet ergo quod non est nova festivitas Spiritus sancti, sed olim Dei novis præceptis instituta, et antiquis mysteriis præfigurata. Hæc est una de tribus præcipuis solemnitatibus quæ in lege celebrabantur : Pascha scilicet, Pentecostes, et Scenopegia, et hac offerebantur panes novi.

Spiritus in prosperis humiliat; unde : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere [9]. » — In adversis sublevat; unde : « Quum infirmor, tunc potens sum [10]. » — In patientia firmat; unde : « Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi [11]. »

PETRUS et GARNERIUS. Spiritus sanctus dicitur Πνεῦμα græce, et tunc est neutri generis. — [רוּחַ] *Rua* hebraice, et tunc est femininum. — *Spiritus* latine, et tunc masculini generis. Ecce tres linguæ et tria genera.

Spiritus sanctus vocatur quandoque spiritus iræ, ut ibi : « In spiritu judicii et spiritu ardoris [12]. » — Quandoque spiritus doctrinæ; ut : « Spiritus sanctus docebit vos omnia [13]. » — Quandoque spiritus gratiæ; unde : « Spiritum rectum innova in visceribus meis [14]. »

Spiritus sanctus est quandoque benignus; unde : « Benignus est spiritus sapientiæ, nec habitat in corde subdito peccatis [15]. » — Quandoque vehemens, propter repentinam inspirationem; unde : « Factus est repente de cœlo, etc. » Item : « Fluminis impetus, » id est inundatio sancti Spiritus, « lætificat civitatem Dei [16], » id est sanctam Ecclesiam, vel corpus sanctæ Virginis, vel suum proprium quod de ipsa suscepit. — Quandoque furoris, quantum ad malos; unde : « In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ [17]. »

Spiritus sanctus ad modum olei medicinalis est, quia dolores mitigat et tumores; quia consolator noster est, « qui consolatur nos in omni tribulatione nostra [18]. » — Naturam habet indivisibilem [19]; ita Spiritus sanctus est fons proprius, cui non communicat alienus. — Aquis omnibus superfertur; unde : « Spiritus Domini ferebatur

(1) *Spiritum.* Job, VI, 4. — (2) *Ejus.* Isaiæ, II, 22. Silet Garnerius ubi cum Petro non adducitur. Sed uterque memoria lapsus est, dum ad Jeremiam provocavit. — (3) *Vitæ.* Genes. II, 7. — (4) *Feci.* Rursus uterque erravit, aut ignotam mihi versionem adduxit. — (5) *Spiritu.* Matt. V, 3. — (6) *Terræ.* Ps. CIII, 30. — (7) *Terrarum.* Sap. I, 7. — (8) *Sonus.* Act. II, 2. — (9) *Apponere.* Ps. LXVIII, 28. — (10) *Sum.* II Cor. XII, 10. — (11) *Mihi.* Ps. XXXIX, 1. — (12) *Ardoris.* Is. IV, 4. — (13) *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Joan. XVI, 14. — (14) *Meis.* Ps. L, 12. — (15) *Peccatis.* Sap. I, 4, 6. — (16) *Dei.* Ps. XLV, 5. — (17) *Aquæ.* Exod. XV, 8. — (18) *Nostra.* II Cor. I, 4. — (19) *Immiscibilem.* Garner.

super aquas [1], » quia excellentior est omnibus creaturis. — Lætificat, quia Spiritus sanctus dicitur oleum lætitiæ. — Ungit, quia docet nos de omnibus; unde Joannes in Epistola canonica : « Unctio quam accepistis, maneat in vobis, et non erit vobis necesse ut quis vos doceat, quia unctio ejus docebit vos [2]. »

Spiritus sanctus ad modum olei sanat ægrotos, illuminat cæcos, pascit famelicos, penetrat duros, nos elevat sive trahit, quia superenatat ad superiora.....

Spiritus sanctus fortiter inebriat et hominem reddit eloquentem et sui immemorem. Tales fuerunt apostoli post adventum Spiritus sancti. Non enim poterant continere verbum veritatis, juxta quod Petrus dicit in Actibus apostolorum : « Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui [3]. » Et sui ipsorum obliti, contumeliis pro Christo se libenter objiciebant; juxta illud : « Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii [4], etc. »

Spiritus sanctus comparatur fluminis, quia rigat; unde : « Rigans montes de superioribus terræ [5]. » — Quia reficit; unde : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibet [6]. » — Quia cum abundantia venit; unde : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. »

Petrus. Spiritus sancti dona sive virtutes sunt septem, quæ Isaias enumerans, a summo ad imum descendit, dicens : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini [7]. » Ideo descendendo Isaias enumerat, quia agit de Christi incarnatione, in qua se exinanivit formam servi accipiens. David autem ab imo ascendit ad summum, quia agit de Ecclesiæ constitutione, quæ a timore, qui est initium sapientiæ, incipit, et ad majora paulatim ascendit, dicens : « Vox Domini super aquas; Deus majestatis intonuit [8], » quod est dicere : prædicatio spiritum timoris dedit Judæis et Gentibus, nec intonare destitit, donec daret virtutem, id est pietatem. Et hoc quod subdit : « Vox Domini in virtute, » id est, pietatem dedit, quæ respectu timoris dicitur virtus. « Vox Dei in magnificentia, » id est, prædicatio Christi spiritum scientiæ dedit, quo scimus recte conversari in medio nationis hujus perversæ et pravæ. « Vox Domini confringentis cedros, » quod est dicere : dabit spiritum fortitudinis, ut sint fortes. « Vox Domini intercidentis flammam ignis, » id est peccati, dato spiritu consilii, ne veniat usque ad consensum, vel actum, vel consuetudinem. « Vox Domini commovebit desertum Cades. » Cades interpretatur sanctum legis, id est spiritualis intellectus legis. Desertum ergo Cades, id est, a sancto legis deserti sunt Judæi qui non habent sanctum legis, id est spiritualem intellectum. Sed et hos et gentiles Dominus commovet et concutit, ut agricola sterilem terram, ut fructificet; id est, dat intellectum ut Scripturas etiam secundum anagogen percipiant. « Vox Domini præparantis cervos, » id est prædicatores Christi. Tribuit spiritum sapientiæ quibusdam qui superant et repellunt venenosas linguas hæreticorum, et ideo cervis comparantur. Potest et hæc series legi sine præsignata septem donorum distinctione.

Petrus et Garnerius. Spiritus sanctus ter datus est apostolis : primo, ante passionem, quando dixit eis : « Do vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones [9]. » Secundo, in die resurrectionis, quando dixit : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Tertio, in die pentecostes, quando misit eos prædicare, dicens : « Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ [10]. » — Primo dedit ad faciendum sanitates et miracula; secundo, ad remittendum aliorum peccata; tertio, ad robur, ut essent fortes in fide et amodo peccare non possent. Non est

(1 *Aquas*. Genes. I, 2. — 2 *Vos*. I Joan. II, 27. — 3 *Loqui*. Act. IV, 20. — 4 *Concilii*. Ib. V, 41. — 5 *Terræ*. Ps. CIII, 13. — 6 *Bibet*. Joan. VII, 37. — (7) *Domini*. Is. XI, 1. — (8) *Intonuit*. Ps. XXVIII. — (9) *Scorpiones*. Luc. X, 19. — (10 *Creaturæ*. Marc. XVI, 15.

ergo contrarium quod dicitur in Evangelio : « Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet; si autem abiero, mittam eum ad vos [1]. »

Spiritus sanctus dicitur : rectus in catechismo; — sanctus in baptismo; — principalis in confirmatione.

Petrus Capuanus ad litt. xviii, ex art. i. *Quod Spiritus sanctus secundum multiplices et diversos sui effectus quadraginta novem appellationibus nuncupatur.*

Spiritus autem sanctus, propter multos effectus quos operatur in diversis, multis etiam nominibus nuncupatur.

Dicitur enim Spiritus sanctus, quia sanctos facit.

Dicitur Spiritus salutis, quia confert salutem spiritualem.

Dicitur Spiritus Domini, quia a Domino datur.

Dicitur Spiritus Patris, quia a Patre missus.

Dicitur et Spiritus Filii, quia procedit etiam a Filio.

Dicitur Spiritus Paraclitus, quia consolatur afflictos.

Dicitur Spiritus disciplinæ, quia suis rectam dat disciplinam.

Dicitur Spiritus benignitatis, quia docet suos benignos esse ad omnes.

Dicitur Spiritus doctrinæ, quia docet sanam doctrinam.

Dicitur Spiritus humilitatis, quia mandat humilitatem.

Dicitur Spiritus sapientiæ, quia veram sapientiam confert.

Dicitur Spiritus intellectus, quia intelligentiam occultorum inspirat.

Dicitur Spiritus consilii, quia revelat consilia provida.

Dicitur Spiritus fortitudinis, quia contra adversarios robustos facit.

Dicitur Spiritus scientiæ, quia docet recte conversari in medio nationis perversæ.

Dicitur Spiritus pietatis, quia sua pietate nos salvat, et nobis suam dat pietatem.

Dicitur Spiritus timoris Domini, quia monet timere Dominum.

Dicitur Spiritus adoptionis, quia adoptat nos in filios Dei.

Dicitur Spiritus rectus, quia hominem facit rectum.

Dicitur Spiritus principalis, quia principaliter hominem format in bono proposito.

Dicitur Spiritus septiformis, quia septem dona confert; unde illud : « Tu septiformis gratiæ [2]. »

Dicitur Spiritus novus, quia innovat.

Dicitur Spiritus qui ex Deo est, quia facit nos adhærere Deo.

Dicitur Spiritus mansuetudinis, quia parcit.

Dicitur Spiritus paupertatis, quia ad humilitatem et paupertatem movet.

Dicitur Spiritus compunctionis, quia facit pœnitere.

Dicitur donum, quia donatur pœnitentibus.

Dicitur datum, quia datur sanctis.

Dicitur Spiritus judicii vel ardoris, quia interdum tribulationes quibus sancti purgantur, immittit.

Dicitur Spiritus iræ, quia irascitur malis.

Dicitur vehemens, quia sine mora infundit gratiam suam; vel vehemens, quasi *vehens* hominem *a mente;* vel quasi *vehens mentem* hominis ad superiora; vel vehemens, id est, *væ* sive æternam damnationem *adimens.*

Ex multis affectionibus describit eum Philosophus, dicens in libro Sapientiæ : « Est enim in illa Spiritus multiplex, unicus, subtilis, modestus, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum actum, qui nihil vetat bene facere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, mundus [3]. » Quæ singula secundum singulos ejus affectus, si diligenter attendat, posset aliquis assignare, nisi prolixitas impediret.

Anonymus Clarevallensis. Spiritus sanctus dicitur, secundum quod ad aliquid refertur spirans; et spirans utique, spiritus inspirans est, et ex eo appellatus Spiritus est. Spiritus etiam idem est quod anima.

(1) *Vos.* Joan. xvi, 7. — (2) *Gratiæ.* In hymno vulgari *munere.* — (3) *Mundus.* Sap. vii, 22.

Dicitur spiritus, vel pro spirituali natura, vel pro eo quod inspiret in corpore. Omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur : unde non tantum Patri et Filio et Spiritui sancto, sed omni rationabili creaturæ et animæ hoc vocabulum congruit. Ideo Spiritus Dei sanctus vocatur, quod Patris et Filii sanctitas est[1]. Spiritus sanctus procedit, infundit, vivificat, inhabitat, illuminat, inflammat, replet, visitat, spirat, consolatur, ditat, inebriat, firmat, repellit, pacificat, ducit, ungit, venit, recedit, induit, penetrat, scrutatur, gubernat.

Spiritus

Ipse Deus.	Diabolus.
Mens nostra	Ventus aeris.
Anima corporis.	Inspiratio divina.
Timor Domini.	Superbia.
Robur hominis.	Spiritales quique.

Petrus de Riga.

Aurora, in Act. apost. v. 83-94.

Quumque dies pentecostes festiva niteret,
Discipulosque locus omnes unus haberet,
A Patre descendit super omnes Spiritus almus,
Sicut prædixit a longo tempore psalmus.
Spiritus igne micans illorum pectora munda
Cœlitus implevit divini muneris unda.
Intonuit magno majestas illa fragore :
Imbuit ora novis linguis et corda calore,
Expellens omnes tenebras mentisque timorem.
Contulit his linguis varias fideique vigorem.
Omnes ergo sacri flatus virtute repleti,
Absque timore Dei referunt magnalia læti.

II.

1. Cœlum, angeli[2] : « Audite, cœli[3]; » ÷ « et[4] auribus percipe, terra. Suspice cœlum et intuere; et contemplare æthera, quod altior te sit[5]. Tu forsitan cum eo fabricasti cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt[6]. »

2. Cœlum, Ecclesia : [7] ÷ « Et[8] cauda ejus trahebat tertiam partem cœli, et misit eas in terram. » ÷ In Evangelio[9] : « Simile est regnum cœlorum. »

3. Sacra Scriptura[10] : « Extendens cœlum sicut pellem[11]. » ÷ « Qui operit cœlum nubibus[12]. »

4. Apostoli[13] : « Cœli enarrant gloriam Dei[14]. » ÷ « Spiritus ejus ornavit cœlos[15]. Verbo Domini cœli firmati sunt[16]. Domine, inclina cœlos tuos[17]. »

5. Aer[18], in quo Heli raptus est : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus[19]. »

÷ 6. Anima justi : « Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum[20]. »

÷ 7. Vita[21] sublimis sanctorum : « Ignis Dei descendit de cœlo[22]. »

÷ 8. Judaici sacerdotes vel doctores : « Attende, cœlum, et loquar[23]. »

(1) *Est*. Hucusque multa ex Isid. *Etymol*. lib. VII, c. III.—(2) *Cœlum, cœlestes creaturas, hoc est, sanctos angelos* B, C, D. *Cœlestis creatura, hoc est* E, F. *Sanctum Evangelium* D. *Angeli* F. *Sancti angeli* E. *In propheta* B-G. — (3) *Cœli*. Is. I, 2. *Quæ Dominus loquutus est* B, C. *Quia Dominus* D-F. — (4) *Et*..... *sunt* in A. — (5) *Sit*. Job XXXV, 5. — (6) *Sunt*. Job XXXVII, 18. — (7) *Sancta Ecclesia* B-F. — (8) *Et*.... *terram*. Apoc. XII, 14. In solo A. — (9) *In*... *cœlorum* B G, passim in Ev. — 10 *Scriptura, per ora mortalium in toto orbe terrarum dilatata, in psalmo* B-G. — (11) *Pellem*. Ps. CIII, 2. *Extendet* E, F. *Pellem, de qua alibi, post cursum vitæ præsentis : Cœlum plicabitur sicut liber* (Is. XXXIII, 4) B, C, D, G. — (12) *Nubibus*. Ps. CXLVI, 8. — (13) *Sancti apostoli vel cæteri (sancti* D) *prædicatores, in psalmo* B-F. — 14) *Dei* B-F. Ps. XVIII, 2.— (15) *Cœlos*. Job XXVI, 13. — (16) *Sunt*. Ps. XXXII, 6.— (17) *Tuos*. Ps. CXLIII, 5. — 18) *Aer iste agnoscitur, in quo cœlo hoc aereo hoc est aerio* D, F) *Helias raptus describitur, et de quo Apostolus pro immundis spiritibus loquitur : non est* B-F. — 19) *Cœlestibus*. Ephes. VI, 12. B-G addunt : *Et alius apostolus : Cœli autem qui nunc sunt et terra, eodem verbo repositi sunt, et igni servati in diem judicii* (II Petr. III, 7). — (20) *Meorum*. Is. LXVI, 1. — (21) *Vita*. Distinctiones 6, 7, 8, 9 exstant in A, 10 in B-G. — (22) *Cœlo*. IV Reg. I, 10. — (23) *Loquar*. Deut. XXXII, 1.

÷ 9. Cœlestis vita. In Job, de hypocrita : « Si ascendit usque ad cœlos superbia ejus [1]. »

10. ÷ Cœli, libri legis et prophetarum. In Psalmo : « Videbo cœlos, opera digitorum tuorum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6 ad 1; ed. II, col. 748 D, 749 A ad 3, 4, 6.

Gregorius M. Cœlum, supernarum sublimitas potestatum; unde ad Job : « Suspice, etc., » ac si diceret : vide quantum a divina celsitudine superaris, qui increatæ potestatis immensa sublimitate transcenderis. — Ecclesia, ut in Apocalypsi de antiquo dracone dicitur : « Et cauda, etc.; » quia illa Satanæ extremitas, per audaciam assumti hominis erecta, quos velut electos in Ecclesia invenit, obtinendo, reprobos ostendit. — Anima justi; unde scriptum est : « Cœlum, attende. » — Cœleste judicium; unde ad Job dicitur : « Numquid nosti ordinem cœli [3]? » Ordinem quippe cœli noscere, est supernarum dispositionum occultas videre rationes. — Divinum eloquium, ut ibi : « Extendens c. s. p. » Cœlum namque sicut pellis extenditur, quando sacrum eloquium, carnea scriptorum lingua formatum, ante oculos nostros doctorum sermonibus explicatur. Recte autem cœlum dicitur, quod diem nobis intelligentiæ aperit, et sole nos justitiæ instruit, et cœlestium mandatorum infusionibus rigatur. — Sublimis vita sanctorum; ut in Job : « Et gelu de cœlo quis genuit [4]? » Quasi enim de cœlo gelu gignitur, quum de sublimi sanctorum patriarcharum vita plebs Judæorum frigida generatur. — Judaicum sacerdotium, ut ibi : « Ignis Dei d. d. c.; » id est, a præpositorum cordibus flamma invidiæ corruit, et quidquid boni in plebibus oriebatur, incendit.

Gregorius apud *Garnerium S. P.*, p. 11, sqq.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Γ′, ιθ′.

Rabanus. Cœlum, Deus; ut : « Posuerunt os suum in cœlum [5]. » — Christus, ut : « Cœlum cœli desuper [6]. — Beatitudo cœlestis, ut : « Quomodo cecidit Lucifer de cœlo [7]? » — Intellectus angelorum, ut : « Excelsior cœlo est [8]. » — Cœtus supernorum spirituum, ut : « Verbum tuum permanet in cœlo [9]. » — Sancta Ecclesia, ut : « Fiant luminaria in firmamento cœli [10]. » — Mundus, ut : « Signum magnum apparuit in cœlo [11]. »

Cf. Idem *de Universo*, lib. IX, c. I.

Petrus Cantor Paris. Tres sunt cœli materiales : empyreum, quod statim quum est factum, angelis repletum est. Et dicitur empyreum, id est igneum, a splendore et calore : πῦρ enim græce, ignis latine. De hoc cœlo dicitur : « Factum est in cœlo silentium [12]. » Item : « Cœlum cœli Domino, » id est, cœlum empyreum dedit Domino, id est Christo secundum quod homo; « terram autem dedit filiis hominum [13], » ut in ea se purificent, quia « non mortui laudabunt te, Domine [14]. » — Sidereum; unde : « Benedicite, stellæ cœli, Domino [15]. » — Aereum; unde : « Volucres cœli, » item spirituales, qui multiplices sunt, scilicet angeli, apostoli, animæ sanctorum. — Quidam etiam quartum cœlum addunt, scilicet Trinitatis, de quo dicitur : « Ascendam in cœlum [16]. »

Sunt cœli celantes cœlestia, id est sacræ Scripturæ; unde : « Domine, inclina cœlos tuos, et descende [17]. » — Sunt cœli prædicantes cœlestia, id est apostoli; unde : « Cœli enarrant gloriam Dei [18]. »

(1) *Ejus.* Job XX, 6. — (2) *Tuorum.* Ps. VIII, 4. — (3) *Cœli.* Job XXXVIII, 33. — (4) *Genuit.* Job XXXVIII, 29. — (5) *Cœlum.* Ps. LXXII, 9. — (6) *Desuper.* Ps. CXLVIII, 4. — (7) *Cœlo.* Is. XIV, 12. — (8) *Est.* Job XI, 8. — (9) *Cœlo.* Ps. CXVIII, 81. — (10) *Cœli.* Genes. I, 14. — (11) *Cœlo.* Apoc. XII, 1. — (12) *Silentium.* Apoc. VIII, 1. — (13) *Hominum.* Ps. CXIII, 16. — (14) *Domine.* Ib. 17. — (15) *Domino.* Dan. III, 63. — (16) *Cœlum.* Is. XIV, 13. — (17) *Descende.* Ps. CXLIII, 5. — (18) *Dei.* Ps. XVIII, 2.

Est cœlum terræ, id est aereum. — Cœlum cœli, id est firmamentum. — Cœlum cœlorum, id est empyreum.

Cœlum quandoque dicitur Pater; unde: « A summo cœlo egressio ejus [1]. » — Quandoque dicitur Filius; unde: « Cœlum cœli Domino, » id est Christo; Domino, id est ad honorem Domini. — Quandoque sacra Scriptura; unde Isaias: « Cœlum sicut liber plicabitur [2]. » Item: « Extendens c. s. p. » Item: « Qui operit c. n., » id est sacram Scripturam figuris et mysteriis. Ideo lex cœlum dicitur, quia, sicut in cœlo sunt luminaria fixa, ita sancti in lege Dei, id est in sacra Scriptura meditando, in ea ne moveri queant. — Cœli dicuntur angeli, sive animæ justorum; unde: « Dominus in cœlo sedes ejus. » Item: « In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo, » id est in angelis vel in Ecclesia, scilicet in bonis. Item in cœlum ponunt quidam os suum (ut infra in *Os* [3]...).

Cœlum cœlorum, sive cœlum cœli Christus est; unde: « Cœlum cœli Domino. » — Cœli, maximi doctores, qui a solo Deo didicerunt, ut Salomon, qui fuit discipulus unius noctis; et apostoli, unius horæ; et Paulus, qui per triduum; et David, qui dicebat: « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [4]. » Non dixit « mihi, » sed « in me, » id est in corde. Et hoc modo, scilicet inspiratione, multi docti sunt. — Cœli, mediocres doctores; hi enim dicuntur cœli; sicut minores, id est, utrisque subjecti, dicuntur terra, ut ubi: « Cœlum cœli, etc... »

Est cœlum inferius, id est apostoli; unde: « Cœli enarrant g. d. » — Medium, Christus, qui est mediator; unde: « Dominus de cœlo prospexit, etc. » — Superius, id est æqualitas Patris; unde: « A summo cœlo e. e. » Item Isaias de Lucifero: « Ascendam in cœlum, etc. » Sed ibi cœlum vocat celsitudinem Dei, ut legitur in *Sententiis* [5], cui scilicet celsitudini parificari volebat, et est tale: « Ascendam in cœlum, » id est ad æqualitatem Patris.

Alanus [6]. Cœlum, cœleste judicium; unde in Job, Domino interrogante, scriptum est: « Numquid nosti ordinem cœli? » — Ordinem cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre.

Cœlestis vita; unde in Job de hypocrita dicitur: « Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, quasi sterquilinium in fine perdetur [7]; » quia in morte ad tormenta deducetur.

Immensitas divina; unde de diabolo dicitur: « Ascendam in cœlum, et ero similis Altissimo, » — id est in immensitatem divinam.

Deus; unde in psalmo: « Posuerunt in cœlum os suum. »

Sanctus; unde in psalmo: « Qui habitat in cœlis irridebit eos [8]. » Et alibi: « Dominus in cœlo sedes ejus [9]. »

Populi; unde in psalmo: « Cœli enarrant g. d. »

Vita æterna; unde: « Gaudent in cœlis animæ sanctorum. »

Empyreum cœlum; unde in Genesi: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » id est cœlum empyreum et mundanam machinam.

Incorporea substantia; unde, secundum aliam expositionem, in Genesi: « In principio creavit Deus cœlum, » id est spiritalia, sive angelicam naturam, « et terram, » id est corporalia, sive materiam omnium corporum.

Ratio; unde in Evangelio: « Fiat voluntas tua in cœlo et in terra, » id est, fac ut sicut ratio nostra est tibi obediens, ita sensualitas quæ erit in futuro.

Mens humana; unde in psalmo: « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit [10], » id est confessio de mente.

(1) *Ejus*. Ib. 7. — (2) *Plicabitur*. Is. xxxiv, 4. — (3) *Os*. Hæc cod. quæ et infra velim ad cap. v requiras. — (4) *Deus*. Ps. lxxxiv, 9. — (5) *Sententiis*. Lib. ii, dist. vi. — (6) *Alanus*. A magno viro, quasi valedicturi, excipimus longiorem locum, quo diligens lector facilius advertat quibusnam e fontibus, quave ratione et indole *Doctor universalis* soleat hujusmodi allegorias explanare. — (7) *Perdetur* Job, xx, 6. — (8) *Eos*. Ps. ii, 4. — (9) *Ejus*. Ps. x, 5. — (10) *Prospexit*. Ps. lxxxiv, 12.

Christus; unde in psalmo : « Dominus de cœlo prospexit [1].

Angeli; unde in psalmo : « Elevata est magnificentia tua super cœlos [2], » id est super angelos.

Spiritus sanctus, vel operatio Spiritus sancti; unde Apostolus in secunda epistola ad Corinthios : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis [3]. » Primus homo, ad generandum scilicet, de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis, ad regenerandum, id est operatione Spiritus sancti; vel de cœlo, id est cœlestis naturæ, quia divinæ et humanæ.

Sacra Scriptura; unde dicitur : « Cœlum sicut liber plicabitur, » et hoc, tempore Antichristi, quia tunc nullus erit expositor sacræ Scripturæ. Et in psalmo : « Extendens cœlum sicut pellem. » — Per cœlum sacra Scriptura significatur, de qua nobis et sol sapientiæ, et luna scientiæ, et ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent. Istud cœlum sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros et per verba doctorum exponendo displicatur. Per aquas angeli designantur; unde : « Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini [4]. » Hujus cœli superiora Deus tegit aquis, quia ea quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora ejus teguntur; quia quædam sacri eloquii jam nobis spiritu patent, et quædam quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur.

Ecclesia; unde in Apocalypsi : « Factum est silentium in cœlo, dum committeret bellum draco, etc. » — Et alibi in Apocalypsi : « Et ecce ostium apertum est in cœlo [5]. » — Cœlum est sancta Ecclesia; quia sicut cœlum, per cœlestem conversationem est exaltata; per fidei firmitatem et constantiam solidata; corporali mansione usque ad terminos, et spiritali dilectione ad amicos et inimicos circumquaque dilatata; solis justitiæ qui eam illustrat, claritate illustrata, et justitiæ sibi divinitus collatæ splendore clarificata; et sanctorum doctorum atque perfectorum virorum præclara actione, quasi lumine solis et lunæ sive innumerabilium stellarum, lucidissima effecta. Quæ etiam divina mysteria reprobis prudenter celat, quæ justis clare manifestat. Cœlum est, quia terrena jam sub se longe deserit, et per fidem, spem et charitatem cœlestibus sublimiter inhæsit. Ostium est sacra Scriptura, cujus doctrina et prædicatione omnis electus eruditur. Et per eam quid sit credendum, quid faciendum edoctus, sanctam Ecclesiam ingreditur. Istud ostium, eloquium scilicet sacrum, reprobis semper est clausum : sed ab electis itur et intratur..... Ostium ergo apertum in cœlo conspicit, quisquis sacram Scripturam secundum rectitudinem fidei intelligens, eam velut adytum in sanctam Ecclesiam cognoscit.

Anonymus Clarevallensis. Cœlum quæ in eo sunt celat; sedes Dei est, locus sanctorum; altum, quietum, pacificum, secretum, clarum, mundum, plenum gaudio; secundum philosophos rotundum, volubile, ardens.

Cœlum, beatitudo cœlestis; unde : « Quomodo cecidit, etc. » — Intellectus angelorum; unde : « Excelsior c. e. » — Mundus; unde : « Signum m. a. i. c. » — Aer iste, unde : « Respicite volatilia cœli [6]. » — Angeli, unde : « Cœli distillaverunt a facie Dei Sinai [7]. » — Apostoli; unde : « Spiritus ejus o. c. » — Prædicatores, unde : « Cœli e. g. d. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel. v. 1243-1248.

Lex dicit : Non perjures. « Nullum, Jesus inquit,
Jurandi verbum stillet ab ore tuo.
Per cœlum jurare cave : thronus est deitatis. »
Cœlum, cor justi lectio sancta vocat.
« Nec per Jerusalem, quia magnus rex regit illam;
Nec per humum : pedibus subditur illa Dei. »

(1) *Prospexit* Ps. xiii, 2. — (2) *Cœlos*. Ps. viii, 8. — (3) *Cœlestis*. I Cor. xv, 47. — (4) *Domini*. Ps. cxlviii, 4. — (5) *Cœlo*. Apoc. iv, 1. — (6) *Cœli*. Matt. vi, 26. — (7) *Sinai*. Ps. lxvii, 9.

BIBLIA CODICIS BELLEVALL. *Cælum.*

Supernæ potestates.	Cœleste judicium.	Judaicum sacerdotium.	Sancti apostoli.
Ecclesia	Divinum eloquium.	Vita cœlestis	Sancti doctores.
Anima justi.	Sublimis vita sanctorum	Angelici spiritus.	Perfectorum mentes.

III.

Firmamentum [1], Christus. « Et similitudo [2] super caput ejus firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, extendebatur super caput ejus. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS *de Universo*, lib. III, c. 3, col. 264, 265.

PETRUS CAPUANUS ad litt. V, ex art. 5.— *Firmamentum septem modis in bono, uno in malo.* — Firmamentum materiale, spirituale, cœleste et infernale.

Materiale firmamentum est exterior illa superficies de aquis congelatis ad modum crystalli. Genesis : « Fiat firmamentum in medio aquarum [3]. »

Spirituale firmamentum multiplex est : scilicet, Ecclesia. Genesis : « Fiant luminaria in firmamento cœli, et appareant [4], » id est apostoli in eminentia Ecclesiæ vel Scriptura sacra. Psalmus : « Erit firmamentum in terra, in summis montium [5]. »—Vel sancti firmi contra vitia et adversa. Psalmus : « Opera manuum ejus annuntiat firmamentum [6]. » — Vel protectio divina. Psalmus : « Firmamentum est Dominus timentibus eum [7]. » — Vel robur sanctorum. Psalmus : « Omne firmamentum panis contrivit [8], » id est, robur eorum permisit debilitari.

Firmamentum cœleste dicuntur Angeli. Daniel : « Benedictus es, Domine, in firmamento cœli [9], » id est in angelis.

Infernale dici potest obstinatio in peccatis. Psalmus : « Firmamentum in plaga eorum [10]. »

Primum firmamentum dividit aquas superiores ab inferioribus. Genesis : « Dividat aquas ab aquis [11]. » — Firmamentum Ecclesiæ dividit veram fidem a falsa. Canticum : « Comedi favum meum cum melle meo ; bibi vinum meum cum lacte meo [12]. » Quæ inquit in symbolo : « Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, etc. » — Firmamentum sacræ Scripturæ dividit veros intellectus a falsis. Terminos namque statuit Moyses circa montem Sinai, quos transgredi non licebat. Et ipsa Scriptura terminos constituit, de quibus scriptum est in Sapientia : « Non transgredieris terminos quos constituerunt patres tui [13]. » Hos nimirum transgrediebantur caupones adulteri, qui, sicut dicitur in Isaia, miscebant aquam vino [14]. — Firmamentum sanctorum dividit motus licitos ab illicitis, ne scilicet motus inferiores, id est sensualitates, ascendant ad firmamentum rationis. Psalmus : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, etc. » — Firmamentum protectionis divinæ dividit suos a non suis : Evangelium : « Ego cognosco oves meas, et nemo potest eas rapere de manu mea [16]. » — Firmamentum, id est robur sanctorum, dividit gratiam perseverantem a non perseverante. Non qui cœpit, sed « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [17]. » Apoc. : « Esto fidelis usque ad mortem [18]. » — Firmamentum Angelorum dividit salvandos a damnandis. Evangelium : « Mittet angelos suos, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis [19]. » Evangelium : « Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam : triticum autem congregabit in horreum suum ; paleam autem comburet igni inextinguibili [20], » quod fiet ministerio angelorum.

1) *Firmamentum... ejus.* A solus. — (2) *Et similitudo.* Ezech. I, 22. Nova versio. — (3) *Aquarum.* Genes. I, 6. — (4) *Appareant.* Ib. 14.—(5) *Montium.* Ps. LXXI, 16. — (6) *Firmamentum.* Ps. XVIII, 2. — (7) *Eum.* Ps. XXIV, 14. — (8) *Contrivit.* Ps. CIV, 16. — (9) *Cœli.* Dan. III, 56. — (10) *Eorum.* Ps. LXXII, 14. — (11) *Aquis.* Genes. I, 6. — (12) *Meo.* Cant. V, 1. — (13) *Tui.* Prov. XXII, 28. — (14) *Vino.* Is. I, 22. — (15) *Petram.* Ps. CXXXVI, 9. — (16) *Mea.* Joan. X, 29. — (17) *Erit.* Matt. XXIV, 13. — (18) *Mortem.* Apoc. II, 10. — (19) *Ignis.* Matt. XIII, 42. — (20) *Inextinguibili.* Matt. III, 12.

IV.

1. Angelus [1], Christus : « Et statim veniet ad templum sanctum suum [2] Dominator quem vos vultis [3], et angelus testamenti, quem vos desideratis [4]. »

2. Præcursor Domini [5] : « Ecce ego mitto angelum [6]. »

3. Prædicatores [7] : « Quum sublatus fuerit, timebunt angeli [8]. »

4. Spiritus [9] : « Qui facit angelos spiritus [10]. »

5. Diabolus [11] : « Et si angelus de cœlo [12] aliud vobis evangelizet, præter quod evangelizavimus, ÷ anathema sit [13]. »

6. Immundi spiritus : « Nescitis quia [14] angelos judicabimus [15]? »

÷ 7. Prælati [16] vel sacerdotes : « Et angelo Ephesi scribe [17]. Angeli pacis amare flebunt. Labia sacerdotis custodient scientiam [et legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini exercituum est [18] »].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in *Decreto*.

Nicetas, *Serm.* III.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 167.

Eucherius, edit. I, p. 5 ad 4; edit. II, col. 739 B, C, D ad 2-7.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, p. 7.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. 7, n° 34.

Rabanus, *de Universo*, lib. I, c. 5, col. 32 A, B, C.

Petrus Cantor. Angelorum ordo dicitur multitudo cœlestium spirituum, ut in *Sententiis* legitur [19]; quorum numerus, scilicet Angelorum, finitus est Deo, sed hominibus infinitus, ut ait Gregorius super Danielem : « Ibi millia millium ministrabant ei [20], » qui est numerus infinitus; « et decies centena millia assistebant ei, » qui est numerus finitus... » — Angelorum ordines novem sunt, et fuerunt tantum ex quo boni confirmati sunt; sed ideo dicit Scriptura de singulis ordinibus aliquos cecidisse : non quia fuerint in ordinibus, et postea corruerint, sed quia si perstitissent, eorum aliqui in ordinibus fuissent. Ideo de omnibus legitur decimus ordo reparandus : non eo quod decimus ordo inde fiat; sed quia de hominibus reparabitur quod de Angelis lapsum est, unde potest fieri decimus ordo; et inde est quod decimas a nobis exigit Deus, et nos ideo ei damus. Sed Gregorius dicit ibidem in *Sententiis* [21], quod non juxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines ad beatitudinem admittentur. Et Augustinus dicit ibidem, quod juxta numerum eorum qui ceciderunt restaurandum est de hominibus. Utrumque potest stare. Magister Petrus Manducator dicit quod duo ordines erunt in cœlo laudantium Deum. In primo erunt omnes angeli et tot virgines quot angeli ceciderunt; in secundo tot erunt de aliis fidelibus quot in primo angeli et virgines. Et hos duos ordines significant duo chori in Ecclesia, duo scilicet ordines clericorum,

(1) *Angelus Domini, Jesus Christus, id est nuntius Patris, in propheta : veniet.* B-F. — (2) *Templum suum.* E, F. — (3) *Quem vultis* ib. — (4) *Desiderans.* Malach. III, 1. — (5) *Joannes præcursor, in Malachia* B-G. — (6) *Angelum meum ante faciem meam* ib. sic B-D. *Faciem tuam* E-G. — (7) *Sancti prædicatores, de quibus Dominus ad Job, pro diabolo loquens* [*Zabulo* B-D], *ait : quum.* B-G. — (8) *Angeli.* Job XLI, 16. *Angeli, et territi purgabuntur* [*turbabuntur* E, F]. *Et alibi : Angeli pacis amare flebant* [Is. XXXIII, 7, *flebant* E, F], B-F. Addunt B-D : *Et in Apostolo : apparuit angelis* [1 Tim. III, 16] *quod nomen non per naturam, sed per officium prædicationis sortiti sunt.* — (9) *Angeli, potestates supernæ, in Psalmo : qui* B-F. — (10) *Spiritus.* Ps. CIII, 4. — (11) *Diabolus, in Apostolo.* — (12) *Etiamsi angelus de cœlo annuntiaverit* E, F. — (13) *Sit.* Gal. I, 8. — (14) *Spiritus, ubi et supra, nescitis* B-D. *Nescitis* deest in E, F. — (15) *Judicabimus.* 1 Cor. VI, 3. — (16) *Prælati.* Distinctionem illam A solus asservavit, in quo etiam excidere ultima verba. — (17) *Scribe.* Apoc. V, 1. — (18) *Est.* Malach. II, 7. — (19) *Legitur.* Lib. II, dist. IX, q. 1, 2. — (20) *Ei.* Dan. VII, 10. — (21) *Sententiis.* Ib. q. 1, 3. Cf. D. Thom. *opp.* t. VI, p. II, p. 31 edit. Rom. 1670. Greg. *Homil.* XXXIV *in Luc.* XV. August. in *Enchirid.* Petrus Pictaviens. *Sent.* lib. II, c. 3.

dexter et sinister, dexter significat ordinem angelorum et virginum; sinister, aliorum fidelium.

Novem diximus ordines angelorum. Primus ordo sunt Angeli, qui minora nuntiant. Secundus, Archangeli, qui majora. Tertius, Virtutes, per quos signa et miracula frequenter fiunt. Quartus, Potestates, qui virtutes adversas sua potestate refrænant, ne homines tantum tentare valeant, quantum desiderant. Quintus, Principatus, qui ad explenda divina mysteria principantur. Sextus, Dominationes, qui Principatus et Potestates transcendunt. Septimus, Throni, qui sedes Dei dicuntur, eo quod in eis sedeat Deus, ut ait Gregorius ibidem in *Sententiis*, et per eos judicia decernat et informet. Octavus, Cherubim, qui præ aliis scientia præeminent; *Cherubim* enim interpretatur « plenitudo scientiæ. » Nonus, Seraphim, qui præ aliis ardent charitate; *Seraphim* enim interpretatur « ardentia, vel incendentia. » Hæc nomina illis non propter se, sed propter nos data sunt. Michael vero, Gabriel, Raphael non sunt nomina ordinum, sed spirituum. Et dicunt quidam singulum horum non unius proprie ac singulariter ac determinate, sed nunc hujus, nunc illius esse nomen, secundum qualitatem eorum ad quæ nuntianda vel gerenda mittuntur: sicut et dæmonum quædam nomina sunt, quæ quidam putant unius esse propria, alii vero pluribus communia [1].

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis [2]. Angeli custodes nostri sunt : nam unicuique homini deputati sunt duo angeli : unus malus [3] ad exercitium, et alter bonus ad custodiam. Unde in Matthæum ibi : « Si oculus tuus scandalizat te [4], etc. » Dicit Glossa : « Magna est dignitas animarum, ut anima quæque habeat ab ortu nativitatis suæ in custodiam sui angelum sibi deputatum. » Item ibi : « Angeli eorum semper vident faciem Patris [5]. » Angelos dicit eorum, quibus ad custodiam deputati sunt. Sic enim legitur in *Sententiis* [6] : Angeli ministri nostri sunt, de nostra salute semper solliciti, Apostolo attestante : « Hi omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis [7]. »

Angeli pugnant pro nobis, sicut in Apocalypsi legitur : « Factum est silentium magnum in cœlo, dum præliaretur Michael archangelus cum dracone. » Cœlum Ecclesia est, in qua Michael pugnat cum diabolo [8], quia eum, ut non tantum quantum vult noceat [9], jussu superno clementiæ refrænat.

Angeli vincunt pro nobis, sicut in eodem libro legitur : « Nunc facta est salus, et virtus, et victoria, et projectus est accusator fratrum nostrorum [10]. »

Gaudent pro nobis, quia « gaudium erit ante Deum super uno peccatore pœnitentiam agente [11]. »

Flent pro nobis, sicut dicit propheta : « Angeli pacis amare flebunt. » Angeli enim Dei amare plorant, quum vident nos vitia virtutibus præponere [12].

Intersunt et fini [13] hominis. Legimus enim in *Vitas-Patrum*, et ex Vita et Legenda beati Martini colligitur. Beati etiam Fursei, ut infra in *Usura* [14].

1 *Communia*. Ib. dist. x. q. 3. Cf. D. Th. *opp.* Ib. p. 55, v°. — 2 *Lingonensis*. Duobus cl. vv. eadem placuere, quæ, etsi nonnullis lectoribus uberiora forsan videantur, resecare piguit. Multa nimirum erunt tum ad rem symbolicam, tum ad veterem theologiam illustrandam aptissima. — 3 *Malus*. Sententia Lombardi peculiaris, lib. II dist. II. Cf. Petr. Pictav. col. 116 E. — 4 *Te*. Matt. XVIII, 9. — 5 *Patris*. Matt. XVIII, 10. — 6 *Sententiis*. Lib. II, dist. XI. q. 1, ibid. p. 54 v°. — 7 *Salutis*. Hebr. I, 14. — 8 *Diabolo*. Apoc. XII, 1. — 9 *Quantum valet, noceat, cohibet*. Garn. — 10 *Nostrorum*. Apoc. XII, 10. — 11 *Agente*. Luc. XV, 10. — 12 *Anteferre*. Garner. — 13 *Intersunt funeri cujuslibet christiani. Sic enim legitur* ib. — 14 *Usura*. Sic habetur loco laud. « Et quod usura pecuniæ sit vitanda, multiplex est argumentum. Maxime hoc quod contigit B. Furseo, cujus corpus jacet in villa quæ dicitur Perona. Iste, ut in vita ejus legitur, quum esset regis et reginæ filius, etc., quæ videsis apud Mabillon. *Act. ord. S. Ben.* t. II, p. 320. » Ex hac autem vita pleraque desumuntur, quæ mox legere est, *mysteriorum* instar popularium, graphice descripta. Eadem apud Græcos coævos circumferebantur, et occurrunt in libello quodam inscripto : *Quid anima pro se adversus corpus coram judicibus dictura sit*. Cod. Paris. 2465. Cf. *Vitæ Patrum*, p. 51, 108, 129, 158, 174, 645, 754. ed. Rosweyd. Eadem exempla Noster exaggeravit in *Verbo abbrev.* p. 120, 133.

Quum laborat homo in extremis, assistunt ei non solum boni angeli, sed etiam mali. Vidit enim beatus Martinus dæmonem astare sibi egressuro, et ait: « Quid hic astas, cruenta bestia? » Et etiam in Tobia super piscis exenterationem, legitur quod diabolus astitit Christo in cruce morienti, ut videret si aliqua macula peccati esset in eo [1].

Quid ergo de nobis possumus exspetare? Dico quidem quod angeli intersunt fini hominis, qui insidientur calcaneo ejus; ut quem in vita non poterant superare, saltem in morte subvertant, proponentes ei quidquid charius habebat in mundo, ut uxorem, liberos et hujusmodi. Tamen inter bonos et malos angelos prima litis contestatio celebratur. Mali angeli prima fronte allegant superbiam carnis, superbiam oculorum [2], superbiam vitæ; crebra perjuria, iram, invidiam, et cætera vitia quæ commisit vel voluit ille de quo agitur. Præterea subjungunt: Ipse sibi manus injecit, quando nostro dominio collum sponte subegit [4], nemine sibi violentiam faciente.

Alibi legitur, sed de reprobis, quod etiam ista allegabat diabolus, anima præsente [5]: Volui te invitare ad luxuriam; tu prævenisti meam solertiam [6]. Volui te inflammare ad gulam, tu anticipasti [7] meam cautelam. Volui te fallere per avaritiam, et tu eras ipsa avaritia [8].

Boni angeli pro parte sua allegant primo loco fidem, spem, et charitatem, cæterasque virtutes et earum opera, et maxime opera charitatis: quia fides sine operibus mortua est.

Tandem producuntur testes in medium: sed mali angeli primo ostendunt chirographum suum, in quo scripserunt omnia peccata vel delicta illius de quo agitur, et modos, loca, et tempora. Et quod peccata scribantur, ait Dominus per Jeremiam: « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo [9]. » Item Malachias [10]: « Ecce sculptum est coram me; non tacebo. »

Deinde producunt personas illas, in quas ille de quo agitur, injurias conflagravit. Producuntur et illi, quibus vel videntibus, vel audientibus, vel quocumque modo scientibus, peccavit idem ille.

Contrà hæc autem inducuntur pauperes Christi, quibus iste cujus est causa, suas eleemosynas erogavit. Producuntur etiam sancti, quorum festa devotissime celebravit. Quum autem hæc omnia non sufficiunt, tandem producuntur in medium guttæ sanguinis, quæ de latere Christi manaverunt.

His rite peractis, transactoque negotio, mali angeli mox abeunt retro, confusi; boni vero angeli, gaudio ineffabili gratulantes, beatam animam deferunt in sinu Abrahæ collocandam. Si tamen aliquid in ea purgandum sit, ad ignem purgatorium eam deportant, ubi, sicut ex *Vitas-Patrum* colligitur [11], varia loca pœnarum variæque differentiæ, sicut varia merita, esse creduntur. Cujus pars superior, ubi mitius purgantur animæ, dicitur Os leonis. Unde orat Ecclesia: « Libera eas de ore leonis. » Inferior vero pars, ubi purgantur acerbius, dicitur Profundus lacus. Unde orat Ecclesia: « Et de profundo lacu. »

Angelus malus, scilicet Lucifer, in superiori cœlo, id est empyreo, fuit creatus; unde Isaias, lapsui Luciferi insultans, sic ait: « Quomodo cecidisti, Lucifer? » Et ejus supercilium non tacuit idem propheta, dicens: « Ascendam in cœlum, et ponam sedem meam ab aquilone. » Si in superiori cœlo creatus est, ad quod cœlum se ascensurum proposuit? Sic ergo intelligendum est: « Ascendam in cœlum », id est ad præeminentiam illius qui me creavit, et ero similis illi, in exemtione [12] a jugo superiori. Sicut enim creator meus nulli superiori te-

(1) *Eo.* Cf. Walafridi Strab. *Gloss.* ad h. l. — (2) *Concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum.* Garner. — (3) *Iracundiam* ib. — (4) *Supposuit* ib. — (5) *Alibi legitur quod et ista allegabit angelus: me volente invitare ad luxuriam* ib. — (6) *Et tu me superabas superbia* ib. — (7) *Et tu meam prævenisti cautelam* ib. — (8) *Avaritia.* Irrepsere plura extra locum in Garner. — (9) *Ferreo.* Jerem. XVII, 1. — (10) *Malachias.* Petri errorem errore suo confirmavit Garnerius; scribendum *Isaias*: cf. LXV, 6. — (11) *Colligitur.* lib. VIII, c. 27, p. 729. — (12) *Exceptione.* Garner.

netur obnoxius, ita ego nulli excellentiori volo teneri obligatus. Et hoc est : « Ascendam in cœlum. »

Et ejus lapsus similiter legitur sic in Apocalypsi : Lucifer tertiam partem traxit secum, id est magnam partem angelorum, qui in suam enormitatem sibi assensum præbuerunt. Illorum vero angelorum qui pro hujusmodi excessu corruerunt [1], quidam apud inferos religati sunt usque ad tempus Antichristi. Nam in illa tribulatione solvetur Satanas; et tam in filios regni quam in filios diffidentiæ sæviendi a Deo impertietur ei facultas. Alii vero in hoc aere caliginoso mansionem sortiti sunt. Et hoc ad confusionem illorum qui pro mundiali flore militant, et transitoriis emolumentis curiose invigilant; de quibus Psalmographus : « In circuitu impii ambulant [2]. » Et ad quorumdam immarcescibilem coronam [3] quibusdam prætaxatorum spirituum aer iste ergastulum indulsit; id est, ad bravium illorum qui crebris assultibus antiqui serpentis, quærentis semper quem devoret, viriliter resistunt, et in carne manentes, et præter carnem viventes, beneficio virtutum jam de medio Babylonis exierunt. Istam luctam non præteriit Apostolus, dicens : « Non solum est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc... »

Angeli et homines sancti dicuntur ignis, propter incensionem cordis per charitatem, ut : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat [4] ? » — Propter consummationem vitiorum; unde Isaias : « Volavit ad me unus de Seraphim, et sumto forcipe, calculo de altari tetigit labia mea [5]. » — Propter lumen sapientiæ; unde : « Vos estis lux mundi [6]. »

Angelus dicitur quandoque Filius Dei; unde Isaias : « Angelus magni consilii [7]. » — Quandoque spiritus bonus; unde : « Qui facit a. s. sp., » id est suos nuntios. — Quandoque spiritus malus; unde : « In angelis suis reperit pravitatem [8]. » — Quandoque creatura irrationabilis; unde in Actibus apostolorum legitur de Herode Agrippa, quod videbat super se angelum Domini, id est bubonem [9]. — Quandoque vir justus; unde dicitur : « Labia sacerdotis munda debent esse, angelus enim Domini exercituum est. » — Dicitur etiam quod mulieres non debent apparere invelatæ coram angelo Domini [10], id est sacerdote.

Angelis æquabitur humana natura, quum fuerit incorruptibilis facta. Hæc auctoritas legitur super illum versum : « Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus. »

Garnerius Lingonensis [11]. Angelus malus dicitur venator, propter instrumenta venatorum quibus utitur. Habet enim laqueos; unde : « Cogitaverunt ut absconderent laqueos [12]. » Item : « Laqueum paraverunt pedibus meis [13]. » — Habet foveam; unde : « Foderunt ante faciem meam foveam [14]. » — Habet sagittas; unde : « Paraverunt sagittas suas in pharetra [15]. » Et venator fere semper in sacra Scriptura in malo accipitur, sicut piscator in bono.

Angelus malus intelligitur per morum, quia primum est album, secundo rubeum, tertio et ultimo fuscum et aspernabile.

Angelus malus dicitur leo, propter principatum; unde : « Venit ad me prin-

(1) *Qui in suam enormitatem assensum sibi præbuerunt* ib. — (2) *Ambulant*. Ps. XI, 9. — (3) *Coronam*. Hic omissa multa a Garnerio. — (4) *Ardeat*. Luc. XII, 49. — 5) *Mea*. Ps VI, 6. — (6) *Mundi*. Matt. V, 14. — (7) *Consilii*, Is. IX, 6. — (8) *Pravitatem*. Job VI, 18. — (9) *Bubonem*. In Actibus quidem legitur de obitu regis Agrippæ : « Confestim autem percussit eum angelus Domini (XII, 25). » A Josepho vero referente accipimus regi morituro ipsique oculis intuenti juxta insedisse bubonem, diræ nuntium mortis, quem quondam idem ipse, in carcere detentus, bonorum auspicem habuerat. Cf. *Archæol.* lib. XVIII, c. VI, p. 713; lib. XIX, c. VIII, p. 764 ed. Didot. Similia Drusius eruit e libro Rabbinico apud ipsum inscripto *Johasin*, n. 140, in quo, eodem interprete, legitur : « Avis quædam voce submissa dixit astantibus ei (et clamantibus : « *Vox Dei est!* ») : *Ecce deus vester, quem diristis, contemtui erit. Intra tres dies operiet eum pudor et caput pulverum orbis* (sic). Et ita fuit; nam post dies tres exspiravit. » Cf. *Crit. sacr.* t. IX, col. 2272. — (10) *Domini*. I Cor. XI, 10. — (11) *Lingonensis* de more suo Cantorem expilavit, liberius tamen multa mutando, ut nonnulla sibi utcumque jure vendicet. — (12) *Laqueos*. Ps. LXIII, 6. — (13) *Meis*. Ps. LVI, 7. — (14) *Foveam*. Ps. LVI, 7. — (15) *Pharetra*. Ps. X, 3.

ceps mundi hujus, et in me non habet quidquam [1]. » — Propter fortitudinem; unde : « Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet [2]. » — Propter ardorem libidinis; unde in Job : « Fortitudo ejus in lumbis ejus. » — Propter sitim sanguinis; unde : « Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret [3]. »

Angelus malus dicitur leo, quando graditur et aperte sævit; ut in primitiva Ecclesia, in persequutione martyrum.

Draco, quando volat aperte vel occulte. Callide draco fuit, quando jam cessante tempestate, et per Dei gratiam Ecclesia dilatata, excitavit hæreses, ut occulte læderet. Quibus exstirpatis ab Augustino et aliis doctoribus, excitavit in Ecclesia falsos fratres, qui durabunt usque ad tempus Antichristi, in quo erit talis persequutio, qualis non fuit ab initio mundi.

Serpens, quando serpit et ligat : contra hunc pugnavit mulier in Apocalypsi, et Samson, et Moyses in Ægypto.

Angelus malus dicitur calumniator, quia mendax; unde in Evangelio pater mendacii dicitur. — Quia accusat; unde in Apocalypsi : « Hic est accusator fratrum nostrorum [4]. » Et Job falso accusabat, dicens : « Numquid Job frustra colit Deum [5]? » — Quia premit innocentes; unde : « Adversarius vester, etc. »

Angelus malus dicitur Satan, id est adversarius; unde in Evangelio : « Vade retro, Satana [6]! »

Dæmon, id est sciens, ironice, quia promisit scientiam primis parentibus, et subtraxit, dicens : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum [7]. »

Dicitur diabolus, id est deorsum fluens.

Dicitur Leviathan, id est additamentum eorum, id est primorum parentum, quibus promisit additamentum, id est scientiam, ut dictum est.

Dicitur Reneph [8], id est repens pectore et ventre, quia nos facit repere pectore et ventre.

Dicitur Behemoth, id est animal.

Et Zabulus, id est fluxus noctis. In Job sunt omnes istæ interpretationes [9].

Angelus malus dicitur peccator antonomastice, quia peccavit; quia peccare hominem fecit; quia quotidie peccat. Peccavit in Deum, in proximum, in seipsum. In Deum; unde : « Ascendam, etc. » In proximum; unde : « Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum [10]. » In seipsum; unde : « Quomodo cecidisti, Lucifer? »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

[Vide infra, in II parte, eumdem ad vocem *Angelus*.]

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar. in lib. II, v. 8043—8066.

Aqua frigida anima sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua [11].

Ardorem frigens sitientis temperat unda,
Nuntius atque bonus pectora mœsta levat.
Non sine mysterio vacat ista parabola regis,
In qua divinus Spiritus auctor erat.
Haustus aquæ sicut animam recreat sitientem,
Sic animas recreat visio sancta Dei;
Sic hujus mundi tribulatum tollit ab æstu,
Atque refrigerio pacis inesse facit.
De terra veniens longinqua nuntius iste,
Angelus est pacis, nuntia læta ferens.
Nuntius hic, missus ad nos de sede superna,
Solatur fragiles, auxiliumque facit.
Ante Creatorem nostros uti nuntiet actus
A nobis semper nuntius iste redit.
Hostis ut antiquus nos ad mala concitat, iste
Sic nos hortatur ad bonitatis opus.
Cœlestem patriam, de longinqua regione
(A terra celsus namque nimis polus est;
Vel quia clamamus illinc, de valle profunda
Longe peccati, vel quia Christus abest)
Quam prope stat mente pura quærentibus ipsam.
Heu! longe quam stat, o scelerate, tibi!
A te ne longe faciat discessio nostra,
Tempore judicii, sta prope, vera Salus!

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Tobia v. 86-105.

Hoc nomen Raphael medicina Dei sonat : unus
Est medicus verus, qui mala nostra tulit.

(1) *Quidquam*. Joan. XIV, 30. — (2) *Possidet*. Luc. XI, 21. — (3) *Devoret*. I Pet. V, 8. — (4) *Nostrorum*. Apoc. XII, 10. — (5) *Deum*. Job I, 9. — (6) *Satana*. Marc. VIII, 33. — (7) *Malum*. Genes. III, 5. — (8) *Bese* et *Reseph* alias. Conjicere lubet hic latere vocem hebraicam רנחש *Serpens*. Nihil sane simile nobis occurrit in *Moral.* infra laudatis. — (9) *Interpretationes*. Cf. Greg. *Moral.* t. I, col. 110 E, 111 A, 555 D, 1055 E, etc. ed. Venet. — (10) *Terrarum*. Sap. II, 24. — (11) *Longinqua*. Prov. XXV, 25.

Angelus apparens Tobiæ præbuit illi
Se socium, quæ sint hunc peragenda docens.
Assumsit carnem Deus, in qua se socians
Terrigenis, humiles salvat eosque docet.
Angelus ad patrem Tobiæ dum tus, ad illum
Intulit hoc verbum : « Gaudia mente fove ! »
Respondit : « Quænam debent mihi gaudia gigni,
Qui tenebras patior nilque videre sinor ? »
Angelus inquit ei : « Sis fortis mente : propinquo
Tempore, curabit te Medicina Dei. »
Sic per virtutes, quas est operatus in ista
Carne, Jesus, multis dando salutis opem,
Judææ populo, per quem susceperat ortum,
Ostendit quia sit Filius ipse Dei.
Cui Raphael monstrat æternæ gaudia vitæ,
Dum loquitur Christus: «Sunt prope regna Dei.»
Dum clamat cæcis Judæis : « Lux ego mundi,
Meque sequens vitæ lumen habebit homo. »

V.

1. Sol., Christus [1] : « Vobis autem timentibus Deum orietur sol justitiæ [2]. » ÷ « Elevatus est sol [3]. Sol cognovit occasum suum [4]. Ortus est sol [5]. Orto jam sole [6]. »

2. Manifestatio Dei [7] in carne : « In sole posuit tabernaculum suum [8]. ÷ Tu fecisti [9] in abscondito : ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis [10], » id est manifestæ visionis.

4. Acumen humanæ sapientiæ [11], sicut de sapientibus reprobis dicitur pro Antichristo : « Sub ipso erunt radii solis [12]. »

4. Falsi fratres : « Sol [13] convertetur in tenebras [14]. »

5. Fulgor operis : « Justus [15] ut sol [16]. Tunc justi fulgebunt sicut sol [17]. » ÷ « Luceat lux vestra [18]. Si vidi solem, quum fulgeret, et lunam, et lætatus sum [19]. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris [20]. »

6. Sol, persequutionis ardor, sicut in Evangelio [21] : quæ nata sine radice, orto sole, aruerunt.

7. Prosperitas [22] : « Sol non uret te, neque luna per noctem [23]. »

÷ 8. Lumen [24] vitæ : « Erravimus a via veritatis, et sol non est ortus [25].» Unde David de dæmonibus : « Ortus est sol, et congregati sunt [26]. »

÷ 9. Prædicationis fulgor : «Qui præcepit soli, et non orietur [27].» In Apocalypsi : « Factus est sol quasi saccus cilicinus [28]. »

÷ 10. Tentationis fervor : « Si fuerit inter vos homo qui nocturno [pollutus sit somno, egredietur..., et post solis occasum regredietur in castra [29]. Quum occidisset autem sol, omnes [qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum [30]. Et Tobias, « quum sol occubuisset, sepeliebat mortuos [31]. »

(1) *Christus in Malachia* B-F. — (2) *Justitiæ.* Malach. IV, 2. *Elevatus-sole* in A tantum. — (3) *Sol.* Nahum III, 17. — (4) *Suum.* Ps. CIII, 19. — (5) *Sol.* Marc. IV, 6. — (6) *Sole.* Marc. XVI, 2. — (7) *Sol, manifesta Domini operatio, sicut in psalmo, pro corpore assumto, dicitur : in sole* B-G. — (8) *Suum.* Ps. XVIII, 6. — (9) *Fecisti.* Solus A locum excitavit. — (10) *Solis.* II Reg. XII, 12. — (11) *Sol, acumen sapientiæ, sicut in Job de quibusdam sapientibus, sed reprobis, pro Zabulo diabolo* E, F] *dicitur : Radii* B-G. — (12) *Solis.* Job XLI, 21. — (13) *Sol, Ecclesiæ fides, de quo per Joel prophetam dicitur : Sol c. i. t., quia fides Ecclesiæ novissima persequutione in reproborum cordibus per infidelitatem obscurabitur* B-G. — (14) *Tenebras.* Joel II, 31. — (15) *Sol, Justi omnes* [*homines* B, C]; *in Proverbiis : J. u. s.* B-G. — (16) *Sol. Et in Evangelio* B.-F. Cf. Eccli. XVII, 10; XXVII, 12. — (17) *Sol.* Matt. XIII, 43.—(18) *Vestra.* Matt. V, 15.—(19) *Sum.* Job XXXI, 26. — (20) *Vestris.* Luc. XII, 15. — (21) *Evangelio.* Matt. XIII, 6. *Ardor; in Evangelio : « Orto sole, æstuaverunt. »* B-F. *quod nata sine* A.—(22) *Sol, prosperitas; luna, adversitas mundi, in psalmo : per diem sol* B-G.— (23) *Noctem.* Ps. CXX, 6. — (24) *Lumen.* A solus habet quæ sequuntur n. 8, 9, 10 ut signis præfixis indicatur. — (25) *Ortus.* Sap. V, 5. — (26) *Sunt.* Ps. CIII, 22. — (27) *Orietur.* Job IX, 7. — (28) *Cilicinus.* Apoc. VI, 12. — (29) *Castra.* Deuter. XXIII, 11. — (30) *Eum.* Luc. IV, 40. — (31) *Mortuos.* Tob. II, 4, 7.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in *Decreto*, l. l. col. 790.

Eucherius, edit. I, p. 5 ad 1; edit. II, col. 739 D ad 1 et 6.

Orientius, l. l. v. 3 et 128.

Gregorius M. Sol, manifestæ visionis ostensio; unde : « In sole p. t. s., » ac si diceret : humanitatis assumtæ sacramentum posuit in lumine manifestæ visionis. — Sapientium intellectus, ut ibi : « Quartus angelus effudit phialam suam in sole [1]. » — Claritas boni operis; unde Job : « Si vidi solem, quum fulgeret, » ac si diceret : opus meum, etiam quum aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumtionis gloriam non attendi. — Lumen veritatis; unde quidam dicunt : « Sol non ortus est nobis[2], » id est, interni nobis luminis radius non refulsit. — Claritas prædicantium; unde : « Factus est sol quasi saccus cilicinus, » quia extremo tempore vita prædicantium quasi aspera et despecta monstratur. — Tentationis ardor; unde vir nocturno pollutus somnio non nisi post solis occasum intra castra revertitur; quia qui turpe aliquid in corde concepit, non nisi post abdicationem cogitationis illicitæ, ad præsumenda bonorum merita reparatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 5, p. 20.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 9, col. 268 *per totum*.

Notkerus, l. l. v. 8.

Garnerius Lingonensis. Sol est Christus; unde : « Sol et luna steterunt in habitaculo suo[3], » id est, rex et regina, Christus et beata Maria stabunt in die judicii. Modo stant quasi occulte, sed tunc deinceps in manifesto. Item Apostolus : « Sol non occidat super iracundiam vestram[4]; id est, Christus vel sol non occidat; id est, ipsa ira non duret usque ad occasum solis. —Sol est Dominus, ut in libro Sapientiæ : « Sol justitiæ non est ortus nobis; » id est, nec per cognitionem veritatis, nec per amorem virtutis illuxit nobis.

Sol dicitur Christus [5], quia « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » — Quia calefacit; unde : « Ignem veni mittere in terram [6]. »—Quia dat incrementum; unde : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit [7]. »

Sol quandoque manifestatio; unde : « In sole p. t. s. » — Quandoque temporum successio; unde : « Et permanebit cum sole et ante lunam [8]. » — Quandoque persequutionis oppressio; unde in Cantico amoris dicit sponsa : « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol [9]. »

Petrus Capuanus, ad litt. XVIII ex art. VII. *Quomodo* XI *proprietates solis adaptantur Christo.*

Sol autem, etsi multas habeat, has tamen XI habet magis notabiles proprietates : Sol igneæ naturæ est; sol in se semper est incommutabilis; in sole nulla est macula, quum semper macula sit in luna; sol semper habet plenitudinem luminis, a quo et alia luminaria lumen accipiunt; sol semper lucet in die, quum luna in nocte; sol etsi sit incommutabilis in se, interdum tamen patitur eclipsim; sol etiam illuminat; calefacit; urit; suo cursu tempora distinguit, et incrementa operatur. Hæc autem omnia in vero sole Domino Jesu Christo, si diligenter attendamus, possumus invenire.

Sol igneæ naturæ est : et Christus secundum utramque sui naturam igneus est. Nam et secundum divinam erat ignis : « Deus noster ignis consumens est [10]. » Et secundum humanam : ignis ille charitatis, quem ipse venit mittere in terram, in eo plusquam in cæteris exuberavit. Evangelium : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat [11], etc. » Nonne erat ignis in divinitate, quando mulier illa evangelica, quæ drachmam perdiderat, lucernam accendit, dum lumine suæ divinitatis inflamma-

(1) *Sole.* Apoc. XVI, 18. — (2) *Nobis.* Sap. V, 6. — (3) *Suo.* Habac. III, 11.—(4) *Vestram.* Ephes. IV, 26. — (5) *Christus.* In paucis consentit P. Cantor. — (6) *Terram.* Luc. XII, 49. — (7) *Dedit.* I Cor. III, 7. —(8) *Lunam.* Ps. LXXI, 15. — (9) *Sol.* Cant. I, 5. — (10) *Est.* Hebr. XII, 29. — (11) *Ponat.* Joan. XV, 13.

vit testam nostræ fragilitatis? Nonne ignea erat naturæ in humanitate, quando adeo ardebat ad passionem pro nobis, ut Petro suadenti ne subiret passionem diceret : « Vade retro, Satana [1]! »

Sol in se semper est incommutabilis, quum luna singulis mensibus commutetur : et Christus secundum suam divinitatem incommutabilis perseverat. Malachias : « Ego Deus, et non mutor [2]. » Epist. canonica : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio [3]. » Nonne incommutabilis est, quando « idem ipse est, et anni sui non deficient [4] ; » sed stabilis manens, dat cuncta moveri? Nonne incommutabilis est in humanitate, quando » Christus resurgens a mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur [5] ? »

In sole nulla est macula : et ipse Christus est qui singulariter ingressus est mundum sine macula. Evangelium : « Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est [6]. » Nonne nulla prorsus in eo est macula, qui « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [7] ?»

Sol semper habet plenitudinem luminis, a quo et alia luminaria accipiunt : et in Christo habitavit omnis plenitudo divinitatis. Evangelium : « Non enim ad mensuram dat Deus spiritum [8]. De plenitudine ejus nos accepimus omnes. » Nonne plenitudo luminis fuit in ipso, et ab eo alii lumen accipiunt, quando unguentum fuit in capite, sed a capite descendit in barbam, barbam Aaron, et a barba stillavit usque in oram vestimenti ejus?

Semper sol lucet in die : et Christus semper in die luxit justitiæ. Evangelium : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui [9]. » Nonne semper lucet in die, qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, sedet ad dexteram majestatis ejus in excelsis, et lucem inhabitat inaccessibilem?

Sol etsi incommutabilis est, interdum tamen patitur eclipsim : et Christus eclipsim mortis passus est in passione, quando bonus pastor animam posuit pro ovibus suis, et, inclinato capite, emisit spiritum. Nonne eclipsim mortis sustinuit, quando, sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis? Et sicut sol, quum eclipsim patitur, parum detinetur in obscuritate, et mox redit ad claritatem suam, ita et Christus : « Sicut fuit Jonas, etc. »

Sol illuminat : et Christus suæ lucis radiis alios illustrat. Evangelium : «Erat lux vera, etc. » Nonne illuminabat, quando « exortum est in tenebris lumen rectis corde ; populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam [10] ? »

Sol calefacit : et ipse Christus igne charitatis calefaciebat. Evangelium : « Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne [11].» Nonne calefacit, quando venit ignem mittere, et non nisi ut arderet?

Sol urit : et Christus ligna peccatorum nostrorum incinerat et exurit, ut, remota scoria, sit purgatum argentum. Malachias : « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et purgabit filios Levi [12]. » Nonne urebat vitia, quum dicebat : « Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a ventura ira [13] ? » Et : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur [14]. »

Sol suo cursu tempora distinguit : et Christus quando exsultavit ut gigas ad currendam viam, distinxit tempus novi a veteris testamenti tempore. Evangelium : « Lex et prophetæ usque ad Joannem [15]. » Leviticus : « Supervenientibus novis, abjicietis vetera [16].» Nonne distinguebat hæc tempora, quum dicebat : « Audistis quia dictum est antiquis, etc. ?... »

Sol incrementa operatur : et Christus spiritualia efficit incrementa « » Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus [17].» Nonne spiritualia

(1) *Satanas*. Marc. VIII, 33. — (2) *Mutor*. Malach. VI, 14. — (3) *Obumbratio*. Jac. I, 17. — (4) *Deficient*. Ps. CI, 28. — (5) *Dominabitur*. Rom. VI, 9. — (6) *Est*. Matth. I, 20. — (7) *Ejus*. I Petr. II, 23. — (8) *Spiritum*. Joan. III, 34. — (9) *Complacui*. Matth. III, 17. — (10) *Magnam*. Is. IX, 2. — (11) *Igne*. Matt. III, 11. — (12) *Levi*. Malach. III, 2, 3. — (13) *Iræ*. Luc. III, 7. — (14) *Mittetur*. Matth. III, 10. — (15) *Joannem*. Luc. XVI, 16. — (16) *Vetera*. Levit. XXVI, 10. — (17) *Deus*. I Cor. III, 7.

contulit incrementa, quando dum ipse exiit seminare semen suum, cecidit semen ejus in terram bonam, et, eo cooperante et incrementum præstante, protulit fructum tricesimum, sexagesimum et centesimum [1] ?

Thomas Cantipratanus[2], *De Naturis rerum* lib. xvii, c. 7. Sol quartus planetarum est; inde dictus est, quia solus lucet, stellis cæteris obscuratis splendoribus suis[3]. Vel ideo dicitur sol, quod sit super omnia lucens, omnibus stellis lumen præbens. Per zodiacum trecentis sexaginta quinque diebus graditur, circulumque suum viginti octo annis perambulat. Sol in ortu suo maculosus, vel sub nube latens, diem indicat pluvialem. Si rubet, serenum; si pallet, tempestuosum; si concavus videtur, ita ut in medio fulgens, radios ad austrum vel aquilonem emittit, tempestatem humidam et ventosam signat. Si pallidus in nigras nubes occidit, aquilonarem ventum determinat. De ejus proprietatibus septem versus sunt [4] :

Fulgidus, effundit radios, fons ipse caloris;
Attrahit hic nubes, specimen [5] vel forma coloris;
Illustrat lunam; noctemque diemque ministrat;
Fructus maturat; ac humida cuncta resiccat;
Intrat, si reseras; glacies et dura relidit;
Lætificat sanos oculos, lippos quoque claudit;
Occidit, et oritur; descendens, hinc quoque scandit.

Possunt autem et ista omnia significare beatitudinem gloriosæ Mariæ Virginis, cui dicitur in Canticis : « Pulchra ut luna, electa ut sol[6]. » — « Fulgida; » unde in Canticis : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, etc. » — « Effundit radios, » id est pietatis beneficia, per miracula. — « Fons ipsa caloris, » id est charitatis, quia ejus exemplo charitate accendimur. Quæ Filio suo in cruce posito, sicut Ambrosius dicit[7], tantæ charitatis fuit, ut, si necesse esset, se ipsam transfigendam traderet, et propter hoc juxta crucem mori parata stetit. — « Attrahit hæc nubes; » et illi qui ut nubes volant, illi clamant : « Trahe me post te[8]. » — « Specimen vel forma coloris. » In nocte enim nemo discernit colores, sed in luce solis; dat ergo, id est, demonstrat colores rerum, pœnitentibus violaceum, martyribus roseum, virginibus liliaceum. — « Illustrat lunam, » id est Ecclesiam in defectu positam, « cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias[9]. » — « Noctemque diemque ministrat, » quum boni vel mali se vident, in comparatione ipsius. » Unde Dominus ad Ezechielem : « Fili hominis, inquit, ostende filiis Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt[10]. — « Fructus maturat, » quum festinamus illi in virtutibus assimilari. — « Ac humida cuncta resiccat, » quum ejus exemplo fortes sumus, et cingulum castitatis tradimus Chananæo, id est Christo, quem zelus domus Domini, ipso teste, comedit. — « Intrat, si reseras, » per gratiam et dulcem memoriam in corde tuo, si os reseras ad rogandum et laudandum eam. Solus eam ille non laudet, qui eam laudans, ejus gratiam expertus non est. — « Glacies et dura relidit, » conscientiæ scilicet torporem; et cor impœnitens sanctificat. — « Lætificat sanos oculos, lippos quoque claudit; » sanos illustrat ad gratiam, lippientes in terrenis claudit, ut non possint videre quam suavis sit. — « Occidit, ac oritur, » in nativitate scilicet; occidit in morte vel passione Christi. — « Descendens » per compassionem ad illos qui clamant ad eam, et infirmi sunt vel anima vel corpore. — « Hinc quoque scandit, » in assumtione scilicet, ultra septem choros sanctorum angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum.

Nunc redeamus ad ea quæ restant de

1 *Centesimum*. Matth. xiii. — 2) Cantipratanus. Vide quæ diximus in *Proleg.* Nec tibi fastidiat primus ille haud ignobilis auctoris locus, quem, longiorem licet, integrum producimus, ut totius operis mediti gustum tibi præbeamus. Per me vero licet vetus illa physica aut sibi male constet, aut discrepet cum recentiore : neque enim alterutram exponendi, aut utramque cum altera conciliandi hic locus est — (3) *Suis*. Isid. *Etymol.* l. iii, c. lxxi, 1, t iii, p. 161 ed. Arev. — (4) *Sunt*. De ipsius, si superis placet, Cantipratani vena rudique minerva fluxere versus illi et sequentes, aliique de lunæ proprietatibus mox edendi. — (5) *Septem*, cod. — 6 *Sol*. Cant. vi, 9. — (7) *Dicit*. Non comparet in genuinis Ambrosii *Opp.* — 8) *Te*. Cant. i, 3. — (9) *Ecclesias*. In Offic. B. M. V. ad Laud. — (10) *Fecerunt*. Ezech. xliii. 10.

sole dicenda. — Sol perdidit sex partes claritatis suæ ex lapsu primi hominis, quas utique recuperabit, post conflagrationem mundi et renovationem elementorum. Unde Isaias : « Et erit lux lunæ sicut lux solis ; et lux solis septempliciter splendebit [1]. » Supple : plus quam nunc sol [2], quum igneus sit, præ nimio motu [3] conversionis suæ amplius incalescit. Cujus ignis aqua nutritur, et ex contrario elemento virtutem luminis et caloris accipit. Unde videmus eum sæpius madidum atque rorantem. Sol per seipsum movetur [4], non cum mundo vertitur. Nam si fixus cœlo maneret, omnes dies et noctes æquales efficeret ; sed nunc spatiis inæqualibus orbis annos conficit propter temporum mutationes. Oriens [5] diem facit ; occidens noctem inducit ; nam dies est, quum sol est super terram. Ex ipso menses annumerantur ; ex ipso vicissitudines temporum sunt. « Nam, ut Clemens ait [6], sol cursus diversos accepit, quibus aeris temperies pro ratione temporum dispensatur, et ordinem permutationemque motus habent : ut ipsa temperies indissolubilis et inconcussa servetur. Nam dum ad superiora conscendit, ver temperat ; ubi autem ad summum cœli venerit, æstivos accendit calores. Descendens rursum, autumno temperiem reddit ; ut vero ad superiorem redit circulum, ex glaciali compage cœli rigorem nobis hiberni temporis et frigoris derelinquit. » Eclipsis [7] solis fit, quotiens luna tricesima ad eamdem lineam quo sol vehitur, pervenit, quæ se objiciens, solem obscurat ; nam deficere nobis sol videtur, dum soli orbis lunæ opponitur. Sol fons caloris est ; nubes de terra attrahit per vapores ; fructus maturat ; fluida siccat.

Sol fortior est terra, sicut dicit Isidorus [8], et maximi philosophi probant : octies major est quam terræ globus ; sed ideo cubitalis nobis videtur, quia remotissimus in altitudine a nostris oculis separatur. Sicut ergo sol octies major est terra, sic beata Virgo Maria, designata per solem, octo prærogativis major est omni creatura, quæ utique videre possumus in his versibus :

Virgo prius vovit, Virgo sine semine prægnans,
Virgo Deum genuit, Virgo mater simul exstans,
Hæc sine labe manens, omni virtute beatur ;
Imperat hæc Christo ; super ipsa creata levatur.

Quæ omnia sic per rationes et Scripturarum auctoritates probantur. « Virgo prius vovit » continentiam scilicet virginitatis. Unde angelo nuntianti quod filium conciperet, in mente et voto habens numquam se cognituram virum, respondit : « Quomodo fiet istud q. v. n. c. ? » id est, non cognoscam : ponitur præsens pro futuro. Verbi gratia, sicut dicit aliquis, in voto habens semper jejunare sextas ferias ; roganti ut bis comedat, respondet : Non comedo in sextis feriis, nisi semel. Ibi utique sufficit poni præsentem pro futuro. Virginitatem igitur prima vovit beata Virgo, ubi in conceptione Filii ejus spiritus exsultavit ; fronduit, ubi angelo nuntianti prudenter respondit ; floruit virtutum gratia ; fructum tulit, nucem, cujus nucleus divinitas, testa humanitas fuit. Sequitur : « Virgo Deum genuit » unde poeta :

Jam nova progenies cœlo demittitur alto [9].

Sicut Christus unicus Patri, sic et unicus unicæ matri. — Sequitur : « Virgo mater simul exstans. » Et vide quam digne optimam sibi partem elegit, de statu duplici : in conjugio duo sunt, fœcunditas et fœditas ; in virginitate duo, sterilitas et munditia ; de virginitate accepit munditiam ; de conjugio fœcunditatem ; et duo alia dereliquit. —Sequitur : « Hæc sine labe manens ; » et hoc quia vas saporem contraxit a concepto. Unde Augustinus in *Libro de bono conjugii* : « Omnes, inquit, qui nascuntur ab Adam et Eva tenentur dicere : « Dimitte nobis debita nostra ; » excepta beata Maria Virgine, de qua, propter honorem Domini, quum de

(1) *Splendebit*. Is. xxx, 26. — 2 *Sol*. Isid. ib. c. xlix, 1, p. 155. — (3) *Præ primo motu*. cod. — (4) *Movetur*. Isid. ib. c. l, 2.— 5) *Oriens*. Ib. lii, 1. — (6) *Clemens ait*. Ib. ex lib. viii. *Recognit*. juxta antiquam versionem, ab ea quæ Ruffino tribuitur, diversam. Is locus in Cantipratano nostro integrior. — (7) *Eclipsis*. Isid. ib. lviii, 1. — (8) *Isidorus* c. xlvii, p. 152, conferre non pigeat.—(9) *Alto*. Virg. *Pollio*, v. 7.

peccato agitur, nullam prorsus volo mentionem haberi [1]. » — Sequitur : « Omni virtute beatur. » Unde Angelus dixit ei : « Ave, gratia plena ! » Et liber Sapientiæ in persona ejus : « In me gratia omnis viæ et veritatis [2]. » — Sequitur : « Imperat hæc Christo, » et hoc sicut mater filio ; unde magister Adam de sancto Victore, in sequentia sua sic ait de beata Virgine :

Ora patrem, jube nato!

— Sequitur : « Super ipsa creata levatur. » Et hæc in assumtione animæ et corporis ejus. Unde in Apocalypsi dicitur : « Luna sub pedibus ejus [3], » id est omnis creatura mutabilis. Hæc de planeta sole dicta sufficiant.

VI.

1. Luna, Ecclesia [4] : « Fecit lunam in tempora [5]. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem [6]. » ÷ Et : « Sicut luna perfecta [7]. »

÷ 2. Fama [8] boni operis : « Si vidi solem, quum fulgeret, et lunam incedentem [9]. »

÷ 3. Luna [10], præsens sæculum, eo quod semper mutetur [11]. De qua [12] in Apocalypsi pro Ecclesia dicitur : « Et luna sub pedibus ejus [13]. »

÷ 4. Luna, homo stultus. In Salomone : « Stultus ut luna mutatur [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 5; ed. II, col. 739 B, ad I.

Gregorius M. Luna, sancta Ecclesia, ut ibi : « Elevatus est sol, et luna stetit. » Dum enim Christus in cœlos assumitur, sancta Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur. — Fama boni operis ; unde Job : « Si vidi, etc. » Non enim sanctum virum fama laudabilis operationis extulit; clare incedentem lunam minime attendit. — Mutabilitas temporalitatis, ut ibi : « Mulier amicta sole, et luna s. p. e. » Hæc est Ecclesia, quæ cuncta temporalia despicit, quasi sub pedibus lunam premit.

Gregorius apud *Garnerium. S. V.*, lib. I, c. 6, p. 24.

Rabanus. Luna, Ecclesia, ut : « Fecit l. i. t. » — Fama, ut « Si vidi, etc. » — Homo stultus, ut : « Stultus u. l. m. » — Scientia, ut : « Lunam et stellas in potestatem noctis [15]. » — Adversitas, ut : « Neque luna per noctem [16]. »

Cf. *de Universo* lib. IX, c. 10, col. 268-271.

Petrus Cantor. Ecclesia lunæ comparatur, quia in principio fuit parva ; unde : « Soror nostra parvula est, ubera non habet [17]. » Item : « Singulariter sum ego, donec transeam [18]. » — Et quia paulatim crevit ; unde : « Nisi granum frumenti cadens in terram [19], etc. » — Et quia adhuc livorem habet ; unde : « Sicut lilium inter spinas [20]. » Item : « Nigra sum, sed formosa [21]. » — Et quia a vero sole lumen habet ; unde : « Sine me nihil potestis facere [22]. » Item : « Ego sum vitis, et vos palmites [23]. » —Et propter variationem quantitatis ; unde : « Generatio præterit, et generatio advenit ; terra autem in æternum stat [24]. » — Et

(1) *Haberi.* Aug. *Opp.* ed. rec. t. I, p. 746. — (2) *Virtutis*, cod. *veritatis.* Eccli. XXIV, 25. — (3) *Ejus.* Apoc. XI, 1. — (4) *Ecclesia, eo quod in hac mundi nocte resplendeat, in psalmo : fecit* B-G. — (5) *Tempora.* Ps. CIII, 19. In iisdem codd. additur : *De hac luna per Joel prophetam dicitur : Et l. i. s. hoc est, martyrum suorum cruore perfusa* [*in m. s. cruorem profusa* F]. — (6) *Sanguinem.* Joel II, 31. — (7) *Perfecta.* Ps. LXXXVIII, 4. — (8) *Fama.* N. 2 in A. — (9) *Incedentem.* Job XXXI, 26. — (10) *Luna.* N. 3 et 4 in B-G. — (11) *Mutatur* B-C. — (12) *De quo* B, C. — (13) *Ejus.* Apoc. XII, 1. — (14) *Mutatur.* Eccli. XXVII, 12. — (15) *Noctis.* Ps. CXXXV, 9. — (16) *Noctem.* Ps. CXX, 6. — (17) *Habet.* Cant. VIII, 8. — (18) *Transeam.* Ps. CXXX, 10. — (19) *Terram.* Joan. XII, 24. — (20) *Spinas.* Cant. II, 2. — (21) *Formosa.* Ib. I, 4. — (22) *Facere.* Joan. XV, 5. — (23) *Palmites.* Ib. — (24) *Stat.* Eccle. I, 4.

propter mendicitatem luminis et obscuritatis maculam, ut dictum est.

Petrus Capuanus ad litt. x ex art. 4. Luna dicitur Ecclesia, mortalitas nostra, et adversitas; luna etiam dicitur instabilitas et inconstantia malorum.

Ecclesia autem dicitur luna, quia primo fuit parva; quia post paulatim crevit; quia semper macula et nubes quædam in ea est; quia variatur per crementa et decrementa; quia lumen suum mendicat et suscepit a vero sole justitiæ [1]; quia interdum passa est eclipsim, ut in martyribus; Jeremias : « Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt [2]. » — Quia in nocte hujus sæculi cum aliis minoribus stellis lucet Ecclesia, scilicet universalis cum particulari. Isaias : « Ambulabunt gentes in lumine tuo [3]. »

In principio fuit Ecclesia quasi luna in defectu, quum appellatur *Monoides* [4]. Jeremias : « Omnes amici mei dereliquerunt me, et noti mei recesserunt a me [5]. » Regum : « Relictus sum ego solus, et quærunt animam meam [6]. »

Postea crevit, tempore martyrum, quasi quando est in incremento, et dicitur *Amphicyrtos* [7]. Psalmus : « Sæpe expugnaverunt me a juventute mea [8]. » Deinde quum intraverunt gentiles, fuit quasi quum est in semilunio, et appellatur *Dichotomos*. Cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret. Tandem in fine mundi, quum intrabunt etiam Judæi, erit quasi quum est in plenilunio, et appellatur *Panselinos* : quando, « si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient [9]. » Sapientia : « Sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus [10]. » Quando sic legitur in Isaia : « Erit lux lunæ sicut lux solis; et sol lucebit septempliciter, » sicut lux septem dierum, nec deinceps mutabitur. Sed sol et luna stabunt in ordine suo, postquam corruptibile hoc induerit incorruptionem; et mortale, immortalitatem.

Thomas Cantipratanus in lib. xvii ex cap. 3. — Possunt autem decem proprietatem lunæ perstringi sex versibus, quibus utique apte designari potest beatitudo gloriosæ Virginis Mariæ, cui dicitur in Canticis canticorum : « Pulchra ut luna, electa ut sol. » Sunt ergo isti versus et lunæ proprietates :

Humorum mater, solisque refrigerat æstum;
Eclipsim patitur, Phœbo faciente recessum;
Huic sol dat lumen; tenebras de nocte relidit;
Illustrat mundum, sol pristina quando revisit,
Inter planetas magis hæc terris propiavit;
Crescit, decrescit, candet, tempus mediavit.

« Humorum quidem mater » est beata Maria, quia mater gratiarum. Unde angelus : « Ave, gratia plena. » Et in libro Sapientiæ : « In me gratia omnis vitæ et veritatis. » — « Solisque refrigerat æstum, » quia temperat iram judicis, sicut patuit in Theophilo et multis aliis. — « Eclipsim patitur, Phœbo faciente recessum, » quando Christus, sol justitiæ, per crucem obiit; unde Simeon justus dixit ei : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius [11], » doloris scilicet; et tunc obscurata fuit, non in merito, sed in tenebris mœroris. — « Huic sol dat lumen; » unde angelus : « Spiritus Sanctus supervenict in te. » Ita, sicut dixit Hieronymus, fertur quod Joseph non fuit ausus intueri faciem beatissimæ Virginis, quamdiu habuit Christum solem in utero suo [12]. Unde potest accipi id quod dicitur in Matthæo, quod « non cognovit eam, donec pareret filium suum primogenitum [13]. » — « Tenebras de nocte relidit; » unde ei dicitur a fidelibus : « Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo [14]. » — « Illustrat

(1) *Justitiæ*. Huc usque Cantorem Capuanus rescripsit, additis tantum variis Scripturæ sacræ locis. — (2) *Sunt*. Jerem. xxxi, 15. — (3) *Tuo*. Is. lx, 3. — (4) *Monoides*, μηνοειδής. Cf. Beda *De naturis rerum*, c. xxxvi in Schol. Joan. Noviom. t. I *Opp.* p. 254 ed. Migne. — (5) *A me*. Jerem. v, 23. — (6) *Meam*. III Reg. xix, 10. — (7) *Amphicyrtos*, ἀμφίκυρτος et infra : διχότομος, πανσέληνος. Cf. *Spicil. Solesm.* t. I, p. 299, n. 5. — (8) *Mea*. Ps. cxxviii, 1. — (9) *Fuerint*. Is. x, 22. — (10) *Reversurus*. Prov. vii, 20. — (11) *Gladius*. Luc. ii, 35. — (12) *Suo*. Vix Hieronymianum putem esse locum, quem ne in spuriis quidem reperire est. — (13) *Primogenitum*. Matt. i, 25. — (14) *Mundo*. Offic. B. M. noct. iii, ant. 1.

mundum, sol pristina quando revisit, » scilicet quando Christus ascendit in cœlum, tunc relicta est ad instructionem et consolationem apostolorum et discipulorum Christi. Unde non immerito creditur Lucam evangelistam scripsisse Evangelium suum, beata Maria revelante.— « Inter planetas magis hæc terris propiavit, » id est terrenis, per quos homines accipiuntur; unde dicitur mediatrix Dei et hominum. Homines enim nimis dejecti et in imo erant; Deus autem nimis alte et longe a nobis : beata vero Maria super homines erat et minor Deo, et ideo in medio posita, secundum prophetam Job : « Manum suam proposuit in ambobus [1], ut utrumque posset conjungere, » id est, Deum et hominem in unum Christum. — « Crescit, decrescit. » Crevit in annuntiatione, et perfecta in nativitate Filii sui, tunc fuit quasi luna plena in diebus veris. Decrevit autem in passione Christi, vel in sua propria morte temporali. Canduit autem, vel perfectissima fuit in assumtione animæ et corporis. — « Candet, » castitate scilicet duplici, cordis et corporis; unde ei dicitur in Canticis : « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es [2] ! —« Tempus mediavit, » quæ utique fuit finis legis et initium gratiæ, vel fuit prima in reconciliatione et ultima in conservatione gratiæ.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 949-956.

Pulchra ut luna, electa ut sol.

Ad se luna trahit a solis luce nitorem :
Sic habet a Christo solum sua sponsa decorem.
Ut sol eligitur, quam solam jure vocavit,
Cui sol justitiæ solium super astra locavit.
Inde loquens sponsus cœpit monstrando docere,
Possit in Ecclesia Christi quod virtus tanta vigere.
Visitat ille quidem sponsam, renovatque frequenter,
Expellens tenebras proprio fulgore patenter.

VII.

1. STELLA, Christus [3]: « Ego sum stella splendida [4]. Orietur stella ex Jacob [5]. »

2. Sancti [6] : « Qui numerat multitudinem stellarum [7]. » ÷ «Stella a stella differt [8]. Qui erudiunt multos ad salutem, quasi stellæ in perpetuas æternitates [9]. Stellæ autem dederunt lucem [10]. »

÷ 3. Animæ bene viventium : « Ecce luna non stetit, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus [11]. »

÷ 4. Hypocrisis, fictio : « Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram [12]. Dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas [13]. »

5. ASTRA, Angeli sancti : « Quum me laudarent astra matutina [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 6; II, col. 740 A ad 2.
ORIENTIUS, l. l. v. 3 et 132.
GREGORIUS M. Astra, electi angeli, ut ibi : « Quum me l. a. m. » Astra autem matutina angeli dicuntur, vel quia in exordio lucis creati sunt, vel quia dum venturum sempiterni diei mane nuntiant, ab humanis cordibus præsentis vitæ tenebras fugant.

(1) *Ambobus*. Job IX, 33. — (2) *Es*. Cantic. IV, 1. — (3) *Christus, in Apocalypsi* B-F. — (4) *Splendida*. Apoc. XXII, 16. *Splendida et matutina. Et alibi : Orietur* B-G. — (5) *Jacob*. Num. XXIV, 17. — (6) *Stellæ, sancti, sive docti* [*doctores* D]; *eo quod virtutum operibus in hoc mundo resplendeant. In psalmo : qui* B-G. *In hoc mundo* deest in D. — (7) *Stellarum*. CXLVI, 4. Addunt iidem codd. *Et omnibus eis nomina vocat* [*vocans* D]. — (8) *Differt*. I Cor. XV, 41. Is locus et sequens in A usque ad finem. Lemmata versu 3 et 4 ibidem desunt. — (9) *Æternitates*. Dan. XII, 3. — (10) *Lucem*. Baruch. III, 4. — (11) *Ejus*. Job XXV, 5. — (12) *Terram*. Job XII, 4. — (13) *Eas*. Dan. VIII, 10. — (14) *Matutina*. Job XXXVIII, 32.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, ib. c. 7, p. 26.

Rabanus. Stella, Christus; ubi : « Dabo illi stellam matutinam [1] » — Virgo Maria, ubi : « Orietur stella ex Jacob. » — Fides, ubi : « Stella magos duxit ad Christum. » — Dona Spiritus sancti, ubi : « Num conjungere valebis micantes stellas [2] ? » — Sancti angeli : « Qui erudiunt, etc. » — Apostoli, ubi : « In capite ejus stellæ duodecim [3]. » — Prælati, ubi : « Septem stellæ, angeli [4]. » — Virtutes sanctorum, ut : « Stellas claudit quasi sub signaculo [5]. » — Viri sancti, ut : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli [6]. » — Hypocrita, ut : « Cauda ejus traxit t. p. s. »

Cf. *de Universo* l. l. col. 272 A-C.

Rabanus et Garnerius in *Allegor.* edit. ad h. v.

Petrus Capuanus ad litt. XVIII, art. 8. *Stellæ quinque modis in bono et uno malo.* Stellæ cœli, stellæ mundi, et stellæ inferi. Stellæ cœli duplices. Intelligitur stella cœli excellens Virgo Maria. Numeri : « Orietur stella ex Jacob. » Evangelium : « Ecce stella quam viderant in Oriente [7]. » — Stellæ etiam cœli dicuntur angeli. Apoc. « Ecce draco magnus...; et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum. »

Stellæ mundi duplices : magna enim stella, sancta Ecclesia. Apoc. : « Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua [8], » id est sanctam Ecclesiam, septiformis Spiritus gratia prælucentem; quæ quidem in dextera est, id est in spiritualibus æternis. Psalmus : « Astitit Regina a dextris tuis [9]. » — Stellæ etiam mundi dicuntur sancti, qui lucent in mundo. Psalmus : « Qui numerat multitudinem stellarum, et o. e. n. v. » Genesis : « Multiplicabo, etc. » Job : « Qui aufert stellas pluviæ [10]; » quia facit interdum ne sancti pluant doctrinas, juxta quod ait Isaias : « Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem [11]. » Judices : « Stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt [12]. » Stellæ etiam dicuntur sancti jam glorificati et splendentes. Paulus : « Stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. » Sapientia : « Quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

Stellæ etiam inferi duplices : stellæ inferi sunt mali qui a firmamento Ecclesiæ cadunt. Job : « Obscurentur stellæ caligine ejus [13]. » Evangelium : « Stellæ cadent de cœlo [14]. » Inter quos hypocritæ dicuntur sidera. Epistola canonica : « Sidera errantia [15]. » Stella etiam magna inferi dicitur Antichristus : « Et cecidit de cœlo stella magna, ardens sicut facula, et nomen stellæ dicitur Absinthium [16]. »

Quomodo octo proprietates stellæ adaptantur Virgini Mariæ.

In stella autem naturæ octo principaliter attenduntur. Stella igneæ naturæ est; stella lucida in se est et clara; stella ex se radium emittit; stella in nocte lucet, et ideo stella navigantibus viam ostendit eundi ad portum; stella in alto sita est; stella a sole accipit lumen; stella etiam cursum suum et ordinem servat. Hæc autem omnia in stella et Virgine nostra sollicite perquiramus.

Stella igneæ naturæ est : et ipsa Virgo igneæ fuit naturæ. Ipsa enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi; quia gravida quidem apparuit Virgo, quando inventa est in utero habens; sed igne libidinis non est consumta, quia de Spiritu sancto.

Stella in se lucida est et clara : et ipsa Virgo adeo fuit clara et splendida, ut de ea scriptum sit in Canticis : « Quæ est ista, quæ ascendit, electa ut sol? »

Stella ex se radium emittit : et Virgo ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta. Scrutatur enim corda et renes, eo quod unicus est « Sermo Dei est efficax, et penetrabilior omni gladio an-

(1) *Matutinam.* Apoc. II, 28. — (2) *Stellas.* Job XXXVIII, 31. — (3) *Duodecim.* Apoc. XII, 1. — (4) *Angeli.* Apoc. I, 20. — (5) *Signaculo* Job IX, 7. — (6) *Cœli.* Genes. XXII, 17. — (7) *Oriente.* Matt. II, 8. — (8) *Sua.* Apoc. II 1. — (9) *Tuis.* Ps. XLIV, 10. — (10) *Stellas pluviæ.* Job XXXVI, 27, Vulg. *stillas.* — (11) *Imbrem.* Is. V, 6. — (12) *Pugnaverunt.* Jud. V, 20. — (13) *Ejus.* Job III, 9. — (14) *Cœlo.* Matt. XXIV, 29. — (15) *Errantia.* Jud. 13. — (16) *Absinthium.* Apoc. VIII, 10.

cipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus [1]. »

Unde et bene congruit interpretatio : Maria namque stella maris interpretatur. Mare autem est mundus, secundum quod dicitur in psalmo : « Hoc mare magnum et spatiosum [2]. » Merito ergo dicitur stella maris, quia et ipsa tamquam sidus singulare refulsit in mundo, cujus etiam splendor illuminat mundum.

Et ex se radium illum emisit qui, quum sit « lux vera, illuminat o. h. v. i. h. m. » Et sicut radius procedit ex stella integra permanente, sic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili stante, secundum quod Ezechiel propheta inquit de ipsa : « Porta, etc. »

Stella in nocte lucet : et Virgo in nocte hujus sæculi singulariter lucet. Nam et ei singulariter dicitur in Evangelio : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi [3]. »

Stella navigantibus viam ostendit veniendi ad portum : et ipsa Virgo illum qui est « via, veritas et vita, » ac portus salutis, scilicet mundo naufraganti, edidit Salvatorem. Evangelium : « Paries autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum [4]. »

Stella in alto sita est : et ipsa Virgo in alto contemplationis et conversationis persistebat. Canticum : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi [5]? » Nonne in alto erat, quando adeo sua conversatione ascendit in altum, ut fabricaretur in tabernaculum Dei in Spiritu sancto?

Stella accipit a sole lucem : et ipsa Virgo a sole justitiæ lumen accepit, quando qui creavit se, requievit in tabernaculo ejus; et pannis involutus, ac positus in præsepio, stellam illam splendescere faciebat, quæ magis longe positis lumen præstitit veniendi ad adorandum ipsum.

Stella cursum suum et ordinem servat : et Virgo non declinavit ad dexteram, prosperis elata; immo licet audierit illius salutiferæ annuntiationis gaudium : « Ave, gratia plena, » non est tamen ex superbia elata, sed ex humilitate devota, respondit : « Ecce ancilla Domini, etc. » Sed nec ad sinistram, adversis confracta; immo, quum sciret quod Herodes quæreret puerum suum ad perdendum, fugit in Ægyptum, et fuit ibi usque ad obitum Herodis. Via ergo regia gradiens, et cursum observabat, et rectum tramitem, quia « conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo [6] ».

Talis est ergo stella nostra, fratres, talis est Virgo Maria, talis est stella maris; et quia et ipsi sancti stellæ sunt, et ipsa reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

De corona Ecclesiæ stellarum XII.

« Mulier, » in Apocalypsi, id est sancta Ecclesia, habet « in capite coronam stellarum duodecim » quæ sunt duodecim apostoli. Ergo stellæ istæ in corona sponsæ suos fulgores emittunt.

Petrus emisit fulgorem firmitatis, propter quod dictum est : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [7]. » Et item : « Petre, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [8]. »

Paulus, fortitudinis; quum ait : « Quum infirmor, tunc potens sum [9]; » et quando fortiter pugnavit ad bestias Ephesi.

Andreas, virilitatis; quando adeo viriliter adhæsit Christo, ut in ipsa cruce diceret : « Salve, crux! suscipe discipulum ejus qui pependit in te [10]. »

Jacobus, sollicitudinis supernæ vitæ; quando, vocatus a Domino cum Joanne fratre suo, relictis retibus et patre, sequuti sunt eum.

Joannes, discretæ et sufficientis doctrinæ, quando utramque naturam in Christo comprehendit : divinam, inquiens : « In prin-

(1) *Spiritus.* Hebr. IV, 12. — (2) *Spatiosum.* Ps. CIII, 25.—(3) *Tibi.* Luc. I, 35.—(4) *Eorum.* Luc. I, 31.— (5) *Fumi.* Cant. III, 6. — (6) *Suo.* Luc. II, 9.— (7) *Meam.* Matt. XVI, 18. — (8) *Tuos.* Luc. XXII, 32. — 9) *Sum.* II Cor. XII, 10. — 10) *Te.* Acta S. Andreæ apud Galland. *Bibl. vett. PP.* t. I, p. 145.

cipio erat Verbum; « et humanam, addens : « Verbum caro factum est. » Et etiam charitatis fraternæ, quum ait in epistola sua : « Qui viderit fratrem suum necesse habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo [1] ? »

Thomas, firmissimæ fidei; quando, postquam vidit cicatrices in Christo, ait : « Deus meus et Dominus meus [2]. »

Alter Jacobus, sanctitatis; quando sicut legimus, tam sanctæ conversationis fuit, ut ab omnibus, etiam hostibus, sanctus haberetur.

Philippus, sollicitudinis aliorum; quando dixit Nathanaeli fratri suo : « Invenimus Messiam, qui dicitur Christus. Veni et vide [3]. »

Bartholomæus, salutis multorum; quando adeo sollicitus erat de multorum salute, ut etiam multas peragraverit regiones prædicando, et templa subverterit idololatrarum.

Matthæus, veri testimonii; quando primus scripsit Evangelium in Judæa; in quo de Christo perhibuit testimonium verum.

Simeon, obedientiæ; dum et nomen ipsius obedientiam sonat : interpretatur enim Simon Obediens.

Thaddæus, qui et Judas dictus est, impugnator falsitatis, quando contra hæreticos scripsit epistolam suam, et ait : « Hi sunt nubes sine aqua [4], etc. »

Ex his tamen stellis una fuit obscurata, et amisit splendorem suum, scilicet Judas Iscarioth, quando, « post buccellam panis, introivit in illum Satanas [5]. »

Cf. infra *Corona*.

Anonymus clarevallensis. — Stella in alto est; fixa, magna, parva, videtur rotunda; noctem illuminat; nautas dirigit; cursum non obligat; cum firmamento rapitur; ignea est; locum mutare videtur; radios ex se profert; firmamentum ornat.

Sidera stant, aliunde micant, sublime feruntur;
Quum stant, nunc abeunt retro, nunc progrediuntur;
Prorsus labe carent; parent, et parva videntur;
Ad lucem nil lucis habent, sine luce coruscant.

Stella.

Christus.	Angeli.
Maria.	Apostoli.
Fides.	Virtutes sanctorum.
Dona Spiritus sancti.	Viri sancti.
	Hypocritæ.

VIII.

1. Lucifer, Christus [6] : « Numquid produces Luciferum in tempore suo, et vesperum super filium hominis consurgere facies [7] ? »

2. Diabolus : « Quomodo cecidisti, Lucifer [8] ? »

÷ 3. Sermo Dei : « Numquid produces, etc. »

÷ 4. Vita justi : « Et quum te consumtum putaveris, orieris ut Lucifer [9]. »

IX.

Vesper, Antichristus [10] : « Et vesperum super filios hominis consurgere facies [11]. »

÷ 2. Vesper, Christus; vel si in malam partem, Antichristus.

(1) *Eo.* I Joan. III, 17. — (2) *Meus.* Joan. XX, 28. — (3) *Vide.* Joan. I, 45, 46. — (4) *Aqua.* Jud. 12. — (5) *Satanas.* Joan. XIII, 27. — (6) *Christus, ubi et supra : Qui producit Luciferum in tempore suo* B, C, D, E, F. In illis ac similibus locis Christus cum creaturis κατὰ θέσιν comparatur ex mera allegoriæ ratione; minime vero κατὰ φύσιν sive Dei, sive hominis aequiparatur. — (7) *Facies.* Job XXXVIII, 31. — (8) *Lucifer.* Is. XIV, 12. — (9) *Lucifer.* Job XI, 17. — (10) *Antichristus, eo quod in finem* [*fine* E, F, G] *mundi sit venturus, in Job* B-G. — (11) *Facies.* Job XXXVIII, 32; *facit* B-G.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. 1, c. 8, p. 29.

Rabanus, *de Universo*, lib. xi, c. 9, col. 267.

Petrus Capuanus ad litt. xi ex art. 5. *Lucifer duobus modis in bono, uno in malo.* — Lucifer supremus, medius et infimus. Lucifer supremus, Christus. Job : « Numquid etc. » Lucifer medius, homo justus. Job : « Quum te consumtum, etc. » Lucifer infimus, diabolus, postquam apostatavit. Isaias : « Quomodo cecidisti, etc. »

Primus nuntiavit diem gratiæ. Paulus : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit [1]. » Secundus nuntiat diem justitiæ, quando scilicet inceperit homo vivere juste. Paulus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino [2]. » Tertius nuntiavit noctem culpæ. Sapientia : « Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum [3]. »

Primus Lucifer est in cœlo; secundus in terra; tertius in abysso.

Primus lucet ex se. Evangelium : « Ego sum lux mundi [4]. » Secundus lucet ex primo. Paulus : « Qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes [5]. » Tertius non lucet, sed semper est tenebrosus. Paulus : « Adversus principes et potestates rectores tenebrarum harum [6]. »

Primus fecit omnia; secundus factus est cum omnibus; tertius infecit omnia.

Primus terminavit noctem ignorantiæ et tenebrarum, quæ fuerat sub lege. Paulus : « Patres nostri omnes sub nube fuerunt [7]. » Nunc autem, post primum luciferum, velum templi scissum est a summo usque deorsum; et dicunt moderni : « Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplamur [8]. » Secundus terminat noctem culpæ, quum surgit per pœnitentiam. Paulus : « Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus [9]. » Tertius terminat diem justitiæ. Epistola canonica : « Quia tenebræ obscuraverunt oculos ejus [10]. »

Primus oriebatur ante mundi principium. Psalmus : « Ante luciferum genui te [11]. » Secundus, post mundi principium. Nam sexto die dicit Deus in Genesi : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [12]. » Tertius, in ipso mundi principio. Genesis : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » scilicet empyreum cum angelis.

Primus etiam oritur in Virginis utero. Evangelium : « Verbum caro factum est. » Secundus oritur etiam in baptismo. Evangelium : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum [13]. » Tertius oritur etiam in corde perverso. Evangelium : « Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi [14]. » Unde et de Magdalena dicitur Dominus ejecisse septem dæmonia.

In primo, ab Abraham tres videntur; in secundo, lux in primaria mundi confusione formatur; in tertio, tertia pars stellarum cauda draconis trahebatur.

Idem ad litt. xx, art. 8. *Vesper uno modo in bono et uno in malo.* Vesper dicitur stella quæ apparet in fine diei et in principio noctis. Per hanc autem intelligitur vel Christus. Leviticus : « Immundus erit usque ad vesperum [15]. » Omnis pollutio et immunditia tollitur per Christum.—Vel Antichristus. Job : « Vesperum super, etc. »

Apparet autem illa stella in fine diei : et Christus in fine temporum, id est, sexta ætate apparuit. Paulus : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt [16]. » Apparebit etiam Christus in principio noctis, scilicet futuræ vitæ, quæ per noctem designatur; aut in judicio, quando erit initium

(1) *Appropinquavit.* Rom. xiii, 12. — (2) *Domino.* Ephes. v, 8. — (3) *Terrarum.* Sap. ii, 24. — (4) *Mundi.* Joan. viii, 12. — (5) *Omnes.* Hebr. ii, 11. — (6) *Harum.* Ephes. vi, 12. — (7) *Fuerunt.* I Cor. x, 1. — (8) *Contemplamur.* II Cor. iii, 13, loco parce mutato. — (9) *Christus.* Ephes. v, 14. — (10) *Ejus.* I Joan. ii, 11. — (11) *Te.* Ps. cix, 5. — (12) *Nostram.* Genes. i, 26. — (13) *Cœlorum.* Joan. iii, 5. — (14) *Ibi.* Luc. xi, 26. — (15) *Vesperum.* Levit. xi, 24. — (16) *Devenerunt.* I Cor. x, 11.

futuræ vitæ. Evangelium : « Operamini, dum dies est, venit nox [1], etc. » — Antichristus quoque apparebit in fine diei, id est præsentis vitæ et sextæ ætatis. Apparebit et hoc vesper in principio noctis, id est exteriorum tenebrarum, quæ erit gehenna, quia ipse cum suis mittetur in gehennam et noctem perpetuam.

Anonymus Clarevall. Lucifer fulget, radios emittit, auroram prædicit, diem nuntiat, nautas lætificat, latrones terret.

Lucifer.

Christus.	Diabolus.
Vir sanctus.	Clarus intellectus.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel. v. 1902 sqq.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes.

Adducuntur ei, lucis jam vespere facto,
Ægri perplures, ut medeatur eis.
Mors autem Christi signatur vespere lucis,
Quando suum clausit illa lucerna jubar.
Tunc magis in Christum credentibus undique multis,
Omnibus est illo vespere facta salus.
Designatur adhuc per vesper vespera mundi,
Quum tribus in nostram cedet hebræa fidem.
Quæ tunc in Christum plebs nunc incredula credet,
Jam demum morbo convalitura suo.

X.

÷ 1. Pleiades [2], gratia novi testamenti : « Numquid conjungere valebis micantes Pleiades [3] ? »

÷ 2. Pleiades, sancti prædicatores, separati quidem tempore, sed conjuncti prædicatione. In Job : « Quis jungere potest m. p [4]. »

XI.

Arcturus [5], sancta Ecclesia, propter sacramentum septem stellarum, ubi et supra : « Et gyrum arcturi dissipat [6]. » ÷ « Qui facit arcturum, orionas et hyadas, interiora austri [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. II, col. 742 A ad IX.

Gregorius. Arcturus, tota simul Ecclesia, sicut ubi ad Job Dominus dicit : « Numquid gyrum, etc. » Arcturi gyrum Dominus dissipat, quum laborem Ecclesiæ ad requiem permutat. — Lex vetus, quia sicut, appropinquante luce, in arcturi stellis ordo dissolvitur, ita innotescente veritate, præceptorum figura legalium in obsequiis carnalibus relaxatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 9, 10, p. 31, 34.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 12, 13, col. 272 D.

Petrus Capuanus. Arcturus signum est constans ex septem stellis. Hæc est Ecclesia spiritu septiformi connexa. Propter quod et Bersabee in Genesi interpretatur Putei septem, quia in Ecclesia septem donorum fluenta abundant ; et ipsa etiam universalis Ecclesia septem continet ecclesias particulares, de quibus Joannes in Apocalypsi : « Candelabra septem, septem sunt Ecclesiæ [8]. » Merito ergo Ecclesia dici-

(1) *Nox*. Joan. IX, 4. — (2) *Pliadas* codd. omnes, uno A excepto, qui solus habet distinct. prim. et caret sec. — (3) *Pleiades*. Job XXXVIII, 31. — (4) *Qui conjungere* D, E, F ; *Pleiadas stellas* E, F. — (5) *Arcturus* deest in A, qui tamen retinuit locum Scripturæ infra lemnisco insignitum, huc sane referendum. In D supra lineam additur manu coæva *currus*. Vulgo enim dicit solet : *currus Davidicus*. — (6) *Dissipatur* B-C. Job XXXVIII, 21. — (7) *Austri*. Job IX, 9. — (8) *Ecclesiæ*. Apoc. I, 20.

tur arcturus : Job : « Qui facit, etc. » Est itaque Ecclesia, arcturus qui semper volvitur et numquam mergitur; turris, quæ semper tunditur et numquam frangitur; arca Noe, quæ magnis quidem elevatur fluctibus, sed non alliditur; Rebeccæ uterus, qui ex parvulorum quidem conflictu colliditur, sed abortum non patitur; Israeliticus populus, qui a Pharaone et a suis premitur, sed non perimitur; Petri navicula, quæ in undis quatitur, sed non submergitur; domus supra firmam petram fundata, in quam venerunt quidem flumina, et flaverunt venti, sed non diruitur; Petrus, qui, veniente vento valido, timore quidem concutitur, sed non infunditur; ager, in quo zizania quidem crescunt cum tritico, sed triticum non corrumpitur; tunica Domini inconsutilis, quæ sortem quidem in se recipit, sed numquam scinditur; rete piscantium discipulorum, quod magnis quidem piscibus repletur, sed numquam rumpitur; mulier, quam in Apocalypsi quidem draco persequitur, sed non opprimitur. — Arcturus aliquando diabolus in infidelitate, vel lex in asperitate, vel populus in incredulitate. Job : « Ab arcturo egreditur frigus. »

Concionator Præmonstratensis, in cap. xxi de Ecclesia n. 1.

Species cœli, gloria stellarum tu es. Eccli. xliii. Nota quod est quædam stella in cœlo mobili, quæ habet septem stellas quæ volvuntur circa illam : sed ipsa est per se immobilis, et tamen aliæ ipsam non deserunt; et vulgo vocatur *Currus*, et sereno tempore clare videtur.

Spiritualiter. Per hanc stellam nota sanctam Ecclesiam, quæ immobilis perseverat charitatis et fidei firmitate, et fortior permanet, quum molestatur. Gregorius, in *Moralibus*[1] : « Tunc sancta Ecclesia valentius in virtute confirmatur, quum ardentius pro veritate fatigatur. Habet enim circa se vii stellas, id est septem dona Spiritus sancti, vel quatuor theologales, videlicet fortitudinem, prudentiam, modestiam, patientiam; et tres cardinales, videlicet fidem, spem et charitatem, quæ transierunt in sanctam Ecclesiam per viam prædicationis et doctrinæ salutaris, quæ numquam Ecclesiam et fideles deserunt, sed a Christo confirmatæ, in cordibus fidelium imprimuntur.

Figura. Apocalypsis i : « Vidi, inquit Joannes, in medio septem candelabrorum aureorum hominem similem Filio hominis, qui habebat in dextera sua septem stellas. »

Moraliter. Filius Dei, Christus, qui in Ecclesia sua per gratiam regnat in medio septem candelabrorum aureorum, id est septem donorum Spiritus sancti, dextera sua sanctam Ecclesiam sustentans, has septem virtutes ministrat; ut aliquando activi quatuor theologicales..., aliquando contemplativi tres cardinales, videlicet fidem, spem, charitatem prosequantur.

Unde Gregorius in *Moralibus* ait[2] : « Intuemur arcturum, id est currum stellarum; in septem stellis volvitur, et tria ad suprema elevat, et quatuor ad ima inclinat. Sic sancta Ecclesia modo in fidelibus Trinitatis notitiam, modo virtutes quatuor administrat, quasi rotatu prædicationis, status sui speciem quodam modo immutat[3]. »

Biblia Bellevall. Pleiades quæ septem sunt dona Spiritus sancti, evidenter exprimunt quæ ille solus in semet ipso conjunxit, qui spiritum non ad mensuram accepit, et omnes ejus operationes exercuit.

XII.

÷ 1. Aer, mobilitas mentis sæcularis : « Subito cogitur aer in nubes[4]. »

÷ 2. Aer, inanitas verborum. In Apostolo : « Sic pugno, non quasi aerem verberans[5], » id est, inania sectans[6].

(1) *Moralibus.* Cf. lib. ix, n. 13, ed. Bened. Venet. col. 29, c, d. — (2) *Ait.* Lib. xxix, n. 73, col. 949 e. — (3) *Immutat.* Codex prorsus vitiosus : *Modo vero quatuor administrat quasi rotam prædicandi statum in quatuor virtutibus communicat.* Correctionem confirmant ed. Bened. t. 1, col. 950 et A. de Rampigolis ad sim. loc. — (4) *Nubes.* Job xxxviii, 21 A. — (5) *Verberans.* I Cor. i, 26. — (6) *Consectans.* B, C, G.

Eucherius, edit. I, p. 6; edit. II, col. 741 A ad 2.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 17, col. 375.

Gregorius M. apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. II, p. 36.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. XVI. Aer materialis iste visibilis. Spiritualis, subtilitas intelligentiæ. Psalmus : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris [1], » id est in Scripturis prædicatorum, qui fuerunt subtilis intelligentiæ. — Flexibiles mentes. Job : « Subito, etc., » quum scilicet fluxæ mentes solidantur in bono. — Cœlestis, celsitudo contemplationis qua contemplamur Deum. Paulus : « Rapiemur obviam Christo in aera [2]. » — Et dona Spiritus sancti. Psalmus : « Os meum aperui, et attraxi spiritum [3], » sive aerem. — Infernalis, vanitas vel inanitas. Paulus : « Eritis enim in aera loquentes [4]. » — Et ipsi dæmones. Paulus : « Sic pugno, etc., » id est, non tantum malignis spiritibus resisteus, « sed castigo corpus meum. » Primo, vivimus corporaliter; secundo, intellectualiter; tertio, spiritualiter; quarto, morimur æternaliter. Primus turbatur impulsu ventorum; secundus, impetu tentationum; tertius ab omni tumultu removetur; quartus in continua turbatione habetur. Primus accipit ornamentum in volatilibus; secundus, in piis cogitationibus; tertius, in continuis delectationibus; quartus accipit deformitatem in tormentis pœnalibus. Evangelium : « Ibi erit fletus et stridor dentium [5]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Job, v. 420-443.

Apparens nostris arcturus semper ocellis,
Septemis rutilat in cœli cardine stellis.
Hæc notat Ecclesiam, septem fulgore dierum
Currentem, quam mergit nulla rotatio rerum.
Sed licet hanc turbet pravorum turba rebellis,
Permanet in finem, nullis constricta procellis.
Nascitur hæc stella, brumæ nascente procella,
Multis plena malis, quum pestis adest hiemalis,
Denotat hæc Christi testes, qui propter amorem
Ejus sive fidem, roseum fudere cruorem;
Qui, quasi sub bruma, cœli videre nitorem,
Dum meruere pati pœnas, tormenta, dolorem.
Græce dicuntur hyades [6] guttæ pluviarum,
Doctoresque notant, qui verba pluunt animarum.
Qui Job scripta legis et te regis ordine legis,
Lector, præclare potes hæc tua signa notare
Ordine quo veniunt, et in his mysteria fiunt.
Ecclesiam debes signo signare priore,
Quam mala multa premunt, nec mergitur illa timore.
Martyrium posset signum signare secundum,
Æstimo, qui roseo vicerunt sanguine mundum.
Extremum signat doctores vera docentes,
Libros scribentes cœlesti rore fluentes.

XIII.

1. Nubes [7], humanitas Christi, vel Virgo Maria : « Ecce Dominus ascendit [8] super nubem levem [9]. »

2. Protectio Divinitatis [10] : « Et nubes obumbrabit per diem tabernaculum fœderis [11]. »

3. Apostoli, sive prædicatores [12] : « Frumentum desiderat nubes [13], et nubes spargunt lumen suum. Mandabo nubibus ne pluant [14]. »

(1) *Aeris.* Ps. XVII, 12. — (2) *Aera.* I Thessal. IV, 16. — (3) *Spiritum.* Ps. CXVIII, 131. — (4) *Loquentes.* I Cor. XIV, 9. — (5) *Dentium.* Luc. XIII, 28. — (6) *Hyades.* Audi Gregorium, quem præ oculis poeta noster, neque fallor, habuit : « Nec immerito doctores sancti hyadum nuncupatione signantur : græco quippe eloquio Ὑετὸς pluvia vocatur, et hyades nomen a pluviis acceperunt, quia ortæ procul dubio imbres ferunt. Bene ergo hyadum nomine expressi sunt qui..... super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fuderunt, etc. » Ib. col. 295 A, B. — (7) *Nubes, corpus Christi, nullo peccati pondere gravatum, sive Virgo Maria, in Isaia* B-D. *In Isaia Propheta* E, F, G. — (8) *Ascendet* F. — (9) *Levem.* Is. XIX, 1. — (10) *Divina, sicut in Exodo tabernaculum fœderis* [*sæpe* D, F] *nubes obumbrasse legitur* D, G; *obumbrata* B, C. — (11) *Fœderis.* Cf. Exod. XXXIII, 9. — (12) *Sive cæteri prædicatores, eo quod terram, hoc est homines, prædicatione sua compluunt, sicut in Propheta :* « Qui sunt isti qui ut nubes volant [Is. LX, 8] B-G. — (13) *Nubes.* Job XXXVII, 11. — (14) *Pluant.* Is. V, 6. A solus adducit utrumque locum; solusque legit dis-

4. Obscuritas Scripturæ [1] : « Qui operit cœlum nubibus [2]. »

÷ 5. Prophetæ : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris [3]. »

÷ 6. Justi : « Qui sunt isti, etc. Ecce in nubibus cœli filius hominis [4]. »

÷ 7. Soliditas mentis : « Subito aer cogitur in nubes [5]. »

÷ 8. Mobiles : « Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubem, non metit [6]. »

÷ 9. Caligo ignorantiæ : « Vidi, et ecce ventus turbinis [7]. »

÷ 10. Cor superbum : « Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad infernum, non resurgit [8]. »

÷ 11. Bona temporalia : « Velut nubes pertranseunt [9]. »

XIV.

1. Nebula, velamentum sacramentorum [10] : « Numquid elevabis in nebula vocem tuam [11]? Nebula pulvis pedum ejus [12]. »

2. Hæretici [13] : « Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinis agitatæ [14]. »

÷ « Nebula totam terram texit [15]. Velut arcus refulgens inter nebulas [16]. »

XV.

÷ 1. Caligo [17], confusio erroris, vel confusio pœnitentialis : « Occupet eum caligo [18]. Dimitte me, Domine; sine plangam [paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine [19]]. »

÷ 2. Caligo, divinorum secretorum operimentum. In Psalmo : « Caligo sub pedibus ejus [20]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 5 ad XIII, 5; p. 6 ad XIV, 1; ad XV, 3, 4; edit. II, col. 739 A ad XIII, 5, 11; col. 740 ad XIX, 1; ad XV, 1.

Gregorius M. Nubes, caligo ignorantiæ, ut ibi : « Ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna. » Quod in populo Judæorum Christum persequente completum est; qui, quanto plus exarsit incredulitate, tanto amplius excæcatus est in ignorantiæ suæ caligine. — Prophetæ, ut ibi : « Tenebrosa, etc., » quia est occulta scientia in prophetis. — Sancti prædicatores, ut in Job : « Frumentum desiderat n., » quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccentur. — Quilibet justus, ut ibi : « Qui sunt, etc., » quia videlicet a terrenis contagiis mentis virtute se sublevant. — Quilibet mobiles, ut ibi : « Qui considerat, etc., » quia qui considerationе mobilium desperat a perseverantia boni operis, non erit messor æternæ retributionis. — Soliditas mentium, ut ibi : « Subito aer in nubes cogitur, » id est, fluxa mens virtute solidatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 12, p. 37.

Rabanus. Nubes, Spiritus sanctus : « In Moyse baptisati sunt in nube et in mari [21]. » — Ascensio Christi : « Qui ponis nubem ascensum tuum [22]. » — Divina consolatio : « Nubem per diem [23]. » — Refrigerium : « In nube, in cœlum [24] » — Protectio Dei : « Operuit

tinctiones 5, 11, a Gregorio magnam partem oriundas. — (1) *Scripturarum, in psalmo* B-F. — (2) *Nubibus.* Ps. CXLVI, 3. — (3) *Aeris.* Ps. XVII, 12. — (4) *Hominis.* Dan. VII, 13. — (5) *Nubes.* Job XXXVII, 21. — (6) *Metit.* Eccle. XI, 2. — (7) *Turbinis.* Ezech. I, 4. — (8) *Resurgit.* Job VII, 9. — (9) *Transeunt.* Eccli. XXXV, 26. — (10) *Velamentum mysteriorum Dei, sicut in Job : « Numquid... Et in propheta : Nebula* B-G. — (11) *Tuam.* Job XXXVIII. 24. — (12) *Ejus.* Nahum I, 3. — (13) *Hæretici, de quibus Petrus apostolus* B-G. *Hi sunt* E, F, G. *Inveni fontes* B, C. *Invenit* D. — (14) *Agitatæ.* II Petr. II, 17. — (15) *Texit.* Eccli. XXIV, 6. — (16) *Nebulas.* Ib. L, 8. — (17) *Caligo.* Distinctio prior Eucherio, Gregorio posterior videtur ascribenda. — (18) *Caligo.* Job III, 5. — (19) *Caligine.* Job X, 20, 21. — (20) *Ejus.* Ps. XCVI, 2. — (21) *Mari.* I Cor. X, 2. — (22) *Tuum.* Ps. CIII, 3. — (23) *Diem.* Is. IV, 5. — (24) *Cœlum.* Apoc. XI, 12.

nubes montem Sinai [1]. — Vir sanctus : Apparuit gloria Domini in nube [2]. Caro Christi ascendet, etc. — Cæcitas mentis : Nubes magna et ignis involvens [3]. » — Prædicatores : « Nubes pluant justum [4]. » — Prophetæ : « Tenebrosa, etc. » — Apostoli : « Educens nubes ab extremis terræ [5]. » — Sancti novi Testamenti : « Qui sunt, etc. » — Iniqui : « Hi sunt nubes, etc. » — Soliditas mentis : « Subito aer, etc. » Mobiles : « Qui considerat, etc. Cf. *de Universo*, lib. IX, c. 18; lib. XI, c. 20, col. 276, 329.

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS. Nubes sunt tres : obscuritas in prophetis ; de hac dicitur : « Tenebrosa, etc., » quia occulta est scientia in prophetis. — Profunditas in divinis consiliis ; de hac nube consiliorum Dei dicitur : « Rorate, cœli, etc. » — Occulta et inaudita fecunditas virginalis. De hac nube virginitatis absconditæ dicit propheta : « Super nubem levem et candidam ingredietur Dominus Ægyptum [6]. » In istis locis veniebat quasi filius hominis. Et bene dicitur quasi filius hominis, quia temporaliter filius hominis, ab æterno erat Filius Dei. Nubibus comparantur Apostoli, et omnes prædicatores, et omnes sancti, propter quatuor : propter originem quam habent de aqua, quia isti similiter originem habent de aqua baptismi. — Propter ascensum, quia nubes ascendunt ; sed et isti tendunt in altum, ad vitam æternam, et de illa loquuntur, et pro illa faciunt quidquid faciunt. — Propter pluviam, quia pluunt doctrinis, tonant verbis, coruscant minis ; quod si nunc faciunt doctores verbis, negant tamen factis. — Propter celeritatem ; unde Isaias : « Qui sunt hi, etc., » a mundi turbinibus remoti, « et quasi columbæ ad fenestras suas. » Fenestras custodiunt sancti, id est quinque sensus, ne per eos, tamquam per fenestras, intret mors in animas.

CONCIONATOR PRÆMONSTRATENSIS in cap. VII, ASCENSIO, n° 1. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Nota quod est differentia nubem inter et nubeculam ; nam de nubecula imber descendit, sed de nube condensa descendunt grandines et tempestates.

Spiritualiter. Dominus noster ascendit in cœlum in nubecula, in signum amicitiæ et gratiæ : et statim postea pluit nobis manna, id est Spiritus sancti gratiam, qua recreati sumus in hac lacrymarum valle.

Figura. IV Reg. XIII. Propter peccatum hominum non pluit Dominus super terram tribus annis et mensibus sex. Sed Helias ascendit in montem juxta mare cum puero suo, et oravit ; quumque orasset postea ait ad puerum : Quid vides ? Respondit puer : Nihil. Oravit secundo, oravit tertio, quarto, quinto, sexto, septimo. Quumque septies orasset, ait ad puerum : Quid vides ? Respondit : Video nubeculam ascendentem de mari. Quæ nubecula in supremo est dilatata, et pluit aquam, et irrigata est terra. »

Moraliter. Ante Incarnationem non pluit de cœlo aqua gratiæ et misericordiæ super genus humanum ; sed septima vice, id est ultima ætate mundi, tempore gratiæ, quum Christus venit, et cœlum ascendit. Puer igitur poterat dicere : nubecula, id est caro Christi clarificata, ascendit de mari hujus mundi. Et facta est pluvia magna suæ misericordiæ super universam terram in Spiritus sancti missione.

Ideo hodie ascendit Salvator noster ad cœlum. Rogo, fratres, gaudete, quia substantia nostræ corruptionis mutata est in benedictionem copiosam.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Nubes, ignorantiæ caligo. — Prophetæ. — Sancti prædicatores. — Quilibet justi. — Quilibet mobiles.

Nebula, mens peccati caligine obvoluta.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus Deliciar., lib. I, v. 1064-1071.

Ut pariant pluvias, et terræ germina crescant,
Imprægnant nubes flumina rore suo.
Hi sunt doctores ad cœlum corda levantes,
Et qui subjectis dogmata sacra pluunt.
Sic volat ad summa, divino rore repleta,
Sanctorum Domini mens in amore calens.
Proficit exemplo subjectus quando magistri,
Accrescit nubes, rore repleta sacro.

(1) *Sinai.* Exod. XXIV, 15. — (2) *Nube.* Exod. XVI, 10. — (3) *Involvens.* Ezech. I, 5. — (4) *Justum.* Is. XLV, 8. — (5) *Terræ.* Ps. CXXXIV, 7. — (6) *Ægyptum* ubi supra, Is. XIX, 1, versione tamen singulari.

XVI.

1. Venti [1], animæ sanctorum : « Qui ambulat super pennas ventorum [2]. » ÷ « Qui [3] producit ventum de thesauris [4]. Qui fecit ventis pondus [5]. »

2. Diabolus [6] : « Tollet eum ventus urens [7]. Venerunt flumina, flaverunt venti [8]. »

3. Superbia [9] : « Ligavit eum spiritus in alis suis [10]. » ÷ « Onagri [11] steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones [12]. Ephraim pascit ventum [13]. » ÷ « Omnes pastores tuos pascit ventus [14]. » Et alibi : « Qui nititur mendaciis, pascit ventos [15]. »

÷ 4. Tentatio : « Filiis tuis repente ventus irruit e regione deserti [16]. »

÷ 5. Prosperitas : « Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide [17]. »

÷ 6. Res transitoria : « Abstulisti quasi ventus desiderium meum [18]. »

÷ 7. Concussio extremi judicii : « Vidi, et ecce ventus turbinis [19]. »

÷ 8. Pennæ ventorum [20], virtutes sunt animarum : « Volavit super p. v. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6; ed. II, p. 740 ad 1, 2.

Gregorius M. Venti nomine intelliguntur maligni spiritus, sicut per beatum Job dicitur : « Tollet e. v. u. » Impium autem tollet ventus urens, quia videlicet malignus Spiritus eum quem non succendit ignis perversæ concupiscentiæ, rapit postmodum ad flammas gehennæ. — Venti nomine tentatio malignorum Spirituum designatur, sicut ad beatum Job dicitur : « Filiis tuis, etc. » Ventus vehemens quatuor angulos concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes, scilicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam quatit. — Venti nomine prosperitas transitoria ostenditur, sicut per beatum Job dicitur : « Elevasti me, etc. » Gloria præsentis vitæ quasi in alto cernitur, et nulla stabilitate solidatur. Elevatus velut super ventum ponitur, qui prosperitate lætatur transitoria. Hunc ventus fugitivæ felicitatis sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. — Venti nomine superbiæ timor intelligitur, sicut per prophetam dicitur : « Traxerunt v. q. d. » Perversi ventum quasi dracones trahunt, quum malitiosi superbia inflantur. — Venti nomine res transitoria designatur, sicut per beatum Job dicitur : « Abstulisti, etc. » Ventus desiderium tollet, quum res quælibet transitiva æternitatis appetitum destruit. — Venti nomine concussio extremi judicii designatur, sicut per Ezechielem dicitur : « Vidi, etc. » Aquilo frigiditatem peccatorum designat. Venit ergo ventus turbinis ab aquilone, quum nimirum causa peccatoris exigit, ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet. — Ventorum velocitate ac sublimitate solent animæ sanctorum signari, ut per beatum Job dicitur : « Qui fecit p. v. » Namque Dominus pondus facit, quia, dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graves reddit.

(1) *Venti angeli, sive animæ sanctorum, sicut in psalmo pro Domino dicitur.: Volavit* B-G. — (2) *Ventorum.* Ps. XVII, 11. — (3) *Qui..... pondus* A. — (4) *Thesauris.* Ps. CXXXIV, 7. — (5) *Pondus.* Job XXVIII, 25. — (6) *Diabolus vel immundus spiritus, in Evangelio : « Flaverunt* B, C, D, G. *Immundi spiritus* E, F. *Et in Job pro impio : tollet* B-G.—(7) *Urens.* Job XXVII, 21. — (8) *Venti.* Matt. VII, 27. — (9) *Superbia spiritus, velut in Osee de hæreticis dicitur : « Ligavit* B, C, D. *Superbiæ spiritus* E, F, G.—(10) *Suis.* Osee XIV, 19.—(11) *Onagri.* A usque ad ultimam distinctionem, plerumque juxta Gregorium.—(12) *Dracones.* Jerem. XIV, 6.—(13) *Ventum.* Osee XII, 1. — (14) *Ventus.* Jerem. XXII, 22. — (15) *Ventos.* Prov. X, 4. — (16) *Deserti.* Job I, 19.—(17) *Valide.* Job XXX, 22. Cf. Ps. CI, 11. — (18) *Meum.* Job XXX, 15. — (19) *Turbinis.* Ezech. I, 4. — (20) *Penna ventorum* B, C, G. *Animalium* B, C.

Gregorius apud *Garnerium*, *S. V.*, p. 41-47 ad 2, 3, 4, 5, 7.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 25, col. 281, 282.

Petrus Cantor. Ventus est superbiæ; unde : « Flavit ventus, et dirupit domos. — Tentationis; unde : « Quem projicit ventus a facie terræ. » — Suggestionis; unde : « Qui credit omni vento doctrinæ. »

Petrus Capuanus ad litt. XXI, ex art. XII. Quum autem venti dicantur spiritualiter prædicatores, possunt quoque quatuor venti principales distingui, quasi quatuor ordines prædicatorum. Primus, quasi subsolanus, intelligatur cuneus patriarcharum, scilicet Abraham et cæterorum; qui tamquam subsolanus, ab ortu solis, id est fidei nostræ, perflare cœpit, prædicando unum Deum omnium creatorem et hunc ipsum firmiter credendo. Unde et Abraham dicitur prima via credendi[1]. Genesis : « Credidit Abraham Deo[2]. » — Quasi occidentalis intelligitur acervus prophetarum; qui, quasi ad occasum illius populi, quum scilicet jam recederet a Deo per idololatriam, id est Jeroboam et cæteros, et quum casurus jam esset per multas captivitates, cœpit prædicando, et prophetando, et increpando perflare. Sapientia : « Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat[3]. » — Tertius ventus principalis quasi auster intelligitur chorus Apostolorum, qui ex Judæis, qui per austrum significantur, assumti sunt. Hic etiam a meridie sive ab austro, id est a Judæis, cœpit flare. Isaias : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem[4]. » — Quartus ventus principalis quasi aquilo fuerunt gentiles et philosophi, et alii post apostolos conversi; qui quasi ab aquilone, id est a gentilitate, quæ per aquilonem designatur, perflare prædicando cœpit. Per austrum autem, Judæa; et per aquilonem gentilitas designatur, juxta illud Isaiæ : « Dicam aquiloni : Da. Et austro : Noli prohibere[5]. »

Et sicut illi quatuor principales habent suos collaterales, ita et hi quasi venti principales suos collaterales habuerunt. Habuit cuneus patriarcharum collaterales et coadjutores suos, ut Abraham, Eliezer; et alii, alios. Acervus quoque prophetarum suos habuit collaterales et coadjutores, ut Helyas, Elysæum; Elyseus, Giesi; Jeremias, Baruch, et sic de cæteris. Chorus apostolorum habuit collaterales et coadjutores illos LXXII discipulos, et misit illos binos ante faciem suam ad prædicandum. Et ipsi collaterales elegerunt septem diaconos, sicut habes in Actibus. Gentiles autem et Pharisæi postmodum conversi collaterales et coadjutores habuerunt sanctos expositores, ut Hieronymum, Augustinum, Gregorium, et cæteros, et etiam modernos doctores, qui adhuc hodie docent in Ecclesia Dei.

Ad hos quatuor principales ventos forte sermonem dirigit Ezechiel propheta in vaticinio suo. Ezechiel : « A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant[6]. » Vel duodecim venti sunt duodecim apostoli qui universum orbem perflaverunt.

Biblia codic. Bellevall.

Venti.

Malignus spiritus.	Res quælibet transitoria.
Tentatio malignorum spirituum.	Superbiæ timor.
Prosperitas transitoria.	Concussio extremi judicii.

Petrus de Riga.

Aurora, in Job, v. 178-193.

Vox erat in cursu, dum cœpit currere quartus,
Cui labor et sudor et cui via tinxerat artus :
Nunciat iste puer quod fratres, inde prioris
Dum sumunt epulas et grati vina saporis,
Germani septem collecti tresque puellæ,
Obruit ecce domum diræ gravis aura procellæ :
« Fracta domus cecidit, omnes pueri perierunt.
Solus ego fugiens refero quæ facta fuerunt. »
Judæi veteres in fratre priore notantur,
De quorum scriptis tamquam fratres satiantur

(1) *Credendi.* Prudent. *Psymoch.* Præf. v. 1. — (2) *Deo.* Genes. XV, 6. — (3) *Ardebat.* Eccli. XLVIII, 1.—(4) *Jerusalem.* Is. V 3.—(5) *Prohibere.* Is. XLIII, 6. — (6) *Reviviscant.* Ezech. XXXVII, 9.

Christi dilecti, qui legis scripta vetusta
Exponunt aliis per Christi verba venusta.
Venti flant e deserto, quia tempore mortis
Christi, surrexit gravis et tentatio fortis,
Quæ, de Judæis veniens et de Pharisæis,
Fregit credentes in Christi nomine mentes.

XVII.

1. Auster, Spiritus sanctus : Surge, auster[1]. » ÷ « Qui habitas in terra austri, cum panibus [occurrite fugienti[2]]. »

2. Fervor[3] spiritualis : « Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro[4]. »

÷ 3. Vita[5] spiritu fervens : « Et eduxit me ad terram australem ; et ecce porta quæ respiciebat ad austrum[6]. »

÷ 4. Vita remissa : « Considerate semitas Theman, » id est austrum, « itinera Saba[7], » quod rete interpretatur.

XVIII.

1. Aquilo[8], malignus spiritus : « Ab aquilone exardescent mala super terram[9]. » « ÷ Qui extendit aquilonem super vacuum[10]. »

2. Gentilis : « ÷ Ab aquilone venit aurum[11]. Dicam aquiloni : Da[12]. » ÷ In psalmo : « Mons Sion, latera aquilonis[13]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6 ; ed. II, col. 74 D, ad XVI, 2.

Gregorius M. et Alanus. Auster, charitas ; unde Habacuc : « Deus ab austro veniet[14], » id est a fervore charitatis.

Filius Dei ; unde in psalmo : « Converte, etc. »

Spiritus sanctus ; unde in Cantico : « Surge, aquilo ; et veni, auster, » id est, recede, dæmon ; et veni, sancte Spiritus, et reple mentes hominum.

Ecclesia ; unde in Job vocat interiora austri spirituales, qui latent in Ecclesia Dei.

Judæa ; unde Isaias de gentium conversione ait : « Dicam aquiloni : Da. Et austro : Noli prohibere. » Id est, dicam gentilitati : Offer munus Deo. Et austro, id est Judææ, quæ a vero sole fervorem fidei prima suscepit : Noli prohibere, id est, damnando vitam gentilium, eos repellere, quia erant idololatræ.

Vita remissa ; unde Job : « Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper. » Theman auster, Saba rete interpretatur. Per austrum, qui tepore suo[15] afflata dissolvit, fluxa vivendi remissio ; per rete, actionis obligatio intelligitur. Dissolutis gressibus in rete ambulant, qui, dum mundum perfecte non deserunt, et mundanis actionibus se obligant, non ambulant.

Gregorius apud *Garnerium*, *S. V.*, lib. I, c. 14, 15, p. 48-54.

(1) *Auster*. Cantic. IV, 16. Addunt B-G. *Veni, aquilo, perfla ortum meum. Aquilonem vero hoc in loco eumdem Spiritum sanctum accipiunt.* — (2) *Fugienti*. Is. XXI, 14, in A. — (3) *Auster, color fidei. In psalmo* B-G. — (4) *Austro*. Ps. CXXV, 4, A. sed D-G addunt : *Africus, hoc quod superius, in psalmo* : sequitur locus quem excitant pariter B-G. *Induxit in virtute sua africum* [Ps. CXXV, 4]. *A virtute sua* D. — (5) *Vita*. 3 et 4 in A, ex Gregorio. — (6) *Austrum*. Ezech. XI, 24. — (7) *Saba*. Job VI, 19. — (8) *Aquilo, diabolus vel homines infideles, in propheta* B-G. — (9) *Terram*. Jerem. I, 14. — (10) *Vacuum*. Job XXVI, 7 A. — (11) *Aurum*. Job XXXVII, 22 A. — (12) *Da*. Is. XLIII, 6 A. — (13) *Aquilonis*. Ps. XLVII, 3. A. — (14) *Veniet*. Habac. III, 8. — (15) *Tempore suo* cod. *Torporibus* Garner. S. V. ib.

RABANUS et ANONYMUS CLARAVALLENSIS.

Auster, Spiritus sanctus; unde : « Surge, etc. — Prædicator; unde : « Transtulit austrum de cœlo[1]. » — Cœtus martyrum : « Ab austro portæ tres[2]. » — Devotio; unde : « Converte, etc. » — Sancta conversatio; unde : « Ædificium vergentis ad austrum[3]. » — Secretum cœli; unde : « Qui facis interiora austri[4]. » — Africus, Judæus; unde : « Fili hominis, stilla ad africum[5]. »

Aquilo, austeritas persequutionis; unde : « Surge, etc. » — Electus; unde : « Venient ab Aquilone[6]. » — Suggestio diaboli; unde : « Facies ollæ a facie aquilonis[7]. » — Reproba mens; unde : « Sedebo in lateribus Aquilonis[8]. » — Diabolus; unde : « Qui extendit, etc. »

CONCIONATOR PRÆMONSTRATENSIS, in cap. XXI. *Ecclesia*, n° 3.

Navis operiebatur fluctibus. Matthæi VIII. Nota quod quatuor sunt principales venti, videlicet oriens, occidens, aquilo et meridianus; et quamvis sunt multi, alii tamen habent ortum ab illis quatuor. Et sciendum est quod mare non fluctuat, nisi moto vento.

Spiritualiter. Navicula sanctæ Ecclesiæ numquam destitit a principio usque ad finem molestari : nam primo fuit molestata a populo Judæorum, tamquam a vento orientali; secundo a populo gentili, tamquam a vento aquilonari; tertio ab hæreticis, tamquam a vento meridionali; quarto ab Antichristo, tamquam a vento occidentali.

Figura. Danielis VII. Vidit quatuor bestias cum quatuor ventis in mare pugnantes; quarum prima fuit quasi leæna, habens alas aquilæ; quibus depositis in terra, cecidit. Alia bestia erat similis urso, et habebat tres ordines dentium in ore. Tertia erat similis pardo, et habebat quatuor capita. Quarta erat omnibus dissimilis, et omnia comminuens; et habebat dentes ferreos, et quæ dentibus non comminuebat, pedibus conculcabat.

Moraliter. Isti quatuor venti sunt quatuor tempestates, quibus Ecclesia sancta molestatur. Nam prima bestia habens duas alas, est synagoga habens duas tabulas testamenti : sed illis cito depositis per avaritiam et nequitiam, cecidit, et ad nihilum redacta est. Secunda bestia est [persequutio] tyrannorum gentilium Deum ignorantium, velut stolidus ursus : habet tres ordines dentium in ore, videlicet, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitæ. Tertia bestia est similis pardo, videlicet hæretici, qui quatuor Evangeliis, velut quatuor capitibus, sed prave utuntur : ab Ecclesiæ doctoribus eorum pravitas est exstincta. Ultima bestia omnia comminuens, est Antichristus, quia, nisi dies ejus abbreviati fuerint, vix salvarentur electi. Et habet decem capita, quia decem præcepta totaliter destruit in Ecclesia; sicque dentibus ferreis et gladiis multos comminuet. Considerent igitur Christiani rixantes in invicem in Ecclesia, quantam mercantur pœnam et tristitiam, qui navem Christi suis discordiis conantur submergere.

Unde Augustinus, in libro *de Verbis Domini*[9] : « Qui in pace non est, a Patre abdicabitur, a Filio exhæreditabitur, a Spiritu sancto alienus efficietur; nec ad hæreditatem electorum poterit pervenire, qui testamentum pacis non vult observare. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 645-662.

Surge, Aquilo, et veni, Auster!

Dum venit et tangit cor Spiritus iste benignus,
Spiritus egreditur hominis de corde malignus.
Frigidus est aquilo, qui terram frigore stringit;
Est auster calidus, qui terram germine pingit.
Est aquilo Satanas, qui constringit corda malorum;
Est auster Christus, dilatans corda bonorum.

(1) *Cœlo*. Ps. LXXVII, 26. — (2) *Tres*. Apoc. XXI, 13. — (3) *Austrum*. Ezech. XL, 2. — (4) *Austri*. Job IX, 9. — (5) *Africum*. Ezech. XX, 46. — (6) *Ab aquilone*. Is. XLIX, 12. — (7) *Aquilonis*. Jerem. I, 13. — (8) *Aquilonis*. Is. XIV, 13. — (9) *De verbis Domini*. Locus ille Augustini nos fugit; sed vix ac ne vix quidem non spurium duximus ac forte relegandum in sermonibus suppositiis *de Verbis Domini*, *Opp.* t. V in app., ed. Ben.

Est et Pneuma sacrum, dans justis germina florum.
Dum fugit, est aquilo surgens; austerque serenus,
Horti perflat humum; quo flante, fit hortus amœnus.
Sic, foris excluso Satana, qui cor male pungit,
Spiritus almus adest, qui mentes leniter ungit,
Virtutumque facit species et aromata nasci.
De quorum gustu solet intus mens pia pasci;
Adveniens intrat proprium dilectus in hortum,
Et concedit fructum de lignis dulcibus ortum;
Quum Christus dilectorum intrat corda suorum,
Ac ibi se reficit, operum dulcore bonorum.

XIX.

1. Oriens[1], Christus : « Ecce vir oriens[2]. Visitavit nos oriens ex alto[3]. »
2. Ecclesia, vel Judæa[4] : « Ab oriente adducam semen tuum[5]. »

XX.

1. Occidens, gentilitas[6], quod supra : ÷ « Et ab occidente congregabo te[7]. »
2. Mors Salvatoris : « Qui[8] ascendit super occasum, Deus nomen illi[9]. Sol agnovit occasum suum[10]. »
3. Defectus melioris vitæ : « Occidet nobis sol meridie[11]. »
4. Refrigeratio[12] tentationis : « Homo qui nocturno pollutus est somnio, post solis occasum revertetur in castra[13]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 7; edit. II, col. 741 D ad XIX, 1, et XX, 3.

Gregorius M. Oriens, Christus; unde Job : « Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt[14], » quia videlicet hi quoque ad persequutionem prosiliunt, qui electa membra Christi esse putabantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 15, p. 543.

Rabanus. Occidens, ætas decrepita : « Multi ab occidente venient[15]. » — Infidelitas : « Ab occidente portæ tres[16]. » — Defectus virtutum : « Si ad occidentem iero, non intelligam eum[17]. » — Occasus, mors : « Iter facite ei qui ascendit s. o. » — Tentationis refrigeratio : « Pollutus nocturno somno, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. XIV ex art. IV. *Oriens vel oriri septem modis in bono, uno in malo.* Oriens vel oriri dicitur Pater. Psalmus : « Cœlum cœli ad orientem[18]. » — Et Filius. Zacharias : « Ecce V. O. N. E. » — Spiritus sanctus : « Ecce magi ab oriente venerunt[19]. » — Oriri etiam dicitur gratia Dei. Psalmus : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis[20]. » — Oriens quoque vel orientales dicuntur justi. Job : « Erat vir ille magnus inter omnes orientales[21]. » — Oriones etiam, id est stellæ quæ in hieme oriuntur, dicuntur martyres, qui in hieme vitæ præsentis fulgent. Job : « Qui facit orionas[22]. » — Oriri quoque dicuntur qui in prosperitate sunt. Psalmus : « Quum exorti fuerint peccatores a terra[23]. » — Oriens etiam qui putantur electi. Job : « Ad dexteram orientis calamitates meæ... »

(1) *Oriens, Dominus Jesus Christus, in Evangelio : Visitavit..... Et in Zacharia : Ecce veniet vir cujus Oriens est nomen ejus* B-G. — (2) *Oriens.* Zachar. VI, 12. — (3) *Alto.* Luc I, 78. — (4) *Populus Judæorum, sive illuminatio fidei : sicut in Isaia Ecclesiæ dicitur* B-G. — (5) *Tuum.* Is. XLIII, 5. — (6) *Populus gentium, ubi et supra* B-F. — (7) *Te.* Is. XLIII, 5. Deest in A. — (8) *In psalmo : Iter facite ei qui* B G. *Ascendit ad occasum* B, C. — (9) *Deus nomen illi.* Ps. LXVII, 5. — (10) *Suum.* Ps. CIII, 9. *Sol cognovit* E, F, G. — (11) *Meridie.* Amos VIII, 9. — (12) *Tentationis ardorisque incentivæ libidinis refrigeratio, sicut in Deuteronomio, pro eo qui nocturno polluitur somnio, hoc est occulta cogitatione : ut non revertatur in castra, priusquam lavet vestimenta sua, et occidat sol* B-G. — (13) *Castra.* Deuter. XXIII, 11. — (14) *Surrexerunt.* Job XXX, 12. — (15) *Venient.* Matt. VIII, 11. — (16) *Tres.* Apoc. XXI, 13. — (17) *Eum.* Job XXIII, 8. — (18) *Orientem.* Ps. LXVII, 34. — (19) *Venerunt.* Matt. II, 1. — (20) *Pacis.* Ps. LXXI, 7. — (21) *Orientales.* Job I, 3. — (22) *Orionas.* Job IX, 9. — (23) *Terra.* Ps. XCI, 8.

Lx art. v. *Occasus uno modo in bono, duobus in malo.* Occasus pœnæ, occasus culpæ, occasus gehennæ. Occasus pœnæ est mors. Psalmus : « Sol [Christus cognovit o. s.» — Occasus culpæ est defectus gratiæ. Paulus : « Sol non occidat super iracundiam vestram [1]. » — Occasus gehennæ est diabolus. Psalmus : « Iter facite ei, etc. »

Primus occasus est bonus; secundus, malus; tertius, pessimus. Primo occasu, occidit sol justitiæ, Christus. Sapientia : « Erravimus a via veritatis, et sol justitiæ non illuxit nobis [2]. » Nonne vere sol justitiæ occubuit, quando in morte Christi sol obscuratus est, et tenebræ factæ sunt ab hora sexta usque in horam nonam? — Secundo occasu, occidit sol gratiæ. Genesis : « Quum occubuisset sol, facta est caligo [3], » quia quum fervor justitiæ occidit, mens obcæcatur. Nonne occubuerat sol gratiæ in mente Petri, quando de nocte negavit? — Tertio occasu, occidit Lucifer cœli. Apocalypsis : « Et projectus est draco ille magnus in terram [4]. » Nonne occidit lucifer matutinus, quando draco ille traxit secum tertiam partem stellarum?

Primo occasu solis existente, prodiit in fulgorem luna Ecclesiæ. Secundo occasu gratiæ existente, manifestatur luna defectus nostri, quia sine gratia non subsistimus. Tertio occasu luciferi existente, Angelorum stantium claritas erupit in fulgorem. Videbat Dominus Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem [5].

Biblia Bellevall. Oriens, Christus.

Anonymus Clarevallensis. Oriens ab exortu solis est nuncupatus. Oriens primos suscipit radios solis, quando sol transit ab inferiori hemispherio. In cujus partibus plantatur paradisus; calor est immensus; habitant tetri homines et diversa genera bestiarum.

Oriens. { Christus. Sanctitas vitæ. / Pœnitentia. Illuminatio fidei.

Occidens solem mundo abscondit, diem terminat, noctem inducit, rubet sero contra crastinam serenitatem.

Occidens. { Mali, ut : « Neque ab oriente, neque ab occidente [6]. » — Peccatum, ut : « quantum distat ortus ab occidente [7]. »

XXI.

1. Tonitruum [8], prædicatio superni terroris : « Vox tonitrui in rota [9]. » ÷ « Dominus ascendit in cœlos et tonat [10]. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui [11]? »

÷ 2. Tonitruum [12], Christus; unde apostoli, Boanerges, id est filii tonitrui [13].

XXII.

Coruscatio [14], splendor Evangelii : « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ [15]. »

XXIII.

÷ 1. Fulgura [16], excitatio terroris divini : « Et erat visio discurrens in medio

(1) *Vestram.* Ephes. IV, 26. — (2) *Nobis.* Sap. V, 6. — (3) *Caligo.* Genes. XV, 17. — (4) *Terram.* Apoc. XII, 9. — (5) *Cadentem.* Luc X, 18. — (6) *Occidente.* Ps. LXXIV, 7. — (7) *Occidente.* Ps. CII, 13. — (8) *Tonitrua, evangelii voces, eo quod de cœlo intonet.* In psalmo : *Vox* B-G. — (9) *Rota.* Ps. LXXVII, 19. — (10) *Tonat.* Locus sine ulla varietate exstat in sex codicibus B, C, D, E, F, G. Nec tamen in tota Scriptura comparet, nisi forte excitetur e psalmo XVII, sive juxta incognitam versionem, sive ob varios στίχους in unam ῥῆσιν fortuito congestos : ut legatur primum v. 12 : *ascendit* super Cherubim. Deinde v. 15 : *Et intonuit de cœlo Dominus.* — (11) *Tonitrui.* Job XXXVIII, 26. — (12) *Tonitruum.* In cod. A. Cf. infra Gregoriana. — (13) *Tonitrui.* Marc. III, 17. — (14) *Coruscationes, splendores evangelii : in psalmo* B-G. — (15) *Terræ.* Ps. LXXVI, 19. — (16) *Fulgura.* Dist. 1 et 2 in A; 3 in B-G.

quatuor animalium, splendor ignis; et de igne, fulgur egrediens [1]. Fulgura in pluviam fecit [2]. »

÷ 2. Prædicatores : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus [3] ! »

÷ 3. Virtutes Jesu, vel miracula sanctorum. In psalmo : « Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos [4]. »

XXIV.

÷ 1. Fulmina [5], sententiæ extremi judicii : « Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferient [6]. »

÷ 2. Sagittæ, præcepta divina. In psalmo : « Misit sagittas suas, et dissipavit eos 7. » Et alibi : « Sagittæ acutæ, potentissime; populi sub te cadent [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 739 ad XXI, XXII, XXIII, 2, 3.

Gregorius M. Tonitruum nomine incarnatus Dominus intelligitur, qui ex antiquorum Patrum conveniente prophetia, ad notitiam nostram quasi ex nubium concussione prolatus est; qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant terribiliter sonuit. Unde et ipsi apostoli, de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitrui, sunt vocati. Tonitrui nomine prædicatio superni timoris accipitur; unde ad beatum Job dicitur : « Quis dedit, etc. » Imber vehementissimus est vis immensa prædicationis, tonitru superni timoris humana corda quatiens.

Fulgur, excitatio divini terroris; ut ibi : « Erat visio, etc. » Hic ignis Spiritus sanctus est, de quo utique quasi fulgur egreditur, quum ejus contactu mentes fervidæ feriuntur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 16, 17, p. 54-57.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 19, col. 277. Cf. infra *Anon. Clarevall.*

Petrus Capuanus ad litt. VI, ex art. 6. Fulgur dicitur splendor quidam cum percussione. Est autem triplex fulgur, scilicet fulgur divinitatis, fulgur angelicæ dignitatis, et fulgur humanitatis.

Fulgur divinitatis duplex, ipse Spiritus sanctus, vel illuminatio ipsius : « Sicut fulgur exit ab oriente [9], id est illuminatio Spiritus, vel ipse Spiritus a Patre.—Fulgur etiam divinitatis, comminatio divina : « Fulgura in p. f.; » quum scilicet comminationem convertit in misericordiam. Nam quos fulgur terret, misericordia reficit.

Fulgur angelicæ dignitatis duplex : scilicet vel bonus angelus propter splendorem. Evangelium : « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur [10]. » — Vel malus propter subitam ruinam : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem [11]. »

Fulgur etiam humanitatis duplex, scilicet ipsi sancti splendentes. Psalmus : « Illuxerunt fulgura orbi terræ [12]. » Daniel : « Benedicite, fulgura et lumen, Domino, » secundum aliam translationem [13]. — Fulgura etiam humanitatis, miracula sanctorum. Psalmus : « Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos. »

(1) *Egrediens.* Ezech. I, 13. —(2) *Fecit.* Jerem. X, 13. — (3) *Adsumus.* Job XXXVIII, 35.—(4) *Eos.* Ps. XVII, 15. — (5) *Fulmina.* Dist. una in A; in B-G altera; *sagittæ* enim in illis codd. post *fulgura* ponuntur, quasi pro *fulminibus.* — (6) *Ferient.* Job XLI, 14. —(7) *Eos.* Ps. XVII, 15. — (8) *Cadent.* Ps. XLIV, 6.—(9) *Oriente.* Matt. XXIV, 27.— (10) *Fulgur.* Ib. XXVIII, 3.—(11) *Cadentem.* Luc. X, 18.—(12) *Terræ.* Ps. XCVI, 4.—(13) *Translationem.* Dan. III, 73. Nova enim est illa translatio, cujus ne ullum quidem vestigium in Sabaterianis *Biblior. antiquis versionibus* detegitur.

Fulmen autem dicitur sententia judicis : fulmina mittet in Antichristum, quando « spiritu oris ejus interficiet impium [1]. » Job : « Mittet in eum fulmina [2], » id est gravem sententiam.

Litt. XIX, art. V. Tonitruum materiale dicitur prædicator. Psalmus : « Vox t. t. i. r. » Apocalypsis : « Et quum angelus clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas [3], » id est prædicationes septiformis Ecclesiæ.

Tonitruum etiam spirituale dicitur specialiter prædicatio ipsius Christi. Psalmus : « Intonuit de cœlo Dominus [4]. » — Vel inspiratio qua Deus inspirat homini, quam magnus sit in supernis, et quam terribilis futurus. Job : « Post eum rugiet sonitus ; tonabit voce magnitudinis suæ [5]. »

Tonitruum cœleste dicitur ipse Christus. Job : « Viam sonantis tonitrui. » Hinc apostoli omnes, vel specialiter Joannes et Jacobus, dicti sunt Boanerges, id est filii tonitrui, quia omnes filii fuerunt, vel discipuli Christi. Et illi duo specialiter terrificam illam vocem Patris et quasi magnum tonitruum audire meruerunt in transfiguratione : « Hic est Filius meus dilectus [6]. »

Tonitruum infernale dicitur horrenda illa sententia quam contra se audituri sunt reprobi. « Ite, maledicti. » Job : « Quum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri [7] ? ... »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. — Tonitrua ex collisione nubium fiunt ; horribilem fragorem faciunt ; terrent graviter ; percutiunt ; alta diruunt ; occidunt ; ignem accendunt ; fœtorem ministrant ; pluviam comitantur.

TONITRUUS.

Dominus incarnatus.	Comminatio Dei.
Prædicator.	Increpatio.

FULMEN.

Splendescit, terret fulmen, sic findit et ardet ;
His addas quod idem citius venit et cito transit.

Comminatio prædicatorum.	Prædicatores.
Terror timoris divini.	Virtutes.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Tonitru.	Incarnatus Dominus.
	Prædicatio superni terroris.
Fulgur.	Excitatio divini terroris.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod. v. 1086-1099.

Lex datur in Sinai, dum mensis tertius instat,
Cum fumo, tonitru, fulgure, nube, tuba.
Hoc in mense datum descendit Pneuma beatum,
Cum flamma, linguis, luce, canore, sono.
Claret in his rebus jucundi gloria festi,
Et pentecostes lux pretiosa micat.
Montem fumare, mugire tonitrua, spargi
Fulgura, flare tubam legis origo facit.
Ecce Sion montem designat mons Sina ; fumat
Lex ibi ; sed sacer hic flatus in igne datur.
Oris apostolici sacra verba tonitrua signant.
Fulgura quæ rutilant, splendida signa notant.
Doctorum voces altas clangore tubarum
Accipe, qui populos ad sacra justa vocant.

XXV.

1. GRANDO, increpatio prædicationis. « Præ fulgore in conspectu ejus, grando et carbones ignis [8]. »

2. Comminatio [9], vel flagellum : « Et occidit in grandine vineas eorum [10]. »

÷ 3. Dura [11] et frigida corda : « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti [12] ? »

(1) *Impium*. II Thessal. II, 8. — (2) *Fulmina*. Job XLI, 14. — (3) *Suas*. Apoc. X, 3. — (4) *Dominus*. Ps. XVII, 14. — (5) *Suæ*. Job XXXVII, 14. — (6) *Dilectus*. Matt. XVII, 5. — (7) *Intueri*. Job XXVI, 14. — (8) *Ignis*. Ps. XVII, 13. — (9) *Comminationes Domini, quibus contumaces verberat, in psalmo : grando e. c. i. Et in aliam partem : occidit* B-G. Cf. Eucher. — (10) *Vineas eorum*. Ps. LXXVII, 37. *Jumenta eorum* B, C. — (11) *Dura*. 3 in A ; 4 in B-F. — (12) *Aspexisti*. Job XXXVIII, 22.

÷ 4. Futura percussio. In Isaia : « Allidet in turbine grandinis.[1] » Et alibi : « Et dabo lapides prægrandes insuper irruentes[2]. »

XXVI.

1. Glacies, duritia[3] peccatorum : « Et sicut in sereno glacies, ita dissolventur peccata tua[4]. »

2. Gelu et frigus, futura tribulatio[5] : « In die illa non erit lux ; sed gelu et frigus[6]. Et gelu de cœlo quis genuit[7] ? »

XXVII.

1. Pruina, abstinentia[8], qua calor carnis refrigeratur : « Quia factus sum sicut uter in pruina[9]. »

2. Tribulatio præsens[10] : « Qui timent pruinam, irruet super eos nix[11]. »

3. Rigor et districtio legis[12]; unde de manna : « Et erat candida[13] quasi pruina[14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6 ad XXV, 2; ad XXVI, 1; ad XXVII, 1. Ed. II, col. 740 C ad XXV, 1, 2; ad XXVI, 1; col. 740 E ad XXVII, 1.

Gregorius M. Grando, sanctorum prædicatio, ut ibi : « Præ fulgore, etc. » Nam, sicut grando vineas percutit, liquata rigat, sic sanctorum prædicatio corda audientium ferit et infundit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 19, p. 62.

Rabanus. Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 17, 18, col. 327, 388.

Rabanus et Garnerius Lingonensis. Grando verbera correctionis, ut : « Nubes transierunt, grando et carbones ignis. » — Synagoga, ut : « Thesauros g. a. » — Tribulatio, ut : « Tradidit grandini jumenta eorum[15]. » — Violenta prædicatio, ut : « Occidit in g. v. e. » — Gravis afflictio, ut : « Grando vastavit Ægyptum[16]. »

Gelu, plebs Judaica, ut : « Gelu de c. q. g. » — Asperitas tribulationis, ut : « Flante Deo, concrescit gelu[17]. » — Glacies, frigida Synagoga, ubi : « De cujus utero egressa est glacies[18] ? »

Pruina, decor cœlestis : « Manna in similitudinem pruinæ super terram[20]. » — Adversitas temporalis : « Qui timent, etc. » — Maturitas religionis : « Factus sum s. u. i. p. »

Petrus Cantor. Pruina dicitur cœleste beneficium. Unde : « Factus s. s. u. in p., » id est a divino beneficio, id est, gelu continentiæ omnem calorem corporeum et carnalis concupiscentiæ ardorem restrinxi. — Peccata, seu carnalia desideria sæculi dicuntur pruina, quæ uter non sentit, id est casualia desideria, quæ in me exstinxi, et ideo : « Justificationes tuas non sum oblitus[21]. » — Mali homines per pruinam intelliguntur; mali qui non fervent charitate, sed

(1) *Grandinis.* Is. XXX, 30. — (2) *Irruentes.* Ezech. XIII, 11. — (3) *Durities* E, F. — (4) *Tua.* Eccli. III, 17. — (5) *Tribulatio et angustia. In Zacharia* B-G. — (6) *Frigus.* Zachar. XIV, 6. — (7) *Genuit.* Job XXXVIII, 29. — (8) *Abstinentia, eo quod per hanc frigescat calor corpóris. In Psalmo : Factus* D, E, F, G; quæ omissa in B, C ob similitudinem verborum proxime præcedentium. Vide ad *Ros.* — (9) *Pruina.* Ps. CXVIII, 83. — (10) *Tribulatio hujus vitæ, in Job* B-G. — (11) *Nix.* Job VI, 16. — (12) *Rigor legis et severitas disciplinæ, sicut in Exodo de manna scribitur* B-G. — (13) *Candidus* B, C, D; *candidum* E, F, G. — (14) *Pruina.* Exod. XI, 14. — (15) *Eorum.* Ps. LXXVII, 48. — (16) *Ægyptum.* Exod. IX, 25. — (17) *Gelu.* Job XXXVII, 10. — (18) *Glacies.* Job XXXVIII, 27. — (19) *Grandinis.* Is. XXX, 30. — (20) *Terram.* Exod. XVI, 14. — (21) *Non sum oblitus.* Ps. CXVIII, 84 et 141.

algent in fidelitate. Et est sensus : ideo consolare, quia f. s. s. u. i. p., id est, inter malos quæ mihi commissa sunt retinens.

Petrus Capuanus ad litt. VII, ex art. 5. Grando culpæ et grando pœnæ. Grando culpæ duplex, scilicet, violenta prædicatio modum excedens. Psalmus : « Occidit v. e. g. » id est, violenta prædicatione virtutes eorum diripi permisit. Et grando culpæ, violentia res alienas auferens. — Grando pœnæ duplex, scilicet tribulatio præsens et asperitas gehennæ.

Litt. XV, art. 5. Pruina de supernis descendit, refrigerium præstat, candida est et alba. Ergo et ipsa lex de supernis est. Exodus : « Dedit Moysi duas tabulas, scriptas digito Dei [1]. » Refrigerium præstat contra incendia vitiorum; quæ Paulus monstrat dicens : « Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces [2]. » Est etiam et ipsa candida ab effectu, quia candidas mentes et mundas efficit. Psalmus : « Eloquia Domini, eloquia casta [3]. » Sed et gratia Spiritus de supernis est. Epistola canonica : « Omne datum optimum descendens a Patre luminum [4]. » Refrigerium præstat : « Erit tibi in umbraculum diei ab æstu [5]. » Et ipsa est candida etiam et munda, quia talem efficit : « Lavabis me, et super nivem dealbabor [6]. » Virtus etiam Spiritus sancti, vel continentiæ de supernis est. Actus : « Factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus [7]. » Refrigerium præstat. Evangelium : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi [8]. » Et ipsa est etiam candida; quia et ipsum corpus Christi adeo effectum est candidum in utero Virginis, ut de eo dictum est in Canticis : « Amicus meus candidus [9]. »

Est etiam pruina inferior, gelicidium vitiorum, quæ est ab inferis, id est a dæmonibus. Ipsa etiam non refrigerat, sed incendit. Hinc etiam serpentes igniti dicti sunt, quibus usque ad mortem homines incendebantur. Ipsa etiam non est alba, sed nigra, et nigros efficit. Psalmus [10] : « Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. »

Biblia codic. Bellevall. et Anonym. Clarevallensis.

Grando.

Verbum correptionis. Violenta prædicatio.
Synagoga. Gravis afflictio.
Tribulatio.

Anonymus.

Glacies. Gelu. { Frigida Synagoga. / Plebs Judaica. / Asperitas legis.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Exod. v. 205, 206.

Grando pluens jumenta necat : signat quod amantes
Carnis luxurias grandinat ira Dei.

II.

Ibid. v. 1011–1016.

Angelico gomor est impletus pane : reponit
Ante Deum Moyses vasque cibumque sacrum.
Judæos pavit cibus ille decem quater annis,
Donec terra fluens lacte paretur eis.
Sic vetus et nova lex te debent pascere, donec
Detur terra fluens nectare, lacte, favis.

XXVIII.

1. Pluvia [11], prædicatio, vel gratia : « Exspectetur [12] sicut pluvia eloquium meum [13]. Pluviam voluntariam segregabis [14]. »

(1) *Dei.* Exod. XXXI, 18. — (2) *Concupisces.* Rom. VII, 7. — (3) *Casta.* Ps. XI, 7. — (4) *Luminum.* Jac. I, 17. — (5) *Estu.* Is. IV, 6. — (6) *Dealbabor.* Ps. L, 9. — (7) *Spiritus.* Act. II, 2. — (8) *Tibi.* Luc. I, 35. — (9) *Candidus.* Cant. V, 10. — (10) *Psalmus*, lege *Eccli.* XIII, 1. — (11) *Pluviæ* E, F, G. *Præcepta vel mandata divina, eo quod terram, id est hominum corda, irrigent. In Psalmo : Pluviam, etc. Et alibi* B-G. — (12) *Exspectetur* B, C. — (13) *Meum.* Job XXIX, 23. — (14) *Segregabis.* Ps. LXVII, 10. *Segregabis. Deus, hæreditati tuæ* B, C, D, G. *Segrega, Deus, hæreditati* E, F.

÷ 2. Verbum Dei : « Descendet sicut pluvia [1]. »

XXIX.

Imber matutinus et serotinus, vetus et novum testamentum : « Descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum in principio [2]. » ÷ « Irriguum inferius et superius [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius. Ed. I, p. 6; ed. II, col. 710 C ad 1.

Gregorius M. Imber, prædicatio doctrinæ; unde ad beatum Job dicitur : « Quis dedit, etc. » Misericors enim Deus imbri suo cursum, et sonanti tonitruo viam, id est prædicationi libertatem, dare dignatur, quando compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures aperiunt.

Rabanus. Pluvia, prædicatio : « Quis est pluviæ pater [4]? » — Interna gratia : « Pluviam v. s. Deus. »

Imber Christus, ut : « Veniet vobis quasi imber temporaneus [5] » — Doctrina exuberans : « Quis dat vehementissimo imbri cursum [6]? » — Humilis doctrina : « Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem [7]. » — Persequutio, ut : « Imber abiit et recessit. [8]. » — Verba doctorum, ut : « Quos imber montium irrigavit [9]. »

Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 14, col. 325.

Petrus Capuanus ad litt. XV ex art. 6. *Pluvia quatuor modis in bono, uno in malo.* Pluvia temporalis alimoniæ, doctrinæ, gratiæ, pœnitentiæ et gehennalis pœnæ. Prima pluvia est ab aere; secunda ab homine; tertia a Deo; quarta a corde; quinta a dæmone, quia suo ministerio exercetur...

Ea quæ pertinent ad pluviam adaptantur divinæ gratiæ. Pluvia autem necessaria est terræ circa principium ad pullulandum, circa medium ad fructificandum, circa finem ad maturandum. Ad hunc modum et terræ mentis nostræ necessaria est pluvia divinæ gratiæ : circa principium, ad initium bonorum operum. Paulus : « Gratia Dei sum id quod sum [10]. » Necessaria est circa medium ad conversationem. Psalmus : « Et misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ [11]. » Paulus : « Non autem ego, sed gratia Dei mecum [12]. » Necessaria est circa finem ad colligendum et consummandum. Psalmus : « Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos [13]. Psalmus : « Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ [14]. »

Biblia codic. Bellevall.

Imber.

Infusio sanctæ prædicationis.	Inundatio præsentis tribulationis.

Pluvia.

Prædicatio.	Tentatio.
Interna gratia.	Gratia Christi.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Deuter. v. 41-44.

Est tempestivus datus imber, quum Synagogæ
Primo dedit legis saxea scripta Deus.
Sero dedit pluviam sub mundi vespere Christus
Nascens in terris, aurea verba pluens.

II.

In Job, v. 539-544.

Dona sacri flatus signantur aquis pluviarum;

(1) *Pluvia.* Ps. LXX, 16. Hæc in A. — (2) *Principio.* Joel II, 23. *Principio, hoc est in Christo* B-G. — (3) *Superius* A. Josue XVI, 19. — (4) *Pater.* Job XXXVIII, 28. — (5) *Temporaneus.* Osee VI, 3. — (6) *Cursum.* Job XXXVIII, 25. — (7) *Imbrem.* Is. V, 6. — (8) *Recessit.* Cant. II, 11. — (9) *Irrigant.* Job XXIV, 8. — (10) *Sum.* I Cor. XV, 10. — (11) *Meæ.* Ps. XXII, 6. — (12) *Gratia Dei mecum.* I Cor. XV, 10. — (13) *Suos.* Ps. CXXV, 6. — (14) *Vitæ meæ.* Ps. XXVI, 4.

Per terram, gravitas et durities animarum.
Te nisi compluerint introrsum dona benigna,
Mens tua sicca manet, non sacro munere digna.
Sed si mens justi cœlesti rore madescit,
In fructus fidei tellus subversa virescit.

III.

In Evang., v. 1277-1286.

Lex antiqua jubet, odio teneas inimicum :
Qui te læsit, eum dilige, nostra jubet.
Pro pravis ora qui te cum verbere torquent,
Ut possis summi filius esse Patris;
Qui super injustos justosque suum dat oriri
Solem, qui pluviam fudit utrisque suam.
Christus justitiæ est sol, qui de Virgine carnis
Ortum suscepit, Patre jubente Deo.
Per pluviam possunt doctrinæ verba notari,
Quæ pluit in mundum vera Sophia Patris.

XXX.

1. Nix [1], baptismus : « Si lotus fuero aquis nivis [2]. »
2. Tribulatio futura : « Qui timent pruinam, irruet super eos nix [3]. »
3. Compunctio [4] : « Asperges me hyssopo, et super nivem dealbabor [5]. »
4. Candor vitæ cœlestis : « Candidiores Nazaræi ejus nive [6]. »
5. Sublimia corda sanctorum : « Qui præcipit nivi ut descendat in terram [7]. »
6. Frigida corda pravorum. In Job : « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, et in die pugnæ et belli [8] ? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p. 6 ad 4; ed. II, 740 c ad 1 et 4.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 18, p. 58.

Gregorius M. Nix, candor vitæ cœlestis, ut ibi : « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. » Nix ex aqua congelascit, quæ desuper venit; lac vero de carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur : ideoque per nivem candor vitæ cœlestis, per lac temporalis demonstratur administratio. Nazaræi autem, id est continentes viri, tam mira plerique in Ecclesia Dei faciunt, ut multos qui cælibem vitam duxerant, et multos qui terrena bene dispensaverant, superare videantur. Ebore quoque antiquo rubicundiores, qui multis præcedentibus patribus ferventiores existunt; item sapphiro pulchriores,qui multos, cœlestibus inhiantes, munditiæ suæ pulchritudine vincunt. — Nix, frigida corda gentilium; ut ibi : « Numquid, etc. » Thesauros nivis Dominus ingreditur, quum in cordibus gentilium, seu quorumlibet perversorum, affectandæ pietatis consilium operatur. — Nix, sublimia corda sanctorum : « Qui præcipit, etc. » Nives enim ad terram veniunt, quum sublimia corda sanctorum, quæ solida contemplatione firmantur, pro fraterna charitate humilibus condescendunt. — Nix, animadversio supremi judicii : « Qui timet, etc. » Qui conculcanda in infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur.

Rabanus. Nix, vir sanctus : « Candidiores, etc. » — Peccator : « Qui dat nivem sicut lanam [9]. » — Corda gentilium : « Numquid, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 16, col. 226.

Anonymus Clarevallensis. Nix a *nube*, unde venit. Nix ex aqua induratur. Candida; frigida; cito dissolvitur; minuta descendit; calorem in aquam dissolvit; de facili sordidatur; sine strepitu cadit et collisione.

Nix. { Vir sanctus. / Peccator. / Corda gentilium.

(1) *Nives, baptismi profusio. In Job* B-G. — (2) *Nivis.* Job IX, 30. *Quasi aquis nivis* E, F, G. — (3) *Nix.* Job VI, 16. *Prunam* F addunt B-G. *Pruinam vero in hoc loco præsentem tribulationem intellexerunt.* Iterum legit B *prunam*, nec habet *In hoc loco.* — (4) *Compunctio.* dist. 2, 4, 5, 6 Gregoriana sapiunt, uti conferenti utraque facile liquebit. — (5) *Dealbabor.* Ps. L, 9. — (6) *Nive.* Thren. IV, 7. — (7) *Terram.* Job XXXVII, 6. — (8) *Belli.* Ib. XXXVIII, 28. — (9) *Lanam.* Ps CXLVII, 16.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Nix { Candor vitæ cœlestis.
Sublimia corda sanctorum.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 8107-8122.

Quomodo nix in æstate et pluviæ in messe, sic indecens est stulto gloria [1].

Nix, æstate ruens, florum solet esse noverca;
Imber et ingratus tempore messis erit.
Hujus ad instar erit doctoris gloria fœda
Stulto, qui non est dignus honore frui.
Convenit Ecclesiæ doctoris cathedra stulto,
Chordarum cithara sicut, aselle, tibi.
Nix vellit flores; maturas dissipat imber
Messes; dulcisonam frangis, aselle, lyram.
Quum datur indigno regimen stolidoque magistro,
Læditur Ecclesia sancta, fidesque ruit.
Vel dic schismaticos, vel iniquos esse tyrannos
Ingratos imbres, frigora sive nives.
Hæc dum, Christe, tuam quatiunt graviora flagella
Ecclesiam, prohibent fructificare fidem.
Austrum, Christe, tuum nobis, aquilone remoto,
Da, bene fructificent ut bona corda tibi.

XXXI.

1. IRIS [2], duorum judiciorum figura est [3], per diluvium et per ignem : « Et iris in circuitu ejus [4]. »

÷ 2. Arcus [5], Spiritus sanctus : « Velut arcus quum fulget in nubibus [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Arcus, Spiritus sanctus, ut in Ezechiele dicitur de visione ignis : « Velut arcus quum fuerit in nubibus in die pluviæ. » Hic est arcus, qui quasi ex duplici colore fulget, quia electos Dei et per aquam baptismatis aluit, et igne divini amoris accendit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 18, p. 447.

RABANUS. Spiritus sanctus, ut : « Arcus in nube in die pluviæ. »

Cf. *de Universo*, lib. IX, c. 20, col. 277.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Iris a sole splendet; igneum habet colorem superius, aqueum inferius; pluviam designat; cornua versus terram habet. — Aqua baptismi vel Spiritus sancti; unde : « Velut aspectus arcus est, quum f. i. n. » — Divinitas et humanitas; unde : « Iris erat in capite ejus [7]. »

ANONYMUS TRECENSIS [8]. *Arcus cœlestis signat incarnationem Christi.* Secundum Philosophum, arcus cœlestis generatur in nube roscida a sole ibi percutiente, et est in signum fœderis. Sic Christus, generatus in beata Virgine, fuit nubes elevata per contemplationem, levis, sine affectione carnali, roscida, divinæ gratiæ plenitudine immixta a sole, id est virtute Spiritus : « Superveniet in te virtus Altissimi. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes. v. 920-935.

Et ne rursus aquas timeant, in nubibus arcum,
Fœderis in signum, contulit Auctor eis.
Cæruleus, rubeus, geminus pingit color arcum :
Hic color est aqueus, igneus ille color.
Judicium factum per aquas, aqueus color extra
Apparens, signat : transiit ille metus.
Igneus interius color apparens notat ignem
Judicii; nondum transiit iste timor.
Ut sancti tradunt, annis decies quater ante
Judicium, fugiet arcus et exsul erit.
Qui de sole nitet, Deus infert nubibus arcum,
Ne rursum pereat fluctibus omnis homo.
Arcus, lex Domini; sol, Christus; suntque prophetæ
Nubes, qui mundo verba beata pluunt.
Justus qui mentis aspectum figit in istis,
Mortis naufragium nesciet ipse pati.

(1) *Gloria.* Prov. XXVI, 1. — (2) *Iris, id est arcus* B-G. — (3) *Figuram habere dicitur, hoc est primum per diluvium, secundum per ignem, in Apocalypsi* ib. — (4) *Ejus.* Apoc. IV, 3. — (5) *Arcus.* A solus habet sequentia. — (6) *Nubibus.* Ezech. I. 28. Satis alienum a Vulg. — (7) *Ejus.* Apoc. X, 1. — (8) *Trecensis.* Cæteris commentariis deficientibus, haud illibenter provocandum nobis erit ad hunc scriptorem, quem moralium τρόπων catenam humili et plebeio sermone, ordineque alphabetico retexuisse, sæc. XIII circiter desinente, deprehendimus in duobus codd. Trecensibus, sub num. 827 et 1786

XXXII.

1. Ros, Verbum Dei [1] : « Ros lucis, ros tuus, et terram gigantium detrahes in ruinam [2]. Exspectetur sicut ros Hermon [3]. »

2. Vel gratia [4] spiritualis : « In pinguedine terræ et in rore cœli [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p. 6; ed. II, col. 740 C ad 1.

Rabanus. Ros, contemplatio superna : « Det tibi Deus de rore cœli [6]. » — Gratia Dei : « Ros morabitur in messione mea [7]. » — Plenitudo sanctitatis : « Ros sit in vellere [8]. » — Infidelitatis : « Caput meum plenum est rore [9]. » — Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 19, col. 328.

Petrus Capuanus ad litt. XVII, art. 7. Ros gratiæ, ros misericordiæ, ros abundantiæ, ros Scripturæ, et ros incarnationis divinæ... Ros autem ad litteram, tenuissimus est, de cœlo descendit levi casu, et sine strepitu ad terram pervenit, ipsam terram madefacit, et ipsam fertilem facit ut fructificet. Hæc autem omnia et in rore incarnationis divinæ, si diligenter attendamus, possumus invenire. — Ros namque tenuissimus est : et Verbum vel Filius Dei tantæ est tenuitatis vel subtilitatis, ut quum Moyses vellet eum videre, et diceret : « Domine, ostende mihi faciem tuam, » Dominus respondit in Exodo : « Non videbit me homo, et vivet [10]. » Et ipse etiam clauso utero virginali exivit. Isaias : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium [11]. » Nonne magnæ est subtilitatis et tenuitatis, quando vix aquila ipse Joannes in ipsum potuit aciem suam dirigere, ut eructaret de pleno verbum Domino, et diceret : « In principio erat Verbum. » Ros de cœlo descendit : et Filius Dei de cœlo venit ad terras. Evangelium : « Exivi a Patre, et veni in mundum [12]. » Ros levi casu et sine strepitu ad terram pervenit : et Filius Dei ad terram uteri virginalis, sine strepitu operis humani, pervenit. Psalmus : « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram [13]. » Nonne sine strepitu descendit ad hanc terram, quando fuit lapis præcisus de monte sine manibus; et porta hæc clausa permansit, quum Dominus Deus noster ingressus est per eam? Ros terram madefacit : et Filius Dei terram uteri virginalis divinitatis fonte madefecit... Nonne hanc terram madefecit, quando fons fluit in medio paradisi, qui inde postmodum dividitur in quatuor flumina? — Ros terram fertilem reddit ut fructificet : et Filius Dei terram Virginis fecundavit. Isaias : « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem [14]. » Nonne hæc terra fructificavit, quando Adam de terra virgine formatus est, et veritas de terra orta est; quum virga Aaron, licet arida, frondes protulit, et amygdala subito germinavit?

Anonymus Clarevallensis. Ros invisibiliter descendit; refrigerat; fecundat; clarus, suavis; modico calore siccatur; terram mollescit; semini placet; nocte fluit et silentio, minutatim ac sparsim.

Educat et latitat ros, purus, suavis, et alget.

Ros.

Contemplatio superna, — Gratia Dei, — Plenitudo sanctitatis, — Hilaritas, ut : « Sicut ros super herbam, sic hilaritas regis [15]. »

1 *Ros. Verbum Domini, eo quod madefaciat* B-G; *hominem terram* B, C; *hominum terram* D, E, F; *hominum corda* G. Proxime succedunt in B, C quæ pertinent ad ea quæ ibidem sequuntur de *Pruina*. ut monuimus : *In psalmo : factus sum s. u. i. p.* — (2) *Ruinam*. Is. XXVI, 19. — (3) *Hermon*. Ps. CXXXIII, 2. *Qui descendit in montem Sion* B-G — (4) *Gratia*. Solius A distinctio secunda est. — (5) *Cœli*. Genes. XXVII, 39. — (6) *Cœli*. Genes. ib. 28. — (7) *Mea*. Job XXIX, 19. — 8 *Vellere*. Jud. VI, 37. — 9 *Rore*. Cant. V, 2. — 10 *Vivet*. Exod. XXXIII, 13, 14. — (11 *Filium*. Is. VII, 14. — (12 *Mundum*. Joan. XVI, 28. — (13 *Terram*. Ps. LXXI, 6. — (14 *Salvatorem*. Is. XLV, 8. — (15 *Regis*. Prov. XIX, 12.

Anonymus Trecensis. Nota. Sicut ros intrat in florem, imago in speculum, verbum hominis in cor humanum, et vox in locum clausum, sic intravit Christus in Virginis uterum, et post resurrectionem ad discipulos, januis clausis; et sicut fructus ex arbore, odor ex flore, sic Christus sine corruptione ex Virgine.

Petrus de Riga, in Judic. v. 125-132.

Vellus roratur; prius aruit area: vellus
Judæos, gentes arida terra notat.
Legis nube Deus prius irroravit Hebræos,
Sed fuit a tanto gens aliena bono.
Vellere siccato, post hæc fluit area: spretis
Judæis genti gratia larga fluit.
Concha repletur aquis, expresso vellere: concha
Virginis est alvus plena liquore sacro.

XXXIII.

1. Tempestas, examen judicii: « Et in circuitu ejus tempestas valida [1]. »

2. Turbo, impetus tentationis et persequutionis [2]: « Factus est fortitudo pauperis, spes a turbine [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6; II, col. 740 C. ad 2.

Rabanus, *de Universo*, lib. IX, c. 27, col. 283.

Anonymus Clarevallensis. Tempestas semina corrumpit; nascentia destruit; maria concitat; fructus erigit; terret nautas; jacturam facit. — Tempestas, tentatio, ut: « Exaudivit te in abscondito tempestatis [4]. » — Persequutio, ut: « Et celat se a tempestate [5]. » — Judicium, ut: « In circuitu, etc. »

Turbo domos concutit; evertit arbores; dejicit naves; demergit homines; rapit et occidit; turres prosternit; lapides dispergit. — Turbo, operatio angelica, ut: « Ascendit Elias per turbinem in cœlum [6]. » — Suggestio, tentatio, vitia, ut: « Hi sunt fontes sine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ [7]. » — Tribulatio et flagellum Domini, ut: « Respondens autem Dominus de turbine, ait Job [8]. » — Terror legis, ut: « Non accessistis ad tractabilem ignem et turbinem et caliginem [9]. » — Flatus Spiritus sancti, ut: « Vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone [10]. »

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. I, v. 178-185.

Et interitus quasi tempestas irruet.

Tempestas autem veniens quasi furiosa repente,
Insperata nimis, magnaque damna facit.
Sed tu, Jerusalem, rea Christi sanguinis, iram
Romanæ gentis passa repente cadis,
Quum subito vestros romana potentia muros,
Funditus evertit, vosque necando premit.
Ultores Titus fuerunt et Vespasianus,
Per quos, Jerusalem, clade subacta peris.

XXXIV.

÷ Serenitas [11], indulgentia delictorum [12], per sanguinem [13] Christi post tenebras peccatorum [14] data: « Facto vespere, dicitis: Serenum erit [15], rubicundum est enim cœlum [16]. »

(1) *Valida.* Ps. XLIX, 4. — (2) *Persequutionum vel tribulationum impetus, in Isaia* B-G. — (3) *Turbine.* Is. XXV, 4. — (4) *Tempestatis.* Ps. LXXX, 8. — (5) *Tempestate.* Is. XXXII, 2. — (6) *Cœlum.* IV Reg. II, 11. — (7) *Exagitatæ.* II Petr. II, 17. — (8) *Job* XL, 1. — (9) *Caliginem.* Hebr. XII, 18. — (10) *Aquilone.* Ezech. I, 4. — (11) *Serenitas.* Totus ille artic. deest in A. — (12) *Peccatorum* E. — (13) *Per sanguinem justitiæ Jesu Christi* B, C. — (14) *Delictorum* E, G. — (15) *Serenum est* D. — (16) *Cœlum.* Matt. XVI, 2.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

DISTINCTIONUM [1] MONASTICARUM lib. IV, de Rore.

Gratia (A), doctrina (B) signatur nomine roris,
Et quandoque boni ros est defectus (C) amoris.
A. *Det tibi de rore cœli.*
B. *Fluat ut ros eloquium meum.*
C. *Caput meum plenum est rore.*

Ros de superioribus ad inferiora descendit; sed descensus ejus nullo corporis sensu sentitur, quia subtiliter valde descendit; unde significat gratiam Spiritus sancti, qui nescientibus nobis virtutes nobis infundit. Ros humectat, fecundat, et refrigerat: sic et gratia Spiritus sancti humectat corda arida, fecundat sterilia, refrigerat male fervida. In quibus tria nobis aufert noxia, et tria confert utilia: humectando aufert a nobis siccitatem ignorantiæ, et confert humorem scientiæ; fecundando, aufert a nobis negligentiam, et confert bene operando diligentiam; refrigerando aufert a nobis luxuriam, et confert continentiam. De hoc rore ait Isaac in benedictione Jacob: « Det tibi de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei. » Jacob, frater junior, christianus populus intelligitur, cui Deus Pater dedit, de gratia Spiritus sancti et de fecunditate Ecclesiæ, abundanter fidem, spem et charitatem, vel humilitatem, castitatem et charitatem. Humilitas enim frumentum est quo valles abundant; castitas est vinum quod germinat virgines; charitas est oleum quod de capite justi non deficit.

Ros etiam sacra doctrina est; unde: « Concrescat in pluvia doctrina mea, etc. » De hoc rore cœli dat Deus Pater Domino redemtori nostro Christo, et de pinguedine terræ, id est de prædicatione virorum spiritualium et fecunditate Ecclesiæ, ut prius, abundantiam frumenti conjugatorum, et vini continentium, et olei virginum. Item de rore cœli, id est intelligentiæ dono, et pinguedine terræ, id est ubertate Scripturæ sacræ, dat Deus Jacob, id est studioso in Scripturis; qui quum litteræ luctatur velamine, eo dejecto, spirituales percipit sensus, abundantiam scientiæ salutaris, quæ frumentum est, ubi nos docet bene operari; vinum, quum nos ad mundi contemtum inebriat; oleum, quando nos allicit et ungit ad amplexus sponsi. Vel frumentum est sensus moralis; vinum, sensus spiritualis; oleum, anagogicus. Sacra enim Scriptura terra est manans lacte et melle, id est abundans simplici doctrina parvulorum, et sublimi ac subtili perfectorum. Unde est illud:

Lacte rigans pueros; melle cibans validos.

Item ros, qui ad calorem solis cito siccatur, significat mobilitatem et inconstantiam quorumdam, qui bonis nonnumquam tanguntur affectibus, sed non radicantur in illis; unde est illud propheticum de quibusdam: « Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens [2]. » Et quia refrigerat, significat perfidiam, defectumve charitatis; unde sponsus in Canticis: « Caput meum, etc., id est Scriptura, in qua sensus mei sunt, corrupta est prava expositione perfidorum. »

ANONYMUS [3].

Rhythmi super Cantica canticorum.

I.

Caput meum plenum est rore [4].

O mea immaculata,
Ad hoc cito sis parata:

(1) DISTINCTIONUM. Quum ad hunc articulum silerent omnino nostri quotquot antea excussimus, commentatores, glossarum loco accepimus ea quæ sequuntur, unde tam ille, quam ante expositus art. *de Rore* illustrantur. Ac primum e pulvere et oblivione egreditur Anglus quidam scriptor, ut videtur, et monasticus, mihi quidem, immo pene cunctis ignotus, bonæ tamen frugis homo, nec pessimæ notæ consarcinator, e familia scilicet Cisterciensium illorum qui de re symbolica egregie meruerunt. Sed pluribus alias. — (2) *Pertransiens.* Osee VI, 4. — (3) *Anonymus.* Versiculos habes cujusdam ignoti poetæ, qui rhythmorum haud infelix venator, quasi ludibundus in *Cantica Canticorum* flosculos effudit suos. Hunc semel et iterum, parce tamen, in nostros usus adducere animus est. Exstat in cod. Trecensi 1562. — (4) *Rore.* Cant. V, 2.

Quia Pater, caput meum,
Plenum est rore, et grata
Fiunt ei hæc pensata.
Et se totum dat roseum,
Volens quod hominem reum,
Te, virgo, juvante mecum,
Damnatum propter peccata,
Per pretium sanguineum
Passione consummata,
In suum ducam horreum.

II.

Et cincinni mei, guttis noctium.

Cincinni mei, Angeli,
Cœli cives, Archangeli
Pleni sunt guttis noctium.
Roriflui ipsi cœli
Facti sunt, quum Gabrieli
Commissum est negotium,
Ad parandum hospitium
Per mutuum colloquium,
Et amotionem veli,
Quod tibi protectorium,
Omnem repellit noxium
Ictum alterius teli[1].
Caput Patrem altissimum
Dico, et aurum, animum
Quo fit corona gloriæ, etc.

XXXV.

1. Dies[2] Christus[3] : « Hæc est dies quam[4] fecit Dominus[5]. »

2. Evangelium[6] : « Donec aspiret dies, et amoveantur umbræ[7]. »

3. Sancti[8] : « Dies diei eructat verbum[9]. »

4. Vita præsens : « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est[10]. »

5. Vita[11] futura : « Non erit tibi[12] amplius sol ad lucendum per diem[13]. »

÷ 6. Utrumque testamentum : « Annuntiate de die in diem[14]. »

÷ 7. Electæ animæ : « Non computetur in diebus anni[15]. »

÷ 8. Æternitas Dei : « Melior est dies una in atriis tuis[16]. »

÷ 9. Virtutes : « Non computetur i. d. a. »

÷ 10. Intelligentia : « Sederuntque cum eo septem diebus[17]. »

÷ 11. Claritas intellectus : « Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos unusquisque in die suo[18]. »

÷ 12. Claritas conversationis Christi : « Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie[19]. »

÷ 13. Peccati delectatio : « Pereat dies in qua natus sum[20]. »

÷ 14. Judicium : « Dies Domini sicut fur[21]. »

÷ 15. Dies[22] et nox, justi et peccatores, justitia et iniquitas. In Apostolo : « Non sumus noctis neque tenebrarum; omnes enim vos filii lucis estis et filii diei[23]. »

(1) *Teli.* Glossulam rhythmicam Noster satis apte apposuit : « Velum est excusatio : Quoniam virum non cognosco. » — (2) *Dies.* Nullus est titulus, nec distinctionis vestigium in A; sed B, C, F, G legunt : *De diebus, annis et temporibus.* Insignior tantum littera D initialis ad hunc locum in codice Argentino præfigitur. Nullam admittendam esse divisionem suadent Eucherianæ formulæ, quæ eadem sub uno titulo, *De supernis creaturis*, tamquam ejusdem argumenti, continent. — (3) *Dies, Dominus Jesus Christus, in psalmo* B-G. — (4) *Hic dies quem* E, F, G. — (5) *Dominus.* Ps. CXVII, 24. — (6) *Evangelium.* Concordant A, E, F, G, quod non ita frequens est. *Dies, evangelica annuntiatio, in Cantico canticorum* B, C, D. — (7) *Umbræ.* Cant. II, 17. — (8) *Sancti prædicatores, in psalmo* B-G. — (9) *Verbum.* Ps. XVIII. *Verbum, id est, apostoli fidelibus annuntiant Christum* B-E et G. *Verbum. Idem apostoli* F mendose.—(10) *Est.* Joan. IX, 4. Concordant omnes codd., nisi quod B-G, ut solent, addunt loci laudati titulum : *in Evangelio.*—(11) *Futura vita justis, in Isaia* B-F. *Justi* G.—(12) *Non est tibi* B-G. — (13) *Diem.* Is. LX, 19. — (14) *Diem.* Ps. XCV, 2. Quæ tantum in A exstant, distinct. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14 e fontibus Gregorianis, ultima forte excepta, derivantur. — (15) *Anni.* Job III, 6. — (16) *Tuis.* Ps. LXXXIII, 11. — (17) *Diebus.* Job II, 13. — (18) *Suo.* Job I, 4. — (19) *Meridie.* Job V, 14. — (20) *Sum.* Job III, 3. — (21) *Fur.* I Thess. V, 2. — (22) *Dies.* Dist. 15 et 16 in B, G, ex Eucherianis formulis satis aperte derivantur. Cf. l. l. *Dies et non justi* F, absone. — (23) *Diei.* I Thess. V, 5. *Filii Dei* E, F, G.

; 16. Prosperitas et adversitas. In psalmo : « In die mandavit Dominus misericordiam, et nocte declaravit. » Item ibi : « Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies ; et in nocte, et non ad insipientiam mihi [1]. »

[*Dies unus, duo, tres, sex, septem, octo,* vide infra in cap. XI *de Numeris.*]

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

ECCHERIUS, ed. I, p. 7 ad 15, 16; ed. II, col. 741 B ad 9, 13, 15.

GREGORIUS M. Dies, claritas vitæ æternæ, ut ibi : « Donec aspiret, etc. — Dies, peccati delectatio ; unde Job : « Pereat dies in qua natus sum ; et nox, in qua dictum est : conceptus est homo. » — Dies, claritas intellectus ; ut ibi : « Ibant filii, etc. » Prædicator convivium in die suo facit, quum juxta mensuram illuminatæ intelligentiæ, mentes auditorum epulis veritatis pascit. — Dies, spiritualis doctor, ut ibi : « Dies diei e. v. » — Dies, claritas dominicæ conversationis in carne ; unde de Judæis dicitur : « Per diem tenebras, etc. » Per diem siquidem tenebras incurrunt, quia in ipsa veritatis præsentia errore perfidiæ cæcabantur. — Dies, singulæ electorum animæ, ut ibi : « Non computetur, etc., » quia adventum quidem Salvatoris antiquus hostis conspexit, sed cum electis ad veniam non pertingit. — Possunt et ibi per dies hi qui in æterna luce permanent angeli designari, quibus diabolus non misectur, dum tenebrarum suarum merito semper ad ima deprimitur. — Dies, singulæ quandoque virtutes, ut ibidem : « Non computetur, etc. » ac si diceret Domino : Sic dona quæ contulisti remunera, ut mala quæ meruimus non requiras. — Dies, longitudo æternitatis, ut per beatum Job de Domino dicitur : « Qui autem noverunt eum, ignorant dies ejus [2]. » Nam, etsi per fidem Deum novimus, quæ sit tamen ejus æternitas, ignoramus. — Dies, intelligentia, ut in Job : « Sederunt, etc. » Hæretici enim septem diebus et septem noctibus cum Ecclesia sedent, quia in his in quibus verum intelligunt, et in his quibus ignorantiæ suæ tenebris confunduntur, ei se condescendere simulant, dum sibi sub blandæ humilitatis specie dolos deceptionis parant.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 7, p. 519.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Dies, Pater et Filius : « Annuntiate de die in diem. » — Gabriel et Virgo Maria, ut : « Dies diei e. v. » — Diabolus, ut : « Pereat dies, etc. » — Prosperitas malorum, ut : « Diem hominis non desideravi, tu scis [3]. » — Status malorum, ut : « Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi [4]. » — Delectatio peccati, ut : « Dies ille vertatur in tenebras [5]. » — Tempus, ut : « In die malorum, ne immemor sis bonorum [6]. » — Calor tentationis, ut : « Pondus diei et æstus [7]. » — Æternitas Dei, ut : « Tecum principium in die virtutis tuæ [8] » — Illuminatio mentis, ut : « Unusquisque in die suo [9]. » — Claritas internæ quietis, ut : « Sanctificavit Dominus diem septimum [10]. » — Patria cœlestis, ut : « Donec aspiret dies [11]. » — Incarnatio Christi, ut : « In die mandavit Dominus [12]. » — Homines redemti, ut : « Non computetur, etc. » — Opera bona, ut : « Novit Dominus dies immaculatorum [13]. » — Longitudo æternitatis, ut : « Qui noverunt, etc. » — Bona conversatio, ut : « Per diem tenebras incurrent. »

Cf. *de Universo*, lib. X, c. 4, col. 287.

PETRUS CANTOR. Dies in sacro eloquio singulariter unus, æternus dies intelligitur, qui non habet noctem. Ille dies cui verus sol est Christus, qui scilicet numquam occidit ; de hoc die dicitur : « Ordinatione tua perseverat dies [14]. » Noster enim dies nocte clauditur. — Dies pluraliter virtutes sunt ;

(1) *Mihi.* Ps. XLI, 9 ; XXI, 3. — (2) *Ejus.* Job XXIV, 1. — (3) *Scis.* Jerem. XVII, 16. — (4) *Tibi.* Luc. XIX, 42. — (5) *Tenebras.* Job III, 4. — (6) *Bonorum.* Eccle. VII, 15. — (7) *Æstus.* Matt. XX, 12. — (8) *Tuæ.* Ps. CIX, 3. — (9) *Suo.* Job I, 4. — (10) *Septimum.* Genes. II, 3. — (11) *Dies.* Cant. II, 17. — (12) *Dominus.* Ps. XLI, 9. — (13) *Immaculatorum.* Ps. XXXVI, 18. — (14) *Dies.* Ps. CXVIII, 91.

unde : « Per singulos dies benedicam tibi [1]. » — Tempus incarnationis ; unde : « Hæc est dies quam fecit Dominus. » Ideo hanc diem dicit Dominum fecisse, quia, etsi omnes fecit, hanc tamen singulariter fecit ; non quia eam plus aliis, sed quia in ea plus quam in aliis fecit, in qua Dominus venit, in ea convenit lætari ; ergo exsultemus et lætemur in ea, quia diabolus jus perdidit, homo revixit. — Quandoque dies dicitur octava ætas, id est beatitudo æterna. Unde versus iste, *Hæc dies*, frequenter cantatur in paschali tempore, ad repræsentandum illud gaudium quod erit in octava, pro qua scilicet omnes aliæ ætates factæ sunt. — Quandoque humanus intellectus ; unde Apostolus : « Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die [2], id est intellectu vel ab homine manente in suo die, qui suus dicitur, quia eo potest bene vel male uti. — Item : « Dies super dies regis adjicies [3] », dies gloriæ super dies gratiæ. — Quandoque judicium seu dies judicii, qui dicitur occultus vel manifestus. — Dies dicitur Christus ; unde : « Nonne duodecim sunt horæ diei? » — Et ipse meridies dicitur ; unde « Ubi pascis, ubi cubas in meridie [4]. » — Pater et tota Trinitas est unus dies. Unde Christus est dies de die ; unde : « Annuntiate de die in diem, etc. » — Apostoli ; unde : « Dies formabuntur, et nemo in eis [5]. » — Et omnes sancti ; unde : « Dies diei eructat, » id est, clari claris, sancti sanctis de pleno proferunt « Verbum, » id est sapientiam ex Patre genitam. — Dies, utrumque testamentum ; unde : « Annuntiate, etc. » — Dies, diabolus, unde Job : « Pereat dies, etc. — Dies malorum terminantur ; unde : « Defecerunt sicut fumus dies mei [6]. » — Bonorum clauduntur, tamquam iterum aperiendi in æternitate ; unde : « Melior est dies una, etc. » — Clauduntur, quando anima separatur a corpore ; aperientur, quando anima redibit ad corpus. — Est dies culpæ ; unde : « Sufficit diei malitia sua. » — Item dies gratiæ, scilicet incarnationis ; unde : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit [7]. » — Gloriæ ; unde : « Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum [8]. »

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Dies.

Claritas futuræ vitæ.	Singulæ quoque virtutes.
Intellectus claritas.	Intelligentia.
Spiritualis doctor.	Longitudo æternitatis.
Singulæ electorum animæ.	

XXXVI.

1. HORA [9], extremitas temporum : « Filioli, novissima hora est [10]. »

2. Horæ [11], apostoli : « Nonne duodecim horæ sunt diei [12]? »

3. Hora prima, infantia [13] ; tertia, adolescentia ; sexta, juventus ; nona, senectus ; undecima [14], senium : « Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 7 ; II, col. 741, D. GREGORIUS *apud Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 12, p. 517, 518. RABANUS, *de Universo*, lib. X, c. 3, col. 286. PETRUS CAPUANUS ad *litt.* VIII, *art.* 3.

(1) *Tibi.* Ps. CXLIV, 2. — (2) *Die.* I Cor. IV, 3. — (3) *Adjicies.* Ps. LX, 7. — (4) *Meridie.* Cant. I, 6. — (5) *Eis.* Ps. CXXXVIII, 16. — (6) *Mei.* Ps. CI, 4. — (7) *Appropinquavit.* Rom. XIII, 12. — (8) *Dierum.* Ps. XCII, 15. — (9) *Hora, quingenti, ut quidam putant anni ; si quando dies pro toto mundo istius sæculi accipitur ; in epistola Joannis* B-G. Glossa illa de verbo ad verbum exstat in Eucherio. — (10) *Est.* I Joan. II, 18. — (11) *Hora duodecima, apostoli : in Evangelio* B-F. *Horæ duodecim* G. — (12) *Diei.* Joan. XI, 9. Addunt B-G : *Qui ambulat in die non offendit.* — (13) *Sive puericia* ib. — (14) *Undecima, extrema, senium* E, G ; *senum* F ; *sive extrema, senium* B-D.

Horæ diei, et horæ noctis. — Dicitur autem diesæternitatis, cujus hora est ipsa æternitas. Evangelium : « Veniet hora, et jam non in proverbiis loquar vobis [1]. » — Et dies, Christus, cujus horæ sunt duodecim apostoli. Evangelium : « Nonne duodecim sunt horæ diei [2] ? » Cujus quasi prima hora fuit Petrus ; quasi ultima, Paulus ultimo vocatus. Judas fuit nox et tenebræ hujus diei.— Dies, Spiritus sanctus, cujus quasi septem horæ sunt septem dona. Evangelium : « Quia heri, hora septima, reliquit eum febris [3]. » — Hora, tempus a Deo prævisum, quando pateretur vel resurgeret Christus. Evangelium : « Nondum venit hora mea [4]. » Evangelium : « Ecce, venit hora, et Filius hominis tradetur [5]. »

Item dies quandoque dicitur totum tempus vitæ præsentis, cujus quasi sex horæ fuerunt sex ætates. Prima ergo hora fuit prima ætas. Tertia hora, secunda ætas. Sexta hora, tertia ætas. In nona hora intelliguntur quarta et quinta ætas ; vel in undecima hora, quinta et sexta ætas. Sex namque sunt ætates viventium, quæ in illis horis, ut dictum est, intelliguntur. Evangelium : « Simile est, etc. »

Dies Scripturæ dicitur lex, cujus quasi prima hora fuit datio legis ; quasi ultima, finis legis. Epistola canonica : « Filioli, novissima hora est [6]. »

Dies etiam, operatio bona, cujus hora dicitur opportunitas bene operandi. Paulus : « Hora est jam nos de somno surgere [7]. »

Hora noctis fuit Judas, qui de nocte duxit cohortem. Hora etiam noctis, opportunitas persequendi. Evangelium : « Quum venit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis [8]. » Evangelium : « Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum [9]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in IV Reg. v. 312-341.

Pro signo vitæ rogat hic [10], ut solis ad ortum
Umbra decem gradibus possit abire retro.
Hoc in regis Achaz horologio fuit actum ;
Perque gradus denos umbra reversa fuit.
Istis in gradibus mysteria magna notantur :
Ecce quid ista notent, discute, quære, vide.
Porro figurarum Christi vetus umbra per illos
Descendisse gradus fertur ad ima soli.
Christus justitiæ sol ascendisse per ipsos,
Postquam surrexerit, fertur ad astra poli.
Cum Deus alloquitur Jacob, velut angelus illic
Descendens Deus est : sit prior ille gradus.
Post hoc descendens Deus exstitit in patriarchis,
Illos multiplicans : sit gradus iste sequens.
Quam Moysi Deus tribuit, est in lege loquutus :
Dicitur et merito tertius iste gradus.
In Josue quartus, postquam produxit Hebræos,
Et divisit eis debita regna Deus.
Est in judicibus quintus gradus : utpote judex,
Judicium per eos consiliumque dabat.
Post in regibus est sextus, quia rexit Hebræos,
Ipse per hos reges, regia jura docens.
Septimus in sanctis gradus est, justisque prophetis,
In quibus et per quos fulsit in ore Deus.
Est in præsulibus octavus : namque sacerdos
Ipse sacerdotes pontificesque dedit.
Quum Deus assumens carnem descendit in alvum
Virgineam, nonus dicitur iste gradus.
Post tormenta crucis faciens ad tartara Christus
Descensum, decimum monstratur adesse gradum.

XXXVII.

1. Aurora, Ecclesia [11] : « Exspectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ [12]. »

2. Virgo Maria [13], vel Ecclesia, vel anima : « Quæ est ista quæ ascendit, sicut aurora refulgens [14]. »

(1) *Vobis.* Joan. xvi, 25. — (2) *Diei.* Ib. xi, 9. — (3) *Febris.* Ib. iv, 52. — (4) *Mea.* Ib. ii, 4. — (5) *Tradetur.* Marc. xiv, 41. — (6) *Est.* 1 Joan. i, 30 ; ii, 18. — (7) *Surgere.* Rom. xiii, 14. — (8) *Vobis.* Joan. xvi, 4. — (9) *Tenebrarum.* Luc. xxii, 53. — (10) *Hic*, scilicet Ezechias. — (11) *Ecclesia, eo quod post tenebras peccatorum luce fidei illustrata sit, in Job* B, C, D, G. *Illuminata sit* E, F. *Et ostendisti auroræ locum suum* B-G. Rabanus ad verbum consentit cum B, C, D, G. *De Univ.* lib. x, c. 7, col. 294 A. Job xxxviii, 12. — (12) *Auroræ.* Ib. iii, 9. — (13) *Virgo Maria.* Asservavit A. — (14) *Refulgens.* Cant. vi, 9.

Eucherius, ed. I, p. 7 ad 2; ed. II, col. 742 A ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, cap. 3, p. 512.

Rabanus, *de Universo*, lib. X, c. 7, col. 293, cf. art. seq.

Petrus Cantor, *ib.*

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 15. *Aurora quadrupliciter in bono.* — Prima, ortus solis. Genesis : « Dimitte me, quia jam ascendit aurora [1]. » — Aurora corporis est anima fidelis. Job : « Ostendisti auroræ locum suum [2], » id est animæ fideli cœlestem patriam — Aurora animæ, initium gratiæ. Psalmus : « Tu fabricatus es auroram et solem [3], » initium et perfectionem. — Aurora cœli, Ecclesia. Canticum : « Quæ est, etc. »

Primam sequitur dies temporalis. Genesis : « Factum est vespere et mane dies una [4]. » Secundam sequitur, non præcedit dies prosperitatis, quia non elevatur prosperis. Psalmus : « Per diem sol, etc. » Tertiam sequitur dies plenæ gratiæ et justitiæ, et etiam dies æternitatis. Canticum : « Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie [5]. » Evangelium : « In die illa non interrogabitis me quicquam [6]. » Quartam præcedit et sequitur dies illuminationis, scilicet Christus. Ipse enim est columna nubis et ignis quæ populum Israel præcedebat contra tenebras et fervorem. Unde et comparat se diei in Evangelio : « Nonne duodecim sunt horæ diei? qui autem ambulat in die, non offendit [7]. »

In prima, de lecto ad operam Dei (quantum ad animam [8]) surgitur. In secunda, homo ad imaginem Dei fingitur. In tertia, lux (gratiæ) in primaria mundi confusione (dum homo confunditur de peccato), producitur. In quarta, arca Noe de lignis lævigatis construitur.

Prima oritur ab oriente. Evangelium : « Valde mane, una Sabbatorum veniunt ad monumentum [9]. » Secunda, a Deo Patre. Isaias in ejus persona : « Omnem flatum ego feci [10]. » — Tertia, a gratia Spiritus sancti. Epistola canonica : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum [11]. » Quarta, de latere Christi. Job : « Exspectet lucem, etc. »

In prima, vigilia inchoatur. In secunda, in Cana Galilææ (fideli anima) convivium celebratur. In tertia, aqua in vinum (spiritualem vitam) mutatur. In quarta, Domino in Bethania (Ecclesia) solemnis cœna paratur.

Distinctionum monasticarum lib. I.

De Aurora.

Lector, in aurora poteris reperire decora,
Non tamen absque mora; sed si vis scire, labora.
Sane si cordis mundaveris interiora,
Grata superveniet divini muneris hora.

Auroram quidam ab *aura*, quidam ab *auro* dicunt traxisse vocabulum, ab auro et rore compositum, quod nos oculata fide didicimus, et his egregii poetæ verbis pulcherrimis et versibus :

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile [12].

Per auroram timor Domini, ille qui est initium sapientiæ, designatur, ut ibi : « Tu fabricatus es, etc., » id est initium sapientiæ et validam sapientiam. Nam de forti sapiente dictum est : « Sapiens permanet ut sol [13]. »

Per auroram significatur peccatorum confessio : quia sicut aurora initium est diei, ita confessio operum malorum initium est operum bonorum. Congrue enim per auroram significatur confessio, quia in salubri peccatorum confessione rubor est verecundiæ. Ubi enim vera est et plena pœnitentia, ibi dolor in contritione, pudor in confes-

(1) *Aurora.* Genes. XXVII, 26. — (2) *Suum.* Job XXXVIII, 12. — (3) *Solem.* Ps. LXXIII, 16. — (4) *Una.* Genes. I, 5. — (5) *Meridie.* Cant. I, 6. — (6) *Quicquam.* Joan. XVI, 23. — (7) *Offendit.* Joan. XI, 9. — (8) *Animam.* In hisce uncinulis glossulas inserimus, ab auctore in margine e regione scriptas. — (9) *Monumentum.* Joan. XX, 3. — (10) *Feci.* Is. LVII, 16. — (11) *Luminum.* Jacob. I, 17. — (12) *Cubile.* Virg. *Æneid.* IV, 585. *Georg.* I, 447. Cod. *Titani croceum.* — (13) *Sol.* Eccli. XXVII, 12.

sione, labor in satisfactione. De rubore confessionis puto dixisse sanctum Ambrosium in hymno :

Pudor sit ut diluculum [1].

Per auroram, pœnitere incipiens anima figuratur; de qua potest intelligi illud in Canticis : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » Anima namque pœnitere incipiens est quasi aurora consurgens, quia peccati noctem terminat, et diem justitiæ inchoat. Eadem in pœnitentia proficiens est pulchra ut luna, quia peccatoribus qui per noctem designantur, lucis præbet exempla. Eadem est electa ut sol, in pœnitentiæ consummatione, quia quæ perfecte pœnituit justorum merita coæquavit. Postmodum vero mala prudenter cavens et bonis fortiter insistens, terribilis est ut castrorum acies ordinata, quia jam ex beneficio charitatis universis prædita virtutibus, terribilis est diabolis et malis hominibus.

Credo tamen in præfata sententia per auroram Ecclesiæ infantiam designari. Fuit enim sancta Ecclesia quasi aurora, ante legem. Quasi luna, sub lege, propter nubem cæremonialium mandatorum. Quasi sol vero est tempore gratiæ, propter revelationem sacramentorum. Terribilis vero adversariæ parti, apparebit in generali resurrectione mortuorum; unde beatus Gregorius super Job : Ecclesia in judicio adhuc aurora est; in regno erit dies [2].

Magister Petrus Remensis, recordandæ memoriæ vir, qui nostris temporibus Præcentor Parisiensis fuit [3], per auroram imperfectos justos, per solem perfectos dixit esse designatos, super illum locum : « Tu fabricatus es auroram et solem. »

Invenimus etiam justos sine determinatione aliqua perfectionis vel imperfectionis designari, sicut in verbis illis beati Job, loquentis de malis hominibus : « Si subito apparuit aurora, arbitratur umbram mortis [4]. » Nam beatus Gregorius in expositione hujus sententiæ inter cætera sic loquitur : Quum enim justos ad potestatis viderint culmen erumpere, perturbantur, metuunt [5].

Illud quod metuis semper abesse cupis.

De servili timore verum est.

PETRUS DE RIGA.

I.

In *Prologo I°* ad *Auroram*. In quo opere... videas quadam consonantia sibimet concordare Christi margaritam cum Moysis adamante, flores Ecclesiæ cum herba Synagogæ, aurum Christianorum cum ferro Judæorum, legem novam cum lege antiqua, molam cum mola, rotam cum rota. Porro visum est et mihi huic libro juxta operis tenorem hoc nomen congruenter imponere *Aurora*, nec immerito. Sicut enim aurora nocti terminum imponit, principiumque diei adesse testatur, sic et liber iste tenebras umbrarum et veteris legis obscuritates discutiens, veritatis fulgore et allegoriarum scintillis micantibus totus refulgurat.

II.

Aurora, in Passione D. N. J. C., v. 751-758.

Vespere quæ lucescit prima Sabbati.

Est hucusque dies dictus præcedere noctem :
Sed tunc mutatus temporis ordo fuit.
Nox qua surrexit Jesus est adjuncta diei,
Quo se demonstrans fudit in orbe jubar.
Ante sequebatur nox uda diem, quia lucem
Primus homo linquens, in tenebrosa ruit.
Nunc que dies noctem sequitur, quia gratia Christi
Ad vitam velut a morte reduxit eum.

III.

In Exod. v. 1742-1746.

Christum designant agni duo : tollitur unus,
Mane cadens; dum sol occidit, alter obit.
Agnus mane fuit Christus, dum cæditur; Agnus
Vespere fit, dum sol, sole cadente, cadit.
Mane precare Deum, quod læta dies tibi plaudat;
Vespere, quod tutus tempora noctis agas.

(1) *Diluculum*. Hymn. VII edit. Bened. — (2) *Dies*. S. Greg. *Moral.* lib. IV, c. 13. — (3) *Fuit*. Non exstat conceptis verbis locus ille in Petri operibus quæ ad manus sunt. At exinde luculenter illustratur celeberrimi Cantoris patria, tolliturque penitus dubium quod excussit, retinuitque *Hist. Galliæ litter.*, t. XVII, p. 27 sqq. — (4) *Mortis*. Job XXIV, 17. — (5) *Metuunt*. S. Greg. *Moral.* l. I.

XXXVIII.

1. Matutinum [1], divinum judicium, vel resurrectio : « In matutino interficiam omnes peccatores terræ [2]. »

2. *Mane*, lux operum [3], vel baptismus : « Mane astabo tibi, et videbo [4]. »

÷ 3. Mane, adventus incarnationis Domini : « Custos, quid de nocte? Venit mane et nox [5]. »

÷ 4. Adventus judicis : « Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris, non subsistam [6]. »

÷ 5. Vitæ nostræ exordium : « De mane usque ad vesperam succidentur [7]. »

÷ 6. Prosperitas vitæ hujus : « Ad annuntiandum mane misericordiam tuam [8]. Mane primo consurgit homicida; interficit egenum et pauperem [9]. »

÷ 7. Exordium mundi : « Qui exiit primo mane [10]. »

÷ 8. *Diluculum*, Ecclesia : « Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo [11]? »

÷ 9. Cognitio veritatis : « Visitas eum diluculo, et subito probas illum [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 742 A, B ad XXXVIII, 2, 4, 6.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, cap. 4, 5, p. 513-517.

Gregorius M. Mane, dominicæ incarnationis adventus; ut : « Venit mane et nox » quia videlicet et novæ lucis primordia Redemtoris nostri præsentia fulserunt, et multi tamen in suis tenebris remanserunt. — Mane, adventus judicis, ut ibi : « Ecce nunc in pulvere, etc. » Ac si diceret : in præsenti quidem jam carnis mortem patior, et tamen in futuro judicio præ timore sententiæ gravioris evanesco. — Manifestatio mentium in adventu regni Dei; unde Psalmista : « Mane astabo t. e. v. » — Exordium vitæ, ut ibi de peccatoribus dicitur : « De mane usque ad vesperam succidentur. » Reprobi namque, non dimidiantes per pœnitentiam dies suos, omni tempore contra se malitiæ ictus ingeminant, quibus succisi in interitum ruant. — Præsentis vitæ prosperitas; unde Job : « Mane primo, etc. » quia nimirum in præsentis vitæ gloria, quisque perversus erigitur, et vitam innocentium persequitur. — Exordium mundi, ut : « Exiit primo mane, etc. »

Diluculum, præsens Ecclesia, ut ibi : « Numquid, etc. » Dum enim Redemtor noster umbras nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit. Quia vero diluculum a tenebris in lucem vertitur, non immerito per diluculum Ecclesia designatur. — Cognitio veritatis, ut ibi : « Visitas eum diluculo. » Dominus autem quos diluculo visitat, subito probat, quia quos illuminando ad virtutem provehit, subito recedendo concuti tentatione permittit.

Rabanus. Aurora [13]..., vita justi, ut : « Si apparuerit aurora [14]. » —Mens sancta, ut : « Ostendisti a. l. s. » — Mane, initium fidei, ut : « Mane saturabimini panibus [15]. » — Illuminatio sancti Spiritus, ut : « Mane sur-

(1) *Judicii dies, sive resurrectio mortuorum, in psalmo* B-G. — (2) *Terræ.* Ps. CX, 8. *Ex matutinis interficiebam* B, C, D. — (3) *Lux actuum bonorum, vel baptismum, vel resurrectio, in psalmo* B-G. — (4) *Videbo.* Ps. V, 4. Quæ sequuntur usque in finem, in A et in Gregorianis. — (5) *Nox.* Is. XXI, 11. — (6) *Subsistam.* Job VII, 1. — (7) *Succidentur.* Job IV, 20. — (8) *Tuam.* Ps. XCI, 13. — (9) *Pauperem.* Job XXIV, 14.—(10) *Mane.* Matt. XX, 1 — (11) *Diluculo.* Job XXXVIII, 12. — (12) *Illum.* Ib. VII, 18. —(13) *Aurora.* Omisimus plura, quæ textum referunt nostrum ad litteram, prout supra legitur ad XXXVII, 1; XXXVIII, 2, 3, 4, 5, 6, 7.—(14) *Aurora.* Job XXIV, 17. — (15) *Panibus.* Exod. XVI, 8.

gamus ad vineas [1]. » — Consolatio interna, ut : « Factum est vespere et mane dies unus [2]. »

Petrus Cantor. Est mane temporis, scilicet sæculi vel mundi, de quo in Evangelio : « Exiit, etc. » — Hominis, id est, de pueritia hoc intelligitur, secundum aliam expositionem. De quo mane dicitur : « Mane sicut herba transeat [3]. » — Pectoris, scilicet ortus gratiæ vel initium gratiæ, de quo Isaias : « Justitia tua sicut mane orietur [4]. » — Æternitatis vel gloriæ, quod etiam dicitur secunda resurrectio. De quo dicitur : « Mane astabo, etc. » — Et mane Dei, unde : « Et valde mane una sabbatorum [5]. » — Culpæ, scilicet primi motus qui reprimendi sunt, ne fiat processus ad consensum, vel de consensu ad actum. De primo motu dicitur mulieri : « Insidiabitur calcaneo tuo, et tu conteres caput ejus [6]. »

Maria Virgo comparatur auroræ, quia, sicut aurora mediatrix est diei ac noctis, sic beata Virgo mediatrix est quotidie inter peccatores et Deum. Quotidie enim pro nobis interpellat Dominum Deum nostrum. Et quod aurora dicatur, ait Salomon : « Quæ est electa ut sol; » quia beata Maria electa fuit de mulieribus, præelecta de virginibus, subelecta de sanctis.

Anonymus Clarevallensis. Aurora fugat tenebras; diem ministrat; rutilat, fulget, subobscura est; inter diem et noctem media; aves lætificat; latrones terret, infirmorum spes et lætitia.

Aurora.
- Sancta Ecclesia.
- Initium boni operis.
- Vita justi.
- Mens sancta.

Mane, terrentur latrones; latent aves noctis, ut bubo et noctua; cantant aves lucis, ut alauda; viator se præparat ad ambulandum; operarius, ad laborandum.

Mane.
- Tempus incarnationis.
- Prosperitas hujus vitæ.
- Illuminatio sancti Spiritus.
- Claritas vitæ æternæ.
- Consolatio interna.
- Passio.
- Resurrectio Christi.
- Prima ætas.
- Pueritia.
- Adventus judicis.
- Exordium vitæ.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 2548-2557.

Æternum mane Deus est, quem vespera nulla
Claudit, et occasum solis habere nequit.
Tali diluculo consurgit homo bene justus,
In quo justitiæ lux fideique micat.
Qui bona nunc peragunt, hoc justis mane diescit;
Hujus dum reprobus lucis egenus erit.
Diluculo surgit, in quo sapientia splendet,
In quo paulatim splendida facta micant.
O rex justitiæ, da te splendescere nobis,
In cruce propter quos hostia factus eras!

XXXIX.

1. Lux, Christus : « Ego sum lux mundi [7]. Erat lux vera [8]. »

2. Apostoli, vel sancti [9] : « Vos estis lux mundi [10]. Fuistis aliquando tenebræ, nunc lux in Domino [11]. »

3. Illuminatio fidei, vel donum Spiritus sancti : « Signatum est super nos lumen tuum [12]. »

÷ 4. Sapientia : « Mandatum lucerna est, et lex lux [13]. »

÷ 5. Cognitio legis : « Auferetur ab impiis lux sua [14]. »

(1) *Vineas.* Cant. III, 12. — (2) *Unus.* Genes. I, 5. — (3) *Transeat.* Ps. LXXXIX, 6. — (4) *Orietur.* Is. LVIII, 8. — (5) Marc. XVI, 2. — (6) *Ejus.* Genes. III, 15. *Sabbatorum.* Artic. XXXIX præmittitur in codd. art. *de lucerna*, opportunius tractandus in cap. X. — (7) *Mundi.* Joan. VIII, 12. — (8) *Vera.* Ib. I, 9. — (9) *Vel omnes sancti, in Evangelio* B-G. — (10) *Mundi.* Matt. V, 14. — (11) *Domino.* Ephes. V, 8. — (12) *Tuum.* Ps. IV, 7. — (13) *Lux.* Prov. VI, 23. Quatuor sequentes distinctiones exstant in A. — (14) *Sua.* Job XXVIII, 51.

Institute of Mediæval Studies

÷ 6. Claritas æterna : « Orietur in tenebris lux tua [1]. »

÷ 7. Gaudium inane : « Lux obtenebrescet in tabernaculo ejus [2]. »

8. *Lux* et *tenebræ*, justitia et injustitia [3] : « Qui diligit proximum suum, in lumine est; qui autem odit, in tenebris ambulat [4]. »

9. Electi et reprobi, in Job : «Numquid nosti quis locus sit lucis et tenebrarum, ut ducas unumquemque ad terminos suos [5] ? » ÷ « Indica mihi, si nosti omnia, in qua via habitent lux et tenebræ [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 7 ad 8; ed. II, col. 741 C ad 1, 3, 8.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 1, 2, p. 507, 508.

Gregorius M. Lux, gloria vel prosperitas temporalis. — Cognitio legis : « Auferetur, etc. » — Mane, gaudium, ut de impio dicitur : « Lux obtenebrescet, etc. », quia ejus conscientia inde obscura redditur, unde inepto gaudio inaniter gloriatur. — Lux, justitia. — Lux, claritas prædicationis : « Ego sum via [7]. » Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per ejus præsentiam cuncta gentilitas illustratur.

Rabanus. Lux, Deus Pater, ubi : « Candor lucis æternæ [8]. » — Christus, ubi : « Erat lux vera, etc. » — Apostoli, ubi : « Vos estis l. m. » — Fideles, ut : « Fuistis aliquando, etc. » — Bona actio, ubi ? « Luceat lux vestra coram hominibus [9]. » — Prædicatio Evangelica, ubi : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam [10]. » — Gloria vitæ præsentis : « Quare data est misero lux [11] ? » — Gaudium cordis, ubi : « Lux obtenebrescet i. t. e. » — Sancti angeli : « Vidit Deus lucem, quia esset bona [12]. » —Lumen, Christus, ut : «Lumen ad revelationem gentium [13].» —Apostoli : « Amictus lumine, sicut vestimento [14]. » — Cognitio veritatis. Job : « Ipsi fuerunt rebelles lumini [15]. » — Prædicatio : « Lumen illius super omnes terminos terræ [16]. » — Miraculum, ubi : «In viis tuis splendebit lumen [17].» — Gratia Dei : « Super quem non surget lumen illius [18]. »—Intentio, ut : « Vide ne lumen quod in te est, tenebræ non sint [19].» —Deus Pater, ubi : « In lumine tuo videbimus lumen [20].»—Doctrina, ut : « Civitas illa non egebit lumine solis [21]. »

Cf. *de Universo*, lib. IX, c. 7, col. 265.

Petrus Capuanus *ad litt.* XI, *ex art.* 1 et 3. Lux multiplex, scilicet lux divina, angelica, æterna, aerea, humana, mundana sive terrena, et lux tartarea.

Lux divina triplex : scilicet ipse Pater. Sapientia : « Candor lucis æternæ. » — Et lux divina, Filius. Evangelium : « Ego sum lux mundi. » — Lux etiam divina, Spiritus sanctus : « Ecce Spiritus Domini ab aquilone, et lux in circuitu ejus [22]. » Evangelium : « Ut filii lucis sitis [23]. »

Lux angelica dicuntur angeli. Genesis : « Divisit lucem a tenebris [24], » bonos scilicet angelos a malis.

Lux æterna dicitur gloria cœlestis. Paulus : « Lucem habitat inaccessibilem [25]. »

Lux aerea dicitur nubes illa lucida quæ creata est, quando in principio Deus creavit cœlum et terram. Genesis : « Dixit Deus : Fiat lux. Et facta est lux; » de qua etiam dicitur factum corpus solare.

Lux humana quadruplex est, scilicet ipsi

(1) *Tua.* Is. LVIII, 10. — (2) *Ejus.* Job XVIII, 6. — (3) *Iniquitas, in Apostolo* B-G. — (4) *Ambulat.* I Joan. II, 10, 11. — (5) *Suos.* Job XXXVIII, 19, 20. — (6) *Tenebræ.* Job XXXVIII, 24. — (7) *Via.* Joan. XIV, 6. — (8) *Æternæ.* Sap. VII, 26 — (9) *Hominibus.* Matt. V, 15. — (10) *Magnam.* Is. IX, 2. — (11) *Lux.* Job III, 20. — (12) *Bona.* Genes. I, 4. — (13) *Gentium.* Luc. II, 32. — (14) *Vestimento.* Ps. CIII, 2. — (15) *Lumini.* Job XXIV, 13. — (16) *Terræ.* Job XXXVII, 3. — (17) *Lumen.* Job XXII, 28. — (18) *Illius.* Job XXXV, 3. — (19) *Sint.* Luc. XI, 35. — (20) *Lumen.* Ps. XXXV, 10. —(21) *Solis.* Apoc. XXI, 23.— (22) *Ejus.* Ezech. I, 4. — (23) *Sitis.* Joan. XII, 36. — (24) *Tenebris.* Genes. I, 4. — (25) *Inaccessibilem.* I Tim. VI, 16.

homines, ut apostoli et cæteri fideles. Paulus : « Fuistis aliquando, etc. » — Et mitor conscientiæ, splendor virtutum et intelligentia Scripturarum. Job : « Lux vultus mei non cadebat in terra [1], » quia scilicet terrena per concupiscentiam non aspexit. — Operatio bona. Evangelium : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona [2]. » — Et lux humana, evangelica prædicatio. Isaias : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam [3]. »

Lux mundana sive terrena dicitur gloria mundi et quædam inanis jactantia de peccatis. Job : « Auferatur ab impiis lux sua. »

Lux tartarea dicitur diabolus, qui se luci divinæ comparavit, quando voluit sedem suam ponere ad aquilonem, ut esset similis Altissimo. Unde et Urias interpretatur : lux mea Deus. Isaias : « Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris ? »

Ex art. 3. *Cur sancti dicuntur luminaria ?* Dicuntur sancti luminaria. Paulus : « Inter quos lucetis tamquam luminaria fixa in firmamento [4]. » Et hoc, propter lumen. Evangelium : « Vos estis lux mundi. » — Propter ordinem. Canticum : « Introduxit me rex in cellaria vinaria, et ordinavit in me charitatem [5]. » — Propter sublimitatem. Paulus : « Nostra conversatio in cœlis est [6]. » — Quia igneæ naturæ sunt. Jeremias : « Erat ignis flammigerans in ossibus meis [7]. » — Quia petunt alta. Paulus : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo [8]. » — Quia in firmamento Scripturæ volvuntur. Psalmus : « In lege Domini fuit voluntas ejus [9]. » — Quia noctem hujus vitæ illuminant. Genesis : « Lumen et stellas in potestatem noctis [10]. » — Quia lumen suum habent ex sole justitiæ. Evangelium : « De plenitudine ejus accepimus omnes [11]. » — Quia semper sunt in motu spirituali. Psalmus : « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion [12]. »

DISTINCTIONUM MONASTICARUM *liber* III *incipit.*

Tertius iste ducem, lector, statuit tibi lucem.

Lux vera et principalis omnium et luminum creatrix causa est sancta Trinitas, unus Deus, super omnia benedictus in sæcula ; unde Joannes, in epistola canonica : « Deus lux est, et tenebræ in eo sunt nullæ [13], » quia nec ignorantiæ, nec infirmitatis, nec iniquitatis : ipse est enim summa et ineffabilis sapientia, omnipotens et impassibilis potentia, summa et incorruptibilis justitia ; et de ipso dicitur in hymno :

O lux, beata Trinitas [14],
Jam sol recedit igneus :
Infunde lumen cordibus.

Lux igitur est Pater, lux Filius, lux Spiritus sanctus, et hi tres una lux. Lux igitur Christus est, de quo Joannes : « Erat lux vera, etc. » Id est, quicumque in hunc mundum veniens, spirituali Dei dono illuminatus ut agnoscat verum lumen, ab eo illuminatur. Fidelis expositio et omni acceptione digna. Et quia margaritum est verbum Dei, et ex omni parte perforari potest, potest supradicta sententia aliter et non minus fideliter exponi. Omnis enim homo rationem habet, etsi non utatur ratione. Quæ ratio tam magnum lumen est, ut, quia in ipsa summi luminis, id est imago Dei est expressa, respectu hominis, cætera omnia animantia tenebræ non incongrue dicantur. Quum ergo ait egregius evangelista de Christo, « Erat lux vera, etc., » eumdem voluit a nobis intelligi nostrum esse conditorem, quem prædicavit venisse redemtorem.

Lux angeli sunt ; unde illud : « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux [15]. » Angeli enim prius fuerunt in rerum natura, quam homines. — Lux sunt apostoli, quibus Dominus ait : « Vos estis lux mundi. » Sancti namque apostoli, quia veri solis Christi radii sunt, a Christo luce lux dicuntur.

(1) *Terra.* XXIX, 24. — (2) *Bona.* Matt. V, 16. — (3) *Magnam.* Is. IX, 2. — (4) *Firmamento.* Phil. II, 15. — (5) *Charitatem.* Cant. V, 3. — (6) *Est.* Phil. III, 20. — (7) *Meis.* Jerem. XX, 9, juxta veterem versionem, Ambrosio frequentem. — (8) *Christo.* Phil. I, 23. — (9) *Ejus.* Ps. I, 2. — (10) *Noctis.* Ps. CXXXV, 9. — (11) *Omnes.* Joan. I, 16. — (12) *Sion* Ps. LXXXIII, 8. — (13) *Nullæ.* I Joan. I, 5. — (14) *Trinitas.* Sabbato ad vesperas et in Ambrosii hymn. XI edit. Bened. — (15) *Lux.* Genes. I, 4.

Miser ego homo! qui pene oblivioni dederam quod præcipue fuit commemorandum. Si enim apostoli lux sunt, immo quia sunt, ut Veritas ait, multo fortius certe illa incomparabiliter sancta et gloriosa Virgo et mater Dei Maria lux est, ex qua nobis ortus est sol justitiæ, Christus, Deus noster. Unde bene ait vir quidam doctissimus, in ejus laudibus : « Sol luna lucidior ; et luna, sideribus : sic Maria dignior creaturis omnibus. » Subintellige : puris. Unde rectissime dicta est *Maria*, quæ interpretatur *stella maris*, sive *illuminatrix*, quia ipsa « huic mundo verum lumen effudit Dominum nostrum Jesum Christum, et ejus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. » In ejus laudibus quidam de nostris in sequentia, de ea nuper composita, quum commemoravisset rubum ardentem et incombustum, virgam Aaron, vellus Gedeonis, et multa alia quæ in sacra Scriptura in ejus figura videntur posita, post exponendo subjunxit :

Quod in illis adumbratur,
In Maria lucidatur,
  Lucis vexillaria.

Per quam terris præsentatur
Sol, qui solus non lunatur
  Luce mendicaria.

Verum lumen propalatur :
Cum puella parentatur
  Dei sapientia.

Cujus partu revelatur,
Quæ figuris velabatur,
  Salutis scientia.

Lux sunt omnes fideles ; unde iis qui de errore gentili ad fidem erant conversi, ait Apostolus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Fides lux est, quæ in hujus sæculi nocte viam nobis ostendit eundi ad Deum : per fidem enim ambulamus, non per speciem ; unde sanctus doctor ait in hymno :

Fides tenebras nesciat,
Et nox fide reluceat [1].

Biblia codic. Bellevall.

Lux, gloria, vel prosperitas.
Mane, gaudium. — Justitia.

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes., v. 41-56.

Et facta est lux.

Principium Jesus est ; cœlum creat Auctor in isto,
  Per quem cœlestes efficit esse viros.
Terra prius vacua notat Ecclesiam sine fructu,
  Donec Christus adest, et sibi jungit eam.
Ejus in adventu datur Ecclesiæ nova proles :
  Nam brevis aut nullus ad bona fructus erat.
Scripturæ tenebras caligo figurat abyssi :
  Mystica scripta quidem clausa fuere diu.
Sed, veniente Jesu, reseravit scripta beatum
  Pneuma, superferri quod memoratur aquis.
Hinc merito sequitur quod, facta luce, recedunt
  Et fugiunt tenebræ ; lucida terra patet.
Nempe sacri flatus reseratur clave magistra,
  Quidquid Scripturæ janua clausa tenet.
Lux notat a tenebris divisa, quod a tenebrosis
  Distinguunt vitiis lucida facta bonos.

XL.

1. Meridies [2], æterna claritas, vel plenitudo scientiæ, vel operum : « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie [3]. »

÷ 2. Christus [4] : « Impegimus in meridie, sicut in tenebris [5]. »

÷ 3. Ascensio : « Vespere et mane et meridie narrabo [6]. Occidet nobis sol in meridie [7]. »

÷ 4. Fervor charitatis : « Ad auram, post meridiem [8]. »

÷ 5. Et in malam partem [9], in psalmo : « A dæmonio meridiano [10], » hoc est manifesto.

(1) *Reluceat*. Hymn. Ambros. II in edit. Bened. — (2) *Meridies, plena doctrinarum, factorumque claritas* B-G. — (3) *Meridie*. Cant. I, 6. — (4) *Christus*. in A 2,3,4. — (5) *Tenebris*. Is. LIX, 10. — (6) *Narrabo*. Ps. LIV, 18. — (7) *Meridie*. Amos VIII, 9. — (8) *Meridiem*. Genes. III, 8. — (9) *Partem*. Ultima distinctio in B-G ; cum Eucherio αὐτολεξεὶ consentit. — (10) *Meridiano*. Ps. XC, 6.

Lucherius, ed. I, p. 7 ad 2; ed. II, col. 742 B ad 2 et 5.

Gregorius M. Meridies, fervor charitatis, ut ibi : « Quum audisset vocem deambulantis in paradiso, ad auram, post meridiem; » id est, frigore culpæ, quod post fervorem charitatis acciderat. — Meridies, fervor carnalium desideriorum, ut ibi : « Indica m. u. c. » Sponsus enim animæ ei quodam modo cubat, quum ipsa carnalibus desideriis æstuat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 16, p. 544 ad 4, 5.

Rabanus. Meridies, Christus, ubi : « Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie [1]. » Ascensio Christi, ubi : « Vespere, et mane, et meridie narrabo. » — Tribulatio, ut : « Ubi cubes i. m. » — Fides, ubi Abraham suscepit angelos meridie [2]. — Sacra Scriptura, ubi : « Impegimus, etc. » — Ardor charitatis, ut : « Ad auram, post meridiem. »

Cf. *de Universo*, lib. X, c. 5, col. 290.

Petrus Capuanus ad litt. XII, art. 8. Meridies æternitatis est splendor majestatis divinæ. Canticum : « Indica mihi, etc. » — Meridies virtutis est fervor charitatis et aliarum virtutum : « Quum audissent vocem, etc.; » quia scilicet jam fervor charitatis atque virtutum in eorum mentibus vergebat ad occasum et vesperum. — Meridies iniquitatis est fervor tentationis. Psalmus : « Non timebis a timore meridiano. »

In primo meridie est splendor immensus; in secundo, fervor intensus; in tertio, æstus immoderatus. — Primus meridies est in patria; secundus, in via; tertius, in invio. — Primus ergo est optandus et desiderandus; in secundo est manendum; a tertio est declinandum. — Primus, beatorum; secundus, bonorum; tertius, malorum.

Distinctionum monasticar. lib. III. *De Meridie.* Meridies significat quandoque plenam gloriam vitæ futuræ; unde est illud in libro beati Job : « Justis meridianus fulgor consurget ad vesperam, et quum putantur consumti, oriuntur ut lucifer [3]. » Quia quum justis occidit lux præsentis vitæ, oritur eis lumen futuræ. Et quum putantur consumti, oriuntur ut lucifer; quia stella cadens in hoc hemispherio, mox in orbe resurget alio.

Meridies fidem perfectam significat; unde sanctus Ambrosius :

> Lætus dies hic transeat;
> Pudor sit ut diluculum,
> Fides, velut meridies;
> Crepusculum mens nesciat [4].

« Lætus, inquit, dies hic transeat, » spirituali scilicet lætitia, qua lætatur cor quærentium Dominum, ex testimonio bonæ conscientiæ. — « Pudor sit ut diluculum, » id est, semper nova sit nobis verecundia, sicut diluculum lux nova est. Vel pudor sit ut diluculum, id est initium justitiæ nostræ. — « Fides velut meridies, » id est sine omni dubietatis caligine, secundum illud : « Postulet in fide, nihil hæsitans, qui indiget sapientia, et dabitur ei [5]. » — « Crepusculum (id est dubietatem) mens nesciat, » quia crepusculum dicitur a *creperum* [6], quod est dubium. Vel mens nesciat crepusculum, id est lucis defectum vel occasum. Talem fidem commendavit in sancto Abraham Prudentius, dicens :

> Senex fidelis, prima cernendi via est,
> Abraham, beati seminis serus pater [7].

« Prima, » id est præcipua; hinc est quod Dominus ei apparuit in meridie.

Meridies significat fervidam charitatem; unde scriptum est, quod Joseph bibit vi-

(1) *Meridie.* Job v, 14. — (2) *Meridie.* Genes. XVIII, 1. — (3) *Lucifer.* Job XI, 17. — (4) *Nescial.* Hymn. Ambros. VII in edit. Bened. — (5) *Ei.* Jac. 1, 6. — (6) *Creperum.* Sabinum verbum, ut ait Varro. Isidorus : « Crepusculum est dubia lux, nam *Creperum* dubium dicimus, hoc est inter lucem et tenebras. » *Etymol.* lib. V, c. 31, n. 7. Areval. p. 223. Neque id forte alienum est a sententia Ambrosiana, quod tritum est apud grammaticos, scilicet crepusculum generatim poni pro luce maligna; unde Ovidius : « Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit. » *Metam.* XIV, 122. — (7) *Pater.* Prudent. *Psychom.*, v. 1, 2.

num cum fratribus suis in meridie [1]; id est, jucundus cum eis factus est in ferventi charitate.

Meridies significat luminosissimam Domini nostri in hoc mundo conversationem; unde de Judæorum cæcitate ait propheta : « Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie [2]. » Quia ita de Domino Christo, qui vita et doctrina et miraculis perfecte resplenduit, an bonus et justus esset dubitaverunt, sicut de quolibet malefactore, de quo nulla bona, sed aliqua mala noverunt.

Meridies significat fervorem tribulationis; unde est illa vox sponsæ ad sponsum : « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne incipiam vagari post greges sodalium tuorum. »

« Indica, inquit, mihi, quem diligit anima mea. » O quam valida est hæc benivolentiæ captatio, et efficax ad impetrandum quod cupit! O tu, inquit, quem anima mea diligit, id est, quem intimo et summo affectu diligo, indica mihi, inquit, ubi pascis, ubi pastum accipis; et, post pastum, ubi requiescis in meridie, id est in ferventi tribulatione. Scio quod pascis, seu pastum accipis in activis, quia

Esuriens, sitiens, infirmus, nudus et hospes,
Carcere deduci, pauperis ore rogas.

Et quod uni ex minimis tuis faciunt, tibi faciunt. Et scio quod requiescis in contemplativis. Sed scire cupio qui sunt illi in quibus pascis et cubas in meridie, id est in magna tribulatione, quia isti vere discipuli tui sunt, quoniam in adversitate probatur amicus, et vasa figuli probat fornax. Et hoc, Domine, non cupio nosse ex curiositate, sed ex necessitate; non ut capiam voluptatem, sed ut vitem iniquitatem. Hoc est, « ne incipiam vagari post greges sodalium tuorum, » id est, ne specie recti decepta, et simulatorum fraude circumventa, viam sanctorum Patrum tritam vestigiis relinquam, et invium hæreticorum latum et licentiosum incurram. Qui sodales tui dicuntur, quia nominis tui confessionem et mysteria circumferunt. Sodales dicuntur, quasi simul *edales*; unde :

Communis comites reddit via; mensa, sodales;
Consortes facit unus honor; socios, labor unus [3].

Rursum, lector, considera quod, quia, sicut fideles, ob defensionem fidei, ad tolerandum quælibet adversa fortes sunt et invicti, ita nonnulli infideles in defensione sui erroris, ad tolerandum durissima tormenta, insensibiles quodammodo sunt et stupidi; non indocte, nec frustra sponsa quærit a sponso ubi pascat et cubet in meridie, id est in forti et fervida tribulatione; quod illi aptius convenit qui habitat in loco ubi catholicis hæretici copiose mixti sunt, ut in urbe Tolosa. De qua quidam satis pulchre jocatus est, dicens :

Urbs est pomposa, tam perfida quam populosa;
Nomine Tolosa, meritis inscripta dolosa.

Est igitur meridies æternæ claritatis, fervidæ charitatis, purissimæ et plenissimæ sanctitatis, magnæ prosperitatis, gravis adversitatis.

Concionator Præmonstratensis.

Cap. XXIX. *Incarnatio Christi*, n. 1.

Quum incaluerit sol, erit vobis salus. I Reg. XI. Nota quod propter magnam influentiam solis ad ista inferiora, philosophi vocant ipsum solem patrem omnium naturalium creaturarum metaphorice, et terram matrem earumdem. Videmus enim quod, sicut sol per suam potentiam est causa generationis et productionis fructuum terræ, sic per sui carentiam est causa sterilitatis. Unde terra sole privata sterilis est.

Spiritualiter. Dei Filius, sapientia Patris, propter magnam influentiam ad creaturas inferiores, videlicet homines, quasi sol nobis est. Ab eo accipimus misericordiam et gratiam, propter suam incarnationem. Unde Joannes : « Vidimus eum plenum gratia et veritate [4]. » Sic ejus absentia erat per peccatum primorum parentum carentia gratiæ

(1) *Meridie*. Genes. XLIII, 25. — (2) *Meridie*. Job V, 14. — (3) *Unus*. Ex libro *Synonymorum* Matthæi Vindocinensis, in schedis nostris. — (4) *Veritate*. Joan. I, 4.

et misericordiæ. Unde, orto sole, terra illuminatur; occidente sole, terra obtenebratur. Ita vero sole tota terra est illuminata, juxta illud Sapientiæ : « Sol illuminans respexit per omnia, et gloria Domini plena est terra [1]. »

Figura. IV Reg. XX. Ubi legimus quod, quum Ezechias rex ægrotaret, et mors per Isaiam fuit sibi nuntiata, ut disponeret domui suæ, quia moreretur : convertit autem se ad parietem, flevit fletu magno. Videns autem Dominus gemitus et lacrymas, ad Isaiam prophetam ait : « Addam tibi XV annos. » Unde petivit signum a Domino, ut ait Magister, in *Scholastica historia*. Sol per X gradus versus est retrorsum ad orientem, in undecimo gradu stetit, deinde reversus est in locum suum; et sanatus est rex Ezechias.

Moraliter. Ezechias notat genus humanum auxilio Dei privatum; ideo ægrotavit languore magno et mortifero. Unde in psalmo : « Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem [2]? » Vertit se genus humanum ad parietem divinæ justitiæ; ploravit. Unde Jeremias, Threnorum : « Ploravit in nocte, et non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus [3]. » Descendit igitur Filius Dei per decem gradus, et ultra non ivit. Novem gradus sunt novem chori angelorum, videlicet : Angeli, primus; Archangeli, secundus; Virtutes, tertius; Potestates, quartus; Dominationes, quintus; Principatus, sextus; Throni, septimus; Cherubim, octavus; Seraphim, nonus. Decimus gradus, humanitas. Unde ultra non ivit, sed inter homines humiles, humillimus. Unde admirans propheta ait : « Quis est homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum [4]? » Debemus igitur ipsum amare toto corde, nec non laudare, quod ad nos tam benigne descendit.

Augustinus in *Soliloquio* : « O lux antiquissima, quæ lucebas ante omnem creaturam! et tu odis omnes maculas; et tamen dixisti : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Nonne homo vermis, et omnia vanitas vanitatum [5]? »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in *Passione Domini*, v. 581.

Qua peccavit Adam, Jesus est crucifixus in hora,
Qui supra lignum crimina nostra tulit.
Dum crucifigit eum gens dura, Patrem Jesus orat;
« Parce, Pater! nescit impia gens quid agit. »

XLI.

1. VESPERÆ, terminus [6] vitæ, vel pœnæ, vel sæculi : « Ad vesperum demorabitur fletus [7]. » ÷ « De mane usque ad vesperam finies me [8]. »

2. Vespere, passio; mane, resurrectio; meridies, ascensio : « Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudies vocem meam [9]. »

÷ 3. Torpor otii vel adversitas : « Si dormiero, dicam : quando surgam [10]? Et factum est vespere et mane [11]. Vespere sabbati [12]? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ad I ed. I, p. 7; ed. II, col. 742 B.

GREGORIUS M. Vespere, terminus vitæ; sic per Eliphaz de perversis dicitur : « De mane usque ad vesperam succidentur, » dum a vitæ suæ exordio usque ad terminum, iniquitatis perpetratione vulnerantur. — Vespere, torpor otii, ut per beatum Job : « Si

(1) *Terra.* Eccli. XLII, 16. — (2) *Mortem.* Ps. LXXXVIII, 49. — (3) *Ejus.* Thren. I, 2. — (4) *Eum.* Ps. VIII, 5. — (5) *Vanitatum.* Cf. S. Aug. opp. t. VI, col. 886, ed. Migne. — (6) *Finis vitæ, vel sæculi, sive pœnæ, in psalmo* B-G. — (7) *Fletus.* Ps. XXIX, 6. — (8) *Me.* Is. XXXVIII, 12. Locum addunt A. — (9) *Meam.* Ps. LIV, 18. — (10) *Surgam.* Job VII, 4. — (11) *Mane.* Genes. I, 5. — (12) *Sabbati.* Matt. XXVIII, 1.

dormiero, etc. » Quasi dicat : exspectabo vesperam : nil perceptum menti sufficit, quando ipsum qui vere sufficere potuit, amisit. In somno namque surrectionem desidero, in surrectione vesperam exspecto; quia et quietus exercitium actionis appeto, et exercitatus otium quietis quæro. — Vespere, tentatio peccati, ut per Moysen dicitur : « Facta est lux; » et paulo post : « Factum est vespere. » Lux ad vesperum ducitur, quum umbra tentationis sequitur lumen rectitudinis.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 8, p. 525.

Rabanus. Vesper, Antichristus, ut : « Vesperam super filios terræ consurgere facit [1]. » — Tempus incarnationis, ut : « Vespere manducabunt carnes [2]. » — Perfectio operis, ut : « Vespere et mane dies unus. » — Tentatio, ut : « Rursum exspectabo vesperam [3]. » — Terminus vitæ, ut : « De mane usque ad vesperam succidentur. » — Finis mundi, ut : « Convertentur ad vesperam [4]. »

Petrus Cantor. Vespera dicitur adventus Christi in carnem; unde : « Filioli, novissima hora est. » Nos autem sumus in quos fines sæculorum devenerunt. — Tempus post ascensionem; unde : « Convertentur ad vesperam, » secundum unam expositionem.

Vesperum dicitur quandoque principium ultimæ ætatis, quod fuit in incarnatione Domini. — Quandoque medium, quod fuit in missione Spiritus sancti. — Quandoque finis, quod erit in consummatione sæculi. — De primo dicitur : « Ad vesperum demorabitur f., etc. » De medio, mystice in Evangelio : « Quum sol occubuisset, offerebant Domino omnes male habentes variis languoribus, et curabat eos. [5] » Et alibi : « Et columba reversa est ad arcam Noe ad vesperum [6], » id est, Spiritus sanctus, qui per columbam significatur, missus est in die Pentecostes, quod fuit ad vesperum, id est ad medium vesperi, quod fuit inter principium ultimæ ætatis et finem. Finis et quasi crepusculum hujus vesperæ erit in judicio, quod ostensum est Abrahæ figurate in quadrupedum et avium sacrificio, sicut legitur in Genesi; ubi dicitur quod circa vesperum venit terror et caminus ignis de cœlo.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Vespere est diei vel temporis; unde : « Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. » — Hominis; unde : « Exibit homo ad opus suum usque ad vesperam, » id est usque ad finem sæculi. — Defectus gratiæ; unde : « Ad vesperum demorabitur fletus. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes. v. 199-204.

Vespere quemque diem legimus cum mane peractum :
In se doctrinæ pondus utrumque gerit.
Post istam vitam quasi vesper fiet iniquis,
Quum tenebrescet eis nox sine fine manens.
Mane sed æternum dabitur splendescere justis,
Quum ridebit eis lux sine fine micans.

XLII.

1. Nox, vita præsens : « In noctibus extollite manus vestras in sancta [7] » ÷ « Anima mea desideravit te in nocte [8]. Nocte, coram eo, non sum deceptus [9]. »

2. Adversitas [10] : « Quis vestrum habebit [11] amicum, et ibit ad illum media nocte [12]? »

3. Cæcitas cordis, vel vana securitas [13] : « Nocte opprimet eum tempestas [14]. »

(1) *Facit.* Job XXXVIII, 32. — (2) *Carnes.* Exod. XVI, 12. — (3) *Vesperam.* Job VII, 4. — (4) *Vesperam.* Ps. LVIII, 7, 15. — (5) *Eos.* Luc. IV, 40. — (6) *Vesperum.* Genes. VIII, 11. — (7) *Sancta.* Ps. CXXX, 2. — (8) *Nocte.* Is. XXVI, 9 A. — (9) *Deceptus.* Ps. LXXVI, 3. *Et non sum* B, C, G. — (10) *Tribulatio vitæ præsentis in tempore, in Evangelio* B-D; *in tempore* non legunt E, F, G. — (11) *Habet* ib. — (12) *Nocte.* Luc. XI, 5. B-G addunt : *Et dicet illi : amice, commoda mihi tres panes, hoc est scientiam Trinitatis.* — (13) *Securitas, sicut in Job, pro impio dicitur* B-F. — (14) *Tempestas.* Job XXVII, 20, addunt B-F. *Et alibi : Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te.* Luc. XII, 20.

4. Futura vita reprobis[1] : « Veniet nox, quando nemo potest operari. »

5. Quies[2] contemplationis : « In lectulo meo per noctem quæsivi te[3]. »

6. Diabolus : « Noctem illam tenebrosus turbo teneat[4]. »

7. Obscuritas ignorantiæ, vel tristitia orta ex tentatione : « Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis[5], » id est pro robustis.

8. Adventus Christi secundus : « Media nocte, clamor factus est[6]. »

9. Æterna damnatio : « Non exstinguetur in nocte lucerna ejus[7]. »

10. Vita peccatorum; in Apostolo : « Qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt[8]. »

11. Media nox, occultum Dei judicium. In Evangelio : « Media nocte, etc. »

12. Media nox, mors ex improviso adveniens, sicut in Job de reprobis : « Et in media nocte auferentur[9]. »

13. Prima vigilia, prima hominum ætas, id est infantia sive pueritia; secunda vigilia, adolescentia et juventus; tertia vigilia, senectus. In Evangelio : « Si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi[10]. »

XLIII.

1. Tenebræ[11], dæmones : « Inimicos ejus, » id est Domini, « persequentur tenebræ[12]. »

2. Ignorantia[13] : « Non sunt tenebræ, et non est umbra[14]. Tenebris obscuratum habentes intellectum[15]. »

3. Lamenta pœnitentiæ : « Dies vertatur in tenebras[16]. »

4. Occulta Dei judicia : « Et posuit tenebras latibulum suum[17]. »

5. Adversitates : « Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi[18]. »

6. Peccatores : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino[19]. »

7. Vita præsens : « Sicut in tenebris, quasi in lumine ambulant[20]. »

8. Æterna damnatio : « Expellet eum de lumine in tenebras[21]. Mittite eum in tenebras exteriores[22]. »

9. Peccata : « Indica mihi, si nosti omnia, in qua via habitet lux, et tenebrarum quis locus sit[23]. »

XLIV.

1. Umbra, protectio divina[24] : « Sub umbra alarum tuarum[25]. »

2. Figuræ veteris testamenti[26] : « Donec aspiret dies, et amoveantur umbræ[27]. »

(1) *Futurum sæculum peccatoribus, in Evangelio* B-G. Huc redeunt quæ ibidem infra : *Nox, futura tribulatio, in Evangelio : «In illa nocte duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur.»* Luc. XVII, 34. Excidit in E, F τὸ *in illa nocte*. — (2) *Quies*. Distinctiones 5, 6, 7, 8, 9, non exstant nisi in A; quibusnam autem e fontibus haustæ, non ita liquet. — (3) *Te*. Cant. III, 1. — (4) *Teneat*. Job III, 6. — (5) *Eis*. Job XXXVI, 20. Nemini ambiguum huc irrepsisse Gregoriana. Cf. loca Garnerii mox indicanda. — (6 *Est*. Matt. XXV, 6. — (7 *Ejus*. Prov. XXXI, 18. — (8) *Sunt*. I Thessal. V, 7.—(9) *Auferentur*. Job XXIV, 24.—(10) *Illi*. Luc. XII, 38.—(11) *Tenebræ, diabolus et dæmonia, in propheta* B, C, D, G.—(12) *Tenebræ*. Nahum I, 8. — (13) *Ignorantia*. Quæ ad finem usque sequuntur, ex uno cod. A, eodemque fonte Gregoriano. — (14) *Umbra*. Job XXXIV, 22. — (15) *Intellectum*. Eph. IV, 18. — (16) *Tenebras*. Job III, 4. — (17) *Suum*. Ps. XVII, 12. — (18) *Sibi*. Job XXIV, 16. — (19) *Domino*. Eph. V, 8. — (20) *Ambulant*. Job XXIV, 17. — (21) *Tenebras*. Job XVIII, 18. — (22) *Exteriores*. Matt. XXII, 13. — (23) *Sit*. Job XXXVIII, 19. — (24) *Divina in tentationis ardore, in psalmo* B-G. — (25) *Tuarum sperabo* ib. Ps. LVII, 2. — (26 *Vetus testamentum, in Salomone*. — (27) *Umbræ*. Cant. II, 17.

3. Vita carnis [1] : « Dies mei sicut umbra. »

4. Pœna perennis [2] : ÷ « Dimitte me, Domine, sine plangam [3]. » ÷ In Job : « Ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat [4]. »

5. Delectatio carnis [5] : « Sub umbra dormit in secreto calami [6]. »

6. Mors carnis : « Quoniam humiliasti nos in loco umbræ mortis. » ÷ « Operuit nos umbra mortis [7]. »

÷ 7. Incarnatio Dei : « Et virtus Altissimi obumbrabit tibi [8]. »

÷ 8. Refrigerium quietis æternæ : « Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi [9]. »

÷ 9. Obscuritas allegoriæ : « Deus a Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso [10]. »

÷ 10. Instabilitas vel torpor frigidæ mentis : « Sicut de peccante homine scriptum est, quia sequutus est umbram [11]. »

÷ 11. Mortis oblivio, vel imitatio diaboli : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent [12]. »

÷ 12. Perfidus populus Judæorum : « Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante [13]. »

÷ 13. Quilibet iniquus : « Protegunt umbræ umbram ejus [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 7 ad XLIV, n. 1; ed. II, col. 741 c ad XLIV, 1, 6, 8, 11.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, p. 527, 530, 536 ad XLII, 1, 6, 7; ad XLIII, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9; ad XLIV, 1, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.

Gregorius M. Nox, antiquus hostis, ut ibi : « Nox ista tenebroso turbine possideatur, » quia superba ejus cæcitas infernali pœna percutitur. — Nox, consensus ad culpam, quem utique tenebrosus compunctionis turbo possideat, ne ad opus iniquitatis prorumpat. — Nox, vita præsens; ut ibi : « Anima, etc. » — Nox, obscuritas ignorantiæ, ut in Job : « Ne protrahas, etc. » Noctem protrahere est, ut populi pro robustis ascendant, si per ignorantiam agitur, ut doctorum vel fortium loca indocti ac debiles sortiantur. — Vel nox, suborta de tentatione tristitia, quæ, consolatione accepta, non finitur. Et tunc populi pro robustis ascendunt, quum pro sinceris affectibus indignæ cogitationes insiliunt.

Tenebrarum nomine caligo ignorantiæ designatur, sicut per Eliud dicitur : « Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondatur is qui operatur iniquitatem. » Ac si diceret : idcirco ejus judicio nullus absconditur, quia nullatenus possumus aut non videre quæ facimus, aut oblivisci quod videtur. — Tenebrarum nomine lamenta pœnitentiæ designantur, sicut per beatum Job dicitur : « Dies ille, etc. » Vertitur quippe dies in tenebras, quum culpa, in ipso delectationis exordio, ad quem perditionis finem rapiat, videtur. — Tenebrarum nomine occulta Dei judicia designantur, sicut paulo post subditur : « Obscurentur eum

(1) *Vita hominis, in Job : Fugit velut umbra* B-G Job VIII, 9. — (2) *Pœna perpetua, in Job* ib. — (3) *Plangam.* Job X, 20. A respicit ad ea quæ sequuntur : *Plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine.* — (4) *Inhabitat.* Job X, 22. — (5) *Carnis, sicut in Job pro diabolo dicitur* B-G. — (6) *Calami.* Job XL, 16. — (7) *Mortis.* Cf. Vulg. Ps. XLIII, 20. — (8) *Tibi.* Luc. I, 35. — (9) *Mihi.* Job VII, 2. — (10) *Umbroso.* Habac. III, 3 : *de monte Pharan,* Vulg. — (11) *Umbram.* Genes. III, 8. — (12) *Sedent.* Luc. I, 79. — (13) *Peregrinante.* Job XXVIII, 3. « Quia et crudelitate durus exstitit [Judæus], et infidelitate nebulosus. » Greg. *Moral* XVIII, 47. — (14) *Ejus.* Job XL, 17.

tenebræ, et umbra mortis[1], » ac si aperte diceret : Ille veniat qui, ut a morte carnis et spiritus debitores eripiat, mortem criminis non debens solvat. — Tenebrarum nomine adversitates designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : « Perfodiunt, etc. » Quid namque in hoc loco domorum nomine, nisi conscientiæ designantur? In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliuntur. — Tenebrarum nomine vita præsens designatur; sicut per beatum Job de perversis dicitur : « Et sic in tenebris, etc.; » quia sic in præsenti cæcitate læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur. — Tenebrarum nomine peccatores designantur, sicut per Paulum dicitur : « Fuistis aliquando tenebræ, etc. » — Tenebrarum nomine supplicia æternæ damnationis designantur; sicut de Antichristi damnatione dicitur : « Expellet eum de luce in tenebras[2], » id est, de honore præsentis vitæ ad æterna supplicia. — Tenebrarum nomine iniquitas designatur, sicut ad beatum Job dicitur : « Indica, etc., » ac si diceret ei : Si plenam scientiam suspicaris te habere, die vel in cujus corde ea quæ nunc est innocentia veniat; et in cujus corde ea quæ nunc est malitia, perseveret.

Umbra, incarnatio Domini, sicut Angelus ad Mariam : « Virtus a. o. t., » id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis; umbra enim formatur a lumine et corpore. Deus autem per divinitatem lumen est : quasi mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus.

Rabanus. Nox, tribulatio : « Neque luna per noctem. » — Vita præsens, ut : « Anima, etc. » — Conversatio laicorum : « Luminare minus, ut præesset nocti[3]. » — Diabolus : « Nox nocti indicat scientiam[4]. » — Adversitas : « Qui dedit carmina in nocte[5]. » — Ignorantia : « Nocte opprimet e. t. » — Seductor generis humani : « Sit nox illa solitaria[6]. » — Infirmitas mentis : « Nox in qua dictum est : « Conceptus homo est[7]. » — Peccatum : « Custos, quid de nocte? » — Obscuritas sæculi : « In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea. » — Affectiones : « In noctibus extollite m. v. »

Cf. *de Universo*, lib. x, c. 6, 7, col. 290-292.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Nox dicitur totum sæculum, propter dormitionem in peccatis; unde Apostolus : « Qui dormiunt, nocte dormiunt, etc. » — Propter silentium a laude Dei; unde : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena[8]? » — Propter timorem; unde : « Beatus homo qui semper est pavidus[9]. » — Propter ignorantiæ cæcitatem; unde Isaias : « Palpavimus, sicut cæci, parietem[10]. »

Nox dicitur præsens vita, propter obscuritatem; unde : « Videmus nunc per speculum in ænigmate[11]. » — Propter frigiditatem; unde : « Refrigescit charitas multorum[12]. » — Propter lucis exspectationem; unde in Epistola Petri : « Habens firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris[13]. »

Nox est ignorantiæ; unde : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem[14]. » — Culpæ; unde Apostolus : « Qui dormiunt, n. d. » — Adversitatis; unde : « Per diem sol, etc. » — Humanæ miseriæ; unde : « Memor fui nocte nominis tui[15]. »

Nocte media, virga floruit; portas Gazæ Samson aufert; transit angelus percutiens; Dominus natus est, resurrexit, judicatus est; Petrus negavit. Media autem nocte, ut ait Augustinus[16], venturus dicitur; non pro hora temporis, sed quia tunc veniet quando non sperabitur.

Tenebræ exteriores oculis corporeis pa-

(1) *Mortis*. Job III, 5. — (2) *Tenebras*. Job XVIII, 18. — (3) *Nocti*. Genes. I, 16. — (4) *Scientiam*. Ps. XVIII, 3. — (5) *Nocte*. Job XXXV, 10. — (6) *Solitaria*. Job III, 7 — (7) *Est*. Job III, 3. — (8) *Aliena*. Ps. CXXXVI, 4. — (9) *Pavidus*. Prov. XXVIII, 14. — (10) *Paritem*. Is. LIX, 17. — (11) *Ænigmate*. I Cor. XIII, 12. — (12) *Multorum*. Matt. XXIV, 12. — (13) *Vestris*. II Petr. I, 19. — (14) *Lucem*. Is. IX, 2. — (15) *Tui*. Ps CXVIII, 55. — (16) *Augustinus*. « Propter ignorantiam dictum est, media nocte. » T. V. *Append.* ser. LXX, S. Cæsar.

tent et eos excæcant, ut in nocte, et in passione Domini, et in inferno. Tenebræ interiores oculos mentis excæcant, rationem scilicet et intellectum. Quæ interiores sunt cæcitas mentis, vel infidelitas.

Tenebræ dicuntur quandoque peccata; unde: « Populus qui ambulabat, etc. » — Quandoque peccatores; unde Apostolus: « Fuistis aliquando, etc. » — Quandoque obscuritas sacræ Scripturæ; unde: « Posuit tenebras latibulum suum[1]. » — Quandoque dies judicii; unde Isaias: « Stellæ non dabunt lumen suum, et tenebrabuntur, orto jam sole[2]. »

Petrus Cantor. Umbra significat quandoque obscuritatem; unde: « Habitantibus in regione umbræ mortis[3]. » — Quandoque vanitatem; unde: « Dies mei sicut umbra declinaverunt. » — Quandoque refrigerium; unde: « Sub umbra a. t. p. me. » — Quandoque protectionem; unde: « Obumbrasti super caput meum[4]. »

Biblia codic. Bellevall.

Nox.

Antiquus hostis. Consensus ad culpam.
Vita præsens. Obscuritas ignorantiæ.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 482-491.

Birrea, serve piger, Domina clamante, quiescis,
Donec cogaris verbere sive minis.
Sic piger, ad bonitatis opus dum surgere tardat,
In somnum mortis suppliciumque cadit.
« Cras, cras, cras, reprobus, surgam de crimine, dicit. »
Et differt, donec cras sibi claudat iter.
Læta venire tibi speratur crastina dum lux,
Sæpe venit media nocte suprema dies.
Hinc vigila: nescis sero, media quoque nocte,
Vel gallo veniat ipse canente pater.

XLV.

1. Hodie, æternitas Dei: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te[5]. »

2. Præsens tempus[6]: « Hodie si vocem ejus audieritis[7]. »

XLVI.

Cras, futurum tempus: « Nolite cogitare de crastino[8]. »

XLVII.

Tempora opportuna, distributio voluntatis[9]: « Fecit lunam in tempora[10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6; ed. II, col. 741 A ad XLVII.

Rabanus, *de Universo*, lib. X, c. 4, col. 289.

(1) *Suum.* Ps. XVII, 12. — (2) *Sole.* Is. XIII, 10. — (3) *Mortis.* Is. IX, 2. — (4) *Meum.* Ps. CXXXIX, 8. — (5) *Hodie, divinitatis æternitas, nec initio cœpta, nec fine claudenda. Unde in psalmo Pater ad Filium loquitur, dicens: Filius* B-G. — (5) *Te.* Ps. II, 7. Additur in B-G: *Apud Dominum enim nec heri, nec cras, sed semper est hodie.* — (6) *Omne præsens tempus, in psalmo* B-G. — (7) *Audieritis.* Ps. XCIV, 8. Addunt B-G: *Velut si dicatur: quocumque in tempore.* — (8) *Crastino.* Matt. VII, 34. In alia inde abeunt B-G. *Quid manducetis* [*manducatis* B, C], *aut quid bibatis. Item ibi: Si enim fœnum* [*id est, peccatores* B-F], *quod hodie in agro est, et cras in clibanum, hoc est in combustionem perpetuam* [*in damnationem* G], *mittitur, Deus sic vestit* [Matt. VII, 30]. *Et alibi: Quum interrogaverit te cras filius tuus* [Exod. XIII, 14]. *Et alibi: Ne forte dicant filii vestri filiis nostris cras. Non est nobis pars in Israel* [Jos. XXII, 27]. — (9) *Voluntatis divinæ, in psalmo ib.* — (10) *Tempora.* Ps. CIII, 19.

Petrus Parisiensis et Garnerius Lingonensis. Cras quandoque accipitur pro tempore quolibet futuro. Unde Jacob ad Laban : « Cras exaudiet me justitia mea, sive respondebit mihi [1]. » Item : « Sicut fœnum... in clibanum mittitur, » id est in acervum, sive in ignem æternum.

Petrus Capuanus ad litt. VIII, art. 4. Hodie, temporale, spirituale et æternale. — Temporale duplex, scilicet vita præsens. Psalmus : « Hodie si vocem ejus audieritis. » — Hodie etiam dicitur fieri quod manifeste fit. Osee : « Et corruet hodie [2]. »

Hodie spirituale duplex, scilicet tempus gratiæ. Exodus : « Nolite timere : astate, et videte magnalia quæ Deus facturus est hodie [3]. » Ecclesia : « Hodie nobis de cœlo pax vera descendit. » — Et hodie dicitur infusio fidei atque virtutum. Josue : « Hodie [infundendo virtutes] abstuli opprobrium Ægypti [4]. » Evangelium : « Ecce ego dæmonia ejicio, et virtutes facio hodie [pœnitentia], et cras [justitia], et tertia die consummor [5]. »

Hodie etiam gloriæ duplex : scilicet æternitas Dei. Psalmus : « Ego hodie genui te. » —Et gaudium æternæ gloriæ. Evangelium : « Hodie mecum eris in paradiso [6]. »

Primum bonum ; secundum melius ; tertium optimum. Primum hodie, scilicet vita præsens, habet heri et cras, id est præteritum et futurum. Nonne vita præsens habet heri et cras, quando nihil pene in ea manet? aut præsens est, eo quod transeunt omnia velut umbra? Secundum hodie, id est tempus gratiæ, habet heri et cras, id est tempus legis quod præterit, et tempus gratiæ quod futurum est. Nonne tempus gratiæ tamquam heri habuit legem quæ jam præteriit, propter quod Paulus ait : « Si circumcidimini, Galatæ, Christus nihil vobis proderit [7]? » Et tamquam cras habet gloriam quam exspectat, eo quod cunctis diebus quibus homo nunc militat, exspectat donec veniat immutatio sua. Tertium hodie, scilicet æternitas ipsa, non habet heri et cras. Zacharias : « Et erit dies una non dies, nec nox [8] », id est non diei nec noctis successio. Nonne in futura vita, omnia erunt præsentia, quando præsentem habebunt illum qui erit etiam omnia in omnibus?

Hermannus Werdinensis.

I.

Hort. deliciar., lib. I, v. 1152-1163.

Quum dare jam possis, corvinam non gere vocem :
Dans hodie quod vis, esse columba stude.
Cras cantat corvus, *hodie* canit alba columba :
Hæc vox perversis, congruit illa bonis.
Discipulis Christus : « Vos estis, dixit, amici,
Hoc ego quod jubeo si faciatis opus. »
Mandatum statim faciens istius amici,
Crastina non, sed agat hæc hodierna dies.
Unde poeta canit : Nocuit differre paratis,
Vel quia sæpe mora longa pericla trahit.

XLVIII.

1. Menses [9], apostoli : « Per singulos menses reddent fructus suos [10]. »

÷ 2. Mensis [11], perfectio : « Et erit mensis ex mense [12]. »

÷ 3. Actiones : « Sicut servus desiderat umbram, sic et ego habui menses vacuos [13]. »

÷ 4. Ecclesiæ multiplicatæ, vel ordines vel dignitates angelorum : « Non computetur in diebus anni [14]. »

÷ 5. Collectiones animarum : « Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos [15]. »

(1) *Mihi*. Genes. XXX, 33. — (2) *Hodie*. Osee IV, 5. — (3) *Hodie*. Exod. XIV, 13. — (4) *Ægypti*. Jos. V, 9. — (5) *Consummor*. Luc. XIII, 33. — (6) *Paradiso*. Luc. XXIII, 43. — (7) *Proderit*. Gal. V, 2. — (8) *Nox*. Zach. XIV, 7. — (9) *Menses duodecim, ejusdem numeri apostoli, in Apocalypsi* B-G. — (10) *Suos*. Apoc. XXII, 2. *Reddentia* B, C ; *recentia* D. In E altera manu supra lineam suppletur *reddent*. G habet : *Dabunt fructus suos*. — (11) *Mensis* A. Cf. Gregorium. — (12) *Mense*. Is. LXVI, 28. — (13) *Vacuos*. Job VII, 3. — (14) *Anni*. Job III, 6. Adde quæ infra in Gregorio ad h. l. pag. seq. l. 10. — (15) *Pristinos*. Job XXIX, 2.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 741 B, ad 5.

Gregorius M. Mensis, perfectio, ut ibi : « Erit mensis ex mense, » scilicet, perfectio quietis ex perfectione operationis. Actiones; unde Job : « Et habui menses vacuos. » Qui enim per actiones suas præsentia non requirunt, a mundi compendiis vacuos menses ducunt.—Multiplicatæ fidelium ecclesiæ, ut in Job : « Nec numeretur in mensibus anni. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XII, c. 13, p. 548.

Rabanus. Menses, ordines angelorum, ut in Job : « Nec numeretur, etc., » id est, inter angelos electos spiritus diabolicus ad salvationem non pertingit. — Mensis, termini actionum, ut : « Ego habui m. v. » — Ordinem angelorum (ubi supra).—Quies mentis, ut : « Erit mensis ex mense. »

Cf. *de Universo*, lib. X, c. 10, col. 300.

Petrus Capuanus ad litt. XII, art. 9. *Menses duobus modis in bono.* Menses quandoque dicuntur sancti. Job : « Quis mihi tribuat ut sim juxta menses? » — Quandoque bona opera. Job : « Dies ille, etc. Ego habui menses vacuos, etc. » Evangelium : « Nonne quatuor menses sunt usque ad messem, et messis venit [1] ? » — Quandoque virtutes. Evangelium : « Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus in montanis [2]. » Illi autem montes sunt fides, spes, charitas. — Mensis etiam quandoque dicitur vita æterna. Isaias : « Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato. »

In primo mense, id est in sanctis, colliguntur dies virtutum, de quibus psalmus : « Novit Dominus dies immaculatorum [3]. » Psalmus : « In diebus meis invocabo eum [4]. » In secundo mense, id est in bonis operibus, colliguntur dies gratiæ, quia sine gratia non sunt opera bona. Paulus : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit [5]. » Evangelium : « Qui ambulat in die, non offendit [6]. » In mensibus Evangeliorum colliguntur dies, id est ipsi sancti, qui secundum Evangelium vivunt. De quibus diebus psalmus : « Dies diei eructat verbum [7]. » In mensibus virtutum colliguntur dies bonorum operum, quæ sine virtutibus nulla sunt, de quibus Judicum : « Servierunt Domino cunctis diebus ejus [8]. » In mense vitæ æternæ non est nisi dies una, æternitatis scilicet, de qua Zacharias : « Et erit dies una quæ nota est Domino, nec dies, neque nox. » Psalmus : « Melior est dies una in atriis tuis super millia [9], » transitoriorum scilicet dierum. Job : « Donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus [10]. » Evangelium : « In die illa non interrogatis me quicquam [11]. »

Ægidius [12] Parisiensis.

In *Aurora*, ad Exod. v. 238-265.

Mensis, ait, vobis prior hic in mensibus anni,
Et quasi temporibus initialis erit.
Hæc est aprilis lunatio, cujus ab ipso
Martis mense frequens neomenia præit.
Sicut enim sacris et membris, pelle recisa,
A cunctis tribubus distat Hebræa tribus;
Sic voluit Dominus ut temporis esset eidem
Dispar signandi dissimilisque modus.
Janus enim mensis est anni janua nobis;
Tempore septembris incipit annus Arabs.
Martius Hebræus, ubi luna occurrit aprilis,
Annum consummat initiatque novum.
Sic et martius est etiam; tamen incipit illis
Aprilis mensis, quem nova luna facit.
Porro hoc intuitu vario variatio surgit,
Judiciumque tenet sanctio quæque suum.
Attendunt Arabes ut quando leguntur apud se
Fructus maturi, finiat annus ibi.
Tunc quasi complevit annus quod spectat ad ipsum,
Et quasi tunc finem debet habere suum.
Nos sequimur præcepta Numæ, qui mensibus anni
Primus bis quinis addidit inde duos.
Hæc vero est ratio, quoniam in demissa moveri
Sol tunc desistens, rursus in alta redit.
Sed quidquid vel Arabs, vel nos sentimus in isto,
Hebræi casus plus rationis habent.
Plus rationis habent, ubi martia tempora primis
Anni principiis anteferenda tenent.
Nam tunc conditus est, et quod tunc mundus inesse
Prodiit, Ecclesiæ est indubitata fides, etc.

(1) *Venit.* Joan. IV, 35. — (2) *Montanis.* Luc. I, 56. — (3) *Immaculatorum.* Ps. XXXVI, 18. — (4) *Eum.* Ps. CXIV, 2. — (5) *Appropinquavit.* Rom. XIII, 12. — (6) *Offendit.* Joan. XI, 9. — (7) *Verbum.* Ps. XVIII, 3. — (8) *Ejus.* Jud. II, 7.— (9) *Millia.* Ps. LXXXIII, 11. — (10) *Dies ejus.* Job XIV, 6. — (11) *Quicquam.* Cf. Joan. XVI, 5 — (12) *Ægidius*, quo curante, prodiit *Auroræ* editio ultima, aucta et emendata, mss.

XLIX.

1. Anni [1], æternitas Dei : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient [2]. »

2. Brevitas [3] vitæ hujus : « Anni nostri sicut aranea [4]. »

3. Annus, Christus [5] : « Benedices coronæ anni [6]. »

4. Tempus gratiæ : « Dimitte illam et hoc anno [7], donec fodiam. »

5. Sex anni [8], præsens tempus : « Si emeris servum Hebræum, » ÷ « domino suo serviat, et in septimo ad libertatem exeat [9]. »

÷ 6. Prædicatio [10], vel multitudo fidelium : « Non computentur in diebus anni. »

÷ 7. Anni in tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia : « Ecce anni tres sunt [11]. »

÷ 8. Annus [12], præsens tempus, ab adventu Domini usque in finem mundi, in quo pœnitentia et remissio peccatorum prædicatur. In Isaia : « Prædicate [13] annum placabilem Domino et diem retributionis. »

÷ 9. Quinquagesimus annus, qui in Levitico [14] annus jubilæus scribitur, venturæ quietis est significatio.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 7 ; ed. II, col. 741 A ad 1, 2.

Rabanus. Annus, tempus gratiæ, ut : « Prædicate a. p. d. » — Multitudo redemptorum, ut : « Non computentur i. d. a. » — Æternitas Dei, ut : « In generatione et generationem anni tui [15]. » — Vita nostra, ut : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur. »

Cf. *de Universo*, lib. x, c. 12, col. 304.

Petrus Cantor et Gregorius Lingonensis. Annus naturalis incipit a qualibet hora vel puncto usque ad illam horam vel punctum; usualis, a kalendis januarii ; legitimus, a prima lunatione ; emergens, ab aliquo memorabili facto, ubi Romani ab Urbe condita suos computabant annos ; filii Israel, ab exitu Ægypti ; Christiani, ab incarnatione Domini. De hoc anno dicitur quod Paulus, primo anno post passionem Domini, conversus est, primo scilicet emergenti, sed secundo usuali.

Annus est sterilitatis, ab initio mundi usque ad adventum Christi ; unde : « Tres anni sunt quod quæro fructum in ficulnea hac, et non invenio. » — Annus benignitatis vel plenitudinis a Christo usque ad finem sæculi, unde : « Quum venerit plenitudo temporis [16]. » — Annus retributionis in patria ; unde : « Quum venerit annus retributionis [17]. »

Annus Dei quatuor habet tempora, id est quatuor evangelistas ; et duodecim menses, id est apostolos, ut super Lucam legitur, ubi narratur prophetia Isaiæ quæ dicit : « Annum Domini acceptum [18]. »

(1) *Anni aliquando pro æternitate accipiuntur, sicut in psalmo : Anni tui* B-G. — (2) *Deficient.* Ps. CI, 28. — (3) *Interdum et pro brevitate vitæ, ut ibi : Anni* B-G. — (4) *Aranea meditabuntur* B-G. Ps. LXXXIX, 9. — (5) *Annus Dominus noster Jesus Christus a quibusdam putatur, in psalmo : Benedices c. a. et campi tui replebuntur* B-G. — (6) *Anni.* Ps. LXIV, 12. — (7) *Anno, usque dum fodiam circa illam* [huc usque G], *et mittam cophinum stercoris* B-D. *Mittam stercora* E, F. Luc. XIII, 8. — (8) *Anni sex, de quibus in Lege præcipitur ut puer hebræus, si emtus pretio fuerit.* — (9) *Exeat.* Exod. XXI, 2. Ultima *dedere* B-G, qui addunt : *Præsens significant* [*significat* B, C, D] *tempus, qui* [χρόνος] *sex diebus factus est.* Præterea legunt B-D : *Iterum in eadem lege præcipitur : Sex annis seras agrum tuum, vel vinetum* [*vineam* D], *et in septimo requiescere dimittes.* — (10) *Prædicatio.* Cf. Gregor. — (11) *Sunt.* Luc. XIII, 7. — (12) *Annus.* 8 et 9 in B-F. — (13) *Prædicate* E, F, G. Is. LXI, 2. — (14) *Levitico.* XXV. — (15) *Tui.* Ps. CI, 25. — (16) *Temporis* Gal. IV, 4. — (17) *Retributionis.* Is. XXXIV, 5. — (18) *Acceptum.* Luc. IV, 19.

PETRUS CAPUANUS ad litt. I ex art. 13. Annus, ipsa Dei æternitas : « Tu autem, etc. » — Annus benignitatis, tempus gratiæ : « Benedices, etc. » — Annus ecclesiasticæ unitatis. Hic est annus jubilæus in veteri testamento, id est Ecclesia, quæ consequitur plenam remissionem. — Annus divinæ prædestinationis, multitudo electorum. Job : « Non computetur, etc. » — Annus sterilitatis, tempus ante gratiam. Evangelium : « Ecce anni tres, etc. »

In primo anno menses sunt perfectio æternitatis. Exodus : « Mensis iste erit vobis primus in mensibus anni. » Quod erit in æternitate, ubi penitus liberabitur Ecclesia. In secundo, menses sunt quatuor evangelia, vel quatuor virtutes. Evangelium : « Nonne quatuor menses sunt usque ad messem? » In tertio, menses sunt particulares Ecclesiæ. Isaias : « Mensis ex mense, » id est, Ecclesia ex particularibus. In quarto, menses sunt ipsi sancti vel virtutes. Job : « Non numeretur in mensibus, » id est inter sanctos. In quinto, menses sunt inania opera. Job : « Menses vacuos enumeravi mihi. »

In primo anno est unus dies. In secundo sunt septem dies, id est septem dona Spiritus sancti. In tertio dies sunt singuli sancti. Psalmus : « Dies diei eructat verbum. » In quarto dies sunt virtutes vel bona opera. Judices : « Servierunt Domino cunctis diebus ejus. » In quinto, dæmones. Job : « Pereat dies in quo natus sum. »

ÆGIDIUS PARISIENSIS.

Ad *Auroram*, in Exod., v. 781-804.

Erit agnus anniculus.

Deinde quod anniculus assumi debuit agnus,
Est annis Christi fas reperire typum.
Bis cape triginta cum quinque simulque trecentis
Mensibus, hæc anni summa diebus inest.
Sunt etiam menses qui dispositi duodeni,
Tot possunt anni constituisse dies.
Unum fac de tot sic sumtis mensibus annum,
Fas sit ibi mensem quemlibet esse diem.
Porro pro decima luna qua tollitur agnus,
Consimiles menses desuper adde decem.
Nec moveare quod hinc excrescere cernitur annus :
Talis legitimus esse frequenter habet.
Hos menses bis sex et bis sex, lector, in annos
Ad quos sufficiunt distribuisse scias :
In quibus observes ut sit lunatio mensis ;
Anni sic Christus unius agnus erat.
Quippe ætas Christi, quatuor octo scilicet anni
Tresque fere menses, connumerantur ibi [1].
Hunc ego vero typum sic assignare sategi,
Ad duo respectum quæ memorantur habens :
Namque solaris quasi qui sit tangitur annus,
Et mensem lunæ textus adæquat ei.
Idcirco studii labor exquisivit ut essem
Utraque complectens verba tenore typi [2].

L.

1. VER [3], renovatio vitæ per baptismum : « Æstatem et ver tu plasmasti [4]. »
2. Resurrectio [*ibid.*].
3. Pax Ecclesiæ : « Jam enim hiems transiit et recessit, flores apparuerunt in terra [5]. »

LI.

1. ÆSTAS, futura beatitudo : « Piger mendicabit in æstate, et non dabitur ei [6]. »
÷ 2. Dies [7] judicii, ut supra.
÷ Venturæ jucunditatis præfiguratio, ubi et supra.

(1) *Ibi.* Brevius, usurpando consueta mathematicorum signa : $30 \times 2 + 5 + 300$ menses iidem sunt ac 365 menses. « Hæc anni summa diebus inest. » Item 365, si per 12 dividantur in annos, $= 30 + \frac{5}{12} = 30$ anni + 150 dies, sive 30 anni et 5 menses 30 dierum : « Sunt etiam menses, » usque ad « dies. » Quibus si 1 addatur annus : « Unum fac, etc., » et « menses desuper addas 10 », habebis circiter 31 annos + 5 + 10 menses = 32 annos + 5 menses ; circiter dixi, ob menses 30 dierum supra relatos, et juxta ipsummet poetam :

Quippe ætas Christi, quater octo scilicet anni
Tresque fere menses connumerantur ibi.

— (2) *Typi.* Exod. XII, 5. — (3) *Ver, vitæ renovatio* [*remuneratio* E, F] *per baptismum vel resurrectionem* [*resurrectio* E, F, G], *sive pax Ecclesiæ, in psalmis* B-G. — (4) *Plasmasti.* Ps. LXXVIII, 17. *Fecisti eam* B-D ; *ea* E, F, G. — (5) *Terra.* Cant. II, 11, 12. — (6) *Ei.* Prov. XX, 6. Locus integrior in B-G : *In Salomone : Propter frigus piger arare noluit ; mendicabit æstate, etc.* — (7) *Dies.* 2 in A ; 3 in B-G.

LII.

Autumnus, præterita tempora salutis [1] : « Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit racemos in autumno [2]. »

LIII.

1. Hiems [3], finis vitæ, vel sæculi : « Orate, ne fiat fuga vestra in hieme. »

2. Torpor mentis [4], vel frigus malitiæ : « Piger propter frigus arare noluit. »

3. Vita [5] præsens : « Qui præcipit nivi, ut descendat in terram, et hiemis pluviis [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 6, 7 ad L, 1, 2; ad LI, 1; ad LIII, 1. — Ed. II, col. 741 A ad eadem capita.

Gregorius M. Hiemis nomine præsens vita signatur, sicut per Eliud de Domino dicitur : « Qui præcepit nivi et hiemis pluviæ. » Hiems quippe est præsens vita, in qua nos ad superna spes erigit, ad hoc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit. Pluvia autem hujus hiemis sunt infusiones sanctæ prædicationis, quibus præcipit Dominus ut in terram descendant, dum pro peccatoribus irrigandis corda sanctorum ad mysterium prædicationis humiliat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. 17, 18, p. 545.

Rabanus. Ver, initium boni operis, ut : « Æstatem, etc. »

Æstas, regnum Dei, ut : « Scitis quia prope est æstas [7] » Vita præsens, ut : — « Præparat in æstate cibum, et non dabitur ei [8]. » — Perfectus, ubi : « Æstatem, etc. » Cf. *de Universo*, lib. X, c. II, col. 302.

Petrus Capuanus ad litt. XX, in art. 11. Ver est unum de quatuor temporibus anni. Hoc tempore creditur mundus conditus. Designat autem novitatem vitæ, vel renovationem novi hominis factam per Christum.... Ver autem in ascensu solis solet esse; et facit præterire tempestatem et pruinam hiemalem, serenitatem advenire, et arbores frondescere. Tunc etiam aves incipiunt cantare, flores etiam apparere, et agri virescere. Ergo ascendente vero sole justitiæ, id est nato Christo, vel ab inferis et sepulcro evigilato, vel etiam misso Spiritu sancto, tranquillitas vitæ spiritualis data est Ecclesiæ. Canticum : « Quum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem [9]. » Accenso etiam vero sole in mente hominis, id est gratia Dei, spiritualis quies mentis habetur. Facit ergo tunc spirituale ver præterire animi tempestatem et fluctus insurgentes de verme conscientiæ. Psalmus : « Perambulabam in innocentia cordis mei [10]. » Facit advenire serenitatem munditiæ. Paulus : « Fide mundans corda eorum [11]. » Facit arbores frondescere, id est, Scripturam virescere per doctrinam, vel homines doctrinæ foliis virere. Psalmus : « Et folium ejus non defluet [12]. » Facit et eos fructificare bonis operibus. Genesis : « Lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam [13]. » Tunc etiam incipiunt flores virtutum et gratiarum apparere in terra mentis nostræ. Psalmus : « Justus ut palma florebit [14]. » Tunc etiam incipiunt cantare aves, quia vox Spiritus sancti et

(1) *Transacta salutis tempora, in Michæa* B-G. — (2) *Autumno*. Mich. VII, 1. — (3) *Hiems, persequutio vel tribulatio. In Evangelio : Orate... hieme vel sabbato* B-G. Matt. XXIV, 20. — (4) *Mentis, in Salomone : Propter* ib. — (5) *Vita*. Hæc ultima tantum in A. — (6) *Pluviis*. Job XXXVII, 6. — (7) *Æstas*. Luc. XXI, 30. — (8) *Ei*. Prov. VI, 8. — (9) *Odorem*. Cant. I, 11. — (10) *Mei*. Ps. C, 2. — (11) *Eorum*. Ephes. V, 26. — (12) *Defluet*. Ps. I, 3. — (13) *Suam*. Genes. I, 11. — (14) *Florebit*. Ps. XCI, 13.

prædicatorum incipit tunc audiri : « Vox turturis audita est in terra nostra [1]. » Tunc et incipiunt virescere agri mentis nostræ. Canticum : « Apparuerunt prata virentia [2]. »

Litt. v, *art.* 8. Æstas temporis, pectoris et æternitatis. In prima æstate, fervet sol materialis. Unde illud :

In Cancro solis dum volvitur aureus axis.

In secunda, fervet sol tribulationis et persequutionis. Evangelium : « Portavimus pondus diei et æstus [3]. » — In tertia, fervebit sol justitiæ. Psalmus : « Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus [4]. » In prima æstate maturantur poma materialia; in secunda, emittuntur semina justitiæ; in tertia, colliguntur fructus manipulorum. In prima, populus terram promissionis ingreditur; in secunda, sponsus cubans in meridie a sponsa quæritur; in tertia, Petri rete ad littus trahitur.

Litt. VIII in art. 2. Hiems vitæ præsentis est vita, quæ nunc occulta est, sed manifestabitur in æstate judicii. — Hiems persequutionis est persequutio aspera. Evangelium : « Facta sunt encænia in Hierosolymis, et hiems erat [5], » quia scilicet fervebat contra Christum persequutio Judæorum. — Hiems infidelitatis est, de qua dicitur quia hiems vel frigus erat, quando Petrus calefaciebat se ad prunas Caiphæ. — Hiems legalis asperitatis est asperitas et torpor legis, respectu lenitatis gratiæ. Canticum : « Jam enim hiems transiit. »

Quomodo distinguuntur quatuor tempora anni. Hiems fuit ante legem, propter obscuritatem et tenebras ignorantiæ et peccatorum. Paulus : « Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces [6]. » — Ver sub lege, quando quasi fructus in radice, latebat veritas sub figuris. Paulus : « Omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt [7]. » — Æstas sub gratia, quando manifeste apparent quasi fructus latitantes sub lege, et veritas prius occulta revelatur. Paulus : « Vos autem revelata facie gloriam Domini contemplamini [8]. » — Autumnus erit in gloria, quando colligent fructus seminum et manipulorum. Psalmus : « Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos [9]. »

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. II, *de Æstate.* Æstas significat spiritu ferventes; sicut ver, temperatos et lenes. Æstas erat Timotheus, ver erat Titus; uterque sanctus. Sic et Elias æstas erat, tamquam severissimus prophetarum; ver Moyses, qui fuit mansuetissimus hominum; utrumque tamen Deo placuisse certum est, et, sicut ego æstimo, æqualiter placuerunt, in quorum medio Christus apparuit in gloria.

Æstas significat gloriam sanctorum post generale judicium; unde Dominus in Evangelio : « Videte ficulneam et omnes arbores, quum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos quum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei [10]. »

Æstas significat ipsum diem judicii propter fervorem et lucem; unde scriptum est in Proverbiis : « Propter frigus, etc. »

Æstas significat vitam temporalem, propter opportunitatem operandi; unde est illud in Proverbiis : « Vade ad formicam, etc. » Et nos ergo dum tempus habemus, operemur bonum.

Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.

Æstas significat fervorem persequutionis, qui justum facit clariorem; unde est illud de laudibus justi in Ecclesiastico : « Factus est quasi aurum effulgens, et quasi thus redolens in diebus æstatis [11]. » Unde insignis poeta in libro *Tristium :*

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic dubio est inspicienda fides [12].

Item idem :

Si locus est aliquis tanta inter nomina parvis,
Nos quoque conspicuos nostra ruina facit.

(1) *Nostra.* Cant. II, 12. — (2) *Virentia.* Prov. XXVII, 25. Ubi Vulg. *aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes.* Ad hæc enim putem Petrum aut παραφράζοντα, aut aliam versionem sequutum respexisse. — (3) *Æstus.* Matt. XX, 12. — (4) *Ejus.* Ps. XCIII, 3. — (5) *Erat.* Joan. X, 22. — (6) *Concupisces.* Rom. VII, 7. — (7) *Devenerunt.* I Cor. X, 11. — (8) *Contemplamini.* II Cor. III, 18. — (9) *Suos.* Ps. CXXV, 6. — (10) *Dei.* Matt. XXIV, 32. — (11) *Æstatis.* Eccli. L, 8. — (12) *Fides.* Trist. lib. 1, *Eleg.* V.

Æstas significat fervorem vitiorum, ut in illis versibus Theodoli [1].

Æthiopum terras jam fervida torruit æstas,
In Cancro solis dum volvitur aureus axis

Quorum versuum allegorica expositio ista est. « Fervida æstas, » id est ebullitio vitiorum, « torruit terras Æthiopum, » id est, corpora et corda torruit peccatorum sordibus tetrorum. « Dum aureus axis solis, » id est, dum Filius Dei Patris « volvitur in Cancro, » id est, versatur in populo Judæorum retrogrado. Vel ita : « Dum aureus axis solis volvitur in Cancro, » id est, dum æterna Dei sapientia incarnata volvitur in utero Virginis. Cancer enim figurat beatam Mariam, quia Cancer semper fugit ea quæ videt, et tendit ad ea quæ non videt. Sic beata Virgo Maria semper fugiebat visibilia, et tendebat ad invisibilia. Quæ enim videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna.

Lib. II, *de Hieme*. Hiems, quæ frigida est, et ex frigiditate constringit, infidelitas est, cum qua in una anima simul et semel non potest esse calor charitatis, ex qua est bona dilatatio cordis. De hujus hiemis abscessu sponsus gratulatur in Canticis, dicens sponsæ : « Surge, amica mea, et veni; jam enim hiems, etc. » Surge, inquit, a quiete contemplationis, et veni ad laborem prædicationis. Hoc est quod ait Psalmista : « Surgite, postquam sederitis, » id est, prius estote discipuli, postea magistri; prius auditores, postea doctores. Et ne formidine impediatur, de tranquillitate et pace reddita eam animat et consolatur, dicens : « Jam enim hiems transiit, » id est, rigida et frigida infidelitas multorum corda reliquit. « Imber etiam id est persecutio abiit et recessit, » id est, paulatim deficiens cessavit. Hiems, quia tempus inæquale est, et tempestatibus abundat, significat abundantiam iniquitatis, de qua est illud in Evangelio Joannis : « Facta sunt encænia in Hierosolymis, et hiems erat, » id est dura et rigida malitia in cordibus Judæorum. Porro ubi prævalet malitia, ibi tempestas semper interior et sæpe exterior, « quia non est pax impiis, dicit Dominus. » Unde quidam ait :

Ægyptum musceæ, stimulant sic corda malorum
Affectus pravi, subit hinc confusio morum.

Hiems quandoque tempestatem, seu quamlibet aeris inclementiam significat, ut in Lucano, de laudibus Catonis :

Huic epulæ, vicisse famem; magnique penates,
Submovisse hiemem tecto, pretiosaque vestis,
Hirtam membra super, romani more Quiritis,
Induxisse togam [2].

Hiems mortem significat, ut in illa sententia Dominica : « Videte ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato, » id est, morte imminente, vel post mortem, quia in mortis articulo anima in tantum corpori compatitur, quod pœnitentiæ vacare posse non creditur; post mortem vero, hoc est sabbato, quando non est tempus operandi, sed operum merita recipiendi, licet sit pœnitentia, non est tamen fructuosa. Mortem per hiemem designavit quidam, sic loquens in epitaphio Benedicti quondam abbatis de Burgo [3] :

Mortis hiems carnis florem decoxit; at illi
Non veri veris abstulit illa rosas.

APPENDIX AD CAPUT III.

I.

S. Dionysius Areopagita.

De cœlesti hierarchia ad Timotheum.

(1) *Theodoli* sive *Theoduli*, cujus *Ecloga* (v. 1, 2), in trivialibus scholis a pueris olim recantata, adeo non est extranea rei symbolicæ, quin carminis illius et ejus auctoris obiter nostra *Proleg.* meminerint. — (2) *Togam*. Phars. lib. II, v. 381-385.—(3) *De Burgo*. Petroburgense monasterium, in Anglia, abbatem habuit Benedictum an. 1177-1193. — (4) *Ejus*. Exstat hujus carminis elegantissimi versio recens, ignoto interprete, inter codd. latinos Bibl. olim regiæ Parisiens., n. 8547. Neque idem abesse putem ex integra *S. Nersetis Claiensis operum* editione, quæ prodiit studio J. Cappelletti in 2 vol., Venet. 1833, 8°.

II.

S. Nerses, Armenorum patriarcha.

Carmen de cœlo et ornamentis ejus [4].

III.

PHILO JUDÆUS.

Quæstiones VII *de Cherubim* [1].

IV.

BERENGOSUS.

De Luce visibili et invisibili. [*Bibl. PP.* t. XII, p. 366. Lugdun.]

V.

ALANUS AB INSULIS.

Tractatus de sex alis Cherubim.

VI.

SANCTUS BONAVENTURA.

De sex alis Seraphim [2].

VII.

RICHARDUS A S. LAURENTIO.

De laudibus B. Mariæ Virginis, lib. VII. *Quomodo Maria designatur per cœlestia et superiora* [3].

MARIA.

Cœlum, firmamentum, solis lunæque sidus, horizon, Lucifer, aurora, lux, diluculum, mane, dies, nubes.

VIII.

PETRUS BERCHORIUS.

Reductorii moralis lib. V. *De his quæ pertinent ad cœli et corporum cœlestium naturam et ad temporum varietatem.*

IX.

PELBARTUS DE THEMESWAR.

Stellarium coronæ benedictæ Virginis Mariæ, in laudem ejus pro singulis prædicationibus elegantissime coaptatum [4].

X.

ANONYMUS.

Liber de Moralitatibus corporum cœlestium, elementorum, etc., quæ in veneranda Scriptura vel alibi authentice sub figura et eleganti mysterio vel pulchriformiter continentur [5].

XI.

ANONYMUS ALTER.

Stella Clericorum [6].

XII.

NALDUS NALDIUS.

Elegia in septem stellas errantes per urbem Florentinam, curribus sub humana specie duci jussas a Laurentio Medice [7].

XIII.

SEBASTIANUS A MATRE DEI.

Firmamentum symbolicum, in quo Deiparæ elogia, quibus velut firmamentum stellis est exornata, symbolice depinguntur ex solis novisque conceptibus allegoricis [8], *ad usum concionatorum.* Lublini, 1652, in-4°.

(1) *Cherubim.* Quas edidit A. Maius in *Class. auctor.* t. IV, p. 450, easque esse pronuntiat ex opere Philoniano in Exodum selectas.—(2) *Seraphim.* Utrumque *Universalis* et *Seraphici* Doctoris opusculum inseritur in S. Bonaventuræ *Opp.* t. VII ed. Lugd.; prius scilicet, p. 643; atque posterius, p. 83. Hoc quidem satis leviter ad rem symbolicam attinet, quippe quum prælatorum, seu spiritualium Seraphim sex alas sive munia præcipua ἠθικῶς describit. Illud vero, quod totum in eo sistit ut peccatori ad Deum revertenti currendi det et volandi vires, tum sex pœnitentis ascensiones sive alas, tum quinque singularum pennas, multa cum subtilitate (absit ut cum fastidio dicam) distinguit ac refingit. Noli enim calculum addere duriori Casimiri Oudin in utrumque libellum censuræ, quam videsis in ejusdem *Comment. de scriptorib. Eccl.* t. III, col. 420 et 436. Immo Alani opus etiam pictores et καλλιγράφους ita in admirationem rapuit, ut eos illud elegantissimo penicillo adumbrare placuerit. Hujusmodi schema qualecumque est in cod. Parisiensi olim regio 3473; at longe splendidius in pulcherrimo codice Ultrajectensi, quem etiam nunc præ oculis habere videmur, inscriptum sub n. 139, f. 44.—(3) *Superiora.* Splendida hujusce Marialis, omnium fere antiquissimi, exemplaria jacent in multis bibliothecis. Sine auctoris nomine prodiit Argentorati, 1493. Editoribus Alberti Magni libros colligentibus placuit opus illud prægrande ex integro inserere in tom. XX part. II; multis multimode reclamantibus, ac præ cæteris Casim. Oudin, *Comment.* t. III, p. 158, ubi cum Novarino, Labbeo, Raynaudo, Maraccio, Lambecio asserit legitimum auctorem sibi illud opus vindicare Richardum a Sancto Laurentio canonicum et archidiaconum ecclesiæ Rothomagensis, circa a. 1250. Cf. *Hist. littér. de la Fr.* t. XX. — (4) *Coaptatum.* Exstant quinque editiones sæc. XV, apud Hain n. 12562-12566. — (5) *Continentur.* In cod. Paris. ol. Reg. latin. 3332, sæc. XV. —(6) *Clericorum.* Exstant edit. 20 sæc. XV. Hain. 15060-15080.— (7) *Medice.* Una cum Landolfini carmine, cui titulus : *Florentia,* prodiit ibid. sine a. n. 4°. Hain. 11672. — (8) *Allegoricis.* Non desunt hujuscemodi opuscula recentiorum, quæ operæ pretium non est sigillatim recensere. Multo magis piget vel summis labris tangere auctores innumeros, insanientis astrologiæ aut alchimiæ æstu delirantes, maxime inter Judæos, Arabes et plerosque Orientales, qui puriora rei symbolicæ e supernis creaturis archetypa in pravos usus suos detorquere, inque suis fanaticis elucubrationibus ausi sunt congerere ac deturpare. Cæterum eo pauciores ad caput III commentatores laudare lubet, quod cum his faciunt quicumque *Hexaemeron* exposuerunt, quos satis magno numero ad calcem capitis sequentis excitabimus.

CAPUT IV.

DE MUNDO ET PARTIBUS EJUS [1].

I.

1. Terra, soliditas patriæ cœlestis [2] : « Credo videre bona Domini in terra viventium [3]. » ÷ « Portio mea in terra viventium [4]. Non habitabitur, nec mittet radicem [5] in terra viventium. »

2. Caro Christi : « Qui jurat in terra, jurat in Deo [6]. » ÷ « Terra data est in manus impii [7]. Altare de terra facietis [8]. »

3. Ecclesia : « Germinet terra herbam virentem [9]. » ÷ « Dominus a paucis de terra dispersit eos [10]. »

4. Caro vel carnalis affectus [11] : ÷ « In principio » conversionis nostræ « creavit Deus cœlum et terram, » id est divisit [12]... ÷ In Ecclesiastico : « Quid gloriaris, terra et cinis [13] ? »

5. Homo ipse. In Evangelio : « Aliud cecidit in terram bonam [14]. »

÷ 6. Terrenitas : « Egredere de terra et de cognatione tua [15]. »

÷ 7. Synagoga : « Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est [16]. »

÷ 8. Gentilitas : « Quis dedit vehementissimo imbri, ut plueret super terram absque homine [17] ? »

÷ 9. Anima justa : « Terra enim super se venientem bibens imbrem [18]. »

÷ 10. Anima peccatrix : « Ignem veni mittere in terram [19]. »

÷ 11. Terrena cogitatio : « Terram ungula fodit [20]. »

÷ 12. Peccator : « Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. »

÷ 13. Infernus : « Dimitte me, ut plangam paululum, et non revertar ad terram tenebrosam [21]. »

(1) *De mundo et actibus ejus* F. Deest titulus in A, D, F, G. In iisdem, ante hoc caput IV, aliud prolixum *de Numeris* inseritur, quod A infra, et multo brevius, cap. scilicet XI habet. Eucherius in utraque editione, strictius, forte et melius : *de Terrenis*. — (2) *Cœlestis*. Hæc Garnerius S. V. recepit ad verbum in suo Gregoriano. — (3) *Viventium*. Ps. XXVI, 13. — (4) *Viventium*. Ps. CXLI, 6. Velit deinceps lector, vel nemine monente, advertere e signorum varietate, juxta præfixam volumini siglorum interpretationem, quibusnam e codicibus singuli loci accipiantur. — (5) *Radicem*. Job XV, 29. Ita fere solus A una cum Gregoriano adducto infra ; unde eumdem sibi uterque significat esse fontem ; dum ibidem cæteri omnes magno consensu legunt : *non ditabitur*. — (6) *Deo, amen* B-G. Iidem Isaiam simul excitant, profecto ad LXV, 16 ; cujus quidem loci versio planè nova et ignota. — (7) *Ipsius*. Job IX, 24. — (8) *Facietis*. Exod. XX, 24. — (9) *Virentem*. Genes. I, 11. — (10) *Eos*. Ps. XVI, 14. — (11) *Carnalis potentia : quid* B-G. — (12) *Divisit*. Interrupto loco suppleat vetus illa glossa ex 2 variis codd. accepta : *In principio, id est in Christo, fecit Deus spirituales, cœlestia meditantes et quærentes. In ipso fecit et carnales, qui terrenum hominem nondum deposuerunt*. Cf. Eucher. *Comment. in Genes.* col. 893, b ; *Opp.* V. Bed. t. VIII, p. 78 ; Petr. de Riga, supra p. 103. — (13) *Cinis*. Eccli. X, 9. — (14) *Bonam*. Marc. IV, 9. B-G addunt : *Item in aliam partem : Terram edes omnibus diebus vitæ tuæ* (Genes. III, 14). *Terra* [*arida* B, C, G], *infructuosi homines* [*hominis caro* B, C, G ; cætera desunt in F]. *In Salomone : Cooperire aridam malitia et dolositate* (Eccli. XXXVII, 3) B-G. Scilicet istiusmodi glossemata Eucherio accepta refer. — (15) *Tua*. Genes. XII, 1. — (16) *Est*. Job. XXVIII, 5. — (17) *Homine*. Job XXXVIII, 26. — (18) *Imbrem*. Hebr. VI, 7. — (19) *Terram*. Luc. XII, 49. — (20) *Fodit*. Job XXXIX, 21. Ibidem textus proxime adducendus. — (21) *Tenebrosam*. Job X, 21.

÷ 14. Terrena actio : « Descende, sede in pulvere, in terra, filia Babylonis [1]. »

÷ 15. Subjecta plebs : « Si adversum me terra mea clamat [2]. »

÷ 16. Terrenis actibus occupati : « Advocavit cœlum desursum et terram, ut discerneret populum suum [3]. »

÷ 17. Anima humana : « Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, cap. II, edit. I, p. 7 ad 7; ed. II, cap. IV, col. 742 ad 5.

Gregorius. Terra, soliditas cœlestis patriæ, ut in Job de reprobo scriptum est : « Non inhabitabitur, nec perseverabit substantia ejus, non mittet radicem suam in terra. » Superbus radicem suam in terram non mittit, quia numquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat. — Sancta Ecclesia, ut in Genesi : « Germinet t. h. v. » Sancta Ecclesia, dum verba prædicationis suscipit, fructum boni operis reddit, et verbi nos pabulo reficit, et patrocinii umbraculo custodit. — Synagoga, unde in libro beati Job : « Terra de qua, etc., » quia Judæa in ore tenebat legem, et legis persequebatur auctorem; prius habuit legem, quæ reficeret; et post invidiam, qua se concremaret. — Anima justi, ut in Job : « Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ[5] ? » Ac si justificato peccatori Veritas dicat : Virtutes a me acceptas tibi non attribuas. — Anima peccatrix, ut in Evangelio Dominus dicit : « Ignem v. m. i. t., » quia nisi ab igne charitatis ignem susciperent, numquam in amore Dei corda peccatorum arderent. — Caro, sicut ad Job : « Terram u. f. » Terram ungula fodere, est districta abstinentia carnem domare. — Anima humana, ibidem : « Nescit homo, etc. » Inveniri sapientia non potest in eorum terra qui suaviter vivunt, quia tanto verius stulti sunt, quanto majora perdentes, in minimis lætantur. — Humanitas Christi; unde ad Israel dicitur : « Altare de t. f. m. » Altare de terra facere, est incarnationem Domini sperare. Ponimus ergo in altari oblatum munus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus. — Infernus; unde beatus Job : « Dimitte me, etc., » quia terra miseriæ et tenebrarum est, et a conspectu districti judicis tenet expulsos. — Caro Christi, ut per beatum Job dicitur : « Terra data est i. m. i., » quia antiquus hostis Redemtoris carnem per suos satellites, ad triduum permissus, exstinxit. — Terrenis actibus occupati; unde : « Revelabunt cœli iniquitatem terræ ejus, et tamen consurget adversus eum [6]. » Quid per cœlos, nisi justos? Et quid per terram accipimus, nisi eos qui in terrenis actibus occupati, plus terrena quam cœlestia lucra requirunt? — Terrena actio; unde ad iniquam mentem, sub nomine Babylonis, per prophetam dicitur : « Descende, etc. » Quid per pulverem, nisi cogitationes debemus accipere? quid per terram, nisi terrenam actionem? Prius in pulvere, et postea in terram sedebat, quia nisi in cogitatione se prosterneret, in malo opere non hæsisset.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. I, p. 324-334.

Rabanus. Terra, Christus, ubi : « Terra data est i. m. i. » — Regnum cœleste, ut : « In terra sua duplicia possederunt. » — Virgo Maria, ut : « Terra dedit fructum suum [7]. ». — Ecclesia, ut : « Quando ponebam fundamenta terræ. » — Plebs Israel, ut : « Qui commovet terram de loco suo [8]. » — Societas Scribarum et Pharisæorum, ut : « Terra de qua oriebatur panis, etc. » — Gentilitas, ut : « Ut plueret super terram

(1) *Babylonis*. Is. XLVII, 1. Ultro se conferat prudens lector ad sexcentas varietates cum ed. Vulg., quas recensere longum esset. — (2) *Clamat*. Job XXXI, 38. — (3) *Suum*. Ps. XLIX, 1. — (4) *Viventium*. Job XXVIII, 13. — (5) *Terræ*. Job XXXVIII, 4. — (6) *Eum*. Job XX, 27. — (7) *Suum*. Ps. LXVI, 7. — (8) *Suo*. Job IX, 6.

absque homine [1]. » — Vir Sanctus, ut : « Longior terra, mensura ejus [2]. » — Subjectus, ut : « Terram ungula fodit. » — Corpus nostrum, ut : « Terra es, et in terram ibis [3]. » — Mens sancta, ut : « Producat terra herbam virentem. » — Mens prava, ut : « Non invenietur in t. s. v. » — Terrena sapientia, ut : « Loquere terræ, et respondebit tibi [4]. » — Actio infirma, ut in Job : « Dabit pro terra silicem [5]. » — Auditor, ut : « Terra sæpe vementem, etc. » — Domestica familia, ut : « Si adversum me terra m. c. » — Minores in Ecclesia, ut : « Audiat terra verba oris mei [6]. — Antichristus, ut : « Væ terræ cymbalo alarum [7]. » — Infernus, ut : « Ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. »

Cf. *de Universo*, lib. XII, c. I, col. 331, 332.

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS. Terra est quam terimus; terra est quam gerimus : terra est quam quærimus.—Prima aratur ; ita et corpus nostrum, per prædicationem nobis factam, et admonitionem, et contritionem, et comminationem, et jejunium, quod debet esse interius et exterius. Secundo seminatur : ita et corpus nostrum per compunctionem paratum est suscipere verbum Dei et opera misericordiæ facere, secundum illud : « Frange esurienti panem tuum [8]. » Et semen operitur ; ita et opera misericordiæ cordis humilitate operiuntur. Tertio irrigatur : ita et corpus gratia Dei. Quarto metitur ; ita et corpus opera bona facit, sive misericordiæ.

Terra triplex : prima est elementum visibile, scilicet terra quam calcamus. De hac dicitur : « Domini est terra. » Item de hac terra dicitur : « Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat [9]; » scilicet secundum substantiam, non secundum qualitatem corruptionis, quam contraxit ex primi parentis vitio. Non est ergo contrarium quod dicitur : « Cœlum et terra transibunt [10]; » quia transibunt, secundum corruptionem, non secundum substantiam, ut dictum est. — Secunda, corpus mortale, scilicet homo. Et quod homo dicatur terra, ait propheta : « Terra, terra, terra, audi sermones meos [11]. » Propheta tertio vocat hominem terram, quia homo triplici modo terra est : primo terra est, quia de terra creatus est ; secundo terra est, quia in terra conversatur ; tertio terra est, quia in terram revertetur. Terra namque est creatione, conversatione, morte ; id est vita, natura, sepultura. Infelix ergo homo ! Unde potest obrepere misero homini elationis occasio ? Qui de immundo conceptus est semine, et iterum immundissimus pulvis fiet. Cuidam scilicet quærenti a quodam philosopho : Quid fui ? quid sum ? quid ero ? legitur philosophus sic respondisse : « Vile sperma, vas stercorum, esca vermium [12]. » Sed ex hac terra vis fructum percipere ? Tene similitudinem agricolæ. — Tertia, cœlum. De hoc dicitur filiis Israel : « Si feceritis quæ præcipio vobis, bona terræ comedetis [13]. » Prima terra est mortuorum ; secunda, mortalium ; tertia, viventium.

Terra dicitur quandoque sensualitas, de qua dicitur : « Terram comedes o. d. v. t. » Id est, opera mala ex terra sensualitatis produces, quibus pascitur diabolus. Et de hac proprie dictum est : « Quum operatus fueris terram, non dabit tibi fructum [14]. » —Quandoque anima humana ; unde : « Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi [15]. » — Quandoque beata Virgo ; unde : « Terra nostra d. f. s. » — Quandoque militans Ecclesia ; unde : « Veritas de terra orta est [16]. » — Quandoque triumphans Ecclesia, vel beatitudo æterna, vel cœlum, quod idem est a simili : quia, sicut terra continet et nutrit hominem interiorem, ita cœlum, hominem interiorem. Unde : « Beati mites, quoniam possidebunt terram [17]. »

Terra multiplex est ; ideo sponsus re-

(1) *Homine*. Job XXXVIII, 26. — (2) *Ejus*. Job XI, 9. — (3) *Ibis*. Genes. III, 19. — (4) *Tibi*. Job XII, 8. — (5) *Silicem*. Job XXII, 24. — (6) *Mei*. Deuter. XXXII, 1. — (7) *Alarum*. Is. XVIII, 1. — (8) *Tuum*. Is. LVIII, 7. — (9) *Stat*. Eccle. I, 4. — (10) *Transibunt*. Matt. XXIV, 35. — (11) *Meos*. Jerem. XXII, 29. — (12) *Vermium*. Cf. ejusdem Petri *Verbum abbrev.* c. 14, p. 59. — (13) *Comedetis*. Is. I, 19. — (14) *Fructum*. Genes. IV, 12. — (15) *Tibi*. Ps. CXLII, 6. — (16) *Est*. Ps. LXXXIV, 12. — (17) *Terram*. Matt. V, 4.

plicat Sunamiti frequenter, ut de terra dissimilitudinis et servitutis ad terram viventium revertatur : « Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intuear te[1]. » Quasi diceret : Revertere de terra dissimilitudinis, vel servitutis. Revertere de terra peccati. Revertere de terra mortis. Revertere in terram beatitudinis, in terram libertatis, in terram gratiæ, in terram gloriæ.

Petrus Capuanus ad litt. xix, in art. 82. Distinguitur terra quam terimus, terra quam premimus, terra quam gerimus, terra quam credimus, terra quam quærimus, terra quam fugimus. Prima, elementaris; secunda, carnalis; tertia, mentalis; quarta, salutaris; quinta, cœlestis; sexta, infernalis. Prima, hoc visibile elementum; secunda, caro nostra; tertia, mens humana; quarta, Virgo Maria; quinta, cœlestis patria; sexta, inextinguibilis gehenna...

Cur Virgo Maria dicitur terra? Terra cœlestis dicitur Virgo Maria. Isaias : « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem[2]. » Dicitur autem gloriosa Virgo terra, propter rorem cœlestis pluviæ quam suscepit. Psalmus : « Descendet sicut pluvia in vellus[3]. » — Propter fecunditatem. Isaias : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium. » — Quia fructum fecit. Sapientia : « Ego quasi vitis fructificavi[4]. » — Quia exculta fuit manu Spiritus sancti. Evangelium : « Spiritus sanctus superveniet in te[5]. » — Quia impinguata ubertate et plenitudine gratiarum. Evangelium : « Ave, gratia plena[6]. » — Quia a suo Domino visitata. Evangelium : « Dominus tecum. » — Quia de ea factus est secundus Adam, sicut olim de terra virgine primus. Paulus : « Primus Adam factus est in animam viventem, secundus autem in Spiritum vivificantem[7]. »

Biblia codic. Bellevallensis.

Terra.

Soliditas patriæ cœlestis.	Caro.
	Humanitas Christi.
Sancta Ecclesia.	Caro Christi.
Synagoga.	Infernus.
Anima justi.	Terrenis actibus occupati.
Peccatrix anima.	
Anima humana.	Actio terrena.

Anonymus Clarevallensis. Terra sicca est et frigida; genitrix herbarum, fructuum, frugum; seminatur, irroratur, irrigatur.

Terra, polus; corpus; bonus, malus hic et in alto;
Et censura viri censetur nomine terræ.

Terra.
- Christus.
- Virgo Maria.
- Mens sancta.
- — prava.
- Sapiens.
- Auditor.
- Detestanda familia.
- Antichristus.
- Infernus.
- Actio infirma.
- Ecclesia.
- Vir sanctus.
- Subjectus.

Petrus de Riga et Egidius Parisiensis[8].

Aurora, in Genes. v. 177-198.

Arida dicta prius, post terræ nomen adepta,
Ecclesiam signat, quam mala multa terunt.
Aruit illa prius, quia fructum non dabat ullum;
Sed modo fructificat, dum patienter agit.
* Terra redundat aquis : Scripturis ista fit inde
* Terræ fertilitas; hinc bona multa fluunt.
* Diversa est Scriptura : sapor diversus aquarum;
* Est aqua quæ dulcet; est et amara manens.
Aspera præcepta merito mare signat amarum;
Flumina dulcis aquæ dulcia jussa notant.
Aspera sunt, graviter tormenta minando malignis;
Dulcia, spondendo præmia læta bonis.
Fert virides herbas, fert ligna ferentia fructum,
Fert varios flores terra, jubente Deo.
Ecclesiam sanctam designat terra; fidelem
Ac humilem populum denotat herba virens.
Doctorum fructus lignorum semina signant,
Qui fructus referunt, dum sacra verba serunt.
Illi quos varius virtutum splendor honorat,
Sunt violæ, sunt et lilia, suntque rosæ.
Sunt violæ qui sunt humiles; sunt lilia casto
Corpore degentes; sunt patiendo rosæ.

(1) *Te.* Cant. vi, 12. — (2) *Salvatorem.* Is. xlv, 8. — (3) *Vellus.* Ps. lxxi, 16. — (4) *Fructificavi.* Eccli. xxiv, 23. — (5) *Te.* Luc. i, 35. — (6) *Plena* ib. 28. — (7) *Vivificantem.* I Cor. xv, 45. — (8) Ægidius Parisiensis. Cui deinceps velim tribuas, quæcumque videris in carminibus Petri stellulis conspicua, eademque memineris ab hisce carminibus per obelos aut cruciculas in codicibus distingui solere.

II.

1. Pulvis, peccatores [1]. « Et serpenti pulvis panis ejus [2]. » ÷ Et alibi : « Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis [3]. »

÷ 2. Terrena intelligentia : « Venientes ad eum sparserunt pulverem super capita sua [4]. »

÷ 3. Terrenum negotium vel desiderium : « Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam [5]. »

÷ 4. Subtilis operum retractatio : « Et universi pulveris pigmentarii [6]. »

÷ 5. Peccatorum inconstantia : « Quando fundebatur pulvis in terra [7]. »

÷ 6. Caligo terrenæ cogitationis : « Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris [8]. »

÷ 7. Infirmitas humanæ conditionis : « Recordatus est quoniam pulvis sumus [9]. »

÷ 8. Peccata : « Auferes spiritum eorum, et in pulverem suum revertentur [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 7; ed. II, col. 742 D ad I.

Gregorius M. Pulvis, terrena intelligentia : « Sparserunt pulverem, etc. » Pulverem namque super caput spargere, est sæculari intellectu mentem corrumpere, et in verbis cœlestibus terrena sentire. — Terrenum negotium seu desiderium : « Absconde eos, etc. » Qui enim ea quæ mundi sunt appetit, quasi ante faciem veri luminis non apparet, quia nimirum sub pulvere terrenæ cogitationis latet. — Subtilis operum nostrorum retractatio; unde ad Moysen dicitur : « Quum in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii [11]. » Aromata enim in pulverem redigere, est virtutem recogitando tractare, et usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. — Caligo terrenæ cogitationis, ut ibi : « Induta est caro, etc. » Quasi dicat : carnalem vitam, quam in quibusdam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis perimit. — Infirmitas humanæ conditionis, ut ibi : « Memento, Domine, q. p. s. »

Gregorius apud *Garneriun S. V.*, lib. VI, c. 5, p. 338.

Rabanus. Pulvis, fecunditas sanctitatis : « Universi pulveris pigmentarii. » — Levitas mentis : « Excute pulverem de pedibus [12]. » — Instabilis quisque, ut : « Tamquam pulvis quem projicit ventus. » — Cogitatio terrena : « Sede in pulvere, filia Babylonis [13]. » — Desiderium sæculare : « Et vitia in pulvere simul dormient [14]. » — Actio immunda : « Induta est, etc. » — Peccator : « Quando fundebatur p. in t. » — Infirma actio : « Ponet in pulvere os suum [15]. » — Discretio : « Quum in tenuissimum pulverem, etc. » — Fragilitas humana : « In pulverem suum revertentur. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 1, col. 457.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Pulvis notat dissolutionem; unde : « Tamquam pulvis quem p. v. » — Humili-

(1) *Peccatores, sicut in Isaia pro zabulo* [*diabolo* G] *et serpente : Pulvis* B-G. — (2) *Ejus.* Is. LXV, 25. — (3) *Pulvis.* Ps. I, 4. — (4) *Sua.* Job II, 12. — (5) *Foveam.* Job XL, 8. — (6) *Pigmentarii.* Cant. III, 6. — (7) *Terra.* Job XXXVIII, 38. — (8) *Pulveris.* Job VII, 5. — (9) *Sumus.* Ps. CII, 14. — (10) *Revertentur.* Ps. CIII, 29. — (11) *Testimonii.* Exod. XXX, 36. — (12) *Pedibus.* Matt. VIII, 14. — (13) *Babylonis.* Is. XLVII, 1. — (14) *Dormient.* Job XX, 11. — (15) *Suum.* Thren. III, 29.

tatem; unde : « Quum sim pulvis et cinis, loquar ad Dominum [1]. » — Veniale peccatum, unde : « Excute pulverem de pedibus. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, ex art. 70.

Pulvis exterior duplex, scilicet homo vilis et abjectus, et habitus pœnitentiæ. — Pulvis interior duplex; scilicet, collectio virtutum : ex hoc pulvere confecta fuerunt aromata illa, quæ mulieres emerunt, ut venientes ungerent Jesum; et subtilitas discretionis, etc. — Pulvis quoque superior duplex; scilicet, caro Christi in morte. Psalmus : « Numquid confitebitur tibi pulvis [2]? » Et fides subtilissima et minutissima; unde inhibitum est ne ossa regis Ninive redigantur in pulverem [3], quia non debemus nimis subtiliter disquirere de divinitate Christi. — Pulvis etiam inferior multiplex : scilicet, terrena intelligentia; terrena conversatio; pulvis inanis gloriæ; caligo æternæ cogitationis et cogitatio caducorum oculos mentis impediens; item levitas et inconstantia peccatorum. — Dicuntur autem impii pulvis propter multitudinem. Sapientiæ : « Stultorum infinitus est numerus [4]. » — Propter ariditatem. Exodus : « Anima nostra arida est [5]. » — Propter vilitatem. Jeremias ad Synagogam dicit : « Vilis facta es nimis, iterando vias tuas [6]. — Propter mobilitatem. Psalmus : « Non sic impii, etc. »

Biblia codic. Bellevall.

Pulvis.

Terrena intelligentia.	Caligo terrenæ cogitationis.
Terrenum negotium vel desiderium.	Infirmitas humanæ conditionis.
Subtilis operum nostrorum retractatio.	

Petrus de Riga.

Aurora, in I Reg. v. 84-89. *Suscitat de pulvere egenum.*

Est pulvis, tumulus; stercus, derisor Hebræus;
Factus homo Christus pauper egensque fuit.
Istum de tumulo Pater excitat; erigit ipsum,
Sordida, de manibus, o Synagoga, tuis.
Ut sedeat cum principibus, princeps aliorum,
Supra discipulos regia sceptra tenens.

III.

1. Ager, Ecclesia [7] : « Ecce odor filii mei, sicut agri pleni [8]. Et emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum [9]. »

2. Ager, Scriptura : ÷ « Agrum non suum demetunt [10]. » ÷ In Evangelio : « Simile est regnum cœlorum invento thesauro, » hoc est Christo, sive dilectioni regni cœlestis, « abscondito in agro [11]. »

3. Præsens sæculum, sive mundus : « Ager est mundus [12]. »

÷ 4. Corpus humanum : « Diligenter exerce agrum tuum [13]. »

÷ 5. Gentilitas : « Potabunt omnes bestiæ agri [14]. »

÷ 6. Sanctus quilibet : « Et pulchritudo agri mecum est [15]. »

÷ 7. Populus Judæorum. De quo agro Salomon ad Abiathar sacerdotem : « Vade in agrum tuum, in Anathoth [16]. ».

(1) *Dominum.* Genes. xviii, 27. — (2) *Pulvis* Ps. xxix, 10. — (3) *Pulvis.* Omnino me fugit locus ad quem isthæc respiciunt. — (4) *Numerus.* Eccle. i, 15. — (5) *Est.* Num. xi, 6. — (6) *Tuas.* Jerem. ii, 36. — (7) *Ecclesia, in Genesi : Ecce, ait Isaac, odor* B-G. — (8) *Pleni.* Genes. xxvii, 27. *Cui benedixit Dominus. Et in Evangelio* ib. — (9) *Peregrinorum.* Matt. xxvii. 7. — (10) *Demetunt.* Job xxiv, 6. — (11) *Agro.* Matt. xiii, 24. — (12) *Mundus.* Matt. xiii, 38. — (13) *Tuum.* Prov. xxvii, 24. — (14) *Agri.* Ps. ciii, 11. — (15) *Est.* Ps. xlix, 11. — (16) *Anathoth.* addunt B-F. : *In libro Regum.* Ib. III, ii, 26.

IV.

Sulci, vomere linguæ exsculpti, corda fidelium : « Si adversum me terra clamat, et cum ipsa sulci ejus diffluentur [1]. » — « Sulcos ejus inebria [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, cap. III, edit. I, p. 8, ad III; ed. II, col. 743 B ad II et III.

Gregorius M. Agri nomine gentilitas designatur, ut ibi : « Et pulchritudo agri mecum est. » — Agri nomine mundus exprimitur, ut in Evangelio : « Ager, inquit, est mundus. » — Ager, corpus humanum, de quo Salomon : « Diligenter, inquit, exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam. » Ille enim bene domum ædificat mentis, qui prius agrum corporis a seminibus vitiorum purgat. — Sacra Scriptura, ut in Job de hæreticis dicitur : « Agrum n. s. d. » Quia de Scriptura sacra sententias longe a suis sensibus diversas tollunt. Quod et de Ecclesia potest intelligi, de qua dum quosdam qui relicti videbantur, rapiuntur, quasi de alieno agro spicas animarum legunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 9, p. 349.

Rabanus. Ager, mundus; ubi : « Seminavit bonum semen in agro suo. » — Corpus hominis, ut : « Diligenter exerce a. t. » — Opus bonum, ut : « Ager qui emitur propter thesaurum [3]. » — Scriptura sacra, ut : « Agrum non s. d. » — Officium prædicationis, ut : « Egrediamur in agrum [4]. » — Populus Judæorum, ut : « Egressus est ad meditandum in agro [5]. » — Gentilis populus, ut : « Potabunt omnes b. a. » — Sanctus quilibet, ut : « Pulchritudo agri mecum est. » — Cura exterior, ut : « Erat filius ejus senior in agro [6]. » — Vita negligentis; ut : « Per agrum hominis pigri transivi [7]. » — Præsens Ecclesia, ut : « Ecce odor, etc. » — Patria cœlestis, ut : « Consideravit agrum, et emit illum [8]. »

Cf. de Universo, lib. XIV, c. 30, col. 510; XIX, c. 4, col. 504.

Petrus Capuanus ad litt. I, ex art. 70. Agri in divino eloquio sex leguntur. Dicitur enim ager mundus, in quem exiit qui seminat, seminare semen suum. — Et ager, Judæa. Genesis : « Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, » id est Christus in Judæa. — Et Ecclesia. Evangelium : « Qui in agro est, non revertatur tollere tunicam [9] » prioris scilicet conversationis. — Ager, corpus hominis. Evangelium : « Hi sunt agri Ægyptiorum [10]. » — Ager etiam Scriptura : « Agrum non suum demetunt » hæretici, depravando scilicet Scripturas fidelium...

In primo agro nascuntur homines quasi flores. Job : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore [11]. » Homo enim in mundo, flos in agro. In secundo natus est Christus, qui est flos campi et lilium convallium [12]. In tertio nascuntur flores virtutum et fructus bonorum operum. Cantica : « Videamus, si flores fructus parturiunt [13]. » In quarto nascuntur spinæ et tribuli. Genesis : « Spinas et tribulos germinabit tibi terra [14]. » In quinto nascuntur poma nova et vetera. Cantica : « Poma nova et vetera servavi tibi [15]. » In sexto, folia evangelicæ doctrinæ. Psalmus : « Et folium ejus non decidet [16]. »

Ager autem Ecclesiæ omnia illa ex se profert quæ solet ager proferre. Producit

(1) *Deflentur* B-D. *Deflent* E, F, G. Job XXXI, 19. — (2) *Inebria*. Ps. LXIV, 11. — (3) *Thesaurum*. Jer. XXXII, 9, 44. — (4) *Agrum*. Cant. VII, 11. — (5) *Agro*. Genes. XXIV, 65. — (6) *Agro*. Luc. XV, 25. — (7) *Transivi*. Prov. XXIV, 30. — (8) *Illum*. Prov. XXXI, 16. Eadem, ut solet, Garnerius Lingonensis in *Angelo* rescripsit. — (9) *Tunicam*. Matt. XXIV, 18. — (10) *Ægyptiorum*. Aut ex apocrypho, aut ex qualicumque mihi ignoto fonte. — (11) *Tempore*. Job XIV, 1. — (12) *Convallium*. Cant. II, 1. — (13) *Parturiunt*. Cant. VII, 12. — (14) *Terra*. Genes. III, 18. — (15) *Tibi*. Cant. VII, 13. — (16) *Decidet*. Ps. I, 3.

namque herbas, flores, messes, spicas, palmites, uvas, arbores et fructus, etc. [Vide singula suo loco.]

Anonymus Clarevallensis. Ager a nocuis purgatur; stercoratur; multipliciter aratur, et versatur; seminatur; semen operitur; æquatur rastro; fossis circumdatur; sepitur; vacare permittitur. Omnis ager aut seminatur, aut inseritur arboribus, aut floribus.

Ager.
- Præsens Ecclesia.
- Patria cœlestis.
- Cura exterior.
- Vita negligens.
- Scriptura sacra.
- Opus bonum.
- Corpus hominis.
- Mundus.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel. v. 2088-2103.

Semen agro seritur, juxtaque viam cadit illud
Et conculcatur; pavit et illud aves.
Pars supra petram cadit; humor deficit illi.
Pars inter spinas, quæ quasi dormit ibi.
In tellure bona triplicem facit ultima fructum,
Uno vel trino sic operante Deo.
Terdenos fructus, facit ista, duplum facit illa [1],
Centenos fructus nec minus, illa facit.
Quod Deus exposuit, aliis exponere verbis
Nemo potest; igitur suscipe verba Dei :
Verbum, semen; ager, mundum; spinæque figurant
Divitias; volucres, dæmonis omne genus.
Dat triplicem fructum bona tellus, si fueris Job,
Si fueris Daniel, si cupis esse Noe.
Tres recipit cœlum, Danielem, Job, Noe : clauso
Limine, mendicat cætera turba foris [2], etc.

V.

1. Campus, Scriptura [3] : « Et campi tui replebuntur ubertate [4]. »
÷ 2. Ecclesia vel anima : « Saturabuntur ligna campi [5]. »
÷ 3. Gentilitas : « Germinaverunt campi [6]. »
÷ 4. Eremitica vita : « Surgens, egredere in campum, et ibi loquar tecum [7]. »
÷ 5. A tumore humiliati : « Ascendunt montes, et descendunt campi [8]. »
÷ 6. Campus, mundus, eo quod sit patens, de quo Habacuc propheta : « Exiit Verbum, » id est Filius, « et stetit in campo [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 8; edit. II, col. 743 B ad 1 et forte 2.

Gregorius M. Campi, homines a tumore superbiæ humiliati, ut ibi : « Ascendunt montes, etc. » Plerique enim persequutores Domini superbi contra eum quasi montes surgunt per timorem potentiæ; sed quasi campi in planum recidunt, per cognitionem culpæ.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. IX, p. 349.

Rabanus. Campus, mundus, ut : « Ego flos campi [10]. » — Plebs Judaica, ut : « Ibat Habacuc in campum [11]. » — Gentiles inculti, ut : « Germinaverunt campi. » — Eremitica vita, ut : « Surge, egredere in campum [12]. » — Vita lata sæculi, ut : « Insuper et pecora campi [13]. » — Mentes fide-

(1) *Illa*. Deest in multis codd. versus sequens. — (2) *Foris*. Sequuntur versus 34 sub hoc titulo : *Concordatio Parabolæ, de triplici scientiæ conversione et tribus viris salvandis*. Hæc autem omnia habes inter Hildeberti *Opp.* col. — (3) *Sancti, sive Scripturæ divinæ, eo quod pastum præbeant animarum. In psalmo : Et v. t. r. u. Et in aliam partem : In campo Tanees* B-G. Eadem ad verbum Eucherius habet. — (4) *Ubertate*. Ps. LXIV, 12. — (5) *Campi*. Ps. CIII, 16. — (6) *Campi*. Idem locus adducitur infra in Rabano nostro, et integrior in *Allegoriis* ejusdem : *Germinaverunt campi eremi, germen odoris Israel*. At editorem Rabani, qui tacet in notis prudenter, fugisse videtur ubinam lateret locus ille paulo insolentior; quem puto eumdem esse cum Joelis III, 22, prout exstat in versione antiqua Sabaterii : *Quoniam germinaverunt campi solitudinis, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt fortitudinem suam.* — (7) *Tecum*. Ezech. III, 22. — (8) *Campi*. Ps. CIII, 8. — (9) *Campo*. Habacuc III, 5. Ex vetere versione, quæ iterum nullibi comparet, ne in sylloge quidem Sabateriana. — (10) *Campi*. Cant. II, 1. — (11) *Campum*. Dan. XIV, 32. — (12) *Campum*. Ezech. III, 22. — (13) *Campi*. Ps. VIII, 3.

lium, ut : « Campi tui replebuntur. »

Cf. *de Universo*, lib. XIII, c. 4.

Distinctiones Monasticæ in lib. I, *de Campo*. Campus proprie dicitur ager incultus et æqualis. Unde per campum designatur gloriosa Dei genitrix Maria, ut in illis verbis sponsi ad sponsam in Canticis : « Ego flos campi et lilium convallium, » id est, ego qui sum flos et decus et decor humani generis, non sum ortus de horto, humano opere culto et sato; sed de campo, id est impolluto et integro Virginis utero. Et ego sum lilium convallium, id est decentissima corona covirginum matris meæ, earum scilicet quæ ei sunt similes, id est virgines et humiles.

Per campum significantur mites et mansueti, de quibus Psalmista dicit Deo : « Campi tui replebuntur ubertate; » in via, ubertate meritorum; in patria, præmiorum. Nam, sicut alibi dicit Psalmista, « Mansueti hæreditabunt terram [1], » scilicet viventium.

Campus significat Judaicum populum, non propter integritatem vel æqualitatem, sed propter sterilitatem. Iste est campus in quem Habacuc ibat, prandium ferens messoribus; sed transvectus est simul cum prandio in Babylonem; id est, Christus cum cibo doctrinæ evangelicæ per apostolos translatus est de Judæis ad gentes.

Campus significat mundi hujus magnam prosperitatem, in qua cursus cupiditatis vel crudelitatis sive alterius modi perversæ voluntatis rarum invenit obstaculum. Iste est campus, secundum moralem sensum, in quo Cain occidit Abel. Cain interpretatur possessio; Abel, vapor vel luctus. Cain igitur occidit Abel in campo, quia mundana possessio spiritalem compunctionem exstinguit in prosperitate hujus temporis; unde bene scriptum est, quod « prosperitas stultorum perdet illos [2]. »

Campus significat gentiles, propter inclytam vitæ ruditatem; unde : « Audivimus eum in Ephrata; invenimus eum in campis sylvæ [3]; » quia Christus prædicando auditus est in Judæis, sed gratiam suam largiendo inventus est in gentibus.

Bonæ memoriæ magister Petrus, quondam cantor Parisiensis, solebat super hunc versum dicere, quod Christus auditur in clericis bene litteratis, sed invenitur in rusticis bene morigeratis [4].

Campus significat vitæ voluptuosæ latitudinem, ut ibi : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus [5], » Christi scilicet, « oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris, » id est innocentes, laboriosos, voluptuosos, elatos, curiosos.

Biblia Bellevall. Campi [6], homines quilibet a tumore superbiæ humiliati. Persequutores Domini superbi [7], etc.

VI.

1. Vallis, mundus : « In convallem lacrymarum [8]. » ÷ « Et convallem tabernaculorum dimetiar [9]. »

2. Humiles [10] : « Et convalles abundabunt frumento [11]. » ÷ [Humilis corde], de quo in Salomone Salvator [12] : « Ego flos campi, et lilium convallium. »

÷ 3. Ima pœnarum loca : « Fratres mei pertransierunt me, sicut torrens qui transit in convallibus [13]. »

(1) *Terram*. Ps. XXXVI, 11. — (2) *Illos*. Prov. I, 32. — (3) *Sylvæ*. Ps. CXXXI, 6. — (4) *Morigeratis*. Nihil omnino simile exstat αὐτολεξεὶ in editis opp. Cantoris. Sed multa habet egregie ac vehementer dicta de scientiæ in clericis abusu in *Verb. abbrev.* Cs. capp. III, IV, V, VI, etc.—(5) *Ejus*. Ps. VIII, 8.—(6) *Campi*. Eo verbo incipit præclarus codex Bellevallensis, pluribus foliis misere avulsis. — (7) *Superbi*. De verbo ad verbum Gregorius exprimitur, eodem plane modo ac supra. — (8) *Lacrymarum*. Ps. LXXXIII, 7. — (9) *Dimetiar*. Ps. CVII, 8. — (10) *Contritione cordis humiles. In psalmo*, B-G. — (11) *Frumento*. Ps. LXIV, 13. — (12) *Salvator*. Quæ uncinis distinxi, a nostris quidem codd. exsulant; ea vero Rabanus asservavit. Cur autem connectantur sequentibus, dixi in pag. seq. not. 3. — (13) *Convallibus*. Job VI, 15.

÷ 4. Hæretici vel Judæi, sive peccatores, de Ecclesiæ sublimitate cadentes; in Isaia : « Vallem filiæ Sion [1]. » Et alibi : « Vallem filiorum Ennon [2]. »

÷ 5. Vallis, infernus [3], ut est illud prophetæ : « Vallis filiorum Ennon, » in quo pœna gehennæ exprimitur.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 8; ed. II, col. 748 A ad 2 et 5.

Gregorius M. Convalles, humilia vota dicta sanctorum; sicut per Job de hæreticis dicitur : « Qui de convallibus ista rapientes, quum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant [4]. » Quia videlicet hæretici, si quid pro assertionibus suis ex dictis Patrum spiritu rapiunt, id appetitu laudis ad aures hominum diffamare conantur. — Vel in convallibus, repertis singulis, cum clamore currere, est subortis in infimis causarum occasionibus, pro parva stipe litigare. — Convalles, ima loca pœnarum; unde Job : « Fratres mei pertransierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus. » Raptim ad convalles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria protrahunt, sed ad inferni claustra repente descendunt.

Gregorius apud *Garnerium*, *S. V.*, lib. VI, c. 10, p. 350.

Rabanus, *de Universo*, lib. XII, c. 3, col. 365, 366.

Petrus Capuanus ad litt. XX in art. 154. Vallis humilitatis, vallis dejectionis, vallis confusionis et vallis damnationis. Vallis humilitatis sunt humiles et sancti in Ecclesia Dei. Isaias : « Omnis vallis implebitur [5]. » Vallis dejectionis est mundus iste, vel vita præsens. Psalmus : « Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum [6]. » — Vallis confusionis est dejectio a monte virtutum in vitia, id est, vitiosa humilitas, sive pusillanimitas. Jeremias : « Non dicetur amplius Topheth et vallis filii Ennon, sed vallis interfectionis [7]. » — Vallis damnationis est infernus et ima pœnarum. Job : « Fratres mei, etc. » Torrens enim ad convalles tendit; iniquus per mundana desideria ad ima pœnarum properat.

Prima vallis a monte superbiæ et vitiorum humiliatur, et descendit ad ima timoris et humilitatis. Ad has valles mittit Dominus fontes et pluviam gratiæ suæ. Ideo istæ valles abundant frumento; in hac valle nascentur lilia. Sapientia : « Circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium [8]. » — Secunda vallis a monte immortalitatis et paradisi ac primæ felicitatis descendit, et humiliatur in defectum et pœnalitatem hujus mundi et ad ima mortalitatis. Hæc vallis est arida et inaquosa, immo et squalens solitudo. In hac enim valle abundat aqua Marath et amaritudinis, quia in hac vita omnia plena sunt amaritudine. Ruth : « Vocate me Mara, id est amara, quia valde amaritudine replevit me Omnipotens [9]. » — Tertia vallis, scilicet confusionis et peccatorum, a monte et eminentia virtutum descendit et humiliatur in ima vitiorum et terrenorum appetituum. Isaias : « Incurvare, ut transeamus [10]. » In hac valle abundat aqua et humor corruptionis, et immundus spiritus quiescit. Ab hac valle voluit Dominus ascendere discipulos suos, quando

(1) *Sion*. XXII, 1 et 5. Juxta græcum et veteres interpretes. — (2) *Ennon*. Jerem. XIX, 2. — (3) *Infernus*. Septem codices nostri, communi errore, in hæc immania abeunt : *Infernus, de quo in Salomone Salvator : Ego flos campi*. Scilicet pericope ista me desperantem tenuit, donec inciderim in loca parallela quæ Rabanus inseruit in opere *de Universo*, lib. XIII, c. 3. Quo quidem auctore, nonnullis ad distinct. 2 rejectis, textum omnem, nihil moræ hæsitans, suæ, reor, sanitati restitui. — (4) *Currebant*. Job. XXX, 5. — (5) *Implebitur*. Is. XL, 4. — (6) *Lacrymarum*. Ps. LXXXIII, 7. — (7) *Interfectionis*. Jerem. VII, 32. — (8) *Convallium*. Eccli. IV, 8. — (9) *Omnipotens*. Ruth I, 20. — (10) *Transeamus*. Is. LI, 23.

cos refecit in supercilio montis; quia deliciis æternæ dulcedinis nequaquam refici possumus, nisi ab imo vitiorum ascendere curaverimus ad culmen virtutum. — Quarta vallis, scilicet damnationis, descendit et humiliatur ab excelso cœlestis patriæ in barathrum et profundum inferni. In hac valle est tanta ariditas, ut sitis sit intolerabilis. Evangelium : « Mitte Lazarum, ut intingat extremitatem digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma [1]. » In hac tamen abundat frigidissima et gelatissima aqua, in quam etiamsi mons igneus immitteretur, continuo exstingueretur. Job : « Transibunt ab aquis niveis ad calorem nimium [2]. » Hæc vallis tenebrosa penitus est, nec splendore aliquatenus illustratur. Job : « In tenebris stravi lectum meum [3]. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 610–628.

Si quæsieris eam, et quasi thesauros effoderis illam.

Thesauros quærat cœlestes quisque fidelis,
Quas puri cordis arca recondit opes.
Conditus in suleis, emtor quem providus emit,
Hic est thesaurus, gemmaque cara nitens.
Hic est electus Christi piscis, quem cœlitus hamus
Attrahit, in vasc perpetuoque locat.
Extorquet cupidus fossor e montibus aurum :
Instar ad hujus aget quisque fidelis homo.
Mons notat elatos; humiles at fossa figurat.
Hæc humiles Christi fossa reservat opes.
Fossor ut eripiat tectum sub montibus aurum,
Quidquid obesse putat, ejicit omne foras.
Projice sic sæculi sordes, ut fulgeat in te
Aurum virtutis, sic placeasque Deo.
Thesaurus quo, Christe, Patris tu dextera, fulges,
Jam non in terris iste petendus erit.

VII.

÷ 1. PLATEA, latitudo auctoritatis : « Quando procedebam ad portas, et in platea ponebatur cathedra mihi [4]. »

÷ 2. Latitudo vitiorum, vel propriæ voluntatis : « Non sunt cogniti in plateis [5]. »

÷ 3. Beatitudo dilatata [6] sanctorum. In Apocalypsi : « Et plateæ civitatis, aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 30; ed. II, col. 766 A ad 3.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 11, p. 352.

GREGORIUS. Platea, latitudo; unde Job : « In platea ponebant cathedram. » Magisterium intelligitur; in platea cathedra ponitur, quum in magnæ libertatis latitudine, magisterii auctoritas exhibetur. — Libertas propriæ voluntatis; unde Jeremias de quibusdam, ad pravitatem reversis, dicit : « Non sunt cogniti in plateis; » quia enim per fiduciam sanctitatis, postposito meliorum judicio, per plateas pergunt. Sed non sunt in plateis, quia frangendo proprias voluntates, in angusto se calle retinebant. — Latitudo vitæ præsentis, ut ibi : « Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum [8]. »

RABANUS. Cf. *de Universo*, lib. XIV, c. 4.

IDEM. Platea, multitudo populi : « In platea parabant cathedras. » — Auditores : « In plateis aquas tuas divide [9]. » — Homines sæculares : « Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea [10]. » — Corda electorum : « Exaltata sum juxta

(1) *Flamma*. Luc. XVI, 24. — (2) *Nimium*. Job XXIV, 19. — (3) *Meum*. Job XVII, 13. — (4) *Mihi*. Job XXIX, 7. — (5) *Plateis*. Thren. IV, 8. — (6) *Dilatatio sanctorum* B, D. — (7) *Placidum* E. Apoc. XXI, 21. — (8) *Platearum*. Thren. 4, 10. — (9) *Divide*. Prov. V, 16. — (10) *Mea*. Cant. III, 2.

aquas in plateas [4]. » — Cives cœlestes : « Plateæ tuæ, Jerusalem, sternuntur auro [2]. » — Gloria impiorum : « Non celebretur nomen ejus in plateis [3]. »

Petrus Capuanus ad litt. xvii, in art. 68. Platea aurea, platea terrea, platea lutea. Platea aurea duplex, scilicet gloriæ et gratiæ. Platea gloriæ est dilatata beatitudo sanctorum. Apocalypsis : « Platea civitatis, etc. » Pavimentum in hac platea est soliditas immortalitatis. — Platea gloriæ est latitudo charitatis : « Omnes plateæ e. s. a. » Pavimentum in hoc platea est humilitas. Psalmus : « Adhæsit pavimento anima mea [4]. » In hoc pavimento habebat defixos oculos publicanus ille, qui non audebat oculos ad cœlum tollere; sed a longe stans percutiebat pectus suum, dicens : « Propitius esto, Domine, mihi peccatori [5]. » — Platea terrea est occupatio terrenorum ex necessitate. Evangelium : « Exi cito in plateas [6]. » — Platea lutea duplex, scilicet maculosa et exemplo perniciosa. Platea maculosa est luxuriosa cupiditas et latitudo carnalium cupiditatum. Psalmus : « Ut lutum platearum delebo eos [7]. »

Anonymus Clarevallensis.

Plateæ.

Multitudo populi.	Cives cœlestes.
Homines sæculares.	Gloria impiorum.
Corda electorum.	

Biblia codic. Bellevall.

Platea.

Latitudo.	Latitudo vitæ
Libertas propriæ voluntatis.	præsentis.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. I, v. 374-388.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.

O Judæa furens, Christus, Sapientia Patris,
Prædicat ecce foris : suscipe dogma suum.
Inque viam latam, legis retegendo figuram,
Vox sonat : auris ei sed tua clausa manet.
Carne latens tecta divina potentia paucis
Mysterium pandit et deitatis opes,
Virtutes celando suas; ne diceret esse
Laudis amatorem livor hebræus eum.
Sed postquam currus incœpit currere Christi,
Inque rotis sanctus Spiritus esse Dei,
Non solum, Judæa, tibi, toti sed et orbi
Lux evangelii lexque beata micat.
Felix qui verbum, quod ei Sapientia clamat,
Virgine natus homo, corde tenere studet.

VIII.

1, 2. Viæ Dei [supra p. 15].

3. Via, Christus : « Ego sum via [8]. »

4. Mundus [9] : « Esto consentiens adversario tuo [10], dum es in via [11]. »

5. Ecclesia, Scriptura [12], vel Lex : ÷ « Hæc est via; ambulate in ea [13]. » ÷ In Jeremia : « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona [14]. »

6. Via lata [15], via delicata : « Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem [16]. »

7. Arcta [17], paupertas spiritualis, ÷ ubi et supra : « Quam angusta via est et arcta, quæ ducit ad vitam. »

÷ 8. Anima, caro [18] : « Incurvare, ut transeamus [19]. »

÷ 9. Viæ, actiones : « Bonas facite vias vestras [20]. »

(1) *Plateas.* Eccli. xxiv, 19. — (2) *Auro.* Tob. iii, 88. — (3) *Plateis.* Job xviii, 17. — (4) *Mea.* Ps. cxviii, 25. — (5) *Peccatori.* Luc. xviii, 13. — (6) *Plateas.* Luc. xiv, 21. — (7) *Eos.* Ps. xvii, 43. — (8) *Via et veritas et vita* B, C, D, E, G. Omnia desunt in F. Joan. xiv, 6. — (9) *Vita præsens, in Evangelio : Esto.* Ib. — (10) *Tuo cito* E, G. — (11) *Via.* Matt. v, 25. — (12) *Libri legis et prophetarum* B-G. — (13) *Ea.* Is. xxx, 21. — (14) *Bona* Jerem. vi, 16. — (15) *Spatiosa, vitiorum illecebris dilatata, in Evangelio* B-G. — (16) *Perditionem.* Matt. vii, 13. — (17) *Arcta, districta vel tribulationibus pressa, ubi et supra : angusta* B-G. Ex Eucherio. — (18) *Caro.* Aliquid deesse videtur, de quo cf. Eucherium. — (19) *Transeamus.* Is. li, 23. — (20) *Vestras.* Jerem. vii, 3. Pleraque in 9-15 ex Gregorio.

-: 10. *Iter*, rectitudo : « Si declinavit gressus meos de via [1]. »

-: 11. *Semita*, via regularis : « Cessavit transiens per semitam [2]. »

-: 12. Operatio, sicut de Antichristo : « Post eum lucebit semita [3]. »

-: 13. Arctiora præcepta : « Et semitas tuas edoce me [4]. »

-: 14. Subtiles prædicationes : « Numquid nosti semitas nubium magnas [5]? »

-: 15. Cogitationes : « Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas [6]. »

÷ 16. Via directa, præceptis Dei ordinata. In Isaia : « Rectas facite semitas ejus [7]. » In psalmo : « Deduc me in semitam mandatorum tuorum [8]. »

÷ 17. Via prava, in Dei præceptis devia. In Isaia : « Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas [9]. »

÷ 18. Via plana, obedientia præceptorum exæquata. In Isaia, idem quod supra.

÷ 19. Via aspera, inobedientia asperitate horrida. In Isaia, ut supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus in *Decret* et *Carm.* VI, v. 1.

Sylvius, v. 6.

Nicetas Aquileiensis, in *Serm. III.*

Phœbadius, *adv. Arian.*, p. 262 A.

Orientius, *de Nativ. Domini*, v. 7 et 155.

Eucherius, ed. I, p. 27; ed. II, col. 765, B, C, ad 3, 6, 7, 8, 16, 17, 18, 19.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Γ', κδ'.

Gregorius M. Via Christus, sicut ad beatum Job dicitur : « Per quam viam spargitur lux? » Convenienter dixit « Spargitur, » quia per angelorum voces non angustata aut coarctata, sed late fulgens lux prædicationis (per præsentiam Redemtoris nostri, qui dixit : « Ego sum via »), emicuit. — Conversatio sancta, ut in Evangelio : « Quam angusta, etc. » — Actiones nostræ, sicut per beatum Job dicitur : « Nonne ipse considerat vias meas [10]? » — Semita, Domi-nicæ incarnationis humilitas; sicut de Judæorum populo dicitur : « Semitam ignoravit avis [11]. » — Operatio : « Post eum l. s., » quia quum transit, nimiam admirationem suorum operum relinquit. — Vitæ regularis angustia, ut ibi : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita [12]; » quasi diceret : ibi acrius sæviat, ubi pius animus sub disciplina majoris districtionis angustat. — Rectiora Domini præcepta, ut ibi : « Semitas tuas edoce me. » — Subtiles sanctorum Patrum prædicationes, ut ibi : « Numquid nosti semitas n. m., etc. » — Cogitationes, ut ibi : « Observasti omnes semitas. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 12 et 13, p. 354 sqq.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. 2, n. 38.

Rabanus. Via, Christus, ut : « Ego sum via. » — Bona vita, ut : « Via justorum sine offendiculo [13]. » — Rectitudo ecclesiarum, ut : « Nox ambulet per viam vinearum [14]. » — Vita nostra, ut : « Dirige in conspectu tuo vias meas [15]. » — Status reproborum, ut : « Via impiorum tenebrosa [16]. » — Latitudo vitæ præsentis, ut : « Fiat Dan coluber in via. » — Opera conditoris, ut : « Ipse est principium viarum Dei [17] » — Præcepta divina, ut : « Vias tuas, Domine, doce me. » — Cogitationes, ut : « Vias meas enuntiavi, et exaudisti me [18]. » — Actiones,

(1) *Via.* Job XXXI, 7. — (2) *Semitam.* Is. XXXIII, 8. — (3) *Semita.* Job XLI, 25. — (4) *Me.* Ps. XXIV, 4. — (5) *Magnas.* Job XXXVII, 16. — (6) *Meas.* Job XIII, 27. — (7) *Ejus.* Is. XL, 3. Quæ sequuntur, pene ad verbum ex Eucherio, idque sæpius notandum in omnibus variis locis codd. B-G. — (8) *Tuorum.* Ps. CXVIII, 35. — (9) *Planas.* Is. XL, 4. — (10) *Meas.* Job XXXI, 4. — (11) *Avis.* Job XXVIII, 7. — (12) *Semita.* Genes. XLIX, 17. — (13) *Offendiculo.* Prov. XV, 19. — (14) *Vinearum.* Job XXIV, 18. — (15) *Meas.* Ps. V, 9. — (16) *Tenebrosa.* Prov. IV, 19. — (17) *Dei.* Job XL, 14. (18 — *Me.* Ps. CXVIII, 26.

ut : « Nonne ipse considerat vias meas? » — Viatores, viri sancti, ut : « Interroga quemlibet de viatoribus [1]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIV, c. 3.

NOTKERUS, *sequent.* XXXVI, v. 3.

PETRUS CANTOR. Via Dei dicitur quandoque Christus; unde : « Beati immaculati in via [2] » id est in Christo, qui est via, veritas et vita : via in exemplo, quia exemplum bene vivendi nobis proposuit; veritas in promisso, quia ad cognitionem æternorum quæ vera sunt, perducit; vita in præmio, quia vitam dabit in futuro, scilicet se ipsum. — Quandoque lex; unde : « Beati immaculati in via, » id est in lege Domini, quæ est via ad vitam. — Quandoque apostoli, et prophetæ, et omnes prædicatores; unde : « Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt [3]. » De his viis ait Jeremias : « Ite in viis, et interrogate vias Domini æternales [4], et quærite quæ sit via bona. » Sicut enim via singulariter accipitur Christus, ita pluraliter apostoli et prophetæ; hæ sunt quæ ducunt ad viam bonam. — Quandoque fides; unde : « Non enim qui, etc., » id est fidei, quæ pluraliter designatur, quia omnes vias fides una, qua vivit justus, complectitur. — Quandoque misericordia et veritas; unde : « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas [5]. » Universæ viæ Domini, quibus ad nos venit, ut ait Augustinus *super Psalmos* [6], intelliguntur duo adventus : primus in quo manifestam et multiplicem misericordiam nobis exhibuit; et secundus in quo, requirendo merita, justitiam exhibebit. Universæ enim viæ quibus ad Deum ascendimus, sunt justitia, quum a malo declinamus; et misericordia, qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur. — Quandoque actus hujus vitæ; unde : « Utinam dirigantur viæ meæ [7], » id est actus hujus vitæ, qui per se tortuosi sunt. — Quandoque peccata; unde : « Vias meas enuntiavi, » id est, peccata mea confessus sum, « et exaudisti me, » dimittendo ea.— Quandoque prava consuetudo; unde : « In quo correxit adolescens vias suas [8], » id est pravam consuetudinem.

Est via diaboli, scilicet iniquitas, de qua Salomon : « Est via quæ videtur homini recta; novissima autem ejus ducunt ad mortem [9]. » Vetus via diaboli peccatum est, per quod cadit homo, sicut Lucifer. Ad destruendam veterem viam diaboli aperuit nobis viam Christus, et ostendit per humilem incarnationem, et conversationem, jejunium, prædicationem, passionem, mortem, resurrectionem, et ascensionem. Hanc viam ostendit, et portam cœli nobis aperuit, quæ patet omnibus intrare volentibus. Hanc Christus ascendens primus intravit; sed familiam suam quæ infirmabatur, post se reliquit, et a similitudine viatoris, viaticum ei dimisit, scilicet carnem et sanguinem suum. Inde est quod laborantibus in extremis viaticum traditur, quod animam via recta conducat, et nihil ei officiat. Sicut enim viator, longum iter iturus, sumit cibum corporalem, ita cibus spiritualis animæ, quæ spiritus est, necessarius est.

Via hominis, nempe necessitas mortis : hæc est via mortalis, medio loco constituta, et habet ad dexteram suam vitam æternam; ad sinistram, mortem perpetuam. Et ex vita quidem æterna habet quod vita est, et ex morte perpetua, quod mors. Via qua ad dexteram itur, justitia est; qua ad sinistram, culpa.

Via Dei est charitas, de qua Apostolus : « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro [10]. » Hæc est nova via quæ ducit ad vitam. Et ideo tendendum est intrare per eam, et per hanc ad sacram Scripturam eundum est. Nec tamen dissimulare possumus quin per aliam multi incedant; alii ut lau-

(1) *Viatoribus.* Job XXI, 29. — (2) *Via.* Ps. CXVIII, 1. — (3) *Ambulaverunt.* Ib. 3. — (4) *Æternales.* Jerem. VI, 16, ex antiqua interpretatione. — (5) *Veritas.* Ps. XXIV, 10. — (6) *Psalmos.* August. *Enarrat. in Psalm.* XXIV, n. IV, col. 185, ed. Paris. Mign. — (7) *Viæ meæ.* Ps. CXVIII, 5. — (8) *Suas.* Ib. 9. — (9) *Mortem.* Prov. XIV, 12. — (10) *Demonstro.* 1Cor. XII, 31.

dentur, alii ut lucrentur; sed audi quid super his quidam dicat : Velle scire, etc., » ut alibi dictum est [1].

Viæ Domini viatores exigunt graciles et expeditos, nec mole terrenæ sollicitudinis oneratos, ideo quia angustæ sunt, propter angustiam paupertatis : sed amplissimæ videntur his qui diligunt eum.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Via trium dierum ad litteram trium mensium est; unde Moyses ad Pharaonem « Deus Hebræorum, » id est transitorum, qui facili cursu transeunt de vitiis ad virtutes, « vocavit nos » de spirituali vitiorum Ægypto ad verum lumen et bravium æternorum, « ut eamus viam trium dierum [2], » id est trium mensium, ad montem Dei Horeb, ubi sacrificavit tertio mense, tabernaculum erexit, et legem recepit. — Allegorice Christus, qui est via trium dierum; via trium dierum dicitur Christus; unde ipse ait : « Ego sum via; » quia tertia die resurrexit a mortuis; vel quia missio Filii fuit opus totius Trinitatis. — Item allegorice sacra Scriptura est via trium dierum, quia habet tres dietas, id est, historiam, allegoriam et tropologiam. Moyses imperat ut eamus, id est, Lex satagit et laborat ut has dietas, per sensum historicum, allegoricum et moralem eamus nos emancipati a jugo Pharaonis, ne deinceps ei serviamus, in luto et latere. Pharaon interpretatur dissipans : quod bene diabolo congruit, qui unitatem dissipat et rescindit. — Moraliter, integritas animæ, corporis et spiritus; hac via incedit qui horum integritatem custodit. — Item moraliter via trium dierum, cogitatio, loquutio et actio. — Item via trium dierum, fides, spes et charitas. — Qui viam istorum dierum consummat, gratum Deo sacrificium immolat; quia quisquis has tres virtutes habet, totum Deo placet, quidquid operatur.

Distinctionum monasticar. lib. v. *De Via.*

Quæque viæ Domini sunt verum cum pietate :
Hæc duo cui desunt, male deviat a bonitate.
Hæc duo, Christe, mihi dona, ne separer a te,
Sed maneam tecum, via, verum, vita, beate.

Via Christus est, sine qua nemo venit ad Patrem; unde ipse dicit in Evangelio : « Ego sum via, veritas, et vita. » Via utique sine errore et obliquo; veritas sine falsitate et dolo; vita sine morte et termino. Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Via est Christus operans; veritas est Christus docens; vita est Christus remunerans.

Et nota quod Christus viam se maluit dicere quam viatorem, licet ex humanitate assumta viator esset; quia viatores sæpe errant, via vero errare non potest. Et veritatem se potius voluit appellare quam veracem; quia multi dicuntur veraces, qui aliquando mentiuntur; veritas autem mentiri non potest. Et vitam se esse maluit dicere quam viventem; quia viventes mortales sunt, vita autem mori non potest. Nam quod vita mortua fuisse dicitur, quando Christus est mortuus, hoc illi attribuitur ex assumta humanitate, non ex æterna deitate. Unde quidam ait :

Vivens vita Deus mortem moriendo subegit;
Mors mortis moritur; mortua vita redit.

Unde sanctus quidam in hymno dixit :

Regnat Deus Dei caro [3].

Via fides est, ut ibi : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege [4]. » Sensus ut mihi videtur est iste : beati qui recte credunt, et bene vivunt. Recte enim credere, est immaculatum esse in via; recte vero operari secundum rectam fidem, est ambulare in lege Domini. Hujus vitæ viam secundum patrem nostrum Abraham pulchre Prudentius esse dixit [5] :

Senex fidelis prima credendi via est,
Abram beati seminis serus pater.

Viæ appellantur sancti pastores et doctores Ecclesiæ, qui plebi subjectæ verbis et exemplis ostendunt viam vitæ. De his viis

(1) *Est.* Nos quoque piguit regerere locum Bernardi notissimum de triplici temporis abusu.— (2) *Dierum.* Exod. III, 18.— (3) *Caro.* Hymn. mat. in Ascens — (4) *Lege.* Ps. CXVIII, 1.— (5) *Dixit.* Cf. sup. p. 104, n. 6.

dicit Jeremias in Threnis : « Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem [1]. » Lugent enim prælati sancti, quia vix invenitur qui renuntiet curis et negotiis sæculi, ut expeditius vacet obsequio Dei. Multi enim petunt religionis habitum, quos non ducit charitas, sed impellit egestas. Non enim in domo Dei Deum, sed panem quærunt et pannos. Et quum fuerint saturati oleribus, volunt sublimari honoribus.

Viæ sunt virtutes ; unde de Christo dicit propheta, quod « omnes viæ ejus sunt judicia [2]. » Humilitas enim Christi judicat superbos ; obedientia ejus judicat rebelles ; misericordia ejus judicat crudeles ; charitas ejus, invidos et avaros, et sic de cæteris.

Via est ista vita mortalis ; unde : « Esto consentiens adversario tuo, dum es cum eo in via. » Quando divinum præceptum vel transgredieris committendo prohibitum, vel non imples omittendo imperatum, divinus sermo adversarius tuus est. Quod si declines a malo, et facias bonum, jam habes amicum correctus, quem adversarium habuisti distortus. Et hoc in via, id est in hac vita, faciendum est, quia post hanc vitam non est locus merendi :

Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.

Possumus de viis compendiosiorem dare distinctionem. Est via

Naturæ. Gratiæ.
Culpæ. Gloriæ.

Hæc postrema via mea fiat, donante Maria !

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Via.

Adducens, { Christus. / Beata Maria.
Reducens, { Christus. / Bona conversatio.
Deducens, bonum opus.
Perducens, charitas.
Seducens, societas reproborum.
Abducens, peccatum.
Multiplex, { Bona vita. / Status reproborum. / Latitudo præsentis vitæ. / Opera conditoris. / Sancti. / Mandata Dei.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Via. { Christus. / Conversatio sancta. / Actiones nostræ.

IX.

1. DESERTUM, gentilitas [3] : ÷ « Lætabitur deserta [4]. » ÷ In psalmo : « Ponam flumina, » id est doctrinam « in deserto [5]. » Et in Job : « Ut plueret in deserto, ubi nullus mortalium commoratur [6]. »

÷ 2. Judæa : « Vox clamantis in deserto [7]. »

÷ 3. *Terra deserta*, populus Judæorum, sive omnes peccatores. In Jeremia : « Terra deserta et inhabitabilis, in qua nullus habitet, nec pertranseat per eam filius hominis [8], » id est Dominus Jesus Christus.

÷ 4. Cœlum : « Quis ex vobis homo, qui habet centum oves in deserto [9] ? »

÷ 5. Cor bonum : « Et commovebit Dominus desertum Cades [10]. »

÷ 6. Cor malum : « Vox Domini concutientis desertum. »

÷ 7. Dæmones : « Filiis tuis et filiabus, vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui, repente ventus vehemens irruit a regione deserti [11]. »

(1) *Solemnitatem.* Thren. I, 4. — (2) *Judicia.* Ps. CXVIII, 151 — (3) *Populus gentium* B-G. — (4) *Deserta.* Is. XXXV, 1. — (5) *Deserto.* Ps. CVI, 33. — (6) *Commoratur.* Job XXXVIII, 26. — (7) *Deserto.* Marc. I, 3. — (8) *Hominis.* Jerem. LI, 43. — (9) *Deserto.* Luc. XV, 4. — (10) *Cades.* Ps. XXVIII, 8. — (11) *Deserti.* Job I, 19.

8. Hæretici : « In desertis habitant torrentium [1]. »

9. *Solitudo*, secreta quies mentis : « Cui dedi in solitudine domum [2]. »

10. Anima peccatrix : « Lætabitur deserta. »

11. Mundus, sicut in Cantico canticorum, pro Ecclesia dicitur : « Quæ est ista, quæ ascendit a deserto [3], » id est a mundo?

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Solitudo, secreta quies mentis. Sic de solitario viro sub onagri figura Dominus dicit : « Cui dedit in solitudine domum, et habitaculum in terra salsuginis. » — Gentilitas, ut ibi : « Lætabitur, etc. » — Separatio hæreticorum ab Ecclesia Dei ; unde Job de ipsis dicit : « Et rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria [4]. » Hæretici quippe Scripturas sacras quasi rabido dente rodunt, dum eas sine infusione divinæ gratiæ sua virtute intelligere moliuntur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 16, 17, p. 365.

Rabanus. Desertum, cœlum; ubi : « Dimisit nonaginta novem in deserto. » — Uterus Virginis; ubi : « Adduxit Dominus ventum validum de deserto [5]. »—Judæa, ut : « Erat Joannes prædicans in deserto [6]. » — Gentilitas, ut : « Exultet, etc. » — Mundus, ut : « Quæ est ista quæ, etc. »—Multitudo impiorum, ut : « Abstulit me in deserto [7]. » — Mens prava, ut : « Ligavit Raphael dæmon in deserto [8]. » — Dæmones, ubi : « Neque a desertis montibus [9]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIII, c. 10, col. 371.

Petrus Capuanus ad litt. XVIII ex art. 85. Solitudo Dei, solitudo Christi, solitudo boni, solitudo mali, solitudo sæculi et solitudo Tartari.

Solitudo Dei, qua ipse solus omnipotens. Deuteronomium : « Videte quod ego solus sum, et non est alius Deus præter me [10]. » Psalmus : « Tibi soli peccavi [11], » quia a te solo est remittendum peccatum.

Solitudo Christi, quia ipse solus fuit relictus in cruce. Psalmus : « Sicut passer solitarius in tecto [12]. »

Solitudo boni duplex : scilicet qua pauci sunt boni respectu malorum. Regum : « Relictus sum ego solus [13], » dixit Elias. Jeremias : « Solus sedebam, quia amaritudine plenus eram [14]; » qui, licet sit sine consortio hominis, non est tamen sine consortio Dei. Evangelium : « Non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper [15]. » — Solitudo etiam boni est contemplatio, remota scilicet a tumultu sæculari vel negotiorum. Job : « Qui ædificant domos in solitudine [16]. » Isaias : « Ponam in solitudine cedrum et spinam [17]. »

Solitudo mali similiter duplex : scilicet qua ipse est sine Deo. Sapientia : « Væ soli, quia, si ceciderit, non est qui sublevet eum [18]. » — Et solitudo mali, qua ipse manet sine fructu. Evangelium : « Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. »

Solitudo sæculi est vita præsens. Exodus : « Eamus viam trium dierum in solitudine [19], » id est, in hac vita habeamus fidem Trinitatis.

Solitudo Tartari est infernus. Job : « Sit nox illa solitaria, nec laude digna [20]. »—Est enim solitaria, quia ibi est solus diabolus, sicut in cœlo solus Christus cum corpore suo.

(1) *Torrentium*. Job XXX, 6. — (2) *Domum*. Job XXIX, 6. — (3) *Deserto*. Cant. III, 6. — (4) *Miseria*. Job XXX, 3. — (5) *Deserto*. Osee XIII, 35. — (6) *Deserto*. Matt. III, 1. —(7) *Deserto*. Apoc. XVII, 1. —(8) *Deserto*. Tobiæ VIII, 3.— 9) *Montibus*. Ps. LXXIII, 7.—(10) *Me*. Deuter. XXXII, 39 —(11) *Peccavi*. Ps. L. 6.— (12) *Tecto*. Ps. CI, 8.—(13) *Solus*. III Reg. XVIII, 22. — (14) *Eram*. Jerem. XV, 17. — (15) *Semper*. Joan. VIII, 29.—(16) *Solitudine*. Job III, 4.—(17) *Spinam*. Is. XLI, 19. — (18) *Eum*. Eccle. IV, 10. — (19) *Solitudine*. Exod. V, 3.— (20) *Laude digna*. Job III, 7.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Solitudo.

Quies mentis. Gentilitas. — Separatio hæreticorum.

PETRUS DE RIGA.

In Exodum, v. 863-874.

Quod si in desertum tendis, si quæris Olympum,
Si linquis mundum, si bene vivis, edas.
Desertum est cœlum, quod homo peccando reliquit.
Tu te redde polo, tu tibi redde polum.
Hoc pro deserto quidam deserta requirunt
Horridiora, ut et huc tutius ire queant.
Nil ibi concupiunt, nisi cœlum et præmia cœli,
Idque modis multis, ut mereantur, agunt :
Jejunant, vigilant, plangunt, lacrymantur et orant,
Et carnem victus ariditate domant.
Sic faciendo suas intra deserta dietas,
Ad terram, in qua fit visio pacis, eunt.

X.

1. ANTRUM [1], cor pravum : « Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo commorabitur [2]. »

÷ 2. Cogitationes, vel corda bonorum : « Numquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum, quando cubant in antris [3] ? »

÷ 3. *Caverna*, cor pravum : « Et in caverna reguli [4]. »

÷ 4. *Spelunca*, corda peccatorum tenebrosa. In propheta : « Et tenebræ super speluncas usque in æternum [5]. »

÷ 5. Corda hominum, sive caro. In libro Regum : « Et stetit in ostio speluncæ [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, c. 21, 22, p. 274.

GREGORIUS M. Caverna, pravum cor, ut ibi : « In cavernam reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. » — Manum suam Dominus misit in cavernam reguli, quando iniquorum corda divina potestate tenuit, et comprehensum exinde diabolum traxit, ut in monte sancto ejus, fidelibus ejus electis non noceret.

RABANUS. Antra, cordis secreta, ut : « Quando cubant in antris. » — Caverna, vulnus lateris Christi; ut : « In foramine petræ, in caverna maceriæ [7]. » — Cor iniquum, ut : « In cavernam reguli, etc. » — Prædicatio hæreticorum, ut : « Habitabis in cavernis terræ [8]. » — Spelunca, humana natura in Christo : « David abscondit se in spelunca [9]. » — Vitæ sanctitas : « Sara sepelitur in duplici spelunca [10]. » — Mens prava : « Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei [11]. » — Corpus nostrum : « Egressus Elias stetit in ostio speluncæ. » — Habitatio prava : « Vos autem fecistis illam speluncam latronum [12]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIV, c. 18.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Caverna.	Vulnus lateris Christi.
	Cor iniqui.
	Prædicatio hæreticorum.
Spelunca.	Humana natura in Christo.
	Vitæ sanctitas.
	Mens prava.
	Corpus nostrum.
	Habitatio prava.

(1) *Antrum, homo peccator, sicut in Job* B-F; *pro Zabulo* B, C, D, G; *commorabitur bestia i. a. s.* B-G. — (2) *Commorabitur.* Job XXXVII, 8. — (3) *Antris.* Job XXXVIII, 40. — (4) *Reguli.* Is. XI, 8. — (5) *Æternum.* Is. XXXII, 14. — (6) *Speluncæ.* III Reg. XIX, 13. — (7) *Maceriæ.* Cant. II, 14. — (8) *Terræ.* Job XXX, 6. — (9) *Spelunca.* I Reg. XXIV, 4. — (10) *Spelunca.* Genes. XXIII, 19. — (11) *Ei.* Joan. XI, 38. — (12) *Speluncam latronum.* Matt. XXI, 13.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in I Reg. v. 468-473.

Terra caro Christi est; Deus hoc in carne latebat :
Non ideo novit cæcus Hebræus eum.
A facie regis fugit in foveam David : illic
Quippe latens, non est visus ab hoste suo.
Sic Christi corpus positum jacet in monumento,
Nec fidei lumen hausit Hebræus ibi.

II.

In Cantic. v. 301-307.

In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.

Accipe, Riga Petre, per aperta foramina petræ,
Vulnera pendentis Christi, pro te morientis.
Sed vultus cordis poterit sanare caverna
Maceriæ, de qua fluxit medicina superna.
Hoc pia mens, recolendo crucem Christique dolores,
Accipit exemplum, patiendo probra, dolores.

VI.

1. LUTUM [1], carnalis illecebra : « Eripe me de luto [2]. »

2. Adulatio [3], vel hæreticorum delinitio : « Ipsi ædificabant parietem; illi autem liniebant eum luto, absque temperamento [4]. »

3. Glutinum medicinæ cœlestis : « Lutum fecit, et linivit oculos [5]. »

4. Judæa : « Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum [6]. »

5. Infirmitas humanæ conditionis : « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me [7]. »

6. Rerum terrenarum abundantia : « Væ illi qui multiplicat non sua! Usquequo aggravat contra se densum lutum [8]? »

Pravum dogma : « Viam fecisti in luto aquarum multarum [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 8; ed. II, col. 742 D ad I, 3.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 23, p. 375.

GREGORIUS M. Lutum, Judæa, ut ibi : « Restituetur, etc. » Judæa enim quæ prius lutum fuerat, in luto et latere serviendo, quasi signaculum facta est, prophetica in se mysteria conservando; sed in lutum sese post signaculum restituit, quum acceptæ legis mysteria perdens, terrena quibus inquinaretur, elegit; et dum solam in præceptis Dei litteram tenuit, et, quasi vestimentum rigidum, ei qui se induerat, in intimis non adhæsit. — Infirmitas conditionis humanæ; ut hoc ipsum quod diximus aliter exponamus. Homo enim quasi quoddam divinæ potentiæ signaculum in lutum restituitur, quum in ultione perpetratæ superbiæ carnis morte damnatur. Lutum vero nostrum sicut vestimentum stare, est usque ad resurrectionis tempus inane exutumque permanere. — Terrenarum rerum multiplicitas; unde Habacuc dicit : « Væ ei qui, etc. » — Doctrina sordida; unde idem ait : « Viam fecisti in luto aquarum multarum. » Quasi diceret : aperuisti iter prædicatoribus tuis inter hujus sæculi terrenas sordidasque doctrinas. — Mens Spiritus sancti gratia humectata, ut ibi de interiori homine potest intelligi : « Memento, quæso, etc. » Spiritualis enim gratia terrenæ menti, quasi pulvis, infunditur, ut in amorem sui creatoris compingatur. Sed quandoque in pulverem reducitur, quia dimissus sibi animus cujuslibet tentationis aura raptatur.

RABANUS. Lutum, Verbum caro factum;

(1) *Lutum peccatoris glutinum, in psalmo* B-G. — (2) *De luto, ut non inhærear* B, C, D, G; *inhæream* E, F. Ps. LXVIII, 15.—(3) *Adulatio deceptoris, sive hæreticorum falsa delinitio, in Ezechiele : ipsi* B-G. — (4) *Temperamento.* Ezech. XIII, 10. — (5) *Oculos.* Joan. IX, 11. — (6) *Vestimentum.* Job XXXVIII, 14. — (7) *Me.* Job X, 9. — (8) *Lutum.* Habac. II, 6. — (9) *Multarum.* Ib. III, 15.

ubi : « Fecit lutum ex sputo. » — Prima conditio, ubi . « Memento, quæso, etc. — Populus Judæorum, ut : « Restituetur, etc. » — Res mundiales, ubi : « Aggravat densum lutum. » — Doctrina prava, ubi : « In luto aquarum multarum. » — Illecebra carnis, ubi : « Eripe me de luto. » Fœtor vitiorum : « Sternet sibi aurum quasi lutum. [1] »

Petrus Capuanus ad litt. xi, ex art. 43. Limus vel lutum quod est extra nos, quod intra nos, quod infra nos, quod supra nos.

Limus vel lutum quod extra nos triplex : scilicet caro nostra. Genesis : « Formavit igitur Dominus de limo terræ [2]. » Numquid sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus [3] ? » — Lutum etiam extra nos, multiplicatio sæcularium. Habacuc : « Qui multiplicat, etc. » — Lutum etiam extra nos, gentiles. Sapientia : « In lapide luteo lapidabitur piger [4]. »

Lutum quod intra nos triplex : scilicet mens humana. Job : « Sternet aurum, quasi lutum [5]. » — Tentatio ex corruptione a Deo permissa. Nahum : « Intra lutum, et calca illud [6]. » — Lutum etiam intra nos, scientia sæcularium et mundanorum. Habacuc : « Viam fecisti, etc. »

Limus etiam vel lutum infra nos triplex : scilicet litteralis observantia legis. Job : « Restituetur, ut signaculum, etc. », quia non intelligunt, nisi secundum lutum litteræ, legem, in qua signata erant sacramenta. — Et desiderium sordidæ voluptatis. Psalmus : « Infixus sum i. l. p. » Epistola canonica : « Sus lota in volutabro luti [7]. » — Lutum etiam infra nos, infernus. Psalmus : « Eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis [8]. »

Lutum etiam quod supra nos, incarnatio, conjunctio scilicet divinitatis ad humanitatem. Evangelium : « Fecit lutum ex sputo, et linivit oculos cæci nati ; » dum scilicet salivam suæ divinitatis miscuit terræ nostræ fragilitatis.

Primum lutum extra nos, id est caro, est calcandum. Secundum, id est multiplicatio temporalium, est vilipendendum. Tertium, id est gentes, est in vasa formandum, ut « possideat unusquisque vas suum in sanctificatione [9]. »

Primum lutum intra nos, id est mens humana, est conservandum et solidandum ; secundum, id est tentatio ex corruptione, est vitandum ; tertium, id est sæcularis vel mundana scientia, est contemnendum.

Primum lutum infra nos, id est litteralis observantia legis, quia nocivum est, abjiciendum ; secundum, id est desiderium voluptatis sordidæ, inficit et coinquinat ; tertium, id est infernalis pœna, præcavendum, ne ruamus in illud.

Lutum quod est supra nos, quia medicinale, est amplectendum. Epistola canonica : « Unctio ejus docet vos de omnibus [10]. »

Petrus de Riga et Ægidius Parisiensis.

Aurora, in Genesi v. 324-345.

Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.

De limo surgit hominis plasmatio; limum
  Humanæ speciem carnis habere nota.
* Per se de limo nihil utile surgit; et ex se
  * Nihil habet in nobis utile nostra caro.
Inviscat limus sic et seu glutine quodam,
  Inviscans animam sic tenet ista caro.
Hac in carne Deus homo, corpus habens animamque,
  Ut nos, mortalis passibilisque fuit.
Hac in carne, « Meus est tristis spiritus, inquit,
  Donec passurus et moriturus ero. »
Nec caro surrexit per se, nec ad infera per se
  Descendens anima, regrediensve fuit.
Immo quod infernus animam retinere nequivit,
  Quod caro surrexit, Numinis egit opus.
Ex limo rursus nulla est operatio : carni
  Virginis intactæ congruit iste modus.
Nescit opus limus; sic Christum enixa, virile
  Non agnovit opus illa beata caro.
Ergo de limo fit homo; de Virginis alvo
  Carnem Christus habet, quæ quasi terra fuit.
* Nascendi triplicem perpende modum sine patre,
  * Matreque, de terra primus habetur homo.

(1) *Lutum.* Job xv, 41. — (2) *Terræ.* Genes. ii, 7 — (3) *Dominus.* Is. xlv, 9. — (4) *Piger.* Eccli. xxi, 1. — (5) *Lutum.* Job xli, 21. — (6) *Illud.* Nahum iii, 14. — (7) *Lucti.* II Petr. ii, 22. — (8) *Fæcis.* Ps. xxxix, 3. — (9) *Sanctificatione.* I Thessal. iv, 4. — (10) *Omnibus.* I Joan. ii, 27.

XII.

1. Stercus, sacrificium [1] Judæorum : « Facta sunt morticina eorum, quasi stercus [2]. »

2. Recordatio peccatorum [3], ad radicem cordis apposita : « Usque dum fodiam circa illam [4], et mittam cophinum stercoris [5]. »

3. Luxuriæ fœtor [6] : « Computruerunt jumenta in stercore suo [7]. »

4. Res transitoria : « De stercoribus boum lapidabitur piger [8]. »

5. Stercus hominis, odor teterrimus peccatorum, equidem omne peccatum fœtida res est. In Ezechiele : « Stercore quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 34, p. 379.

Rabanus. Stercus, humilitas, ubi : « De stercore erigens pauperem [10]. » — Fœtor luxuriæ, ubi : « Computruerunt jumenta in s.s. » — Occulta malitia, ubi : « Per secreta alvi proruperunt stercora [11]. » — Substantia mundi, ubi : « Omnia arbitramur ut stercora [12]. » — Peccatorum recordatio, ubi : « Fodiam e. m. s. » — Amor mundi, ubi : « De stercoribus b. l. p. » — Peccata, ut : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora [13]. »

Petrus Parisiensis et Garnerius Lingonensis. Stercus, quandoque pro sensualitate; unde : « Suscitans, etc. », id est de stercore carnalis voluptatis. De stercore enim erigitur, cui carnis vitia dominabantur. — Quandoque pro temporalibus; unde Apostolus : « Hæc omnia tamquam stercora, etc. » — Quandoque in bono, pro pœnitentia; unde in Evangelio, de sterili ficu : « Dimitte et hoc anno, ut fodiam, » id est, usque dum per increpationem humiliem eam, et faciam eam recordari fœditatis suæ. » — Quandoque pro prædicatione verbi Dei; unde : « De stercore boum lapidabitur piger », qui deberet fecundari; lapidatur, id est, induratur ad malum.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel. v. 2487-2498.

Ficum plantavit homo; Christus homo, Synagogam.
Non aliquos fructus illa vel illa tulit.
Vult Dominus ficum sterilem resecare; sed obstat
Cultor, humum fodiens, stercora multa locans.
Sic vult Judæos Deus exstirpare; sed obstant
Doctores, precibus dant documenta suis :
Ut terram fodiant humiles, et stercora mittant,
Ore fatendo malum, quod quasi stercus erat.
Mens, humilis fossa; stercus, confessio culpæ :
Fructificat sterilis quisque per ista duo.
Sic nunc Judæi steriles, in fine fideles
Exsistent, humili corde fatendo Deum [14].

XIII.

1. Cophini, duodecim apostoli : « Et impleverunt [15] duodecim cophinos plenos [16]. »

2. Tribulatio vitæ hujus [17] : « Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt [18]. »

(1) *Sacrificia Judæorum, in Ezechiele* B-F et G. — (2) *Stercus*. Is. v, 25. Provocatur male ad Ezechielem in B-F, G, qui addunt *in medio platearum*. — (3) *Peccatorum delinquentibus* B-D, G. — (4) *Apposita; in Evangelio : Et mittam* E, F. — (5) *Stercoris*. Luc. XIII, 8. — (6) *Peccata luxuriæ : in Joel* B-F, G. — (7) *Suo*. Joel I, 17. — (8) *Piger*. Eccli. XXII, 2. — (9) *Eorum*. Ezech. IV, 12. *Et stercore quod egreditur* G. — (10) *Pauperem*. Ps. CXII, 7. — (11) *Stercora*. Judic. III, 22. — (12) *Stercora*. Phil. III, 8. — (13) *Stercora*, Thren. IV, 5. — (14) *Deum*. Cf. supra *Pulvis*. — (14) *Et sustulerunt* B-E. — (15) *Plenos*. Joan. VI, 13. — (16) *Præsentis; in psalmo : Manus* : B-F. — (17) *Servierunt*. Ps. LXXX, 7.

÷ 3. Memoria peccatorum : « Et mittam cophinum stercoris [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 24 ad I; ed. II, col. 762 B ad I, II.

Rabanus. Cophinus, opus servile, ut : « Manus ejus i. c. s. » — Corruptio : « Ut fodiam et mittam cophinum stercorum. » — Corda justorum; ubi : « Impleverunt XII c. f. »

Cf. Philo Judæus, *de Cophini festo* [2].

XIV.

÷ Glebæ, collectiones diversorum ordinum : « Glebæ illius, aurum [3], » id est Ecclesia.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Glebæ, collectiones singulorum ordinum, ut ibi : « Et glebæ i. a. » Glebæ namque ex humore et pulvere constringuntur; sic et sanctorum ordines ex infusione supernæ gratiæ et suæ fragilitatis humili cognitione unius observantiæ vinculo colliguntur. Hæ autem glebæ velut aurum esse dicuntur, quia tanto majori fulgore clarescunt, quanto se in Deum et proximum majore unanimitate constringunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 3, p. 335.

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 26. — Glebæ dicuntur diversi ordines compacti in Ecclesia. Job : « Glebæ illius aurum; » quia habuit Ecclesia apostolos, prophetas et alios ordines in se constitutos. — Glebæ etiam dicuntur duritia infidelium. Job : « Confringes glebas vallium [4], » id est duritiam cordis infidelium, qui etiam dicuntur glareæ, qui sunt lapilli lubrici. Job : « Dulcis fuit glareis Cocyti [5]. » Hi sunt qui lubrici sunt, et labuntur in mundanis.

Primæ glebæ compinguntur in Ecclesia. Nonne hæ glebæ compactæ fuerunt in Ecclesia, quando arca Noe facta est de lignis lævigatis atque politis, et ipsa ligna linita erant bitumine intus et extra? — Secundæ glebæ compinguntur extra Ecclesiam. Psalmus : « Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento [6]. » Nonne hæ glebæ compingebantur extra Ecclesiam, quando vulpes Samsonis colligatæ erant simul in caudis? Et reprobi fecerunt simul consilium in unum, dum de vanitate sua conveniunt in idipsum.

Primæ glebæ solvuntur, ut ad cœlestem patriam perducantur. Nam de ipso capite scriptum est in Evangelio : « Solvite templum hoc [7]. » Nonne solutæ sunt ut pervenirent ad patriam, quando « ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem [8]? » Et postquam ipse victor, prædam quam diabolo eripuit, reduxit ad propria, exsultavit, « sicut exsultant victores, capta præda, quando dividunt spolia? » — Secundæ solvuntur aliquando, ut in Ecclesiam adducantur. Job : « Lapis » induratus, « calore » Christi « solutus, in æs » prædicatorum « convertitur [9]. » Nonne solutæ fuerunt hæ glebæ, ut in Ecclesiam inducerentur, quando Petrus vidit animalia sibi demissa in disco, et dictum est ei : « Macta, et manduca [10]? » Et deinde ipse venit ad Cornelium centurionem, et ipsum cum suis baptizando, in Ecclesiam introduxit.

(1) *Stercoris*. Luc. XIII, 8, e versione apud veteres frequentissima. — (2) *Festo*. Opp. t. II, p. 298, edit. Londin. 1742; Maii *Class. auct.* t. IV, p. 402. — (3) *Aurum*. Job. XXVIII, 6. — (4) *Vallium*. Job XXIX, 10. — (5) *Cocyti*. Job. XXI, 33. — (6) *Argento*. Ps. LXVII, 31. — (7) *Hoc*. Joan. II, 19. — (8) *Captivitatem*. Ps. LXVII, 19. — (9) *Convertitur*. Job XXVIII, 2. — (10) *Manduca*. Act. X, 13.

XV.

÷ 1. Mons [1], Salvator. In Isaia : « Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles [2]. »

÷ 2. Ecclesia, propter altitudinem fidei. In psalmo : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion [3]. » Item ibi : « Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion [4]. »

÷ 3. Mons, sacra Scriptura. In propheta : « Dominus a Libano veniet, et sanctus de monte opaco [5]. »

÷ 4. Mons, populus Judæorum. De quo in Daniele : « Abscissus est lapis sine manibus, » absque virili semine conceptus, et fide sua « replevit universum orbem terrarum [7]. »

÷ 5. Montes, apostoli, sive prophetæ, ob virtutum celsitudinem. In psalmo : « Levavi oculos meos ad montes [8]. »

÷ 6. Montes, divites et potestates sæculi hujus. In Job pro Zabulo dicitur : « Huic montes herbas ferunt [9], » quod est vitia carnis.

÷ 7. Mons, diabolus propter superbiæ tumorem. In Isaia : « Levate signum super montem caliginosum [10]. » Et in Jeremia : « Ecce ego ad te, mons pestifer [11]. »

÷ 8. Mons, dogma hæreticorum. In propheta, ex persona Ecclesiæ : « In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem [12], sicut passer [13] ? »

÷ 9. Montes, dæmones, vel hæretici, sive Judæorum scribæ. In Jeremia : « Date Domino Deo vestro gloriam, antequam offendant pedes nostri ad montes caliginosos [14]. » In psalmo : « Neque a desertis montibus [15]. »

÷ 10. Montes duo, qui in Zacharia ærei describuntur [16], duo testamenta legis; de quorum medio quadriga Domini, id est quatuor evangeliorum prædicatio, procedit [17].

÷ 11. Fundamenta montium [18], spes superborum. In psalmo : « Et fundamenta montium conturbata sunt [19]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in *Decreto*.

Sylvius, v. 5.

Orientius, v. 3 et 131.

Eucherius, ed. I, p. 8; ed. II, col. 742 D ad 1 et 8.

Gregorius M. Mons, Christus; unde Ezechiel : « Et dimisit me super montem excelsum nimis [20]. » Hic est apud Isaiam : « Mons super verticem montium. » — Ecclesia, ut ibi : « Qui confidunt. » — Testamentum Dei, ut ibi : « Deus a Libano, etc. » Qui enim venturum se per testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, densis allegoriarum obscuritatibus opacatus. — Apostata

(1) *Mons*. Dolendum est hunc articulum et tres proxime sequentes excidisse penitus in A, uno fortasse aut altero folio in primis exemplaribus deficiente. — (2) *Colles*. Is. II, 2. — (3) *Sion*. Ps. CXIV, 1. — (4) *Sion*. Ps. CXXXIII, 2. — (5) *Opaco*. Habac. III, 3. — (6) *Id est Christus* excidit ubique, G dumtaxat excepto. — (7) *Terrarum*. Daniel II, 34. — (8) *Montes*. Ps. CXX, 1. — (9) *Ferunt*. Job XL, 16. — (10) *Caliginosum* D, E, F, G. — (11) *Pestifer*. Is. XIII, 2. — (12) *In montem Sion* F, *sicut passer* deest in E, G. — (13) *Passer*. Ps. X, 1. — (14) *Caliginosos* iterum in iisdem. Jerem. XIII, 16. — (15) *Montibus*. Ps. LXXV, 7. — (16) *Ære scribuntur* D. — (17) *Procedit*. Zach. VI, 1. — (18) *Montium* deest in F; *spiritus superborum* E, F. — (19) *Sunt*. Ps. XVII, 8. — (20) *Nimis*. Ezech XL, 2.

Angelus, ut : « Super montem c. l. s. » Prædicatores quippe sancti super montem caliginosum signum levant, quando contra Satanæ superbiam, qui sæpe sub caligine simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant. — Hæreticum dogma, ut ibi : « Quomodo dicitis, etc. » Quum enim fideli animæ alicujus hæretici prædicationis doctrina suggeritur, quasi deserto Domino, transmigrare in montem suadetur. — Judaicus populus; unde diabolus : « Sedebo, inquit, in monte testamenti [1]. » Ipse enim montem testamenti tenuit, quando eos qui legem acceperant, subjugavit. — Eminentia bonæ vitæ, ut ibi : « Supra montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion [2]. » Quisquis speculator populi ponitur, in altum conscendere debet per vitam, ut possit prodesse per prudentiam. — Mens sancta, ut ibi : « Mons candens defluit [3], » quia nimirum justo Dei judicio quandoque contigit, ut qui in alto stare cernitur, subita tentatione cadere permittatur. — Altitudo contemplationis, ut ibi : « Bestia si tetigerit montem, lapidibus obruetur [4]; » quia nimirum indecens est, ut in indagandis divinis improbe se jungat stoliditas bestialis. — Apostoli, ut ibi : « Et transferentur montes in cor maris [5], » id est ad intellectum gentilitatis. — Sæculares potestates, ut ibi : « Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini [6], » quia multi prius arrogantia tumidi, veniente Domino, sunt per pœnitentiam liquefacti. — Altæ contemplationes, sicut sub onagri nomine de justo dicitur : « Circumspicit montes pascuæ suæ [7]; » videlicet angelicas ibi Virtutes intellige, quæ quia nos in omni certamine protegunt, certe montes circumspici dicuntur. — Altæ sententiæ sacri eloquii, ut ibi : « Montes excelsi cervis [8], » quia hi videlicet qui expedite saliunt, sententiarum montes ascendunt. — Antiqui Patres, ut ibi : « Illuminans tu mirabiliter in montibus æternis [9]. » Ex illis Dominus nos illuminat, quia per admiratam vitam Patrum radio nos suæ claritatis illustrat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. vi, c. 6, p. 342.

Isidorus, *Etymolog.* lib. vii, c. 2, n. 32.

Rabanus. Mons, Pater cœlestis, ut : « Et sanctus de monte Pharan [10]. » — Christus, ut : « Præparatus mons domus Domini [11]. » — Ecclesia, ut : « Quis ascendet in montem Domini [12] ? » — Populus judaicus, ut : « Sedebo in monte testamenti. » — Contemplatio, ubi : « Ascende ad me in montem [13]. » — Sublimitas religionis, ut : « Loth mansit in monte [14]. » — Patria cœlestis, ut : « Adduxerunt in montem sanctum tuum [15]. » — Sublimis justitia, ut : « Exaudivit me de monte sancto suo [16]. » — Diabolus, ubi : « Dicetis monti huic : Transfer te in mare [17]. » — Hæreticus, ut : « Quomodo dicitis, etc. » — Sublimitas mundi, ut : « Levate signum, etc. » — Virgo Maria, ut : « Lapis abscissus de monte sine manibus [18]. » — Vitæ eminentia, ut : « Super montem excelsum ascende. » — Montes, Angeli, ut : « Priusquam montes fierent [19]. » — Prophetæ, ut : « Fundamenta ejus in montibus sanctis [20]. » — Apostoli, ut : « Levavi oculos meos in montes [21]. » — Sublimia præcepta, ut : « Montes excelsi cervis. » — Duo testamenta, ut : « Inter medium montium pertransibunt aquæ [22]. » — Prædicatores, ut : « Suscipiant montes pacem [23]. » — Superbi : « Huic montes herbas ferunt. » — Judæorum corda superba, ut : « Montes Gelboe [24]. » — Gentiles, ut : « Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis [25]. » — Spiritus maligni, ut : « Conterriti sunt montes sæculi [26]. » — Potestates sæculares, ut : « Montes sicut cera fluxerunt. »

(1) *Testamenti.* Is. xiv, 13. — (2) *Sion.* Is. xl, 9. — (3) *Defluit.* Job xiv, 18. — (4) *Obruetur.* Exod. xix, 12. — (5) *Maris.* Ps. xlv, 3. — (6) *Domini.* Ps. xcvi, 5. — (7) *Suæ.* Job xxxix, 8. — (8) *Cervis.* Ps. ciii, 18. — (9) *Æternis.* Ps. lxxv, 5. — (10) *Pharan.* Habac. iii, 3. — (11) *Domini.* Is. ii, 2. — (12) *Domini.* Ps. xxxiii, 3. — (13) *Montem.* Exod. xxiv, 2. — (14) *Monte.* Genes. xix, 30. — (15) *Tuum.* Ps. xlii, 3. — (16) *Suo.* Ps. iii, 5. — (17) *Mare.* Matt. xvii, 20. — (18) *Manibus.* Dan. ii, 34. — (19) *Fierent.* Ps. xcix, 2. — (20) *Sanctis.* Ps. lxxxvi, 1. — (21) *Montes.* Ps. cxx, 1. — (22) *Aquæ.* Ps. ciii, 10. — (23) *Pacem.* Ps. lxxi, 3. — (24) *Gelboe.* II Reg. i, 21. — (25) *Eis.* I Mach. vi, 39 — (26) *Sæculi.* Habac. iii, 6.

Cf. *de Universo*, lib. VIII, c. 1, col. 359.

NOTKERUS, *sequent.* XXXVI, v. 9.

PETRUS CANTOR et GARNERUS LINGONENSIS. Mons significat eminentiam bonorum operum; unde : « Videns turbas Jesus, ascendit in montem [1], » ut manifestius doceret; ut, relictis turbationibus hujus mundi, ascendamus in montem Domini, id est in eminentiam virtutum. Nam et Christus, qui in omnibus operibus suis nobis propositus est in exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ipse (juxta hoc quod prædixerat de eodem propheta : « Super montem excelsum ascende, etc. »), verbum prædicationis factus, prius ascendit in montem operis, ut Lucas dicit : « Cœpit Jesus facere, et docere [2]. » In quo nos docet prius ascendere in montem, id est in eminentiam bonorum operum, antequam assumamus docentis officium. Unde qui nomen vel honorem magisterii appetit, prius faciat docenda, quam doceat agenda. Malis in valle remanentibus, boni in hunc montem ascendunt, audientes Apostolum dicentem : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite [3]. »

Mons Sion dicitur mons sanctificationis, quia ibi fuit templum Domini, altare, sacerdotium, sanctuarium. — Et quia ibi sunt sancti; unde multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt, etc. — Et quia ibi incœpit prædicatio; unde : « De Sion exibit lex [4]. »

PETRUS CANTOR. Mons dicitur Christus; unde : « Et erit in novissimis temporibus mons Domini, etc. » — Chorus apostolorum; unde : « Levavi o. m. i. m. » Item : Fundamenta ejus i. m. s. » — Conventus hæreticorum; unde : « Transmigra, etc. » — Diabolus; unde : « Si habueritis, etc. » Item : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos. » — Montes dicuntur quandoque fructus tribulationum; unde : « Ascendunt montes, » id est, fluctus tribulationum ascendunt ut montes, quum sæviunt fluctus tribulationum; et descendunt ut campi, quum planati sunt. Superbos enim Deus permittit crescere, et, quando vult, humiliat. — Quandoque apostoli, secundum aliam expositionem, aut prælati Ecclesiæ, ut dictum est in *Apostolis*. Apostoli dicuntur montes propter fortitudinem vel firmitatem fiduciæ; unde : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion [6]. » — Et propter eminentiam virtutum; unde : « Montes in circuitu ejus [7]. » — Et propter munitionem; unde Ecclesia dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata. — Et propter primam radiorum solis susceptionem; unde : « Suscipiant montes pacem populo [8]. » Item : « De Sion exibit lex. » — Et propter scientiam; unde Isaias : « Et erit in novissimis, etc. » — Quandoque hæretici et superbi; unde : « Inter medium m. p. a., » scilicet Scripturæ, quæ per eos transeunt, ut eos fecundent, et transeunt ab eis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Mons firmus, altus, fertilis, primos radios solis excipit; majoribus impulsibus ventorum concutitur; ad ipsam currunt pastores, propter imbrem et ventum, de longe cernitur; caliginosus, aromaticus, magnus.

Mons.

Ecclesia, de Judæis.	Apostoli.
Diabolus.	Christus.
Mens sancta.	Æterna beatitudo.
Altitudo contemplationis.	Justi.
	Superbi.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 792-803.

In campis vel monte docens turbas vel amicos,
Ægris, defunctis cura salutis erit.
Hic verus medicus animæ, carnisque redemtor;
Non fallens doctor iste sequendus erit.
Majestas Domini montem conscendit in altum,
Subjectis turbis verba beata pluens.
Ascendens montem Christus notat homo, quod in altum
Mens scandat nostra, corque timendo Deum.
Hujus doctrinam præclaraque verba salutis
Cultor amet fidei, schismata falsa cavens.
Nam, si perpendas diversa negotia rerum,
Quam servire Deo nil erit utilius.

(1) *Montem.* Matt. v, 1. — (2) *Docere.* Act. i, 1. — (3) *Quærite.* Colos. iii, 1. — (4) *Lex.* Is. ii, 3. — (5) *Est*, quod statim subditur. — (6) *Sion.* Ps. CXXIV, 1. — (7) *Ejus.* Ib. 2. — (8) *Populo.* Ps. LXXI, 3.

XVI.

÷ Colles [1], sancti, sed minores merito. In psalmo: « Montes et colles clamabunt [2]. » Item in aliam partem : « Omnis mons et collis humiliabitur [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 8; edit. II, col. 742 D.

Gregorius M. Colles, superborum mentes, ut ibi : « Omnis mons, etc. » In adventu siquidem Redemtoris nostri humilis gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, et Judæa, per errorem perfidiæ, hanc unde tumebat, perdidit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, c. 7, p. 341.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Colles, sancti ante legem, ut : « Desiderium collium æternorum [4]. » — Sancti martyres, ut : « Exsultatione colles accingentur [5]. » — Viri sancti, ut : « Et colles justitiam [6]. » — Altitudines sæculi, ut : « Incurvati sunt colles mundi [7]. » — Mentes superborum; unde : « Omnis mons, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. XIII, c. 2, col. 365.

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 76. Colles supremi, medii et infimi. Colles supremi dicuntur martyres. Psalmus : « Exsultatione colles accingentur. » — Colles medii dicuntur minores in Ecclesia, sicut montes dicuntur majores. Genesis : « Donec veniret desiderium collium æternorum. » — Colles infimi, dicuntur superbi. Habacuc : « Incurvati sunt colles mundi, » id est sublimes potestates.

Colles supremi subsistunt in fortitudine. Evangelium : » Portæ inferi non prævalebunt adversus eam [8]. » Hac fortitudine subsistebat protomartyr ille Stephanus, quando, « plenus gratia et fortitudine faciebat signa et prodigia magna in populo [9]. » Nonne subsistebant colles supremi in hac fortitudine, quando martyres lapidati sunt, secti sunt, occisi gladio, et mortui sunt : et tamen in his omnibus testimonio fidei probati inventi sunt [10]? — Colles medii subsistunt ex humilitate. Epistola canonica : « Humiliamini sub potenti manu Dei [11]. » Nonne humilitate subsistebant medii colles, quando credentes primitivi « vendebant prædia sua, et ponebant pretia ante pedes apostolorum [12]? » — Colles infimi ruunt per elationem. Abdias : « Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te [13]. » Nonne per hanc ruit Lucifer, quando voluit ascendere, et super astra cœli exaltare solium suum? Et ideo videbat Dominus « Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem [14]. »

Biblia codic. Bellevall.

Colles.

Superborum mentes. Ima loca pœnarum. Tegmen humilitatis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes., v. 1971-1976.

Veniat desiderium collium æternorum.

Multa tui patris benedictio voce tuorum
Est firmata Patrum, sufficiatque tibi.
Donec monstretur Christi præsentia, colles
Optant perpetui cujus amore frui.
Colles æterni sunt, qui terrestria spernunt,
Ut sint perpetui, qui cor ad astra levant.

(1) *Colles.* Art. XVI deest in A, E, F. Verbo tenus exstat in Eucherio. — (2) *Clamabunt.* Ps. LXIV, 13, 14. — (3) *Humiliabitur.* Is. XL, 4. — (4) *Æternorum.* Genes. XLIX, 26. — (5) *Accingentur.* Ps. LXIV, 13. — (6) *Justitiam.* Ps. LXI, 3. — (7) *Mundi.* Habac. III, 6. — (8) *Eam.* Matt. XVI, 18. — (9) *Populo.* Act. VI, 8. — (10) *Sunt.* Hebr. XI, 37. — (11) *Manu Dei.* I Petr. V, 6. — (12) *Apostolorum.* Act. IV, 35. — (13) *Detraham te.* Abdias 4. — (14) *Cœlo cadentem.* Luc. X, 15.

XVII.

: Rupes, superbia. In Jeremia : « Onagri steterunt in rupibus [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Rupes, sancti angeli, ut : « Et inaccessis rupibus [2], » ad quas anima per spiritum necdum accedere valet. — Prædicatores, ut : « Transferentur rupes de loco suo [3], » id est, ad gentes transmigrabunt. — Potentes sæculi, ut : « Onagri, etc. — Indurati, ut : « Hæc dicit Dominus rupibus et vallibus [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. XVII, c. 34. Rupes dicuntur gentes ad fidem conversæ. Psalmus : « Et rupes, in fontes aquarum [5]. » — Rupes quoque contemplativi. Job : « Et inaccessis rupibus. » — Rupes etiam dicuntur potentes hujus sæculi et superbi. Jeremias : « Onagri, etc. »

Primæ sunt bonæ; secundæ, meliores; tertiæ, malæ. Primæ sunt excelsæ eminentia conversationis. Paulus : « Nostra conversatio in cœlis est [6]. » Nonne in excelso conversationis versabantur exploratores Jericho missi a Josue, quando Raab meretrix dixit eis : « Ad montana conscendite [7]? »

Secundæ sunt excelsæ eminentia contemplationis. Psalmus : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam [8]? » Hinc Joannes in aquila præfiguratur, quia supra modum in altum contemplationis ascendit. — Tertiæ rupes sunt excelsæ sublimitate elationis. Psalmus : « Nolite extollere in altum cornu vestrum [9]. » Nonne in excelso elationis versabatur Nabuchodonozor, quando dum deambularet in aula regia, ait : « Nonne hæc est Babylon, quam ædificavi in robore regni mei [10]? »

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 9506-9511.

Lepusculus collocat in petra cubile suum.

Scriptum pro lepore quidam ponunt cyrogrillum [11] :
In veteri poteris hoc reperire stylo.
Hoc animal hæret petræ terræque cavernis,
Ut lepus, Ecclesiam mystificando notans.
Collocat in petra timidus lepus iste cubile :
Firma suis timidis pax petra Christus erit.

XVIII.

÷ 1. Salsugo, cordis compunctio, sicut in Job de onagris, hoc est monachis, dicitur : « Tabernacula ejus in terra salsuginis [12]. »

÷ 2. Salsugo, infidelitas Judæorum, vel ariditas mentis. In psalmo : « Dedit terram fructiferam in salsuginem [13]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus et Garnerius Lingonensis. Salsugo, desiderium bonum, ut in Job : « Et tabernacula ejus i. t. s. » — Sterilitas, ut in psalmo : « Terram fructiferam in salsuginem. »

Petrus Capuanus. Sal sterilem terram reddit : et sapientia terram carnis nostræ, vel etiam mentis, facit sterilem, ne nobis spinas et tribulos valeat pullulare. Paulus : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne quum aliis forte prædicaverim, ipse reprobus efficiar [14]. » Nonne erat sale

(1) *Rupibus*. Jerem. IV, 6. — (2) *Rupibus*. Job XXXIX, 28. — (3) *Suo*. Job XVIII, 14. — (4) *Vallibus*. Ezech. VI, 3. — (5) *Aquarum*. Ps. CXIII, 8. — (6) *Est*. Phil. III, 20. — (7) *Conscendite*. Jos. II, 16. — (8) *Requiescam*. Ps. LIV, 7. — (9) *Vestrum*. Ps. LXXIV, 16. — (10) *Mei*. Dan. IV, 27. — (11) *Chyrogryllum* rectius. — (12) *Salsuginis*. Job XXXIX, 6. — (13) *Salsuginem*. Ps. CVI, 34. — (14) *Efficiar*. I Cor. IX, 27.

seminata terra illius, de qua dicitur : « Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ [1]. »

Distinction. monasticar. lib. v, *De salsugine.* Salsugo sterilitatem significat, ut ibi : « Dedit, etc. » — Significat amaritudinem malitiæ ; unde Augustinus super illum versum : « Congregans sicut in utre aquas maris, » inter cætera sic dicit : Intra mortalem pellem fremit conclusa salsugo. — Significat etiam bonam amaritudinem, id est sanctam compunctionem ; unde Dominus ad sanctum Job : « Cui dedit in solitudine domum, etc » Deus dat illi domum in solitudine, qui ex ejus dono placitam invenit mansionem inquietæ et serenæ conscientiæ, et illi solet dare tabernacula in terra salsuginis, qui, dum in hac versatur peregrinatione, in luctu moratur et lacrymis. Puerorum est ludere ; virorum, lugere : quia « qui apponit scientiam, apponit et dolorem [2]. » Unde Sapiens dicit : « Risum deputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis [3] ? »

Nunc locus est flendi ; locus est peccata luendi ;
Dat præsens fletus, ut sis in sæcula lætus.

XIX.

1. Aquæ, angeli [4] : « Aquæ super cœlos laudent nomen Domini [5]. »

2. Populi : « Aquas quas vidisti, populi sunt et gentes [6]. »

3. Christus [7], eo quod sordes abluit, et potum [dat] sitienti : « Me dereliquerunt fontem aquæ [8]. » ÷ Et in psalmo : « Sicut aqua effusus sum [9]. »

4. Donum sancti Spiritus : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [10]. »

5. Baptismus : « Vidi aquam egredientem [11]. Omnes sitientes venite, quærite aquas [12]. » ÷ Et in Ezechiel : « Effundam super vos aquam mundam [13]. » Item ibi : « Et ecce aqua egrediebatur [14], » id est de latere dextro Domini Jesu Christi.

6. Evangelica doctrina : « Egeni inquirunt aquas, et non sunt [15]. »

7. Charitas : « Qui tegit aqua superiora ejus [16]. »

8. Lacrymæ [17] : « Si lotus fuero quasi aquis nivis [18]. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei [19]. »

9. Scientia justi [20] : « Aqua sapientiæ potabit eum [21]. Bibe aquam de tua [22] cisterna. » ÷ In Salomone : « Aqua profunda, verba ex ore viri [23]. »

10. Tentationes [24] : « Probavi te apud aquas contradictionis [25]. »

11. Tribulatio [26] : « Forsitan aqua absorbuisset nos [27]. » ÷ In Job : « Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te [28] ? » Et in psalmo :

(1) *Urticæ.* Prov. xxiv, 30. — (2) *Dolorem.* Eccle. i, 18. — (3) *Deciperis.* Ib. ii, 2. — (4) *Angeli, ut quidam volunt in psalmo : Et aquæ* B-G, excepto tamen F, cui articulus ille totus deest. — (5) *Domini.* Is. cxlviii, 4. — (6) *Gentes.* Apoc. xvii, 15. — (7) *Dominus Jesus Christus, eo quod sordida abluat, et reficiat sitientes ; in Jeremia* B-G. — (8) *Aquæ.* Jerem. ii, 13. — (9) *Sum.* Ps. xxi, 15. — (10) *Vivæ.* Joan. vii, 38. B-G adducunt glossema : *Quod exponens evangelista dicit : « Hoc autem dicit* [*dicebat* G] *de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum. »* — (11) *Egredientem.* Ezech. xlvii, 2. — (12) *Aquas.* Is. lv, 1. — (13) *Mundam.* Ezech. xxxvi, 25. — (14) *Egrediebantur.* Ib. xlvii, 1. — (15) *Sunt.* Is. xli, 17. — (16) *Ejus.* Ps. cxii, 3. B-G : *Aqua, charitas* [*charitatis* B, C] *a quibusdam putatur* B-E, *ut quidam putaverunt* G. — (17) *Effusio lacrymarum, ut quidam volunt ; in Job* B-G. — (18) *Nivis.* Job ix, 30. — (19) *Mei.* Ps. cxviii, 136. — (20) *Doctrina justi* B-E, G. — (21) *Eum.* Eccli. xv, 3. — (22) *Tua.* Prov. v, 15. — (23) *Viri.* Prov. xx, 5. — (24) *Tentationes diaboli* ib. — (25) *Contradictionis.* Ps. lxxx, 8. — (26) *Persequutio hujus mundi* B-E ; *persequutiones* G. — (27) *Nos.* Ps. cxxiii, 4. — (28) *Te.* Job xxviii, 34.

« Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam [1]. »

12. Loquacitas [2] : « Qui autem dimittit aquam, caput est jurgiorum [3]. »

13. Prava scientia [4] : « Aquæ furtivæ dulciores [5]. Caupones tui miscent aquam vino [6]. »

÷ 14. Bonorum mentes : « Et aquas appendit in mensura [7]. Vox Domini super aquas [8]. Beati qui seminatis super omnes aquas [9]. »

÷ 15. Historia Scripturæ : « Implete hydrias aqua [10]. »

÷ 16. Cruciatus infernalis inopiæ : « Apprehendet eum quasi aqua inopia [11]. »

÷ 17. Lubrica corda pravorum : « Et statuit aquas quasi in utre [12]. »

÷ 18. Torpor malitiæ : « Sicut frigidam fecit cisternam aquarum, sic frigidam fecit malitiam suam [13]. »

÷ 19. Fluenta divinæ prædicationis. In Isaia : « Dedi in deserto aquas [14], » id est in populo.

÷ 20. Sanctorum obscura prædicatio. In psalmo : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris [15]. » Et alibi : « A multitudine sonitus aquarum vocem, dederunt nubes [16]. »

÷ 21. Baptismata hæreticorum. In psalmo : « Libera me de aquis multis [17]. »

÷ 22. Multiplicatio peccatorum. In psalmo : « Misit de cœlo, et accepit me, et assumsit me de multitudine aquarum [18]. »

÷ 23. Luxuria carnis. In Salomone : « Terra quæ non satiabitur aqua [19], » id est caro hominis, quæ non expletur luxuria. Et in Evangelio pro quodam lunatico dicitur : « Sæpe cadit in ignem, crebro [20] autem in aquam. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 11, ad 2, 10; ed. II, col. 747, 748 ad 4, 5, 6, 10, 13, 14.

Gregorius M. Aqua, effusio Spiritus sancti, ut ibi : « Effundam, etc. »—Scientia sana, sicut ibi : « Aqua sapientiæ, etc. »—Pravæ scientiæ, ut ibi : « Aquæ furtivæ d. s. »—Tribulationes, ut ibi : « Intraverunt aquæ, etc. » — Populi, ut in Apocalypsi legitur.—Decursus humanæ mortalitatis, ut in psalmo : « Tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum [21]. » —Bonorum mentes, fidei prædicamenta sequentium, ut ibi : « Beati qui seminatis super omnes aquas. » — Chori angelici, ut ibi : « Qui tegis, etc. » — Hæc sunt enim alta et secretiora sacri eloquii, quæ interim absconduntur nobis, sed angelis in secreto panduntur.—Infernalis inopiæ cruciatus, ut in Job : « Apprehendet eum quasi aqua inopia. » — Unde ab hac aqua ipse quoque inferni lacus nomine designatur. — Sapientia, ut ibi : « Aqua profunda, verba ex ore viri, et torrens inundans, fons sapientiæ. » Et illud : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris. » —Scripturæ sacræ historia, ut : « Implete hydrias aqua. » Hæc autem in vinum vertitur, quum historialis sensus nobis in mysticum commutatur. — Mollia dudum corda Judæorum, ut in Job : « In similitudinem lapidis aquæ durantur, » id est, Judæorum corda in duritiam sunt conversa gentilium.—Unda gemitus et mœroris,

(1) *Meam.* Ps. LXVIII, 2. — (2) *Immoderata loquutio* B-G. — (3) *Jurgiorum.* Prov. XVII, 14. — (4) *Dogma hæreticorum* B-G. — (5) *Dulciores.* Prov. IX, 17. — (6) *Vino.* Is. I, 22. — (7) *Mensura.* Job XXVIII, 25. — (8) *Aquas.* Ps. XXVIII, 3. — (9) *Aquas.* Is. XXXII, 20. — (10) *Aqua.* Joan. II, 7. — (11) *Inopia.* Job XXVII, 20. — (12) *Utre.* Ps. LXXVII, 13. — *Suam.* Jerem. VI, 7. — (13) *Aquas.* Is. XLIII, 20. — (14) *Aeris.* Ps. XVII, 12. — (15) *Nubes.* Ps. LXXVI, 18. — (16) *Multis.* Ps. CXLIII, 7. — (17) *Aquarum.* Ps. XVII, 17. — (18) *Aqua.* Prov. XXX, 16. — (19) *Aquam.* Matt. XVII, 14. — (20) *Aquarum.* Ps. I, 3.

ut in Job : « Quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus [1]. »—Lamenta humilitatis et compunctionis, ut in Job : « Si lotus fuero aqua nivis. » Aqua enim nivis sunt lamenta humilitatis, magni meriti nitore candentis. Hæc autem aqua quasi per nivem ex aere fluit, quia eam efficacia cœlestis compunctionis effundit. Coram Deo tamen valde sordibus ungitur ; quia respectu divinæ munditiæ, quilibet justus immundus æstimatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. vi, c. 7, p. 347.

Rabanus. *Aqua.*
- Spiritus sanctus.
- Angeli.
- Sapientia subtilis.
- Loquacitas.
- Cupiditas sæculi.
- Baptismus.
- Arcana loquutio prophetarum [2].

Christus, ut ibi : « Probavi te, etc., » id est a Christo cui a multis contradicitur. — Prædicatio, ut : « Effundam super vos aquam mundam. » — Compunctio, ut : « Hauserunt aquam, et fuderunt in conspectu Domini [3]. »—Prosperitas, ut : « Transivimus per ignem et aquam [4]. »—Adversitas, ut : « Non me demergant aquæ [5]. » — Humana scientia, ut : « Nec edendum quidquid non coctum aqua [6]. » — Affluentia mundi, ut : « Angelus Domini exsiccavit aquas [7]. » — Æterna refectio, ut : « Super aquas refectionis educavit me [8]. » — Aquæ, sancti qui modo sunt in Ecclesia, ut : « Flumen Dei repletum est aquis [9]. » — Peccata remissa, ut : « Spiritus Dei ferebatur super aquas [10]. » —Cogitationes instabiles, ut : « Libera me de aquis multis [11]. »—Blandimenta tentationum, ut : « Lapides exæquantur aquis [12]. » — Voluptas reproborum, ut : « Convertit aquas in sanguinem [13]. » — Pœnæ inferni, ut : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. »

Cf. *de Universo*, lib. xi, c. 1, col. 309.

Petrus Capuanus ad litt. i, ex art. 68.

Aqua.

Inficiens triplex.	*Deficiens triplex.*
Aqua cupiditatis.	Multitudo populi dilabentis.
Cujuscumque iniquitatis.	Aqua pœnalitatis, et perpetuæ infelicitatis.
Perversi dogmatis.	
Proficiens triplex.	*Perficiens triplex.*
Aqua veræ doctrinæ.	Aqua regenerationis.
Gratiæ.	Dominicæ passionis.
Spiritualis intelligentiæ.	Perpetuæ perfruitionis.

Spiritus sanctus comparatur aquis, quia refrigerat sicut aqua. Evangelium : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi [14]. » Nonne refrigeravit tres pueros in camino, quando angelus Domini descendit in fornacem, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ? — Quia reficit. Sapientia : « Aqua sapientiæ salutaris p. i. » Nonne refecit Samaritanam illam, quæ ait : « Domine, da mihi hanc aquam, ut » semel refecta, « non veniam huc haurire [15] ? » —Quia mundat et lavat. Evangelium : « Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igne [16]. » Nonne emundavit et lavit aqua illa, de qua scriptum est : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris? » — Quia occulta est origo ejus. Evangelium : « Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat [17]. » Nonne occulta fuit ejus origo in Saule, quando subito insilivit in eum Spiritus Domini, et prophetabat, propter quod in proverbium versum est : « Num et Saul inter prophetas [18]? » — Quia sitim sedat. Evangelium : « Qui biberit ex aqua quam ego dedero ei, non sitiet iterum. » Nonne sitim sedavit in Paulo, qui quum sitiret christianorum persequutionem, percussus in via,

(1) *Meus.* Job iii, 24. — (2) *Prophetarum.* Ad singulas distinctiones iidem loci eodemque sensu afferuntur ac in Melitonianis dist. 4, 1, 9, 12, 23, 5, 20. — (3) *Domini.* I Reg. vii, 6. — (4) *Aquam.* Ps. lxvi, 12. — (5) *Aquæ.* Ps. lxviii, 16. — (6) *Aqua.* Exod. xii, 9. — (7) *Aquas.* Apoc. xvi, 12. — (8) *Me.* Ps. xxii, 2. — (9) *Aquis.* Ps. lxiv, 10. — (10) *Aquas.* Genes. i, 2. — (11) *Multis.* Ps. cxliii, 7. — (12) *Aquis.* Job xiv, 19. — (13) *Sanguinem.* Ps. civ, 29. — (14) *Tibi.* Luc. i, 35. *Sum.* Luc. i, 35. — (15) *Haurire.* Joan. iv, 15. — (16) *Igne.* Joan. i, 33 — (17) *Vadat.* Joan. iii, 8. — (18) *Prophetas.* I Reg. x, 11.

et potatus aqua gratiæ, ministerio Ananiæ factus est vas electionis, ut aqua doctrinæ suæ et alios potaret et inebriaret ' — Quia fervorem concupiscentiæ temperat. Job : « Si emiserit aquas, omnia siccabuntur [1]. » Nonne magnum fervorem temperavit in Magdalene, quando ejecerit de ea septem dæmonia? — Quia impetuose fluit. Psalmus : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [2]. » Nonne impetuose fluebat, quando die pentecostes « factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes? » — Quia terram humectat. Psalmus : « Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram [3], » quando quæ erat arida, facta est in stagnum et sitiens in fontes aquarum. — Quia eam fertilem reddit. Genesis : « Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam [4]. » Nonne fertilis reddita est terra nostra, quæ dedit fructum suum, quando ad aspersionem hujus aquæ aperta est terra, et germinavit utique Salvatorem?

Anonymus Clarevallensis. Aqua dicta est, eo quod superficies ejus æqualis sit; hinc est æquor appellatum est. Quod æqualiter sursum est, aquarum elementum cæteris omnibus imperat. Cœlum enim temperant; terram fecundant; aerem exhalationibus suis incorporant; scandunt in sublime, et cœlum sibi vendicant. Quid enim mirabilius aquis in cœlo stantibus? Rapiunt et secum piscium examina; effusæ, omnium nascentium in terra sunt causa; fruges gignunt; arbores, frutices, herbas producunt; sordes detergunt; peccata abluunt; potum cunctis animantibus præbent[5]. Aqua communis est; ad concava defluit; omne declivum sequitur; frigida, vino mixta, non nocet; hordeo cocta, sanior est; terræ mixta, lutum facit; pauperum potus est; vestigium navis non retinet; clara est pro speculo; movetur, inundat, refrigerat, rigat, lapsum adducit.

Aqua.
- Spiritus Sanctus.
- Dona Spiritus sancti.
- Bonorum mentes.
- Cruciatus infernalis.
- Sacræ Scripturæ.
- Scientia.
- Passio Christi.
- Luxuria.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in I Reg., v. 372-379.

O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem!

Rex sitiens potum aquæ de Bethleem postulat unda.
Tres hausere viri, tresque dedere David.
Ille sitim superans animi virtute, liquorem
Fudit, virtutis dans documenta suis.
Designantur in hoc facto mysteria Christi :
Spiritus almus eum scire futura dedit.
Fudit aquam Domino rex; sic Patris hostia factus,
Christus homo mixto sanguine fudit aquam.

II.

In passionem D. N. J. Christi, v. 651-654.

Sitio!

Inde Jesus nostram quærens sitiensque salutem,
Protulit hæc : « Sitio! » Quam pretiosa sitis!
Non sitiebat aquam, non vini quemlibet haustum
Sed solas animas : hæc sitis ejus erat.

III.

Ibid., v. 709-714.

Exivit sanguis et aqua.

Os non comminuatis ex illo. Sed tamen illi
Tunc aperit dextrum militis hasta latus.
Dicitur hac hora patefacta superna fuisse
Janua, Jesu qua costa forata fuit.
Costa forata fluit laticem cum sanguine mundum;
Immundum mundat fusus uterque liquor.

XX.

1. Abyssus, judicia [6] Dei : « Judicia tua abyssus multa [7]. »

(1) *Siccabuntur*. Job XII, 15. — (2) *Dei*. Ps. XLV, 5. — (3) *Terram*. Ps. LXI, 6. — (4) *Abundantiam*. Genes. XXVII, 28. — (5) *Præbent*. Cf. Isidor. *Etymolog*. lib. XIII, c. 12, 15. Huc usque ex illo multa ad litteram exscribuntur. Cf. Hugon. S. V., t. II, p. 462. — (6) *Ineffabilia judicia Dei; in psalmo* B-G. — (7) *Multa*. Ps. XXXV, 7.

2. Revelatio sacrorum in Scriptura : « Rupti sunt fontes abyssi [1]. »

3. Infernus [2] : ÷ « Numquid in novissimis abyssi deambulasti [3] ? » ÷ In Evangelio : « Et deprecabantur eum spiritus, » id est dæmones, « ne in abyssum eos mitteret [4]. »

4. Utrumque testamentum [5] : « Abyssus abyssum invocat [6]. »

÷ 5. Mens desperata : « In novissimis abyssi deambulasti. »

÷ 6. Profunditas astutiæ diaboli : « Et superficies abyssi constringitur [7]. »

÷ 7. Judicium rationis humanæ : « Abyssus abyssum invocat. »

÷ 8. Abyssus, corda hominum facinoribus [8] tenebrosa. In Job : « Abyssus dixit : non est mecum [9], » id est sapientia. Et in Amos : « Vocavit judicium ad ignem Dominus, et devoravit abyssum multam [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 6, ad 4; p. 23 ad 1 et 4; edit. II, col. 740 A, B, ad I, 4; col. 761 C, ad 1, 3, 9.

Gregorius M. Abyssi nomine infernus designatur, sicut habes in Job : « Numquid ingressus es profundum maris, et in novissimis a. d. » Quod quidem illi soli contigit, qui solus inter mortuos liber fuit; deambulare enim soluti est, non devicti. — Abyssi nomine mens desperata signatur, ut ibi dicitur : « Numquid ingressus, etc. » Mare quippe est mens humana, cujus profunda Deus ingreditur, dum per cognitionem ejus ab intimis cogitationibus suis ad lamenta pœnitentiæ perturbatur. — Abyssi nomine incomprehensibilitas divinorum judiciorum exprimitur; sicut de diabolo dicitur : « Æstimabis abyssum q. s. » — Sic enim diabolus corda reproborum infatuat, ut suspicionem eis de futuro judicio, quod quasi finiatur, infundat. — Abyssi nomine profunditas diabolicæ astutiæ designatur, ut in Job : « Superficies a. c., » quia videlicet persuasioni ejus species quasi bona et solida foris ostenditur, ne in profundo latens malitia caveatur.—Abyssus, pravorum corda : « Abyssus dixit, etc. »—Abyssi nomine judicium humanæ rationis exprimitur, sicut in psalmo : « Abyssus a. i.; » quia et suo se judicio peccator in conscientia damnat, et post ad æterni judicii sententiam properat. — Item : « Abyssus a. i.; » dum novi testamenti altitudo non discrepat ab eo quod profunditas veteris sub figuris celat.— Vel quod profunditas calamitatis humanæ profunditatem divinæ miserationis implorat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, cap. I, p. 388.

Rabanus. Abyssus, voluntas diaboli, ut : « Dividam spolia, implebitur anima mea. » —Vetus et novum testamentum, ut : « Abyssus a. i. » — Collegium apostolorum, ut : « Dedit abyssus vocem suam [11]. » — Obscuritas impii, ut : « Abyssus dicit : Non est in me. »—Judicium Dei æternum, ut : « Æstimabat a. q. s. » —Infernus, ut : « In novissimis a. d. » — Profunda Scripturæ mysteria, ut : « Ponens in thesauris abyssos [12]. » —Desperatissimi, ut : « In mari et in omnibus abyssis [13]. » —Confusio malorum operum,

(1) *Abyssi.* Genes. VII, 11. Iterum omnino deficit F. In A additur paulo post Gregorio : *Incomprehensibilitas* [*divinorum judiciorum?*] : *æstimabit abyssum quasi senescentem* [Job XLI, 23]. Cf. *Moral.* lib. XXXIV, c. 16. Eadem B-E referunt, et de *damnatione peccatorum sempiterna* cum Gregorio interpretantur : *quasi senescentem. Id est, diabolus per ministros suos putavit quod pœna impiorum finem habitura sit.* — (2) *Judicium Dei* insulse irrepsit in A, ex antea scriptis.—(3) *Deambulasti.* Job XXXVIII, 16.— (4) *Mitteret.* Luc. VIII, 31. — (5) *Profunditas Scripturarum; in psalmo : a. a. i. Id est vetus testamentum novum annuntiat; et novum vetus in testimonium vocat. In voce cataractarum tuarum, id est prædicatione sanctorum* B-G.— (6) *Invocat.* Ps. XLI, 8.— (7) *Constringitur.* Job XXXVIII, 30.— (8) *Facinorosorum* D. Cætera verbo tenus ex Eucherio.— (9) *Mecum.* Job XXVIII, 14. — (10) *Multam.* Amos VII, 4 *Devorabit* B, C, D, E. — (11) *Suam.* Habac. III, 10. — (12) *Abyssos.* Ps. XXXII, 7. — (13) *Abyssis.* Ps. CXXXIV, 6.

ut : « Abyssi operuerunt eos [1]. » —Astutia diaboli, ut : « Superficies a. c.

Petrus Parisiensis. Abyssus dicitur quandoque malus homo, quandoque sacra Scriptura, quandoque profunditas vitiorum; quandoque profunditas judiciorum Dei; quandoque profunditas cordis humani [2].

Anonymus Clarevallensis.

Abyssus.

Collegium apostolorum.
Profunda mysteria Scripturæ.
Confusio malorum operum.
Astutia diaboli.
Desperatissimi quique.

XXI.

1. Mare, Scriptura [3] : « Rotarum aspectus, sicut visio maris [4]. »

2. Cor [5] : « Fervescere facit profundum maris. » ; In psalmo : « Transferentur montes in cor maris [6]. »

3. Profundum maris [7], infernus : « Expedit ei ut suspendatur mola asinaria collo ejus, et demergatur in profundum maris [8]. »

4. Cor maris, Judæa; : eo quod in medio mundo posita esse dicitur; unde in libro Esdra pro Salvatore dicitur : « Vidi virum ascendentem de corde maris [9]. » In Ezechiele : « O Tyre, quæ sita es in corde maris [10]. » ÷ « Propterea non timebimus, dum transferentur montes in cor maris. Medium earum ibat ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum [11]. »

5. Gentilitas [12]. ÷ In Evangelio : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare; et obediet vobis [13]. »

6. Baptismus : « Et ante sedem [14] tamquam mare vitreum [15]. »

7. Mare, præsens mundus [16] : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare [17]. ÷ Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet [18]. » ÷ Et in Habacuc : « Misisti equos tuos in mare, » id est apostolos, « turbantes aquas multas [19], » hoc est gentes.

÷ 8. Lingua maris Ægypti, philosophia hujus mundi. In Isaia : « Et siccavit Dominus linguam maris Ægypti [20]. »

÷ 9. Littus maris, finis mundi. In Evangelio : « Et secus littus maris sedentes, elegerunt bonos pisces in vasis suis, malos autem foras miserunt [21]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 11, 12 ad 7; ed. II, col. 748 B ad 1 et 7.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 5, p. 392.

(1) *Eos.* Exod. XV, 5.—(2) *Humani.* Iidem loci Scripturæ qui supra ad singulas distinctiones. — (3) *Scriptura divina, propter inæstimabilem ejus scientiam, in Ezechiele : Et visio earum, id est rotarum, s. v. m.* B-G. At deficit F, ut antea. — (4) *Maris.* Ezech. I, 16. — (5) *Cor maris, hominum corda* B-G. Qui paulo post addunt glossema, bis terque recoctum : *Profundum maris, corda hominum tenebrosis operibus obscura, sicut in Job pro diabolo dicitur fervescere,* etc. Ejusdem generis habenda sunt quæ in A quoque subduntur : *Profundum, corda pravorum.* — (6) *Maris.* Ps. XLV, 3. — (7) *Maris, sempiterna damnatio; in Evangelio* B-G.—(8) *Maris.* Marc. IX, 41.—(9) *Maris.* Neque in authenticis, neque in apocryphis Esdræ libris is locus invenitur. — (10) *Maris.* Ezech. XXVII, 4. — (11) *Novissimum.* Zachar. XIV, 18. B-G addunt glossam : *Mare orientale, populus Judæorum; mare novissimum, populus gentium; unde in Zacharia propter aquam baptismi dicitur,* etc. — (12) *Populus gentium; in psalmo :* « *Propterea non timebimus dum conturbabitur* [*non movebimur dum turbabitur* E] *terra, et transferentur* [*transferantur* E] *montes, id est apostoli, in corde* [*cor* E. G] *maris.* » B-G. — (13) *Vobis.* Luc. XVII, 6. *Obediet vobis* D, E. — (14) *Sedentem* E. — (15) *Vitreum.* Apoc. IV, 16. Additur in B-G : *Hujus baptismi mare illud æreum figuram habuit quod Salomon in templo Domini fecit.* —(16) *Sæculum* B-G.—(17) *Mare.* Matt. XIII, 47.—(18) *Operiet.* Job XXXVI, 30.—(19) *Multas.* Habac. III, 15. Meram interpollationem id esse putem quod infra in B-G : *Mare desertum, præsens mundus; in Isaia : onus maris deserti* [Is. XXI, 1].—(20) *Ægypti.* Forte respicit ad Is. XIX, 5. — (21) *Foras miserunt.* Matt. XVII, 48.

Gregorius M. Mare, sæculum præsens, ut ibi : « Si voluerit, etc. » Ac si diceret : si sanctos suos in mysterio prædicationis extendit, eorumque miraculis verba adjuvat, totius mundi limites ad fidem vocat. — Gentilitas, ut ibi : « Transferentur m. i. c. m., » scilicet quum sancti apostoli, Judæa derelicta, ad gentes transeunt. — Sæcularis turbæ amara inquietudo, ut de sapientia dicitur : « Et mare dicit : Non est mecum [1]. » — Divinum eloquium, ut ibi : « Aspectus rotarum et opus earum erat quasi visio maris; » quia enim crux nobis quasi navis est, qua ad patriam navigamus. Certe Scriptura sacra mare est, quæ crucem annuntiat, dum nos ad terram viventium ligno portat. — Cor humanum, ut ibi : « Qui conclusit, etc. » Vulva hujus maris est adolescentia pravæ cogitationis, de qua fluctus cordis nostri intolerabiliter æstuat, nisi illud divina gratia ostiis potentiæ suæ concludat.

Rabanus. Mare, baptismus : « Mare vitreum, simile crystallo. » — Mundus, ut : « Qui egreditur super fluctus maris [2]. » — Gentilitas, ut : « Transferentur m. i. c. m. » — Homines pravi, ut : « Aquilonem et mare tu creasti. » — Occupatio sæcularis, ut : « Qui descendunt mare in navibus [3]. » — Infernus, ut : « Numquid, etc. » — Voluptas sæcularis, ut : « Mare loquitur : Non est mecum. » — Mens prava, ut : « Fervescere faciet quasi ollam mare [4]. » — Pœna gehennalis, ut : « Operuit eos mare. » — Eloquium divinum : « Aspectus r. q. v. m. » — Cor hominis, ut : « Quis conclusit ostiis mare [5] ? »

Cf. *de Universo*, lib. xi, c. 2, col. 311.

Petrus Capuanus ad lit. xii, art. 48.

Mare

Gratiæ.	*Præsentis vitæ.*	*Culpæ.*
Sancta Ecclesia.	Mundus.	Voluptas sæcularium.
Baptismus.		Mens prava.
Scriptura sacra.		Corda persequutorum.

Baptismus dicitur mare cum diversis adjunctis. Baptismus dicitur mare, propter amaritudinem pœnitentiæ, quæ exigitur in adultis baptizatis. Actus apostolorum : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum [6]. » Mare tamen istud nihilominus est dulce, quia onus baptismi dulce est et leve amanti; nec enim imponitur satisfactio aliqua operis baptizatis. Paulus : « Sine pœnitentia sunt dona Dei et vocatio [7]. » Misso siquidem olim ligno, dulcoratæ sunt aquæ Marath; et aquæ baptismi dulcoratæ sunt ligno crucis. Evangelium : « Aqua quam ego dabo, etc. »

Dicitur etiam mare Rubrum, quia aquæ baptismi rubricatæ sunt sanguine Christi. Paulus : « Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus [8]. »

Potest etiam dici mare salsum : sal namque sapientiam designat; unde et in veteri testamento in omni sacrificio apponebatur sal. Evangelium : « Quod si sal evanuerit, in quo salietur [9] ? » Et in baptismo summa sapientia. Evangelium : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit [10]. »

Dicitur etiam mare vitreum, simile crystallo; scilicet propter nitorem fidei, qui exigitur in baptismo. Evangelium : « Qui non crediderit, condemnabitur. » Et sicut ex aquis congelatis crystallus, ita et fideles post aquas baptismi solidantur et roborantur per persequutores. Sapientia : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem [11]. »

Quare mare dicitur mundus?

Propter amaritudinem.
— commotionem.
— tempestatem.
— fluctuationem.
— profunditatem.
— inundationem.
— instabilitatem.
— multitudinem et immanitatem belluarum quæ in eo sunt.

(1) *Mecum.* Job xxviii, 14.—(2) *Maris.* Job ix, 8.—(3) *Navibus.* Ps. cvi, 23. — (4) *Mare.* Job xli, 22. — (5) *Mare.* Job xxxviii, 8. — (6) *Vestrum.* Act. ii, 38.—(7) *Vocatio.* Rom. xi, 29.—(8) *Sumus.* Rom. vi, 3. — (9) *Salietur.* Matt. v, 13.—(10) *Erit.* Rom. x, 9, 13. — (11) *Tentationem.* Eccli. ii, 1.

Propter conflictum et procellam ventorum. — submersionem [1].

Terribilis quidem est locus iste et aspectu horribilis. Sed si forte Dominus Jesus quieverit in navicula cordis nostri, profecto nullum istorum erit nobis timendum. Itaque non est timenda amaritudo, quia qui biberit ex aqua quam ipse dat, non sitiet iterum; sed in eo fit fons aquæ salientis in vitam æternam. Non est timenda commotio, quia ipse sanat contritiones terræ, quando mota est; et quando Judæi commoti erant adversus eum, ipse transiens per medium illorum, ibat. Non est timenda tempestas, quia Dominus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna; quando quidem talis est cui venti et mare obediunt. Non est timenda fluctuatio, quando in fluctibus maris sapientia ambulavit, nec diluvii fluctibus arca Noe potuit mergi, et ipse etiam siccis pedibus ambulavit super mare. Non est timenda profunditas; immo debet quilibet dicere : « De profundis clamavi ad te, Domine [2]. » Et in ipso sanguine testamenti eduxit vinctos suos de profundo lacu, ubi non erat aqua. Non est timenda inundatio aquarum, quia ad transitum filiorum Israel mare vidit et fugit, Jordanis etiam conversus est retrorsum; et ipse Dominus est congregans sicut in utre aquas maris. Non est timenda instabilitas hujus maris, quia qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur in æternum; et verbum Domini manet in æternum. Non est timenda immanitas belluarum, quia Jonas, licet absorptus a ceto, tertio tamen die evomitus est; et sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita etiam et ipse Filius hominis in corde terræ. Non est conflictus timendus, nec procella ventorum, quia Petrus videns ventum validum timuit; sed eum, ne mergeretur, dextera divina erexit. Non est timenda submersio, quia in securi Elisæi ferrum de profundo natavit ad lignum.

Distinctionum monasticar. lib. III. *De Mari* :

Est mare baptismus (A), Moysi lex (B), mundus (C), avernus (D),
Luctus contriti (E), mors carnis (F), corda malorum (G).

A. *Deponet omnes iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra* [3].

B. *Repleta est terra scientia Domini, quasi aquæ maris, operienti* [4].

C. *Quarta vigilia noctis, venit Jesus ad discipulos suos, ambulans super mare* [5].

D. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare* [6].

E. *Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum* [7].

F. *Omnia flumina intrant in mare, et maria non redundant* [8].

G. *Cor impiorum quasi mare fervens, quod quiescere non potest* [9].

Mare dicitur ab *amaritudine* [10], vel, sicut quidam autumant, mare dicitur quasi *mater aquarum;* unde sunt illi versus puerorum :

Pontus ponte caret, pelagus, pede; dicitur æquor
Læve, fretumque fremens; et mare, mater aquis [11].

Mare significat hoc sæculum, quod se curarum causarumque tumultibus, quasi undis supervenientibus, semper illidit. « Hoc est mare magnum et spatiosum manibus [12] » (exercendis; sed per opera tam bona quam mala : « homo enim nascitur ad dolorem, [13], et illic sunt reptilia, quorum non est numerus. » Infinitæ enim sunt in hoc sæculo latentes et dolosæ dæmonum insidiæ. Sed et terrenorum amatores infiniti

(1) *Submersionem.* Scripturæ verba, plerumque alias allegata, ut paulo supra, sic eo loci omittimus : idemque deinceps plus semel actitare, ob magnam commentariorum molem, jubebimur. — (2) *Domine.* Ps. CXXIX, 1. — (3) *Nostra.* Mich. VII, 19. — (4) *Operienti.* Paulo infra idem codex legit : *Velut aquæ maris operientis.* Vulgata eadem fere habet duobus in locis, Is. XI, 9 : *Repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes;* Habac. II, 14, juxta veterem interpretationem apud Sabaterium : *Replebitur terra, ut cognoscat gloriam Domini, quasi aquam ad operiendum maria.* — (5) *Mare.* Matt. XIV, 25. — (6) *Mare.* Exod. XV, 2. — (7) *Novissimum.* Zachar. XIV, 8. — (8) *Redundant.* Eccle. I, 7. — (9) *Potest.* Is. LVII, 20. — (10) *Amaritudine.* Isid. *Etymol.* lib. XIII, c. 14, n. 1. — (11) *Aquis.* Ex libro *Synonymor.* Matthæi Vindocinens. mss. — (12) *Manibus.* Ps. CIII, 25. — (13) *Dolorem.* Job V, 7.

sunt, quoniam « stultorum infinitus est numerus [1]. » Et hic sunt animalia pusilla cum magnis, id est mali pupilli et magni, id est infimi et fortes, impotentes et potentes, qui omnes sunt hostes justorum. Et tamen « illic naves (id est ecclesiæ) pertransibunt. » Nam licet « mirabiles sint elationes maris [2], mirabilis » tamen « in altis Dominus, » hoc est, « mirabilis Deus in sanctis suis [3]. » Calcat suis mare pedibus. Mare significat veterem legem, propter præceptorum asperitatem; unde Petrus Riga :

Aspera præcepta merito mare signat amarum;
Flumina dulcis aquæ dulcia verba notant [4].

Mare significat amara corda reproborum; unde : « Cor impiorum quasi mare fervens. » Et : « Dominus est congregans, sicut in utre, aquas maris [5]; » quod in illis completum est, qui malitiam quam habent in corde, non audent ore effundere.

Mare Rubrum est sacrum baptisma, Christi sanguine rubricatum. « Quotquot enim in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus [6]. »

Per mare vitreum, simile crystallo, puto significari perfectam pœnitentiam, quæ mari comparabilis est in cordis contritione; vitro, in oris confessione; crystallo, quæ limpida est et solida, in operis satisfactione. Per plenam namque pœnitentiam anima et a peccatis purgatur, et virtutibus solidatur. Plene enim pœnitens æquiparatur innocenti per ejus gratiam qui justificat impium; unde est illud Noemi : « Benedictus Booz, quia eamdem gratiam quam exhibuit vivis, reservavit mortuis [7]. » Vivi sunt justi, mortui sunt peccatores. Vivus fuit Petrus, quando ait Domino : « Tu es Christus, Filius Dei vivi [8]. » Mortuus fuit, quando Christum negavit. Sed quia pie pœnituit, eamdem gratiam quam prius habuit recuperavit.

Mare, propter incertam magnitudinem suam, significat nimiam calamitatem, de quali Jeremias ait animæ peccatrici quæ venit in profundum malorum : « Magna velut mare contritio tua [9]. » Nam et per mare immensitatem significari quidam doctor indoctus, tumidior quam humidior, quum categorias legeret, innuit dicens : « Transnavigato pelago quantitatis, aggrediendum est mare qualitatis. »

Mare significat infernum, ut ibi : « Equum et ascensorem projecit Dominus in mare, » id est, reprobum hominem et ductorem, immo seductorem ejus, dæmonem projiciet in infernum, ubi et profundissima amaritudo.

Mare significat profunda sacræ Scripturæ mysteria; unde est illud propheticum de affluenti et exuberanti doctrina sanctæ Ecclesiæ, de expositione sacræ Scripturæ, in tempore gratiæ : « Repleta est terra scientia Domini, velut aquæ maris operientis. »

Mare significat quandoque amaritudinem calamitatis, quam justi sustinent in hac vita misera et periculis plena; unde in benedictione Nephtali dictum est : « Mare et meridiem possidebit [10], » quia electi Dei magnam mœstitiæ amaritudinem habent in hoc sæculo, et plenum lætitiæ lumen in futuro.

Mare significat compunctionem lacrymarum; unde est illud propheticum, secundum sensum moralem : « Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum. » Hæc duo maria significant duo genera compunctionum. Mare enim orientale significat illam compunctionem quæ fit ex timore supplicii. Mare novissimum designat illam quæ fit propter dilatationem regni; prima originem habet ex timore; secunda ex amore. Unde et venerabilis Beda dicit : « Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. »

De hac scriptura, lector, cognoscere cura
Mollia post dura; post tristia læta futura.

(1) *Numerus*. Eccle. I, 15.—(2) *Maris*. Ps. XCII, 4. — (3) *Suis*. Ps. LXVII, 36. — (4) *Notant*. Exstant in *Aurora*, ad Genes. V. 187, 188, juxta codicem nostrum Sangenovefanum. — (5) *Maris*. Ps. XXXII, 7. —(6) *Sumus*. Eadem vide supra in Petro Capuano, cui Noster proinde est ætate posterior. —(7) *Mortuis*. Ruth II, 20.—(8) *Vivi*. Joan VI, 70.—(9) *Tua*. Thren. II, 3. — (10) *Possidebit*. Genes. XXXIII, 25.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Mare.

Præsens sæculum. Sæcularis turbæ amara
Divinum eloquium. inquietudo.
Gentilitas. Cor humanum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Est mare diffusum, fervens, salsum atque profundum,
Absorbens, fluidum, lucidum, fœtens et amarum
Atque procellosum, rugit, gignitque periclum.

Mare.
Baptismus.
Mundus.
Gentilitas.
Homines pravi.
Occupatio sæcularis.
Mens prava.
Pœna gehennalis.
Eloquium divinum.
Cor hominis.
Infernus.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 927-958.

De egressu filiorum Israel de Ægypto.

Ad maris ingressum succinctus curro, relinquens
Plurima, ne lector tædia longa trahat [1].
Mosis virga Rubrum tangit Mare : transit Hebræus,
Exspirat Pharaon cum legione sua.
Virga crucem notat hic ; baptismum sanguine Christi
Perfusum Rubri denotat unda maris.
Rex Pharao, Satanam ; sua plebs peccata figurat ;
Inque mari Rubro perdit uterque suos.
Regem cum populo vorat, et sepelit mare Rubrum :
Omnia delentur crimina fonte sacro.
Gaudet, ovat, psallit victrix Judæa ; Mariæ
Femineique chori tympana tacta sonant :
« Cantemus Domino, canitur, qui fortis equorum
Sessores et equos trusit in alta maris. »
Sessor equi, dæmon ; equus est elatio cordis :
Nam solet elato corde sedere Satan.
Crimina sunt et equi ; pereunt in fluctibus illi :
Sic baptisma sacrum diluit omne malum.
Tympana quæ fiunt ex sicca pelle, Mariæ
Tacta manu, carnem nos macerare docent.
Post maris egressum, laudes gratesque [2] canebat,
Tympana propulsans, illa Maria vetus.
Post lavacri sacri [3] quam nos aqua sancta piavit,
Pro nobis jubilat Virgo Maria Deo.
Quæ bene pulsavit quasi tympana, cujus in ore
Laus fuit et jubilus, et caro labe carens.
Post mare, victrices subeunt deserta catervæ,
In quibus occurrunt tædia, bella, labor.
Sic nos post lavacrum tentatio multa fatigat,
Dæmonis ars, carnis pugna, cupido gravis.
Postquam lavit aqua Christus, sed non aqua Christum,
Desertum petiit, esurit ; hostis adest.

XXII.

1. FLUVIUS, FLUMEN, decursus generis humani [4] : ÷ « Absorbebit fluvium. » ÷ Et in Ezechiele : « Dicis : Meus est fluvius, et ego feci memet ipsum [5]. »

2. Flumen, Spiritus sanctus [6], dona Spiritus : ÷ « Non videat rivulos fluminis [7]. » ÷ In Evangelio : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [8]. »

3. Scriptura : « Flumen Dei repletum est aquis [9]. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [10]. »

4. Prædicatio sanctorum : « Flumina [11] plaudent manibus in idipsum. » ÷ « Ad locum unde exeant flumina. » ÷ Et in Isaia : « Ponam flumina in insulas [12]. »

(1) Alias hi duo versus aliter :

Ad maris egressum rursum me verto, resumens
Pauca, ad lectoris utilitatis opus.
Cum virga Moyses mare percutit, unda resultat,
Et mersit regem cum legione sua.

— (2) *Titulosque* alias. — (3) *Post lavacrum Christi, quum* ibid. — (4) *Humanum genus, quod ab origine mundi de primo homine Adam, quasi ex uno fonte, per carnis liquorem, in hoc mundo defluxit ; unde, in libro Job, pro diabolo dicitur : Absorbet* B-G. Iterum omisso. — (5) *Memet ipsum.* Ezech. XXIX, 3. — (6) *Gratia Spiritus sancti et redundatio sapientiæ* B-G. — (7) *Fluminis.* Job XX, 17. — (8) *Vivæ.* Joan. VII, 38. — (9) *Aquis.* Ps. LXIV, 10. — (10) *Dei.* Ps. XLV, 5. Iidem loci in B-G citantur sub hoc lemmate : *Flumen, inundatio Spiritus sancti.* — (11) *Flumina.* Eccle. I, 7. — (12) *Insulas.* Is. XLII, 15. *Ponent flumina in insulis* E, G.

5. Actiones sæculi : ÷ « Denuda turpitudinem, revela crura, transi flumina [1]. »

÷ In psalmo : « Et flumina pertransibunt pede [2]. »

6. Impetus persequutionum : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruerunt illam [3]. »

÷ 7. Vita præsens : « Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat [4]. »

÷ 8. Gratia Redemtoris : « Quum venerit quasi fluvius [5]. »

÷ 9. Ignis judicii : « Fluvius ignis rapidus egrediebatur ex facie ejus [6]. »

÷ 10. Dicta prophetarum : « Profunda fluviorum scrutatus est [7]. »

÷ 11. Doctrina dæmonum : « Dirupisti fontes et torrentes; tu siccasti fluvios Ethan [8]. »

÷ 12. Cursus mutabilitatis humanæ : « Fluvius subvertit fundamenta eorum [9]. »

÷ 13. Baptismus. In Apocalypsi : « Flumen aquæ vivæ, tamquam crystallum [10]. »

÷ 14. Infidelium populi. In psalmo : « Super flumina Babylonis, illic sedimus, et flevimus [11]. »

÷ 15. Philosophia hujus mundi, vel dogma hæreticorum. In psalmo : « Tu exsiccabis [12] flumina Ethan, » qui interpretatur Fortis, id est diabolus, de quo in Evangelio : « Quum fortis armatus [13]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 11; ed. II, col. 748 A, ad 2 et 14.

Gregorius M. Fluvius, ignis extremi judicii, ut ibi : « Fluvius igneus, etc. » — Decursus generis humani, ut ibi : « Absorbebit, etc. » Ac si diceret : ante Redemtorem mundi, mundum non miratus absorbuit; sed et postea quosdam, in sacro baptismate candidatos, deglutire confidit. — Antiquorum Patrum dicta, ut ibi : « Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem. » Quia nimirum dicta legit quæ litteræ velamen obscurant, nunc expositio spiritualis illuminat. — Doctrina Ecclesiæ, ut ibi : « Locus fluviorum, rivi latissimi et patentes [14]. » Quia ecclesiasticæ doctrinæ dicta et invenientibus multa sunt, et quærentibus plana. — Doctrina maligni spiritus, ut ibi : « Tu exsiccasti f. e. » Emanantibus enim suis fontibus, fluvios etiam Dominus exsiccavit, quum doctrinam fortis et maligni spiritus, ostenso radio suæ veritatis, arefecit. — Cursus mutabilitatis, ut ibi de iniquis dicitur : « Fluvius subvertit f. e. » — Et vita præsens, ut ibi : « Quomodo si recedant, etc. » — Mare, mens; aquæ, cogitationes; sed quum homo moritur, aquæ de mari recedunt, quia illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Arescit quoque fluvius vacuefactus, quia egrediente anima, vacuum corpus remanet. — Flumen, Spiritus sanctus, ut ibi : « Non videat r. f. », id est, non infundatur in rigatione charitatis. — Sancti prædicatores, ut ibi : « Ad locum, etc. » — Actiones hujus sæculi, ut ibi, sub specie Babylonis menti reprobæ dicitur : « Revela crura, etc. » Turpitudo nudatur, quum vilitas mentis in actione cognoscitur. Humerus discooperitur, quando opus suum quod ignorabatur, ostenditur. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus mundi lucris inhiet, manifestat. Flumina transit, dum,

(1) *Flumina.* Is. XLVII, 2. — (2) *Pede.* Ps. LXV, 6. — (3) *Illam.* Cant. VII, 7. — (4) *Arescat.* Job XIV, 11. — (5) *Fluvius.* Is. LIX, 19. — (6) *Ejus.* Dan. VII, 10. — (7) *Est.* Job XXVIII, 11. — (8) *Ethan.* Ps. LXXIII, 15. — (9) *Eorum.* Job XXII, 16. — (10) *Crystallum.* Apoc. XXII, 1. — (11) *Flevimus.* Ps. CXXXVI, 1. — (12) *Exsiccasti* D, E, G. — (13) *Armatus.* Luc. XI, 21. — (14) *Patentes.* Is. XXXIII, 21.

per sæcularis conversationis fluxus, de actione ad actionem, quasi de flumine ad flumen, tendit. — Dona Spiritus sancti, ut ibi : « Flumina de ventre e. f. a. v. »

Garcorum apud *Garnerium S. P.*, lib. VII, c. 4 et 5, p. 397 et 402.

Rabanus. Fluvius, abundantia æterna refectionis, ut : « Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ. » — Vita sæcularis, ut : « Absorbebit, etc. » — Ultimum examen, ut : « Fluvius igneus, etc. » — Verba prophetarum, ut : Profunda, etc. » — Sapientia sæcularis, ut : « Fluvios scindes terræ. »

Flumen, Spiritus sanctus, ut : « Fluminis i. l. c. d. » — Genus humanum, ut : « In medio captivorum juxta flumen Chobar [1]. » — Instabilitas sæculi, ut : « In flumine pertransibunt pede. » — Mundus, ut : « Angelus effudit phialam in flumen Euphraten [2]. » — Ecclesia, ut : Flumen Dei r. e. a. » — Sacra Scriptura, ut : « Non videat rivos fluminis. » — Dona sancti Spiritus, ut : « Flumina de v. e. f. » — Christiani, ut : « Flumina plaudent manu. » — Prædicatores, ut : Elevaverunt flumina vocem suam [3]. » — Gentiles, ut : « Et in fluminibus dextera ejus [4]. » — Superbi doctores legis, ut : « Posuit flumina in desertum. » — Transitoria mundi, ut : « Super flumina b. i. s. » — Tentationes, ut : « Nec flumina obruent eam. » — Crimina reproborum, ut : « Væ terræ cymbalo, quæ est trans flumina [5]. » — Tribulatio, ut : « Venerunt flumina, et impegerunt [6]. »

Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 10.

Petrus Capuanus ad litt. VI, cap. 71. Flumen vel fluvius, optimus, bonus, malus et pessimus.

Flumen vel fluvius optimus triplex est : scilicet Deus Pater. Sapientia : « Benedictio Dei, tamquam fluvius inundavit [7]. » — Et Filius Dei. Isaias : « Ecce in ore ejus flumen pacis, ut torrens, inundans gloriam gentium [8]. » Isaias : « Apparebit in Sion, sicut fluvius in terra sitienti [9]. » — Flumen vel fluvius optimus, Spiritus sanctus. Psalmus : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Job : Non videat rivulos fluminis, » id est dona Spiritus sancti.

Flumen, vel fluvius bonus

Exterior quadruplex.	*Interior quadruplex.*
Mundus iste, vel genus humanum	Dona Spiritus sancti.
Gentiles.	Flumen pœnitentiæ.
Quilibet sancti	Flumen Scripturæ, sive doctrinæ.
Prædicatores.	Spiritualis intelligentia.

Flumen bonum anterius dicitur baptismus; quia est quasi janua venientibus ad fidem. Evangelium : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua [10]. » Ad hoc flumen, sicut dicitur in Exodo, descendit filia Pharaonis, ut lavaretur, et invenit ibi Moysen; quia gentilis ecclesia in baptismo invenit et suscipit Christum.

Flumen bonum posterius dicitur ignis judicii. — Dicitur etiam elapsus hujus sæculi, mortalitas vitæ præsentis et decursio generis humani. Super flumina sedent, qui fluctus hujus sæculi calcant; in flumine, qui trahuntur licet inviti, sed non demerguntur; sub flumine, qui submerguntur, et dicunt : « Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum [11]. »

Flumen vel fluvius pessimus triplex est : scilicet fluxus corruptionis, lasciviæ, adulationis et fallaciæ hujus sæculi, sive peccata. — Philosophi vel Judæi, contradictores Christi. — Elati legis doctores...

Quatuor flumina in horto Dei, sunt quatuor virtutes in anima justa; quatuor evangelia in Ecclesia, ex uno fonte, ad irrigandum paradisum prodeuntia; quia doctrina quatuor evangeliorum, de Christi pectore profluente, hortus sanctæ Ecclesiæ irrigatur.

(1) *Chobar*. Ezech. I, 3. — (2) *Euphraten*. Apoc. XVI, 12. — (3) *Suam*. Ps. XCII, 3. — (4) *Ejus*. Ps. LXXXVIII, 26. — (5) *Flumina*. Is. XVIII, 1. — (6) *Impegerunt*. Matt. VII, 25. — (7) *Inundavit*. Eccli. XXXIX, 27. — (8) *Gentium*. Ps. LXVI, 12. — (9) *Sitienti*. Is. XXXII, 2. Hæc de more suo Petrus eruit e veteri quadam interpretatione antehieronymiana. — (10) *Aqua*. Joan. XIX, 13. — (11) *Meum*. Ps. XXXVII, 5.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Fluvius.
- Vita sæcularis.
- Ultimum examen.
- Verba prophetarum.
- Sapientia.

Flumen.
- Ecclesia.
- Mundus.
- Genus humanum.
- Christiani.
- Prædicatores.
- Judæi.
- Gentiles.
- Transitoria mundi.
- Crimina reproborum.

Fluctus.
- Persequutiones.
- Malitiæ pravorum.

Fluenta, corpora virtutum.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Josue, v. 17-36.

Quum turbam ducunt arcamque levita, sacerdos,
Per Jordanis aquam, stans aqua præbet iter.
Hoc fit in Ecclesia, quia per baptisma sacerdos,
Sive levita, tibi monstrat ad astra viam.
Quæ retro prosiliit aqua, cum dulcedine mansit;
In mare quæ fluxum fecit, amara fuit.
In baptizatis par forma videtur haberi :
Dulcia justus agit, pravus amara sapit.
Quum trans Jordanem Moyses terram dedit armis,
Cuncta præit semis et geminata tribus.
Justi viventes in lege notantur in istis,
Qui nos præcedunt auxiliumque ferunt.
Pro nobis pugnant Isaias cum Jeremia,
Cum Daniele Joel, cum Samuele David.
Ex horum libris nostros convincimus hostes :
Hi tot tela gerunt, quot sacra verba ferunt.
Electi proceres de medio flumine tollunt
Bis senos lapides, quos posuere foris.
Bis sex discipuli sunt hi lapides duodeni,
Per baptisma sacrum quos imitando geris.

XXIII.

1. RIVUS, prædicatores [1] : ÷ « Rivos ejus inebrians. » ÷ In Isaia : « Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum [2]. »

÷ 2. Evangelistarum libri : « Et petra fundebat mihi rivos olei [3]. »

÷ 3. Doctorum explanationes : « Locus fluviorum rivi latissimi et patentes [4]. »

÷ 4. Fluenta prædicationis : « In petris rivos excidit [5]. »

XXIV.

1. TORRENS, prædicatores sancti [6] : « Tu rupisti fontes et torrentes [7]. »

2. Impetus persequutionum, vel torrentes iniquitatis [8] : ÷ « Devenerunt ad torrentem Cedron [9]. » ÷ « Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me [10]. Torrentem pertransivit anima mea [11]. »

3. Cursus vitæ mortalis, vel passio Christi [12] : « Circumdabant eum salices torrentis [13]. » ÷ « De torrente in via bibet [14]. »

÷ 4. Inundatio Spiritus : « Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis [16]. »

÷ 5. Prædicatores perversi : « In desertis habitant torrentium [17]. »

(1) *Prædicatio sanctorum* B-G, demto F ut supra. — (2) *Aquarum.* Is. XXX, 25. — (3) *Olei.* Job XXIX, 6. — (4) *Patentes.* Is. XXXIII, 21. — (5) *Excidit.* Job XXVIII, 10. — (6) *Doctrina sanctorum* B-G. — (7) *Torrentes.* Ps. LXXIII, 15. — (8) *Tentationis impetus* B-G. — (9) *Cedron.* II Paralip. XXIX, 16. — (10) *Me.* Ps. XVII, 5. — (11) *Mea.* Ps. CXVIII, 5. — (12) *Passio Christi, mors vel tribulatio temporalis* : hæc addit A paulo infra; B-E abeunt in ampliorem commentarium : *Mortis origo, quæ a primo homine per transgressionem præcepti in hoc mundo defluxit; de quo torrente Salvator in via bibit, quia in præsenti vita mortem gustavit. In psalmo : « De torrente i. v. b. »* — (13) *Torrentis.* Job XL, 17. — (14) *Bibet.* Ps. CIX, 7. — (15) *Eos.* Ps. XXXV, 9. — (16) *Mellis.* Job XX, 17. — (17) *Torrentium.* Job XXX, 6.

6. Vita beata : « Et torrente voluptatis tuæ potabis eos [1]. »

7. Ignis extremi judicii : « Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 11 ad XXIV, n. 4, 6; edit. II, col. 748 A, ad 1, 2, 3, 6; iterum col. 765, ad 2, 3.

Gregorius M. Rivi, sancti prædicatores, ut ibi : « Rivos e. i. » — Haud dubium quin Ecclesiæ rivi evangelistarum libri sunt: « Et petra fundebat mihi rivos olei. » In his quisquis mergitur, interius impinguatur. — Rivi, doctorum explanationes, ut ibi : « Locus fluviorum, etc. » — Fluenta prædicationis : « In petris rivos excidit. »

Torrentis nomine ignis extremi judicii designatur, sicut per beatum Job dicitur : « Lapidem quoque, etc. » Quasi diceret : duri et obscuri contra sanctam Ecclesiam exstiterunt; separabuntur a populo peregrinante, ab illis qui regnum cœleste possidebunt. — Torrentis nomine mortalis vitæ cursus exprimitur, unde ad beatum Job dicitur : « Circumdabunt e. s. t.; » quia infructuosi quique, dum amori vitæ temporalis inserviunt, antiquo hosti perversis moribus familiarius obsequuntur. — Torrentis nomine inundatio sancti Spiritus designatur, ut in libro beati Job de hypocrita dicitur : « Non videat rivulos fluminis torrentis mellis. » Fluminis nomine, Spiritus sancti gratia; quæ dum infunditur, melle nos pariter et butyro replet. Istos rivulos mellis et butyri non videt hypocrita; quia exterioribus favoribus effusus, dum solis visibilibus intendit, quæ sunt dona Spiritus per amorem non attendit. — Torrentis nomine ii qui transitoria diligunt designantur. Sic beatus Job conquirendo loquitur, dicens : « Fratres mei præterierunt, sicut torrens qui raptim transit in convallibus [3]. » Raptim ad convalles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria protrahunt, et ad inferni claustra repente perducuntur. — Torrentis nomine fluenta sacrorum librorum designantur, sicut per Salomonem dicitur : « Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant illum corvi de torrentibus [4]. » Quasi diceret : corvi, id est sancti prædicatores, et qui affluentiam sacrorum librorum denuntiant. Eradicentur eorum oculi, id est impietas illius qui studet patrem subsannare, dum perversa de divina essentia deprehendit, et sanctam Ecclesiam cupit adulterari. — Torrentium nomine inventores perversorum dogmatum designantur. Sic beatus Job dicit : « In desertis r. t. » Jure perversorum dogmatum inventores torrentes vocantur, quia calore charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, cap. 6, 7, p. 404, 406.

Rabanus. Rivi, prædicatores : « Rivos ejus i. »—Fideles : «Rivi l. e. p. »—Rivuli, dona Spiritus sancti : « Non videat, etc. »

Torrens, sapientia Dei, ut : « Torrente v. t. p. e. » — Inundatio sancti Spiritus, ut : « Torrentes mellis n. v. » — Passio Christi, ut : « De torrente in v. b. » — Ultimum judicium, ut : « Dividit, etc. » — Fluxus hujus vitæ, ut : « Salices torrentis. » — Prædicatores, ut : « Pro silice torrentes aureos [5]. » — Item : « Effodiant eum corvi de torrente. »

Petrus Capuanus ad litt. XIX, art. 117.

Torrens [6].

Supremus.	*Medius.*	*Infimus.*
Christus.	Prædicatores.	Mali.
Spiritus sanctus	Mortalitas, pœnalitas et fluxus mortalitatis nostræ.	Tentatio.
Plenitudo gaudiorum felicitatis, et delectationis supernæ.		Hypocrita.
		Hæretici, inventores perversorum dogmatum.

(1) *Eos.* Ps. — (2) *Peregrinante.* Job XXVIII, 4. — (3) *Convallibus.* Job VI, 15. — (4) *Torrentibus.* Prov. XXX, 17.—(5) *Aureos.* Job XXVIII, 24.—(6) *Torrens.* Schema proferre sufficiat, sacris textibus destitutum.

Torrens autem, ad litteram, solet fluere subito et repente, et impetuose, cum vehementia, velociter, copiose, et occulta est ejus origo. Ergo et Spiritus sanctus vel ejus dona dicuntur torrens, propter motum repentinum. Actus : « Factus est repente de cœlo sonus [1]. » Nonne subito et repente descendit, quando, sicut legitur in Actibus : « Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audierunt verbum, et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui erant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est [2] ? » — Item, propter impetum. Psalmus : « Fluminis impetus l. c. d. » Nonne impetuose processit, quando Dominus portavit Habacuc cum capillo capitis sui, et posuit eum super locum ubi erat Daniel, in impetu Spiritus sui? — Item propter vehementiam. Actus : « Tamquam advenientis spiritus vehementis. » Nonne vehementer descenderat super discipulos, quorum mentes vehebat ad superna, ut linguis omnium loquerentur? — Item propter velocitatem. Psalmus : « Velociter currit Spiritus ejus [3]. » Nonne velox est Spiritus, de quo legitur in Sapientia : « Est enim in illa Spiritus intelligentiæ, sanctus, multiplex, unicus, subtilis, modestus, disertus, mobilis [4], etc.? — Item propter copiam. Evangelium : « Spiritus sanctus docebit vos omnia [5]. » Nonne copiose descendit in caput nostrum, in quo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et unxit eum Deus, Deus suus, oleo lætitiæ præ consortibus suis? quando unguentum unctionis adeo fuit effusum in capite, quod de plenitudine ejus accepimus omnes : eo quod a capite descendit unguentum in barbam Aaron ; et a barba stillavit usque in oram vestimenti. — Item propter occultam originem. Evangelium : « Spiritus ubi vult spirat [6]. » Nonne occulta est ejus origo, de quo ait etiam beatus Job : « Si venerit ad me, non videbo eum, et si abierit, non intelligam [7] ? »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Rivus.
- Prædicatores.
- Fideles.
- Scientiæ.

Torrens.
- Ultimum judicium.
- Prædicatores.
- Sapientia.
- Doctrina judæorum, hæreticorum.
- Mortalitas, passibilitas.
- Vitia, rixæ.
- Pœnæ inferni.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 9392-9417.

Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.

Altus erit puteus, in quo fons ille latebat,
Qui nobis vitæ pocula sancta dabat.
Fons sacer iste mei rotet penetralia cordis,
Ut fons mysterii profluus inde fluat.
Perversis oculis, perverso corde loquentes,
Subsannant sanctam schismata falsa fidem.
Hi dum judicia et mandata Dei reprehendunt,
Subsannant Patrem qui super astra sedet.
Despiciunt partum matris, dum dogmata patrum
Splendida derident, Ecclesiæque fidem.
Hæc mater generavit eos baptismate, quæ nunc
Armis perfidiæ, schismaticisque secant.
Quorum scripturas et dogmata falsa magistri
Catholici vertunt et lacerando terunt.
Sic aquilæ pulli torrentis, sic quoque corvi :
Perversos oculos hæc vorat, iste fodit.
Dicuntur pulli, dum se peccasse fatentur ;
Corvi, dum pudet hos sordibus esse nigros.
Nos ideo corvos dic de torrente venire :
Nam nigra corda Dei gratia sancta lavat.
Hi fiunt aquilæ pulli, dum gratia confovet alis
Hos lue purgatos, et super astra levat.
Sic fodiunt, comedunt oculos qui schismata scribunt;
Doctorum superat hos ubi sancta fides.
Nostra tuo torrente, Deus, Salomonis in hortum
Virtutum pennis lota nigredo volet.

(1) *Sonus.* Act. II, 2. — (2) *Est.* Act. X, 44, 45. — (3) *Ejus.* Ps. CXLVII, 18. — (4) *Mobilis.* Sapient. VII, 22. — (5) *Omnia.* Joan. XVI, 3. — (6) *Spirat.* Joan. III, 8. — (7) *Non intelligam.* Job IX, 11.

XXV.

1. Fons, Christus [1] : ÷ « Erit fons [2] patens domui David [3]. » : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ [4]. »

2. Baptismus : ÷ « Et fons de domo Domini egrediebatur [5]. » ÷ Et in aliam partem, in propheta : « Desiccabitur fluvius a fonte suo [6]. »

3. Prædicatores [7] : « Haurite aquas in gaudio de fontibus Salvatoris [8]. » : Et in aliam partem, per Joel : « Sed et bestiæ agri suspexerunt ad te, quia exsiccati sunt fontes aquarum [9]. »

4. Origo generis humani : « Antequam rumpatur funis argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem [10]. »

÷ 5. Gratiæ spiritualis dona : « Qui emittit fontes in convallibus [11]. »

÷ 6. Hæretici : « Illi fontes sine aqua [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus in *Carm.* vi, v. 6.

Sylvius, ibid., v. 10.

Nicetas, serm. iii, p. 331.

Phœbadius, p. 262 a.

Eucherius, ed. i, cap. iii, p. 11, ad 2; ed. ii, col. 747 b, ad 1, 2, 6; iterum col. 765 d, ad 1, 5, 6.

Orientius, v. 5 et 140.

Gregorius M. Fons, Redemtor noster, ut ibi : « Erit fons, etc. » Christus est enim fons occultus, fons patens. — Fons occultus, invisibilis, Deus; fons patens, Filius incarnatus; unde bene dicitur : « Domui David, » quia ex semine David secundum carnem natus est. In hoc fonte lavatur peccator, et qui delinquit in opere lavatur, et menstruata, id est mens quæ polluitur ex fluxa cogitatione. — Fontes sunt fluenta veritatis, ut ibi : « Tu dirupisti fontes, etc. » Quod utique Dominus fecit, quum in apostolorum cordibus fluenta veritatis aperuit. — Fons, Ecclesia; ut ibi : « Hortus conclusus es, soror mea, sponsa, fons signatus [13]. » Hortus dicitur propter virtutum aromata, seu germina gratiarum; fons, propter affluentiam sacramentorum; unde et signatus dicitur, quia et ipsa sacramenta quasi sacræ rei insignia dicuntur, dum aliud ostendunt in specie, et aliud occultant in virtute.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. vii, c. 8, p. 409.

Rabanus. Fons, Christus, ut : « Fons patens d. d. » — Æterna beatitudo, ut : « Apud te est fons vitæ [14]. » — Ecclesia, ut : « Hortus conclusus, etc. » — Anima hominis, ut : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium [15]. » — Pœna mortalitatis, ut : « Fatigatus sedebat super fontem [16]. » — Peccatum avaritiæ, ut : « Fons ascendebat de terra [17]. » — Prædicatores, ut : « Haurietis a. d. f. s. » — Doctrinæ spirituales, ut : « Qui emittis f. i. c., etc. » — Scripturæ sacræ, ut : « In ecclesiis benedicite Dominum de fontibus Israel [18]. » — Dona æternæ gratiæ, ut : « Deriventur fontes tui. » — Peccata, ut : « Desolabit Dominus fontes ejus [19]. »

Cf. *de Universo*, lib. xi, c. 11.

Notker., *Sequentia* xxxvi, v. 6.

(1) *Salvator, in Jeremia : me* B-G ; vacat F. — (2) *Fons.* Zachar. xiii, 1. — (3) *In ablutionem peccatorum et menstruatæ*, B-G. — (4) *Vivæ.* Jerem. ii, 13. — (5) *Egrediebatur.* Joel. iii, 8. *Egredietur* B, C, D, G. — (6) *Suo.* Is. xix, 5. — (7) *Sancti prædicatores; in Isaia. Haurietis aquas* B-G. — (8) *Salvatoris.* Is. xii, 3. — (9) *Aquarum.* Joel i, 20. — (10) *Fontem.* Eccle. xii, 6. *In Salomone : antequam — fontem , id est caro hominis per mortem* B-G — (11) *Convallibus.* Ps. ciii, 10. — (12) *Aqua.* II Petr. ii, 17. — (13) *Signatus.* Cant. iv, 12. — (14) *Vitæ.* Ps. xxxv, 10. — (15) *Viventium.* Cant. iv, 15. — (16) *Fontem.* Joan. iv, 6. — (17) *Terra.* Genes. ii, 6. — (18) *Israel.* Ps. lxvii, 27. — (19) *Ejus.* Osee xii, 15.

Petrus Cantor. Fons est eruditionis; hic rigat. — Charitatis; hic sanat. — Beatitudinis, hic lætificat.

Fons eruditionis signatur per illuminationem vel manifestationem; unde : « Fontes tui deriventur foras; » id est, doctrinam tuam aliis communica. Et : « Aquas tuas in plateis divide, » id est, in illis qui habent latitudinem charitatis.

Fons charitatis signatur per discretionem; unde : « Sit tibi fons proprius tuus. Non communices alienis [1]. » Fons est charitatis; alienus, hæreticus, vel infidelis, vel exsistens in mortali peccato.

Fons æternitatis clausus est electis per separationem; unde : « Quoniam apud t. e. f. v. » Fons ergo dicitur quandoque doctrina, quandoque charitas, quandoque beatitudo.

Distinctionum monast. lib. I, *De fonte*. Fons dicitur Pater Deus; unde

Kyrie, fons bonitatis, Pater ingenite [2].

Fons, etiam Filius; unde Psalmista : « Apud te est fons vitæ. » Et versificator [3] :

Fons et origo boni, patitur Deus in cruce poni.

Fons nihilominus Spiritus sanctus; unde :

Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, ignis, charitas.

Fons, sancta Trinitas; unde : « Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum [4]. » — Fons, charitas. — Baptismus. — Sacra doctrina. — Apostoli. — Sancta Ecclesia.

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Anonymus Clarevallensis. Fons est caput aquæ nascentis, quasi aquam fundens. Fons de terra scaturit; in rivos dividitur; dulce murmurat; scaturit sursum; lapidem tollit; sitim relevat; clarus, leviter turbatur; in hyeme calet; in æstate friget; cujus origo occulta, facilis exhaustio.

Fons.

Christus.	Prædicatores.
Æterna beatitudo.	Doctrinæ spirituales.
Ecclesia.	Sacra Scriptura.
Anima hominis.	Bona gratiæ internæ.
Pœna mortalis.	Peccata.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Cant., v. 608-613.

Fons signatus.

Fons est hic pia mens meditans cœlestia : vivos
In se non cessat doctrinæ gignere rivos.
Cuilibet ex istis, inquit Scriptura, fluentis,
Hinc erit in vitam fons vivus aquæ salientis.
Fons est signatus, quia Spiritus intima celat
Mentibus indignis, nec mystica scripta revelat.

II.

Ib. v. 627-638.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium.

Fons est et puteus sacra pagina, grata sapore
Eloquii sacri, cœlesti plena liquore.
Fons est hortorum, quia pectora mundat eorum,
In quibus accrescunt sanctorum germina morum.
Est fons et puteus de quo vivens aqua manat,
Quæ reficit populos, et eorum vulnera sanat.
Fons patet, et leviter sitientis sumitur ore;
Sed trahis ex puteo majore fluenta labore.
Sic in Scripturis, quasi fons, sacra littera stillat,
Et tamquam puteus, sensum quandoque sigillat.
Fons est Scripturæ levitas; Scriptura profunda
Est puteus, de qua latitans vix sumitur unda.

XXVI.

1. Puteus, Christus [5] : « Habitavit Isaac ad puteum juramenti [6]. » ÷ Item ibi : « Puteus viventis et videntis : ecce inter Cades et Barac [7]. »

2. Fluenta gratiæ spiritualis [8] : « Bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui [9]. »

3. Sacri libri [10] : « Iterum fodit Isaac puteos, quos foderant pueri patris sui Abrahæ [11]. »

(1) *Alienis*. Prov. v, 9, quoad sensum. — (2) *Ingenite*. Celebres sunt hujusmodi cantus, dicti apud Cangium : *Kyrie ad litteram*. Vide h. v. — (3) *Versificator*. Tam ignotus ille mihi, quam cunctis tritissimus hymnus infra laudatus. — (4) *Vivum*. Ps. xli, 2. — (5) *Salvator, vel evangelicus sermo : in Genesi* B-G, F vacante ibi et infra usque ad art. xlviii. — (6) *Juramenti*. Genes. xxi, 32. — (7) *Barac*. Ib. xxiv, 62. — (8) *Spiritualis intelligentiæ, in Salomone* B G. — (9) *Tui*. Prov. v, 15. — (10) *Libri legis et prophetarum :* in Genesi B E. *Iterum—quos foderunt* B-C. — (11) *Abrahæ*. Genes. xxvi, 18.

÷ 4. Præsentis vitæ profundum, unde Jeremias extrahitur.

÷ 5. Peccati profundum : « Non me demergat [tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum] [1]. »

÷ 6. Infernus, vel diabolus. In psalmo : « Neque operiet super me puteus os suum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 27; ed. II, col. 765 D ad 2 et 6.

Gregorius M. Puteus, peccati profunditas, ut ibi : « Neque urgeat, etc. » — Sæcularis vitæ profunditas : de hoc puteo Jeremias extrahitur funibus, quum quis in novitate vitæ spiritualis de mundana conversatione præceptis dominicis sublevatur ; sed ne manus tenentis incidantur, pannis veteribus involvuntur; quia, ne præcepta divina nos terreant, antiquorum exempla nos confortant. — Sacræ historiæ libri, quos scilicet velut cum Isaac fodimus, quum Scripturæ sacræ abditis sensibus alte penetramus. Sed interdum allophylos obruentes incurrimus, quum in meditationibus nostris malignorum spirituum insidias toleramus. — Possunt autem per puteos profunda cordium nostrorum intelligi, quæ tam diu fodere convenit, donec ad aquam possimus veræ intelligentiæ pervenire.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 9, p. 411.

Rabanus. Puteus, secretum contemplationis : « Fons hortorum p. a. v. » — Scriptura : « Vidit puteum in agro, tres quoque greges [3]. » — Secretum cordis : « Isaac fodit puteum. » — Hæreticus : « Obscuratus est sol de fumo putei [4]. » — Mortalitas nostra : « Puteus altus est [5]. » — Profunditas vitiorum : « Neque urgeat, etc. » — Infernus : « Deduces eos in puteum interitus [6]. »

Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 12.

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. 74. Puteus æthereus, aereus, mundanus, tartareus.

Puteus æthereus duplex : scilicet ipse Christus. Evangelium : « Puteus altus est. » Qui altus et profundus fuit quantum ad divinitatem et etiam humanitatem. Hujus putei profunditatem Joannes advertens inquit : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus [7]. » Hic est puteus Bersabee, id est puteus septimus, quia scilicet ab ipso et per ipsum septem dona Spiritus percipiuntur. In hoc puteo sunt aquæ vivæ. Evangelium : « Tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam [8]. » — Puteus etiam æthereus dicuntur alta Scripturæ sacramenta et occulta mysteria. Unde Abraham, Isaac et illi antiqui Patriarchæ puteos fodisse et eruderasse leguntur in Genesi, quia ad hæc laborabant, ut invenirent et proderent abscondita mysteria Scripturarum. Hos tamen puteos alienigenæ nitebantur implere, quia exercitia ingeniorum nostrorum in hujusmodi nituntur dæmones impedire. Hinc Agar ad puteum angelum videt, quia qui legit, ad angelicam contemplationem accedit. Hinc Jacob et alii patriarchæ ad puteos uxores inveniebant, quia lectores ad Scripturarum puteos sibi sapientiam copulant in uxorem. Sapientia : « Dic sapientiæ : Soror mea es. Et prudentiam voca amicam tuam [9]. » — In his puteis est aqua veritatis. Sapientia : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui [10]. »

Puteus aereus duplex : scilicet sancta Ecclesia, in qua sunt aquæ gratiæ et cæteræ hujusmodi sacramentales aquæ. Canticum : « Fons hortorum, etc. » In hoc puteo sunt aquæ sanctificationis. Psalmus : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor. » —

(1) *Suum*. Ps. LXVIII, 16. Ibid. Locum e Vulgata supplevimus. — (2) *Suum*. Ibid. ex alia versione. — (3) *Greges*. Genes. XXIX, 2. — (4) *Putei*. IX, 2. — (5) *Est*. Joan. IV, 11. — (6) *Interitus*. Ps. LIV, 24. — (7) *Ejus*. Luc. III, 16. — (8) *Vivam*. Joan. IV, 10. — (9) *Tuam*. Prov. VII, 4. — (10) *Tui*. Prov. V, 15.

Puteus etiam aereus dicitur baptismus, ubi oves fidelium adaquantur. Genesis : « Profectus inde Jacob, venit in terram orientalem : vidit puteum in agro, tresque greges ovium accubantes juxta eum; nam ex illo adaquabantur pecora [1]. »—Unus ergo videt puteum; quia unus Dominus, una fides, unum baptisma. Tres greges juxta eum, qui adaquandi erant; quia Hebræi, Græci et Latini abluendi erant aqua baptismi. In hoc puteo sunt aquæ mundationis. Ezechiel : « Effundam super vos aquam mundam [2], etc. »

Puteus mundanus est tenebrosa profunditas hujus mundi et obscura confusio humanæ naturæ. Ad hunc venit Dominus hora sexta. Evangelium : « Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat super puteum; hora erat quasi sexta [4]; » quia in sexta ætate venit plenitudo temporis. » Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege [4]. » Tantum super puteum sedit, quia supra communem hominum statum, ad nos descendit; quia ingressus est mundum sine macula, et peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. In hoc puteo sunt aquæ infirmitatum et persequutionum multarum.

Puteus tartareus triplex : scilicet peccandi assiduitas et profunda desperatio. Psalmus : « Neque urgeat super me, etc. » In hoc puteo sunt aquæ cupiditatis mundanorum. Evangelium : « Frequenter eum in ignem et aquam mittit [5]. » — Puteus quoque tartareus est tenebrosa confusio hæreticorum. Apocalypsis : « De fumo putei exierunt locustæ [6]. » In hoc est aqua, id est falsa doctrina hæreticorum. Sapientia : « Aquæ furtivæ dulciores sunt [7]. »—Puteus etiam tartareus dicitur infernus. Psalmus : « Deduces eos in puteum interitus. » — In hoc puteo suffocant damnatos aquæ inæstimabilis frigoris. Job : « Transibunt ab aquis niveis ad calorem nimium [8]. »

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Puteus.

Peccati profunditas. Sacræ historiæ libri. Sæcularis vitæ profunditas.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Genes., v. 1214-1231.

Egrediens Isaac vacat, ut meditetur in agro,
Quum foret instanti vespere prona dies.
Hinc puteus vicinus erat, qui non sine causa
Nomen *Viventis*, sive *Videntis* habet.
Mundus, ager; Jesus est Isaac; meditatur in agro:
Facta salus mundi, sic meditante Jesu.
Vespere prona dies notat hoc, quod vespere mundi
Christus adest, fundens lumen in orbe suum.
Fons sacer est puteus, qui nos a crimine mundat,
Vivere cum sanctis, summa videre facit.
Ad sponsum veniens ornatur, deque camelo
Descendens, vultum veste Rebecca tegit.
Cum Christo justi debent accedere, fastu
Deposito, vultu supplice, mente pia.
Est Isaac tanto complexus amore Rebeccam,
Quod dolor ex matris morte repulsus abit.
Sic amat Ecclesiam Christus, de gentibus ortam,
Ut quasi nil doleat, quum Synagoga perit.

II.

Ib., v. 1250-1259.

Pauca serens Isaac primo ditatur in anno :
Nam centena prior reddidit annus ei.
Sic modo justitiæ perfecti grana serentes,
Fructus centenos post sine fine metunt.
Ut foderent puteos servos Abrahæ labor urget,
Hosque Philisthæi livor adimplet humo.
Per servos Abrahæ doctores accipe sanctos,
Qui de Scripturis mystica verba trahunt.
Sed plerumque mali, qui nil sapiunt nisi terram,
Verbis intrudunt terrea verba sacris.

XXVII.

÷ STAGNA, philosophia hujus mundi. In Isaia : « Ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam [9]. »

(1) *Pecora*. Genes. XXIX, 2. — (2) *Mundam*. Ezech. XXXVI, 25. — (3) *Sexta*. Joan. IV, 6. — (4) *Lege*. Galat. III, 24. — (5) *Mittit*. Marc, IX, 21. — (6) *Locustæ*. Apoc. IX, 3. — (7) *Sunt*. Prov. IX, 17. — (8) *Nimium*. Job XXIV, 19. — (8) *Arefaciam*. Is. XLII, 15.

XXVIII.

1. Lacus, dolor vel lapsus in morte : « Lacum aperuit, et fodit eum [1]. »

2. Lacus, infernus : « Portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum [2]. » ; In psalmo : « Posuerunt me in lacum inferiorem, in tenebrosis, et in umbra mortis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I. p. 11; ed. II, col. 748 B ad XXVIII, 2.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 10, p. 413.

Gregorius M. Lacus, peccatum; unde Jeremias sub Judææ specie lamentatur : « Lapsa est in lacum vita mea [4]. » In lacum vita labitur, quum labe iniquitatis inquinatur. — Infernus, ut ibi : « Portaverunt ignominiam [5] suam cum iis qui descenderunt in lacum [6]. »

Rabanus. Lacus, infernus, ut : « Cum his qui, etc. » — Corruptio carnis, ut : « Assimilabor descendentibus in lacum [7]. » — Calamitas mundi, ut : « Eduxit me de lacu miseriæ [8]. » — Vitia : « Salvasti me a descendentibus in lacum [9]. »

Cf. *de Universo*, lib. XI, c. 8, col. 316.

Petrus Capuanus ad litt. XVIII, art. 92.

Stagnum Scripturæ, stagnum gratiæ et stagnum gehennalis pœnæ.

Stagnum Scripturæ dicitur Lex. Evangelium : « Jesus stabat secus stagnum Genezareth [10]; » quia ipse scilicet non venit legem solvere, sed adimplere. — Stagnum gratiæ, id est aqua baptismi. Psalmus : « Posuit desertum in stagnum aquæ, et rupem in fontes aquarum [11], » quia scilicet rudes gentiles convertit ad aquas baptismi. Isaias : « Quæ erat arida, erit in stagnum [12]. » — Stagnum gehennalis pœnæ est infernus. Apocalypsis : « Vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis [13]. » Apocalypsis : « Diabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris [14]. »

Primum stagnum bonum; secundum, optimum; tertium, pessimum. In primo piscabatur Dominus Jesus, quando vidit duas naves stantes secus stagnum; et ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, et vocavit eos. Nonne in hoc piscabatur Dominus Jesus, quando, tamquam scriba doctus in regno cœlorum, de thesauro suo nova et vetera proferebat? — In secundo piscabantur apostoli, quando (secundum quod eis promissum fuerat : « Faciam vos fieri piscatores hominum [15] ») dictum est eis : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [16]. » Nonne in hoc piscabatur, et magnum piscem cepit Philippus? quando, quum dixisset eunuchus : « Ecce aqua : quis prohibet me baptizari? » respondit Philippus : « Si credis ex toto corde, licet. » Et descenderunt in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum [17]. — In tertio mittuntur pisces mali. Evangelium : « Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt [18]. » Nonne in hoc mittentur pisces mali, quando mittet angelos suos, et colligent de regno omnia scandala; et reprobi alligabuntur in fasciculos ad comburendum?

Anonymus Clarevallensis.

Lacus.
- Infernus, vel miseria hujus vitæ.
- Peccatum.
- Miseriæ, vel carnales concupiscentiæ.
- Profundum vitiorum.
- Hæretici.

(1) *Eum.* Ps. VII, 16. *Effodit* D, E. B-E addunt κατὰ νοούμενον, aut forte ex sphalmate : « Et alibi : *Laqueos* paraverunt pedibus meis (Ps. LVI, 7). » — (2) *Lacum.* Ezech. XXXII, 24. — (3) *Mortis.* Ps. VII, 8. *In lacum inferiorem* B-D. — (4) *Mea.* Thren. III, 53. — (5) *Ignorantiam.* Cod. ita et Garnerii Gregorianus. — (6) *Lacum.* Ps. XXVII, 1. — (7) *Lacum.* Ps. XXVII, 1. — (8) *Miseriæ.* Ps. XXXIX, 3. — (9) *Lacum.* Ps. XXIX, 4. — (10) *Genezareth.* Luc. V, 1. — (11) *Aquarum.* Ps. CVI, 35. — (12) *Stagnum.* Is. XXXV, 7. — (13) *Ardentis.* Apoc. XIX, 20. — (14) *Sulfuris.* Apoc. XX, 15. — (15) *Hominum.* Marc. I, 17. — (16) *Sancti.* Matt. XXVIII, 19. — (17) *Eum.* Act. VIII, 36. — (18) *Miserunt.* Matt. XIII, 47.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evang., v. 1035-1044.

Inde duas naves videt instantes prope stagnum
Genezareth, quarum Simonis una fuit.
Et quia post illum plebs multa fluebat, in illam
Ascendens navem, verba beata serit.
Post hæc verba, jubet ut Simon mittat in altum
Retia : mittuntur, plurima præda datur.
Tot capiunt pisces, ut credas retia rumpi.
Pene stupens Petrus, pronus adorat eum.
« Ne timeas, inquit Jesus, ex hoc altera tendes
Retia : piscator gentis et orbis eris. »

XXIX.

1. UNDÆ [1], tentationes : « Stetit unda fluens; gelaverunt undæ in medio maris [2]. »

2. FLUCTUS, tentationes : ÷ « Huc usque venies [3]. » ÷ In psalmo : « Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt [4]. » Et alibi : « Sonum autem fluctus ejus quis sustinebit [5]? »

÷ 3. Semitæ pravorum : « Pedes meos subverterunt, et oppresserunt, quasi fluctibus semitis suis [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

ETCHERIUS ed. I, p. 12; ed. II, col. 748 D, ad 1, 2.

GREGORIUS M. Fluctus, tumultus tentationum, ut ibi, contra pravorum sævitiam sub appellatione maris dicitur : « Hic confringes tumentes, etc., » quia, etsi tumultuosis cogitationibus mentem percutit [tentatio], statuta bene vivendi littora non excedit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 15, p. 415.

RABANUS. Fluctus, persequutiones, ut : « Qui graditur super fluctus maris [7]. » — Malitiæ pravorum, ut : « Confringes t. f. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

[*Require ad fluvium.*]

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 9433-9442.

Currens per maria ratis est hic hostis iniquus,
Per quem nequitiæ ventus et unda fremunt.
Hinc illud : « Pulchræ velox ego filia sylvæ,
Curro vias longas, vestigia nulla relinquens. »
Sic tacitus Satan et velox per mare mundi,
Ut justos puniat, insidiando volat.
Unda levis ventusque notant hostis levitatem,
Instabilisque nimis pectoris iste viros.
Sic graditurque volatque per æquora, navis ad [instar,
Ut numquam vel homo quis sciat ejus iter.

XXX.

1. CISTERNA, prava doctrina [8] : « Foderunt sibi cisternas dissipatas [9]. »

÷ 2. Recta intelligentia. In Salomone : « Bibe aquam de cisterna tua [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS, et GARNERIUS LINGONENSIS. Cisterna, sacra Scriptura, ut : « Si quis aperuit cisternam [11]. » — Cor hominis, ut : « Bibe aquam d. c. t. » — Mens prava, ut : « Frigidam facit cisterna aquam [12]. » — Infernus, ut : « Miserunt Joseph in cisternam [13]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS, *cum iisdem concordat.*

(1 *Unda* B-E.—(2) *Maris.* Exod. XV, 8.—(3) *Tuos.* Job XXXVIII, 11. — (4) *Transierunt.* Ps. XLI, 8. — (5) *Sustinebit* Ps. LXIV, 8. — (6) *Suis.* Job XXX, 12. — (7) *Maris.* Job IX, 8. — (8) *Hæretici, vel prava intelligentia, in Jeremia* B-G. — (9) *Dissipatas.* Jerem. II, 3. — (10) *Tua.* Prov. V, 15. — (11) *Cisternam.* Exod. XXI, 33. — (12) *Aquam.* Jerem. VI, 7. — (13) *Cisternam.* Genes. XXXVII, 24.

PETRUS CAPUANUS.

Cisterna.

Exterior, sacra Scriptura.	Inferior, duplex :
Interior, mens justi.	Doctrina falsa hæreticorum.
	Sepulcrum Christi.

In Scripturæ cisterna continetur interdum aqua carnalis intelligentiæ. Quidam tamen ex hac bibunt vinum. Aquam in hanc cisternam fudit Moyses, quando « Lex per Moysen data est. » Sed vinum fudit Dominus Jesus, quando « gratia et veritas per Jesum Christum facta est [1]. » Gustat ex hac cisterna aquam de manu Moysi, qui ait in Exodo, ut in pascha tingat Judæus utrumque postem et superliminare domus suæ sanguine agni et sic liberetur ab angelo exterminatore. Ecce Moyses infudit liquorem : gusta ergo quod aqua sapit. Sed accede ad Dominum Jesum qui etiam mutavit olim in Cana Galilææ, et adhuc etiam mutare novit aquam in vinum. Ergo, Domine Jesu, frange esurienti panem tuum. Frange, Domine Jesu, ut et nos agnoscamus te in fractione panis. Funde nobis ex hac cisterna aquam vinum factam, de qua sponsionem fecisti Samaritanæ, dicens : « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [2]. »

Itaque vertatur tibi per Dominum Jesum aqua in vinum; aspice verum agnum. Demonstrat eum tibi Joannes cum digito, dicens : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi [3]. » Sume sanguinem in pascha ex ipso fusum; quem miles etiam ille tibi potius quam sibi fudit, quando « unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua [4]. » Tinge utrumque postem domus tuæ, postem scilicet cordis, quia corde creditur ad justitiam; et postem oris, quia ore confessio fit ad salutem. Sed adhuc etiam restat ut tingas superliminare frontis, ut scilicet absit tibi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, ut sic libereris ab illo exterminatore, qui est malleus universæ terræ : cui sic munitus poteris resistere fortis in fide, dum scuto fidei ejus ignita jacula repelles. Sic et in cæteris figuris et de manu Moysi aquam, et de manu Christi vinum gustabis ex cisterna Scripturæ.

Sed etiam ex cisterna evangelica de manibus Domini Jesu poteris simul et aquam et vinum gustare. Inquit enim : « Exit qui seminat seminare semen suum [5]. » — Ecce fudit tibi de sua cisterna liquorem. Sed, o Domine Jesu, gustamus liquorem a te fusum, non tamen sapit nobis nisi aqua. Attende ergo quod vinum non habent, nec excusationem captabis, ut dicas : « Nondum venit hora mea [6], » quia ecce jam venit plenitudo temporis; et hoc a te postulaverunt etiam illi secretarii tui, quos elegisti, et apostolos nominasti; ut scilicet dissereres eis parabolas, quas dicebas. Itaque etsi olim jusseris impleri hydrias aqua, nunc converte aquam in vinum; ut vinum lætificet cor hominis, et gustet architriclinus, id est animus noster, aquam vinum factam.

Adhuc sic te loquente, adest, nec mora : sed statim convertit tibi aquam in vinum, quum subdit : « Semen est verbum Dei, etc. » Gusta ergo vinum dulce, ex aqua factum. Commendet noster architriclinus jam saporem, et dicat omnis homo : « Primum bonum vinum ponunt : tu autem servasti bonum usque adhuc. » Sic et in cæteris quæ exposuit Dominus Jesus, poteris ex aqua vinum factum gustare.

PETRUS DE RIGA aut HILDEBERTUS [7].

Aurora, in Genes., v. 1542-1561.

Projicite eum in cisternam.

Fratres immemores fraterni nominis, urgent
Maturantque scelus propositoque student.
Ne sibi se perdat, ne fratrem mutet in hostem,
Ut scelus excludat, prodit in ista Ruben :
« Vestrum compescat rationis habena furorem,
« Non maculet puras sanguinis unda manus.
« Pro puero nobis decor ejus supplicat oris,
« Sunt oratores jus, pietas et amor.

(1) *Est.* Joan. I, 17. — (2) *Æternam.* Joan. IV, 13. — (3) *Mundi.* Joan. I, 29. — (4) *Equa.* Joan. XIX, 34. — (5) *Suum.* Luc. VIII, 5. — (6) *Mea.* Joan. II, 4. — (7) *Hildebertus.* Cf. *Opp.* p. 1314, ed. Beaug.

« Simplicitas veniam, si quid deliquerit, orat.
« Excusat puerum nescia vita mali.
« Tot bona nituntur vestrum mollire furorem
« Tot precibus frangi saxea verba queunt.
« En cisterna vetus, quam longi temporis usus
« Compulit in senium, protegat illa Joseph.
« Hoc est mite scelus; hæc impietas pia; juste
« Peccabit noster hoc pietate furor. »
Verbum pondus habet; puerum cisterna recepit:
Culpam commendat hujus imago boni.
Gaudet, abitque Ruben, reliqui jejunia solvunt,
Comprimit esca famem, consulit unda sitim [1]...

XXXI.

÷ Gurgites, multiplex doctrina prædicationis : « Qui aufert stellas, et effundit imbres ad instar gurgitum [2]. »

XXXII.

÷ Stillicidium, verbum prædicationis : « In stillicidiis ejus lætabitur germinans [3]. »

XXXIII.

÷ Canales, divini libri : « Posuitque eas in canalibus [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Gurgites multiplex expositorum prædicatio, ut ibi : « Effundit imbres, etc.; » id est quum mittit prædicatores primos, quorum per dicta sequentium uberiores prædicationes emanant.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 11, 13, 14, p. 414.

Rabanus. Canales, expositiones Scripturæ, ut : « Virgas posuit i. c. » — Mentes justorum, ut : « Purpura regum juncta canalibus [5]. » — Gurges, impetus persequutionis, ut : « Gurges aquarum transiit [6]. » — Stillicidia, fideles, ut : « In stillicidiis lætabitur germinans. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 70. Christus ipse est fons paradisi, qui dividitur in quatuor flumina, quia in ipso in Ecclesia manaverunt quatuor Evangelia. Ipse est fons qui Agar sitienti vitam reddidit; quia et Synagogæ justitiam sitienti vitam reddidit, dum ex ea apostolos elegit. Ipse est puteus ex quo Rebecca adaquavit camelos, quia ex ejus fluentis gentilis Ecclesia fideles potavit. Ipse est petra illa quæ percussa dedit aquas in abundantiam; quia in cruce unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua, qua et populus Christianus est refectus. Ipse est aqua de Bethleem allata, quam David libavit Domino; quia et ipse fons misericordiæ, tamquam pro populo oblatus est in ara crucis. Ipse est fons hortorum, puteus aquarum viventium; quia ecclesiæ ab ipso rigatæ hauriunt aquas vitæ et fluenta donorum. Hoc est vas aquæ ad caput Heliæ, de qua bibit, quando eum angelus excitavit, et ostendit ei etiam subcinericium, et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb; quia nos refecti pane sacræ Scripturæ, oportet ut etiam fluentis gratiæ ejus recreemur, ut possimus usque ad montem Dei Horeb ambulare : ibi ille qui apparuit Moysi in rubi specie, nobis apparebit in majestate, quando videbimus eum sicuti est. Ipse est aqua, quam Ezechiel vidit egredientem de templo a latere dextro, quæ salvavit omnes ad quos veniebat; quia ex templo illo cœlesti

(1) *Sitim.* Cf. cap. VI, art. 7. — (2) *Gurgitum.* Job XXXV, 27. — (3) *Germinans.* Ps. LXI, 11. — (4) *Canalibus.* Genes. XXX, 38. — (5) *Canalibus.* Cant. VII, 5. — (6) *Transiit.* Habac. III, 10.

fons vitæ manavit, ut nos ad Patris dexteram collocaret. Ipse est natatoria Siloe, quæ interpretatur Missus, in quibus cæcus lavit et vidit; quia fide illuminantur oculi ejus qui credit in eum missum ab arce Patris. Ipse est fons Jacob, de quo, sicut dicitur in Evangelio, bibit ipse et pecora ejus; quia tam prælati quam subditi, nisi de fonte gratiæ ejus hauriant, arescunt. Ipse est puteus Samaritanæ, per cujus aquam Samaritani salvantur; quia per fluenta gratiæ suæ salvantur gentiles : qui puteus altus est secundum divinitatem. Ipse est piscina, quinque porticus habens, in quam descendebat et sanabatur unus; quia in corpore ejus quasi quinque porticus sunt quinque vulnera, scilicet duo in manibus, duo in pedibus, unum in latere : per quorum fidem salvantur quicumque pertinent ad illam tunicam, de qua legitur in Evangelio : « Erat autem tunica Domini inconsutilis, desuper contexta per totum [1]. » Hoc fonte siccatus est fluvius hemorroissæ illius, quæ fluxum sanguinis patiebatur. Ipse est fons aquæ vivæ, quem angelus ostendit Joanni in Apocalypsi splendidum; quia ex fluentis gratiæ ejus vivunt omnes qui ejus gratiam consequuntur.

Biblia codic Bellevall. Gurgites, multiplex expositorum prædicatio.

Anonymus Clarevallensis. Stillicidia, doctrinæ sanctorum, ut : « In stillicidiis e. l. q. » — Doctrinæ apostolorum, ut : « Cœli distillaverunt a facie Dei Sinai [2]. » — Gratia Dei, vel levis descensus ejus in uterum virginalem, ut : « Sicut stillicidia stillantia super terram [3]. »

Petrus de Riga et Ægidius Parisiensis.

Aurora, in Genes., v. 1252-1271.

Virgas posuit in canalibus.

« De grege pascendo conductio fit, variusque
« Esse Laban debet, unicolorque Jacob.
« Rursus mutatur eo pacto, quod unicolores
« Ferre Laban, varios debet habere Jacob.
Ut majora sibi lucretur lucra, virentes
Ante greges virgas ordinat arte Jacob.
Partim nudat eas, ablato cortice, partim
Corticis indutas veste relinquit eas.
« Qualia conspiciunt virgis variamina, tales
« Concipiunt fœtus, dum saliuntur, oves.
« Jacob, cui varius contingere debuit ortus,
« Ditat sic varii copia nata gregis.
Ut majora metas in Christo præmia, sacris
Scripturæ verbis instrue, pastor, oves.
Sensus moralis debet candore notari,
Cortice signari littera sola potest.
In virgis splendet sublato cortice candor,
Quum de Scripturis mystica verba trahis.
Servatur cortex, quum littera sola tenetur,
Et pastor sensu simplice pascit oves.

XXXIV.

1. Insulæ, ecclesiæ, vel animæ [4] : « Lætentur insulæ multæ [5]. »

– 2. Insula, plebs judaica, in Ezechiel : « Fili hominis, loquere ad habitatores insulæ [6]. »

XXXV.

1. Navis, Ecclesia [7] : « Illic naves pertransibunt [8]. »

2. In malam partem : « Ululate, naves Tharsis [9]. » ÷ Ecclesiæ hæreticorum. In psalmo : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis [10]. »

÷ 3. Anima, ligno crucis mare hujus mundi transiens. In Salomone : « Viam colubri super terram, et viam navis in mari [11]. »

(1) *Totum.* Joan. xix, 23. — (2) *Sinai.* Ps. lxvii, 9. — (3) *Terram.* Ps. lxxi, 6. — (4) *Animæ, quæ diversis tentationum undantur fluctibus; in psalmo* B-G. Ex utraque Eucherii editione, verbo tenus. — (5) *Multæ.* Ps. xcvi, 1. — (6) *Insulæ.* An respectu ad Ezech. xxvii, 3? — (7) *Ecclesiæ fidelium* paulo infra iterum, quasi bis in idem, regerunt B-G. — (8) *Pertransibunt.* Ps. ciii, 26. — (9) *Tharsis.* Is. xxiii, 1, 14. — (10) *Tharsis.* Ps. xlvii, 8. — (11) *Mari.* Prov. xxx, 19. *In medio mari* G.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 12; ed. II, col. 748 D, ad XXXI, 1.

Gregorius M. Navis, Ecclesia, quæ fluctibus sæculi hujus jactata non mergitur, si gubernatorum suorum vocibus Dominus in ea dormiens excitatur. — Naves, ecclesiæ, ut ibi : « Qui descendunt mare in navibus. » — Naves, mentes leves, in mundano voluptatis pelago fluitantes, ut ibi : « In spiritu v. c. n. t.; » quia sæpe hujusmodi timore valido a sua malitia constringuntur.

Rabanus. Navis, Ecclesia : « Intravit in unam navim, quæ erat Simonis [1]. » — Anima : « Facta est quasi navis institoris [2]. » — Corpus hominis : « Relictis navibus, secuuti sunt eum [3]. » — Ecclesiæ per orbem : « Illic naves p. » — Antiqui Patres : « Quasi naves poma portantes [4]. » — Rectores : « Tertia pars navium interiit [5]. » — Amatores mundi : « In spiritu v. c. n. t. » — Duo populi : « Vidit duas naves stantes [6]. »

Cf. *de Universo*, lib. XII, c. 5; lib. XIII, c. 16.

Anonymus Clarevallensis.

Navis.

Ecclesia.	Anima.
Corpus hominis	Duo populi.
Amatores mundi.	Crux.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar. De muliere forti. He.

He interpretatur Est vel Vivo : significans panem Christi vivum, qui est æternus, verus institor Ecclesiæ, quam navigantem hic inter fluctus adversitatis, deducit ad portum æternæ felicitatis. « De longe portans panem suum illis; » scilicet de quo dicit Joannes : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi [7], » cujus saturitatem desiderat sancta Ecclesia.

He notat Est vel Vivo : littera mysticat illum
Qui sine principio, qui sine fine manet.

Facta est quasi navis institoris.

Ut res carnis emat vendatve, fit institor omnis;
Mangones tales dicimus esse viros.
Namque suæ patriæ res hic homo per mare portat,
Lucraturus ibi splendidiora sibi;
Navigat Ecclesia sicut hujus per mare mundi,
Ut virtute bona comparet astra sibi.
Institor ipse Deus, pretioso sanguine fuso,
Hanc redimendo sibi comparat Ecclesiam.
Instar ad hujus agens homo, vendat vilia mundi,
Ut sibi lucretur splendida regna Dei.

XXXVI.

Arena, gentes, vel reprobi [8] : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est ad oram maris. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I et II ib.

Rabanus. Arena, calamitas hujus vitæ, ut : « Quasi arena maris, hic gravior apparebit [9]. » — Humiles, ut : « Posui arenam terminum mari [10]. » — Instabilitas, ut : « Qui ædificavit domum suam super arenam [11]. » — Civitas cœlestis, ut : « Multiplicabo semen tuum, etc. »

Arena [12], infidelis, ut : « Super arenam multiplicati sunt [13]. » — Amor mundi, ut : « Ædificanti domum super arenam. » — Infinitas, ut : « Sicut arenam maris, vola-

(1) *Simonis.* Luc. v, 3. — (2) *Institoris.* Prov. xxxi, 14. — (3) *Eum.* Luc. v, 11. — (4) *Portantes.* Job ix, 26. — (5) *Interiit.* Apoc. viii, 9. — (6) *Stantes.* Luc. v, 2. — (7) *Descendi.* Joan. vi, 51. — (8) *Innumeræ gentium multitudines vel reprobi omnes, in Genesi* B-D. — (9) *Apparebit.* Job vi, 5. — (10) *Mari.* Jerem. v, 22. — (11) *Arenam.* Matt. vii, 26. — (12) *Arena.* Sic alias idem lemma describitur cum præfixa aspiratione *harena.* — (13) *Sunt.* Ps. cxxxviii, 18.

tilia pennata [1]. » — Electi : « Faciam semen tuum sicut arenam maris [2]. » — Reprobi, ut : Stetit draco super arenam maris. »

Distinctiones monast. lib. III. *De Arena.* Arena, quia ponderosa et salsa est, gravem tribulationem significat. — Quia sterilis est, infructuosos et steriles ab operibus bonis. Hi sunt enim arena in qua absconditus est Ægyptius quem occidit Moyses, quia in otiosis et negligentibus latet Diabolus, quem occidit Christus. Arenam, non quantum ad nos, sed quantum ad illos, frustra aramus et serimus. Unde insignis poeta ait [3] :

Quid facis, Œnone? quid arenæ semina mandas?
Nil profecturis littora bobus aras.

— Arena significat omnes reprobos, tam ex circumcisis, quam ex christianis ; unde est illud Domini ad Abraham : « Multiplicabo semen tuum, etc. » Per stellas enim electi ; per arenam designati sunt reprobi. — Arena, quia quanto amplius a fluctibus tunditur, tanto mundior efficitur, significat electos, qui quanto persequutionibus impiorum amplius affliguntur, tanto perfectius purgantur ; unde est illud : « In igne purgatur aurum. » Unde quidam ait :

Qui modo torquetur, nescit quam magna lucretur.

De hac arena ait quidam antiquorum Patrum, quod posuit Deus arenam terminum mari et ait : « Huc usque venies. » Sancti enim cæduntur, sed non cedunt ; moriuntur, sed non vincuntur ; occidi possunt, sed flecti nequeunt. Unde egregie de beato Thoma, Cantuariensi archiepiscopo et martyre, vir quidam sapiens ait : Lapis iste sex annis tunditur : sic politur, sic quadrus redditur, minus cedens, quo magis cæditur. — Arena significat litteram veteris testamenti, quæ mysticos sensus reconditos habet in se ; sicut arena, aurum et lapides pretiosos. Unde dictum est de Nephtalim et Zabulon quod inundationem maris quasi lac sugent et thesauros absconditos arenarum. Nam Tagus fluvius aureas habet arenas. Similiter et Hermus et Indus in arenis suis pretiosissimos lapides continent, quorum omnium mihi testis est Boethius [4], in quodam metro, in libro *de Consolatione*, ita dicens inter cætera :

Non Tagus, quidquid aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi,
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem, magisque cæcos
In suas condunt animos tenebras :
Splendor quo regitur vigetque cœlum,
Vitat obscuras animæ ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

XXXVII.

Sagena, fides [5], vel prædicatio : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare [6]. »

XXXVIII.

÷ 1. Piscatores, apostoli, vel cæteri prædicatores. In Evangelio : « Venite post me, et faciam vos piscatores hominum fieri [7]. »

÷ 2. Et in malam partem, per Isaiam : « Lugebunt piscatores [8]. »

XXXIX.

÷ Retia, deceptio diaboli. In psalmo : « Cadent in retia ejus peccatores [9] ». Et

(1) *Pennata.* Ps. LXXVII, 27. — (2) *Maris.* Apoc. XII, 18. — (3) *Ait* Ovid. *Her*, V, 116. — (4) *Boetius, de Consolat.* lib. III, metr. X. — (5) *Ecclesiæ fides* D, E. *Ecclesia, fides* B, C. G. — (6) *Mare.* Matt. XIII, 47. — (7) *Fieri.* Matt. IV, 19. — (8) *Piscatores.* Is. XIX, 8. — (9) *Peccatores.* Ps CXL, 10. *In retiaculo* B-D.

in Habacuc : « Totum in hamo sublevavit; traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum; super hoc lætabitur et exsultabit [1]. »

XL.

1. Piscis, Christus [2] : « Obtulerunt eis partem piscis assi [3]. »

2. Sancti : « Traxerunt rete plenum piscibus magnis [4]. »

3. Mali [5] : « Malos autem foras miserunt [6]. » ÷ Et in psalmo : « Et pisces maris qui perambulant semitas maris [7]. » Et in Amos : « Sed et pisces maris congregabuntur [8]. »

÷ 4. Pisces duo, conjuncti quinque panibus, duo testamenta legis, vel duo charitatis præcepta, sive duæ personæ, regia et sacerdotalis. In Evangelio : « Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus [9]. »

XLI.

1. Hamus, divinitas Christi [10] : « Numquid attrahere poteris Leviathan hamo tuo [11] ? »

÷ 2. Item in malam partem, pro diabolo, per Habacuc : « Totum in hamo suo sublevavit. »

XLII.

Lacunæ, hæretici. In propheta : « Qui faciebant lacunas ad capiendos pisces [12]. » [*Commentarium super* Piscis *et hujuscemodi symbola, amplissimum prorsus, quamque diligenter exactum, et pro virili parte integerrimum, in peculiarem dissertationem, ad calcem Melitoniani operis instituendam, reservamus.*]

XLIII.

Amphora, diabolus : ÷ « Leva oculos tuos, et vide : Quid est hoc quod egreditur? Et dixi : Quidnam est? Et dixit : Hæc amphora egrediens [13]. »

XLIV.

÷ Situla, caro Christi. In libro Numeri : « Fluit aqua de situla ejus [14]. »

(1) *Exsultabit.* Habac. I, 15. *In retia sua... exsultabitur* E. — (2) *Dominus Jesus Christus, tribulationis igne assatus. In Evangelio : « Posuerunt coram eo partem piscis assi et favum mellis »* B-G. — (3) *Assi.* Luc. XXIV, 12. — (4) *Magnis.* Joan. XXI, 11. — (5) *Reprobi; in Evangelio : malos* B-G. — (6) *Miserunt.* Matt. XIII, 47. — (7) *Maris.* Ps. VIII, 9. Additur in B-G : *Semitas maris, actiones hujus sæculi, ubi et supra.* — (8) *Congregabuntur.* Legendum *Osee* IV, 3. — (9) *Piscibus.* Matt. XIV, 19. — (10) *Divinitas Filii Dei, quæ carne induta latuit, sicut hamus in esca : de quo hamo Dominus, loquens ad Job, ait : Numquid* B-G. — (11) *Tuo.* Job XL, 20. Codices iidem B-G, vacante tamen F, ut dixi, eodem pede pergunt, commentariorum instar et pene Gregorii tenore : *Quia idem hostis humani generis, dum ore piscis escam corporis Domini per passionem momordit, enecatus est per potentiam divinitatis ejus.* — (12) *Pisces.* Is. XIX, 10. — (13) *Egrediens.* Zachar., V, 5, 6. — (14) *Ejus.* Exod. XXIV, 7.

XLV.

1. Hydriæ[1], corpora : « Et dedit in manibus eorum hydrias vacuas[2]. » — In Salomone : « Et conteratur hydria[3]. »

2. Cupiditas[4] : « Reliquit ergo mulier hydriam suam, et abiit in civitatem[5]. »

— 3. Corda : « Implete hydrias aqua. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Lagenæ, corpora nostra, sicut de sociis Gedeonis dictum est quod cum lagenis et lampadibus et tubis ad prælium processerunt. Hi autem lagenas in sinistra, tubas vero in dextera ferebant; significantes quod Christi martyres pro magno habent gratiam prædicationis, corporum vero causam pro minimo.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XVI, c. 7, 9.

Rabanus. Lagena, fides baptismi, ut : « Occurret vobis homo, lagenam aquæ portans[6]. » — Corpora terrena, ut : « Confregerunt lagenas[7]. » — Laguncula. corpus Christi, ut : « Confringit lagunculam in terrore[8]. » — Hydriæ, corda fidelium, ut : « Implete h. a. » — Sapientia, ut : « Rebecca deposuit hydriam suam super scapulam[9]. »

Anonymus Clarevallensis.

Hydria.

Corda fidelium. Fons baptismi.
Sapientia.

Lagena.

Fides baptismi. Corpus Christi.
Corpora terrena.

Petrus de Riga.

Aurora, in Judic., v. 135-166.

His Gedeon signis certus de laude triumphi,
Innumero cinctus milite, flumen adit.
Ad fluvii potum cœlesti voce docetur,
Quos et quot proceres ad sua bella trahat.
Qui lambendo canes imitantur, ad arma vocantur;
Quos curvare genu cernit, abire sinit.
Miles quem retinet Gedeon ad bella, jacentem
Haurit aquam, recto poplite, stante genu.
Stando fluenta bibit, cujus mens recta, fluentis
Irrorata sacris, quod decet[10] illud agit.
Qui fluvium stantes hausere fuere trecenti :
Perfectos numerus indicat iste viros.
Qui trino solique Deo servire laborant,
Hos retinet Christus, ut sua bella gerant.
Non caput armat eis cassis; non lancea, dextram;
Non humum, clypeus; sed neque mucro, latus.
Immo tubis pugnant clangentibus; immo, lagenis
Confractis; immo, lampadibus rutilis.
Talis martyribus concordat pugna : tyrannos
Sancti vicerunt hac ratione suos.
Tunc cecinere tubis, tunc una[11] voce sonabant
Christum, spernentes verbera, vincla, cruces.
Corpora subdentes morti, fregere lagenas;
Dum rutilant signis, lumina clausa patent.
Exterius rutilant post vascula[12] fracta lagenæ;
Post mortem, signis corpora sancta micant.
Lumina visa fugant Madian : miracula frangunt,
Et fidei subdunt ferrea corda ducum.
In dextra tenuere tubas; lævaque, lagenas;
Designat majus dextra; sinistra, minus :
Verba sonare Dei pro magno martyr habebat,
Pro minimo, pœnas suppliciumque pati[13].

XLVI.

1. Rota, circuitus vitæ præsentis : « Et confringatur rota super cisternam[14]. »

(1) *Hydria, caro hominum; in libro Judicum* B-G. (2) *Vacuas*. Judic. VII, 18. — (3) *Hydria*. Eccle. XII, 6. — (4) *Cupiditas carnalis [ut quidam volunt* B, C, G], *in Evangelio* B-G. — (5) *Civitatem*. Joan. IV, 28. Aqua. II, 7. — (6) *Portans*. Marc. XIV, 13. — (7) *Lagenas*. Jud. VII, 19. — (8) *Terrore*. Is. X, 33. — (9) *Scapulam*. Genes. XXIV, 18. — (10) *Quod decet* alias. — (11) *Viva*. Ib. — (12) *Lumina*. Ib — (13) *Pati*. Nemo non advertet quam egregie Petrus cum Gregorio, cum magistro discipulus consentiat. — (14) *Cisternam*. Eccle. XII, 6.

2. Mundus[1] : « Vox tonitrui in rota[2]. »

÷ 3. Scriptura : « Velut si sit rota, in medio rotæ[3]. »

÷ 4. Et in malam partem : « Deus meus, pones eos ut rotam[4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Rota, novum et vetus testamentum : « Rota in m. r. » — Mundus : « Vox t. i. r. » — Vita pravorum : « Pone illos ut rotam. » — Prædicatores : « Rotæ ejus, ignis accensus[5]. »

Petrus Capuanus ad litt. xvii, art. 28. Rota sextuplex est : est enim rota naturæ, fortunæ, scripturæ, gratiæ, culpæ et pœnæ.

Prima est qua terram colimus, seminamus, metimus, et iterum a capite inchoamus. Evangelium : « Erunt duæ molentes in mola, sive in rota, una assumetur, et altera relinquetur[6] ; » quia de conjugatis, qui involvuntur rota mundanorum, aliqui invenientur boni, et aliqui invenientur mali. — Secunda est qua quis dejicitur de prosperitate in adversitatem, et iterum sublevatur ad prosperitatem, de qua versificator quidam ait :

Infimus axe teror, rursus ad astra feror.

Et alibi :

Si fortuna volet, fiet de consule rhetor;
Si volet hæc eadem, fiet de rhetore consul.

Hæc tamen rota potius est philosophica quam theologica; quum secundum theologum, nihil sit fatum vel fortuna ; immo prudentia divina omnia hujusmodi dispensavit. « Dominus enim est, ut ait Regum, suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem[7]. » — Rota Scripturæ est involutio novi testamenti in veteri. Ezechiel : « Quasi sit r. i. m. r. » — Rota vel circuitus gratiæ est circuitus et connexio virtutum. Psalmus : « Circuibo, et immolabo, in tabernaculo ejus, hostiam jubilationis[8]. » — Rota culpæ est circuitus vitiorum. Sapientia : « Immittit ille rex sapiens rotam malorum[9]. » — Rota pœnæ est varietas et successio pœnarum in gehenna. Job : « Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium[10]. »

Prima et secunda rota sunt mundi ; tertia et quarta sunt animi ; quinta et sexta sunt Tartari. — Primam et secundam volvit homo : homines etiam sunt rotæ, quæ alios sublevant interdum in prosperitate, et interdum etiam dejiciunt. Tertiam et quartam volvit Deus. Quintam et sextam volvit diabolus, quia ipse est malleus universæ terræ. — Prima et secunda involvuntur communiter boni et mali ; tertia involvuntur soli fideles ; quarta, boni ; quinta, tantum mali ; sexta, tantum damnati. — In prima, laboramus; in secunda, prosperamur; in tertia, instruimur ; in quarta, proficimus ; in quinta, illicite delectamur ; in sexta, crudeliter punimur.

Distinctionum monastic. lib. iii. *Rota.*

Mundus, amatores mundi, lex utraque, sortis
Nostræ mobilitas dicitur esse rota.

Rotæ nomine mundus appellatur ; ideo forte quia forma ejus sphærica esse creditur; unde est illud in sequentia de apostolis[11] :

En vos oriens et occidens, immo teres mundi circulus.
Se patres habere gaudet, et exspectat judices.

Et propterea orbis appellatur. Quod rota dicatur mundus, auctorem laudo sanctum Augustinum super illum versum[12] : « Sagittæ tuæ transeunt, vox, etc. » Sagittæ enim in apostolis transeuntibus de Judæa, vox sacræ doctrinæ quæ terribiliter sonat, ubi contemtoribus minatur supplicia. Tonuit in rota, id est, in toto mundo, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, etc. » — Rota significat amatores mundi : nam sicut mun-

(1) *Præsens mundus; in psalmo* B-G. — (2) *Rota.* Ps. lxxvi, 19. — (3) *Rotæ.* Ezech. x, 10. — (4) *Rotam.* Ps. lxxxii, 14. *Deus meus* deest in B-E ; *pones* ib. — (5) *Accensus.* Dan. vii, 9. — (6) *Relinquetur.* Matt. xxiv, 40. — (7) *Pauperem.* II Reg. ii, 8. — (8) *Jubilationis.* Ps. xxvi, 6. — (9) *Malorum.* Is locus non exstat in Proverbiis, neque requirendus est in cæteris Salomonis libris, quorum non est alia versio vetus, præter vulgatam editionem. — (10) *Nimium.* Ps. xxiv, 19. — (11) *Apostolis.* Cf. Notkeri *Sequentias* xxxi. Pezii Thes. noviss. t. i, p. 1, col. 38. *En occidens et oriens* ibid. — (12) *Versum.* Opp. iv, p. ii, 981.

dana hæc rotatilia sunt, sic et ille rotatilis efficitur, qui illis incumbit et adhæret. Unde quidam ait :

Quum soleant homini pro voto prospera verti,
Consimili levitate solent mala quoque reverti

Propterea rota in posteriori parte surgit, et in anteriori cadit : sic et mundi amatores et in temporalibus elevantur, et in spiritualibus deprimuntur. Unde est illud : « Dejecisti eos, dum allevarentur [1]. » Et Lucanus [2] :

..... Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse querar, tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Quod autem tales designentur per rotam, si nescis, doceberis de expositione illius versus : « Deus meus, pone illos ut rotam. » Tenet me hæc sententia; unde dico mihi, o lector, et tibi :

Præstat habere parum, quam volvi more rotarum.
Nam cupidis tota fit sua vita rota,
Propterea fuge : licet, sub paupere tecto,
Reges et regum vita præcedere amicos.
Vivitur exiguo melius; natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis agnoverit uti.

— Rotæ nomine appellatur utrumque testamentum : ideo, ut æstimo, quia non est in eis angulus erroris. In horum figura vidit sanctus Ezechiel rotam in rota, etc. — Item rota significat naturæ nostræ, immo nativæ corruptionis nostræ proclivitatem ad peccandum. De hac nostra mobilitate dicit sanctus Jacobus : « Lingua inflammat rotam nativitatis nostræ [3]. » Lingua enim stulta verba proferens, et maligna, detractoria, adulatoria, nos ad peccandum et inconsulte agendum pronos facit proniores, et in infinita mala miseros mortales præcipitat. Est igitur rota mundanæ mobilitatis; est rota mundanæ rotunditatis; est rota inenarrabilis veritatis; est rota humanæ instabilitatis.

PRÆMONSTRATENSIS CANONICUS.

Prolog. III in *Auroram*.

Hic rota, sive rotæ, quarum ut mare visio mira,
In medioque rotæ fertur inesse rota.
Quatuor his facies; species est una : levantur,
Stant, vel eunt, prout has Spiritus intus agit.

XLVII.

FIGULUS, Salvator : « Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea [4]. Vasa figuli probat fornax. [5] » ÷ « Tu, Domine, pater noster; tu, Domine, fictor noster [6]. » ÷ In Evangelio : « Et emerunt ex eis agrum figuli [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PETRUS CAPUANUS ad litt. VI, art. 23. Figulus dicitur Deus. Paulus : « Numquid dicit figmentum figulo : Quid fecisti me sic [8]? » — Figulus, Christus. Evangelium : « Dederunt eos in agrum figuli, in sepulturam peregrinorum [8]. » Ager figuli est Ecclesia Christi; quem agrum ipse eruit sanguine suo; unde vocatus est ager ille Haceldama, id est ager sanguinis, emtus scilicet pretio sanguinis Christi. — Figulus etiam prædicator, mentes nostras formans doctrina et exemplo. Paulus : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis [9]. »

Primus figulus fingit et format vasa animarum, id est corpora nostra. Secundus figulus purgat vasa Dei, id est martyres ipsos. Tertius figulus probat animas exemplo suo. Prima formatio est conditionis; secunda, redemtionis; tertia, reformationis. Prima, ad vitam temporalem; secunda, ad vitam æternam; tertia, ad gratiam spiritualem.

(1) *Allevarentur*. Ps. LXXII, 18. — (2) *Lucanus*, in quo frustra quæsieris sequentia — (3) *Nostræ*. Jacob. III, 6.—(4) *Mea*. Ezech. XVIII, 2. *Verbum Domini* B-G. — (5) *Fornax*. Eccli. XXVII, 6. — (6) *Noster*. Is. LXIV, 8. — (7) *Figuli*. Matt. XXVII, 10.— (8) *Sic*. Is. XXIX, 16; Rom. IX, 20.

Anonymus Clarevallensis. Figulus lutum colligit ex quo diversa vasa componit super rotam; composita, vento et soli exponit et igne consolidat.

Figulus, peccator, ut : « Tamquam vas figuli[1]. » — Deus, ut : « Nonne habet potestatem figulus luti[2]? »

Petrus de Riga.

Aurora, in Passione D. N. J. C., v. 443-456.

Sanguineum pretium perhibent in corbonan esse
Mittendum scribæ, sanguineique viri.
Hinc agrum figuli mercantur, ut hic peregrinus
Quisque sepulturæ possit honore dari[3].
In nequam factis mysteria multa coruscant[4] :
Est figulus mundi conditor, astra creans;
Ex solo formare luto qui vas in honorem,
Ac in despectum vas fabricare potest.
Est ager hic mundus, qui Christi sanguinis emtus
Est pretio : justus vir sepelitur ibi.
Qui licet in mundo sit, adhuc tamen est peregrinus,
Commoritur Christo, consepelitur ei.
Hic ager Acedema sermone vocatur hebræo;
Hoc est, sanguineus iste vocatur ager.

XLVIII.

1. Ignis, Deus[5] : « Deus noster ignis consumens est[6]. » ÷ Et in Malachia : « Ipse enim quasi ignis conflans[7]. »

2. Spiritus sanctus, charitas[8] : « Ignem veni mittere in terram[9]. » ÷ « Si quid remanserit, igne comburetis[10]. Non recordabor ejus, nec loquar ultra in nomine illius, et factus est in cor meum quasi ignis exæstuans[11]. »

3. Ardor libidinis[12] : « Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum[13]. » ÷ « Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina[14]. Vox Domini intercidentis flammam ignis[15]. »

4. Tribulatio vitæ præsentis : « Transivimus per ignem et aquam[16]. »

5. Concupiscentia[17] sæculi : « Cecidit ignis super eos, et non viderunt solem[18]. »

6. Æstus desideriorum cordis : ÷ « Ramos ejus arefaciet flamma[19]. » ÷ Iracundia cordis; in Evangelio : « Miserere, Domine, filio meo, quia lunaticus est, et male patitur, et sæpe cadit in ignem, crebro autem in aquam[20]; » quod intelligitur luxuria cordis.

÷ 7. Æstus avaritiæ : « Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt[21]. »

÷ 8. Flamma livoris : « Ignis Dei descendit de cœlo, et tactas oves puerosque consumsit[22]. »

÷ 9. Scriptura : « Nonne verba mea sunt sicut ignis[23]? Ignitum eloquium meum[24]. »

÷ 10. Ardor passionis : « Et edent carnes, nocte illa, assatas igni[25]. »

÷ 11. Malitia : « Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna, et ignis involvens[26]. »

÷ 12. Gehennæ ardor : « Ite, maledicti, in ignem æternum[27]. Quis poterit habi-

(1) *Figuli*. Ps. II, 9. — (2) *Luti*. Rom. IX, 21. — (3) *Habere locum* al. — (4) *Multa notantur* al. — (5) *Deus, in Exodo* B-G. In codicibus iisdem art. ille incommode exsulat in medio cap. IX de *Bestiis*. — (6) *Est*. Deuteron. IV, 24. Male B-E *in Exodo*. — (7) *Conflans*. Malach. III, 2. — (8) *Charitas*. Ita B-G et A alio loco. — (9) *Terram*. Luc. XII, 49. — (10) *Comburetis*. Exod. XXIX, 34. — (11) *Exæstuans*. Jerem. XX, 9. — (12) *Voluntas peccandi, in Malachia* B-G. — (13) *Eorum*. Osee VII, 4. — (14) *Genimina*. Job XXXI, 12. — (15) *Ignis*. Ps. XXVIII, 7. — (16) *Aquam*. Ps. LXV, 12. — (17) *Cupiditas sæculi; in psalmo* B-G. — (18) *Solem*. Ps XLVII, 8. — (19) *Flamma*. Job XV, 30. — (20) *Aquam*. Matt. XVII, 14. — (21) *Accipiunt*. XV, 34. — (22) *Consumsit*. Job I, 16. — (23) *Ignis*. Jerem. XXIII, 29. — (24) *Meum*. Ps. CXVIII, 140. — (25) *Igni*. Exod. XII, 18. — (26) *Involvens*. Ezech. I, 4. — (27) *Æternum*. Matt. XXV, 41.

tare in igne devorante [1]? Ambulate in lumine ignis vestri [2]. Devorabit eum ignis qui non succenditur [3]. »

: 13. Ira Dei in peccatores. In Deuteronomio : « Consumam eos igne iræ meæ [4]. »

: 14. Ignis, intellectus bonus vel malus in sacris eloquiis; sicut in Levitico de filiis Aaron dicitur, qui ignem alienum in conspectu Domini obtulerunt, et ibi consumti sunt [5].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius, v. 3 et 141.

Eucherius, ed. I, p. 5, ad 2; p. 23 ad 2, 3, 4, 6; ed. II, col. 738 C ad 2; col. 761 D, cum iisdem concordat, et tribus in locis cum distinctione *de Charitate*.

Gregorius M. Ignis nomine charitatis designatur, sicut per Moysen dicitur : « Ignis in altari semper ardebit [6]. » Altare quippe Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Deum flammam charitatis indesinenter ascendere.—Ignis, Spiritus sanctus, ut ibi : « Ignem veni mittere in terram. » Et alibi : « De eo quod residuum fuerit, igne comburetis. » Quod ex agno remanet, igne comburimus, quando id quod de mysterio Dominicæ incarnationis penetrare intellectu non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter applicamus. — Malitia, ut ibi : « Nubes magna e. c. i. » Hic ignis adversarios consumit, quia cor pessimum ex malitia sua tabescit. — Ardor luxuriæ, de quo Job : « Ignis est, inquit, usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. » — Æstus avaritiæ, sicut per Eliphaz dicitur : « Ignis devorabit, etc. » — Flamma invidiæ, ut ibi : « Ignis Dei descendit, etc.; » quia videlicet a præpositorum cordibus flamma invidiæ corruit, et quidquid boni in simplicibus oriebatur, incendit. — Calor compunctionis, sicut de sacrificio Jerobaal in libro Judicum legitur, quod ignis exiens de petra consumsit [7]. De petra enim ignis exit, ut os carnesque consumat, quum afflatus a Redemtore Spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne quod in eo illicitum est operis et cogitationis, exurat. — Ardor gehennæ, ut in libro Job de impio dicitur : « Devorabit eum i. q. n. s. » Talis enim est in semet ipso quod succensione non indiget, et ardore non caret. — Ignis, Deus, ut ibi : « Deus noster i. c. e.; » quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, et in eo desiderium æternitatis accendit. — Ignis, ardor Dominicæ passionis, ut ibi : « Edent carnes nocte illa assatas igne. » Carnes enim agni nostri ignis excoquit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XI, c. I, p. 497.

Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. 3, n. 23.

Rabanus. Ignis, Spiritus sanctus, ut : « Ignem veni m. i. t. » — Bonum desiderium, ut : « De excelso misit ignem in ossibus meis [8]. » — Charitas, ut : « Ignis in altari semper ardebit [9]. » — Ardor sanctitatis, ut : « Dominus cujus ignis in Sion [10]. » — Lumen scientiæ, ut : « Erat species gloriæ Domini, quasi ignis ardens [11]. » — Persequutio, ut : « Ignis mixtus est in sanguine [12]. » — Invidia, ut : « Ignis d. d. d. c. » — Doctrina, ut : « Ignis exit de ore eorum [13]. » — Excellentia temporalis, ut : « Non splendebit flamma ignis [14]. » —Ava-

(1) *Devorante*. Is. XXXIII, 14. — (2) *Vestri*. Is. L, 11. — (3) *Succenditur*. Job XX, 26. — (4) *Meæ*. Forte XXXII, 22. — (5) *Sunt*. Levit. X, 1. Ultima distinctio in B-G vagatur extra omnem modum, alieno sane in loco, in medio scilicet capitulo *de Bestiis*. Non solum totus ille articulus in hisce codicibus satis importune hospitatur, sed et quinque proxime sequentes, vagantur post cap. VIII *de Avibus*. — (6) *Ardebit*. Levit. VI, 12. — (7) *Consumsit*. Jud. VI, 21. — (8) *Meis*. Thren. I, 3. — (9) *Ardebit*. Levitic. VI, 12. — (10) *Sion*. Is. XXXI, 9. — (11) *Ardens*. Exod. XXIV, 17. — (12) *Sanguine*. Apoc. VIII, 7. — (13) *Eorum*. Apoc. XI, 5. — (14) *Flamma ignis*. Job XVIII, 5.

ritia, ut : « Ignis devorabit tabernacula eorum. » — Zelus, ut : « Ignem faceret de cœlo descendere [1]. » — Tribulatio, ut : « Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ignis [2]. » — Vindicta, ut : « Ignis succensus est in furore meo [3]. » — Fervor spiritus, ut : « Ministros suos, ignem urentem [4]. » — Adversitas, ut : « Transivimus p. i. e. a. » — Vesania impatientiæ, ut : « Tradidit possessionem eorum igni [5]. » — Ignis qui erit in judicio, ut : « Ignis in conspectu ejus exardescet [6]. » — Dolus Antichristi, ut : « Egrediatur ignis de rhamno [7]. » — Luxuria, ut : « Ignis est, etc. » — Concupiscentia, ut : « Quis abscondere potest in sinu suo ignem [8] ? » — Pœna æterna, ut : « Devorabit eum ignis, qui non succendetur. »

Cf. *de Universo*, lib. IX, c. 21, col. 278.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Ignis quædam consumit, ut fœnum; examinat, ut argentum; probat, ut aurum. Similiter tribulatio consumit illos qui in ea succumbunt, ut : « Fiant sicut fœnum tectorum [9]. » Alios examinat, sicut Paulum, qui dixit : « Et ne magnitudo revelationum extollat me [10], etc. » Alios probat, id est, probatos ostendit; unde : « Tamquam aurum in fornace, probavit eos [11]. »

Ignis charitatis, sive cœlestis gratiæ, quod idem est. Hic est ignis spiritualis, de quo dicitur : « Ignem misit Deus in ossibus meis, et erudivit me. » Item Salvator in Evangelio : « Ignem, » id est charitatem, « veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur » in cordibus fidelium? Hic est ille ignis de quo Moyses dicit : « Ignis semper ardebit, quem sacerdos nutriet, subjiciens ligna per singulos dies, » id est assidue et incessanter; ligna scilicet tria : exemplum sanctæ conversationis, verbum sanctæ prædicationis, officium sanctæ administrationis. Hæc enim ligna tria ad hunc ignem nutriendum sunt necessaria sacerdotibus. Oportet quidem quod sacerdos sit in conversatione sanctus, in prædicatione sollicitus, in ministratione devotus; sic enim sacerdos dicetur. Dies autem in sacro eloquio sunt virtutes : « Per singulos dies, » dicit propheta, « benedicam tibi [12]. » Sicut per contrarium, sunt noctes peccata; unde : « Lavabo per singulas noctes lectum meum [13]. » De hoc igne dicit propheta : « Cujus ignis in Sion, et caminus in Jerusalem [14]. »

Est ignis judiciariæ potestatis; unde : « Ignis ante ipsum præcedet [15]. » — Purgationis; unde : « Transivimus p. i. e. a. » — Pœnæ præsentis, id est alicujus tribulationis; unde : « Probasti nos, » etc. Item : « Ille baptizabit vos in spiritu et igne [16]. » — Livoris; unde : « Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt [17]. » — Conscientiæ; unde : « Vermis eorum non moritur, et ignis eorum non exstinguetur [18]. » Ait Isaias : « Vermis Israel, » vel conscientiæ, « sicut tinea, consumit vestimentum [19], et vermis comedit lignum, et ignis devorat ligna, sicut mœror et tristitia excruciant cor viri [20]. » — Cujuslibet peccati; unde : « Supercecidit ignis, etc., » id est ignis cupiditatis et luxuriæ; « et non viderunt solem » justitiæ. — « Incensa igni », id est, cupiditate male inflammante, « et suffossa », id est, timore male humiliante, « ab increpatione vultus tui », id est potestatis tuæ, « in judicio peribunt [21]. » Ignis iste, scilicet invidiæ, cupiditatis et cujuslibet peccatorum, dicitur alienus.

Garnerius *præterea cum Rabano consentit* [22].

Petrus Capuanus ad litt. IX, art. 37. *Ignis sex modis in bono, sex in malo.*

(1) *Descendere.* Luc. IX, 54. — (2) *Ignis.* Apoc. I, 15. — (3) *Meo.* Deuter. XXXII, 22. — (4) *Urentem.* Ps. CIII, 4. — (5) *Igni.* Ps. LXXVII, 18. — (6) *Exardescet.* Ps. XLIX, 3. — (7) *Rhamno.* Jud. IX, 15. — (8) *Ignem.* Prov. VI, 27. — (9) *Tectorum.* Ps. CXXVI, 8. — (10) *Me.* II Cor. XII, 7. — (11) *Eos.* Sap. III, 6. — (12) *Tibi.* Ps. CXLIV, 2. — (13) *Meum.* Ps. VI, 7. — (14) *Jerusalem.* Is. XXXI, 9. — (15) *Præcedet.* Ps. XCIII, 3. — (16) *Igne.* Luc. III, 16. — (17) *Sunt.* Ps. LXXII, 21. — (18) *Exstinguetur.* Marc. IX, 45. — (19) *Vestimentum.* Is. L, 9. — (20) *Viri.* Prov. XXV, 20. — (21) *Peribunt.* Ps. LXXIX, 17. — (22) *Consentit* neutiquam prout supra Rabanus exstat, sed cum *Allegoriis* inter *Opera* ejusdem editis.

Ignis

Exterior triplex.	*Interior triplex.*
Persequutionis.	Fomes peccati.
Verbi Dei.	Ingenii.
Purgatorii.	Charitatis.
Superior triplex.	*Inferior triplex.*
Deus.	Cupiditatis et cæterorum vitiorum.
Spiritus sanctus.	Infidelitatis.
Spiritualis angelorum natura.	Gehennalis.

Quando Spiritus sanctus, qui est ignis, operatur septem proprietates ignis, secundum septem dona sua? Est ignis iste septiformis, non immerito, quia Spiritus ipse, qui ignis est, septiformis est. Itaque lucet per Spiritum sapientiæ, urit per Spiritum intellectus; decoquit per Spiritum consilii; roborat per Spiritum fortitudinis; purgat per Spiritum scientiæ; desiccat per Spiritum pietatis; calefacit per Spiritum timoris Domini.

Lucet per Spiritum sapientiæ; sicut ipse ait: « Qui elucidant me, vitam æternam habebunt [1]. » Daniel: « Qui enim docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti; et quasi stellæ, in perpetuas æternitates [2]. »

Urit per Spiritum intellectus: nam perquirendo, intelligendo, vitia proximorum urimus; obsecramus, arguimus, increpamus opportune, importune, secundum quod et illud intelligi potest: « Carbones congeres super caput ejus [3]. »

Decoquit per Spiritum consilii, dum ea quæ præponere debemus vel agere, prius decoquuntur in olla deliberationis, sive consilii; juxta illud quod scriptum est: « Palpebræ semper præveniant gressus tuos [4], » id est, deliberatio præcedat opera.

Roborat per Spiritum fortitudinis, adeo ut dicat: « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente [5]; cui etiam resistite fortes in fide [6]. »

Purgat per Spiritum scientiæ, qua recte conversando in medio nationis pravæ et perversæ, discernimus sanctum a profano, juxta quod dicitur: « Si separaveris pretium a vili, quasi os meum eris [7]. »

Desiccat humorem vitiorum nostrorum per Spiritum pietatis, quia non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Calefacit per Spiritum timoris Domini; quia, quum initium sapientiæ est timor Domini, hæc est quasi primum indumentum quod datur redeunti a frigore infidelitatis atque peccati, secundum quod etiam Isaias ait: « A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus Spiritum salutis [8]. » Et hæc est fortassis stola illa prima quæ cito profertur filio prodigo revertenti.

Ergo et nos, fratres, etiam oremus Dominum, ut ignem istum et mittat in corda nostra, qui nos illuminet intelligentiæ scientia, urat vitia nostra, roboret constantia, purget patientia, desiccet removendo superflua, decoquat et depuret innocentia, et contra frigus peccati calefaciat protectionis umbra.

Thomas Cantipratanus. Lib. xix, cap. 6. *De Igne, qui est quartum elementum.* Effectus ignis possunt videri per duos versus:

Destruit, emollit, restringit, consolidatque,
Clarificat, terret, accendit, lætificatque.

Possunt autem et hæc adaptari igni qui est Spiritus sanctus, de quo Dominus: « Ignem veni mittere, etc. »

Primo « destruit » ignis Spiritus sancti, scilicet hanc rubiginem peccatorum; unde dicitur: « Deus noster ignis consumens est [9]. »

Sequitur: « Emollit », dura scilicet, sicut ligna et lapides et ferrum. Ezechiel: « Auferam a vobis cor lapideum [10], etc. »

Sequitur: « Restringit » fluida per luxuriam; sicut sol facere solet, qui est fons caloris. Sapientia: « Ortus est sol, » id est fons caloris, « et arefecit terram [11]. » Hie-

(1) *Habebunt.* Eccli. xxiv, 31. — (2) *Æternitates.* Dan. xii, 3. — (3) *Ejus.* Rom. xii, 20. — (4) *Tuos.* Prov. iv, 25. — (5) *Serpente.* In *Breviar.* Comm. Apost. ad ii vesp. — (6) *In fide.* I Petr. v, 9. — (7) *Eris.* Jerem. xv, 19. — (8) *Salutis.* Is. xxvi, 18. — (9) *Est.* Deuter. iv, 22. — (10) *Lapideum.* Ezech. xi, 19. — (11) *Terram.* Quorsum hæc respiciant, non satis video.

ronymus ad hæc : « Ornaberis tympanis tuis [1], virgo Israel. »

Sequitur : « Consolidatque », materias scilicet duras, sicut æs et ferrum, vel vasa fictilia; unde illud : « Vasa figuli probat fornax [2]. »

Sequitur : « Clarificat » tenebras, sicut in Genesi dicitur, quod « divisit lucem a tenebris, et vidit lucem quod esset bona, et divisit lucem a tenebris [3]. »

Sequitur : « Terret » peccatores; unde in Actibus : « Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est [4]. »

Sequitur : « Accendit » ad charitatem; unde Dominus : « Ignem veni, » ut supra.

Sequitur : « Lætificatque » sanctos; unde in Actibus de discipulis repletis Spiritu, dixerunt Judæi : « Musto pleni sunt isti. » Et hoc dixerunt, quia viderunt eos lætos et ardentes in gaudio Spiritus sancti.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Est πῦρ livoris, πῦρ pœnæ, mentis, amoris; Πῦρ etiam dirâ dant crimina, tartarus, ira.

Ignis.

Spiritus sanctus.	Bonum desiderium.
Charitas.	Lumen scientiæ.
Invidia.	Doctrina.
Tribulatio.	Excellentia temporalis.
Impatientia.	Fervor Spiritus.
Pœna æterna.	Dolus Antichristi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 517-524.

De nutriendo divini ignis incendio.

Semper in altari manet ignis, eique sacerdos,
Ne sit jejunus, subdere ligna studet.
Est altare Dei pia mens; doctorque, sacerdos,
Quum sacra verba docet doctus et acta Patrum.
Nam sine materia jejunus deficit ignis;
Sic sine doctrina marcidus aret amor.
Perpetuus manet hic ignis, quia sanctus in ævum
Post mundi finem fine carebit amor.

XLIX.

÷ 1. SCINTILLÆ, exempla : « Fulgebunt justi tamquam scintillæ [5]. »

÷ 2. Verba prædicationis : « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Scintillarum nomine exempla bonorum designantur; sicut de justis per Sapientiam dicitur : « Fulgebunt, etc. » Justi sicut scintillæ in arundineto discurrunt, dum scilicet peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitet in cinerem redigunt. — Scintillarum nomine prædicatorum verba flammantia designant, sicut per Ezechielem dicitur : « Et scintillæ quasi aspectus æris, etc. » Bene æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat et ardet; ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa; et sicut de candente ore scintillæ prodeunt, ita de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 3, p. 502.

RABANUS. Scintillæ, verba prædicatorum, ut : « Scintillæ quasi a. æ. c. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Verba prædicatorum, ut supra.—Pœnæ damnatorum, ut : « Erit opus ejus ut scintilla, et succendetur [7]. » — Cohortes judicantium, ut : « Quasi scintillæ in arundineto discurrent. »

(1) *Tuis.* « Ut canas Domino in ecclesiis, omni in te malorum operum carne consumta. » t. III, col. 160. —(2) *Fornax.* Eccli. XXVII, 6. — (3) *Tenebris.* Genes. I, 4. — (4) *Est.* Act. II, 6. — (5) *Scintillæ.* Sap. III, 7. — (6) *Candentis.* Ezech. I, 7. — (7) *Succendetur.* Is. I, 31.

L.

1. Lampas, Christus : « Deridetur justi simplicitas, lampas contemta apud cogitationes divitum[1]. »

2. Ferventes spiritu : « Et similitudo animalium, quasi carbonum ignis ardentium, et quasi lampadarum[2]. »

3. Opera[3] : « Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades[4]. »

÷ 4. Corda sanctorum splendida, et scientiæ lumine fulgida. In Cantico canticorum : « Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum[5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 25 ; ed. II, col. 762 D ad 3, 4.

Gregorius M. Lucernæ, bonorum operum claritates, ut ibi : « Sint lumbi, etc. », quia nec castitas magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquod sine castitate. — Lucerna, Scriptura sacra, ut ibi : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine [vid. infra *Lucernam*, cap. X]. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XVI, c. 4, p. 646.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Lampas, simplex, ut : « Lampas c. a. c. d. » —Examen judicii, ut : « Lampas transiens inter divisiones illas[6]. » —Opera bona, ut : « Oleum in vasis suis cum lampadibus. » — Dona sancti Spiritus, ut : « Septem lampades ardentes ante thronum[7]. » — Corda sanctorum, ut : « Lampades ignis atque flammarum. » —Fraudes reproborum : « De ore ejus procedunt lampades[8]. » —Miracu-lorum claritas, ut : « Lampades in medio lagenarum[9]. »

Petrus Cantor. Lucerna est lucens et non ardens ; unde : « Lucerna eorum non exstinguetur[10]. » — Ardens et non lucens, ut Joannes Baptista in utero. — Ardens et lucens, ut idem Joannes in deserto; unde : « Nemo accendit lucernam, et ponet eam sub modio[11]. » —Divinitatis, quæ unita est testæ nostræ fragilitatis. — Intelligentiæ ; unde : « Lucerna pedibus meis verbum tuum[12]. » —Gratiæ ; unde : « Paravi lucernam Christo meo[13]. »

Distinction. Monast. lib. III, *de Lampade*.

Jam celebris usus habet,
Quem penes arbitrium jus est et norma loquendi,
lampadem appellari vas vitreum, inferius angustum, superius latum et patulum, in quo solemus oleum ponere, cum papyro, quibus pascitur ignis, qui lucem nobis ministrat. Per lampadem figuratur Christus, cujus corpus, quia aliquando fragile fuit ob passibilitatem, sed semper limpidum ob peccati immunitatem, figuratur per vitrum. Oleum significat gratiam Spiritus sancti, ejus infusam humanitati ; papyrus, animam ; ignis, deitatem. De hac incorporali lampade ait Isaias, sub persona totalis cunei prophetarum, qui erant ante adventum Christi : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur[14]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Cant., V, 1181-1194.

Lampades ignis atque flammarum[15].

Ignis lampadibus signantur corda piorum,

(1) *Divitum*. Job. XII, 4. — (2) *Lampadarum*. Ezech. I, 13. — (3) *Opera justitiæ* B-G. — (4) *Lampades*. Matt. XXV, 7. — (5) *Flammarum*. Cant. VIII, 6. — (6) *Illas*. Genes. XV, 17. — (7) *Thronum*. Apoc. IV, 5. — (8) *Lampades*. Job. XLI, 10. — (9) *Lagenarum*. Judic. VII, 16. — (10) *Exstinguetur*. Forte an respectu ad Prov. XV, 20, aut XXXI, 18. — (11) *Medio*. Luc XI, 33. — (12) *Tuum*. Ps. CXVIII, 105. — (13) *Meo*. Ps. XXXI, 17. — (14) *Accendatur*, Is. LXI, 1. — (15) *Flammarum*. Cant. VIII, 6.

Quæ replet interius geminorum fervor amorum;
Emittuntque foris flammas, operando potenter,
Dum bona demonstrant aliis exempla patenter.
Adversis, vel blanditiis, vel laude favoris,
Non valet exstingui sinceri lumen amoris.
Signatur per aquas populi terrena procella;
Flumina designant mundi quæcumque flagella,
Omnia contemnit cordis dilectio mundi:
Spernitur, et nihil est ad eam substantia mundi...
Ut vinclum mortis, sic est dilectio fortis.
Mors vincit reges, implet dilectio leges;
Nullis adversis hæc a justis revocatur:
Ut nullis pœnis miserorum Styx satiatur,
Dicitur Ecclesia, etc.

LI.

1. Fumus, compunctio [1]: « Ascendit fumus in ira ejus [2]. » ÷ « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi [3]? »

2. Caliginosa dubietas [4]: « De naribus ejus fumus procedit [5]. Sicut fumus oculis noxius [6]. »

3. Superbia, vel vanitas ÷ hominum; in psalmo: « Defecerunt sicut fumus dies mei [7]. »

÷ 4. Fumus, cæcitas impiorum; unde et Dominus, in monte Sinai, in igne et fumo visus est, quia per ignem illuminat electos; per fumum vero excæcat impios.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 5; ed. II, col. 738 C ad 1, 2.

Gregorius. Fumus est compunctio sanctarum mentium, ut ibi: « Quæ est ista, etc. » — Caliginosa dubietas, ut ibi de Leviathan dicitur: « De naribus e. p. f. » Fumus enim de naribus ejus egreditur, quia de miraculorum ejus insidiis, in electorum cordibus caliginosa dubietas generatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XI, c. 4, p. 503.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Fumus, Ecclesia, ut: « Sicut virgula fumi ex aromatibus. » — Compunctio, ut: « Ascendit f. i. i. e. » — Doctrina mala, ut: « De fumo putei exierunt locustæ [8]. » — Superbia, ut: « Quemadmodum fumus, deficient [9]. » — Tentatio diaboli, ut: « De naribus e. p. f. » — Brevitas vitæ, ut: « Sicut deficit fumus, deficiant. » — Caligo damnationis, ut: « Fumus tormentorum in sæcula [10]. »

Petrus Cantor. Fumus est elationis, unde: « Lux impii sicut procellæ; dies ejus sicut fumus qui semper spargitur [11]. » — Orationis, unde: « Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu angeli [12]. » — Compunctionis; unde: « Tange montes, et fumigabunt [13]. » — Item: « Domus impleta est fumo [14], » id est, anima compuncta est.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cant., v. 391-400.

Desertum est mundus, ubi crescunt undique dumi,
Per quem conscendit pia mens, ut virgula fumi,
Myrrhæ, vel thuris, vel pigmenti pretiosi,
Per quæ sponsa subit thalamum sponsi speciosi.
Myrrha notat carnem, quæ jejunando laborat;
Thus pia vota precum, dum mens suspirat et orat;
Pulvis pigmenti, qui mirum reddit odorem,
Designat famamque bonam, morumque nitorem.

(1) *Initia compunctionis futuræ, vel ipsius comminationis divinæ, in Job* B-G. — (2) *Ejus.* Ps. XVII, 9. — (3) *Fumi.* Cant. III, 6. — (4) *Vanitas, vel tentatio diaboli, in Job*, B-G. — (5) *Procedit.* Job XLI, 11. — (6) *Noxius.* Prov. X, 26. — (7) *Mei.* Ps. CI, 5. — (8) *Locustæ.* Apoc. IX, 3. — (9) *Deficient.* Ps. LXVII, 3. — (10) *Sæcula.* Apoc. XIV, 11. — (11) *Spargitur* E loco mihi ignoto. — (12) *Angeli.* Missale Roman. ad offert. in *Missa angelor.* et Apoc. VIII, 4. — (13) *Fumigabunt.* Ps. CXLIII, 5. — (14) *Fumo.* Apoc. XV, 18.

LII.

1. Carbones, charitas [1] : « Carbones ignis congeres super caput ejus [2]. » ÷ In psalmo : « Carbones succensi sunt ab eo [3]. »

2. Exempla, aut pœnitentia [4] : « Cum carbonibus desolatoriis [5]. »

3. Apostatæ [6] : « Denigrata est facies eorum super carbones [7]. »

4. Mentes cupiditate accensæ [8] : « Halitus ejus [9] prunas ardere fecit [10]. » ÷ « Nonne sunt prunæ quibus caleſiat focus [11] ? »

÷ 5. Sancti quilibet : « Præ fulgore, in conspectu ejus, transierunt grando et carbones ignis [12]. »

÷ 6. Occulti sancti : « Similitudo animalium; vultus eorum quasi carbonum ignis ardentium [13]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 5; ed. II, col. 738 C ad 1, 2.

Gregorius M. Carbones, mentes in peccatis frigidæ, ut in Jeremia : « Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. » Nigri enim nonnulli post candorem fiunt, quia, amissa Dei justitia, quum de sua præsumunt, in ea quæ non intelligunt, peccata dilabuntur, et frigidis mentibus frigidiores fiunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XI, c. 5 et 6, p. 503, 505.

Rabanus. Carbones, virtutes Christi, ut : « Thuribulum plenum carbonibus infert pontifex in sancta sanctorum [14]. » — Sancti qui judicabunt, ut : « Cadent super eos carbones [15]. » — Ardor pœnitentiæ, ut : « Carbones ignis congeres super caput ejus. » — Incendia charitatis, ut : « Nubes transierunt, grando et c. i. » — Viri sancti, ut : « Carbonum ignis ardentium. » — Bona exempla, ut : « Cum carbonibus desolatoriis. » — Peccatores, ut : « Carbones succensi sunt ab eo. »

Petrus Cantor. Carbones quandoque dicuntur vitia; unde : « Cadent s. e. c. » — Quandoque sancti alios illuminantes; unde : « Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. » — Quandoque charitas; unde : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; carbones, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. IX, c. 23.

Distinction. monastic. lib. I, *de Carbone*. Carbo tum proprie, tum improprie ponitur non solum in sacris libris, sed et in sæcularibus. Nam super locum illum in Topicis [16], ubi Aristoteles dicit quod proprium est ignis esse levissimum corporum specie, tres species ignis assignantur, scilicet : carbo, lux, flamma. Nos vero carbones exstinctos in usu habemus carbones vocare; accensos vero carbones, proprie prunas appellamus. Et tamen a carbone lapis, igneo fulgore rutilans, carbunculus nominatur. — Carbo ignitus significat doctores, qui verbis et exemplis alios calefaciunt, peccantes urunt, peccata comburunt; de quibus dictum est in psalmo : « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis, » vel secundum LXX, vastatoriis, id est : eloquia Dei corda peccan-

(1) *Charitatis ignis* B-G. — (2) *Ejus.* Rom. XII, 20. — (3) *Eo.* Ps. XVII, 9. — (4) *Exemplum pœnitentiæ* E. — (5) *Desolatoriis.* Ps. CXIX, 4. — (6) *Corda reproborum a calore fidei, vel charitatis exstincta; in in Jeremia,* C-D-G. A. *Calore charitatis* B, C. — (7) *Carbones.* Thren. IV, 8. — (8) *Corda reproborum, flatu diabolicæ inspirationis et carnali cupiditate ardentia, in Job* B-G. — (9) *Ejus, hoc est diaboli.* Ib. — (10) *Fecit.* Job XLI, 12. — (11) *Focus.* Is. XLVII, 14. — (12) *Ignis.* Ps. XIII, 14. — (13) *Ardentium.* Ezech. I, 14. — (14) *Sanctorum.* Exod. XXX, 34. — (15) *Carbones.* Ps. CXXXIX, 11. — (16) *Topic.* V, c. 2.

tium acute pungentia, et exempla sanctorum Patrum peccantes urentia, et ad pœnitentiæ dolorem excitantia, et ita peccatores vastantia. — Carbo exstinctus significat lapsos in mortalia peccata, qui per gratiam Dei pœnitentes, reaccenduntur, ut ibi : « Carbones succensi sunt ab eo, » Christo scilicet, qui ait in Evangelio : « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent [1]. » De mortuis in anima, sed in carne adhuc viventibus dictum est.—Per carbones significantur incendia charitatis, ut ibi : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi ; hæc enim faciens, carbones congeres; » id est, occasiones illi præbebis dilectionis. Unde quidam ait :

Carbones ignis incendia constat amoris.

—Per carbones etiam significantur incendia vitiorum; unde psalmista dicit de reprobis : « Cadent super carbones, » id est in incendia avaritiæ, invidiæ, luxuriæ, iracundiæ. Hæc in præsenti. In futuro vero « in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent [2]; » quia a vero esse, quod Deus est, alieni erant. — Per carbones significantur virtutes ; unde versificator quidam ait :

Lege jubebatur sumtos altaris ab igne
Carbones vivos in sacrosancta geri ;
Lege jubebatur Aaron, carbonibus illis
Thuribulo positis, thus adolere Deo.
Carnis thuribulum, tamquam carbone, refertum
Virtutum cumulo, Christus ad astra tulit :
Quas ex igne Deo, quo carnis fluxa cremantur
Et lapsæ carnis lubrica, sumsit homo.

LIII.

1. Cinis, peccatores : « Quid superbis, terra et cinis [3] ? »

2. Pœnitentia [4]. ÷ Idcirco ego me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere [5] : saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam [6]. »

÷ 3. Cura sæculi : « Factus est Ephraim subcinericius panis [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 24 ; ed. II, 762 C ad 1.

Gregorius M. Cinis nomine cura sæcularis exprimitur, sicut de qualibet anima, terrenis desideriis aggravata, sub Ephraim specie dicitur : « Ephraim factus est subcinericius, qui non reversatur. » — Quisquis enim curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi interiorem faciem subtus premit. — Cinis, pœnitentia; unde Job : « Saccum consui, etc. » —Cinere enim caro operitur, quum carnis culpa per pœnitentiam tegitur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XI, c. 7, p. 506.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Cinis, defunctus ; unde : « Memoria nostra comparabitur cineri [8]. » —Pœnitentia, ut : « Operui cinere carnem meam. » — Humilitas, ut : « Homo in cinerem revertetur [9]. » —Corruptio mortalitatis, ut : « Ago pœnitentiam, etc. » — Peccator, ut : « Cinerem tamquam panem manducavi [10]. » — Dominicæ passionis consummatio, ut : « Lebetes ad suscipiendos cineres [11]. » —Perfectio operum, ut : « Tolle cineres quos ignis consumsit [12]. »

Cf. *de Universo*, lib. VIII, c. 24, p. 280.

(1) *Vivent.* Joan. V, 25.—(2) *Subsistent.* Ps. CXXXIX, 11. — (3) *Cinis.* Is. X, 9. — (4) *Similitudo pœnitentiæ in Job* B-G. — (5) *Cinere.* Job XLII, 6. — (6) *Meam.* Job XVI, 15. — (7) *Panis.* Osee VII, 8. — (8) *Cineri.* Job XIII, 12. — (9) *Revertetur.* Job, XXXIV, 15. — (10) *Manducavi.* Ps. CI, 10. — (11) *Suscipiendos cineres.* Exod. XXVII, 3. — (12) *Ignis consumsit.* Levit. VI, 10.

APPENDIX AD CAPUT IV.

COMMENTARII QUINQUAGINTA VETERUM IN HEXAEMERON [1].

I.

PHILO JUDÆUS [2].

Sacræ leges allegoriarum, in sex dierum opus, lib. III.

II.

* S. JUSTINUS MARTYR [3].

In *Hexaemeron*.

III.

* RHODON.

In *Hexaemeron* elegantes tractatus composuit [4].

IV.

* CANDIDUS.

In *Hexaemeron* pulcherrimos tractatus edidit [5].

V.

* APION.

Similiter in *Hexaemeron* tractatus VI fecit [6].

VI.

S. HIPPOLYTUS PORTUENSIS.

Εἰς Ἑξαήμερον, καὶ εἰς τὰ μετὰ Ἑξαήμερον [7].

VII.

ORIGENES.

* Scripsit libros XIV *in Genesim* [8].

Exstant *Homiliarum mysticarum in Genesim* libri II.

VIII.

S. VICTORINUS PETABIONENSIS.

De Fabrica mundi [9].

IX.

* S. METHODIUS PATARENSIS.

In *Genesim* [10] Commentarius.

X.

DRACONTIUS.

Hexaemeron, carmine heroico [11].

XI.

* PRUDENTIUS.

Commentatus est et in morem Græcorum *Hexaemeron, de mundi fabrica* [12].

XII.

S. BASILIUS CÆSARIENSIS.

Elaboravit in *Hexaemeron* homilias novem [13].

(1) *Hexaemeron*. Quum a primis Ecclesiæ incunabulis sedulo provisum est, tum ut parvuli στερεῷ βρώματι valerent, ἵνα εἰς πνευματικὸν προκόψωσι γῆρας, tum ut solidiora quæque ciborum fercula e mensa Scripturæ sacræ accepta depromerentur, ita plerumque contigit ut, dum a sex dierum opificio mundique fabrica multi initium arriperent uberrimos in vulgus emittendi commentarios, inde iidem non omitterent recondita in Hexaemeri enarrationibus charismata spiritualis doctrinæ propinare. Agedum, sta paulisper, bone lector, in his de mundo symbolorum metis; tibi enim sistere jubemus veterum super ea rerum primordia interpretum quinquagenam selectam, canitie venerandam, a primo inde ad quintum et decimum currentis æræ sæculum, doctrina scilicet et sanctitate plerosque præ omnibus præstantissimos, optimos porro arcanæ theologiæ reique symbolicæ magistros. * Hæc nota ea designat opera quæ vel omnino perierunt, vel nondum in lucem, quod sciamus, prodiere. — (2) *Judæis*. Per nos haud stat quin ducat agmen, habita saltem ratione temporum, vetus ille nec ultimi subsellii magister, Judæus, Philo Alexandrinus, cujus exstant ubi vis opera græce et latine, Parisiis 1640, Francofurti 1690, etc. — (3) *Martyr*. Grabium sequimur et Anastasium Sinaitam; utrumque vide, cum censura Marani nostri, in S. Justini *Opp.* append. p. II, col. 648, edit, Venet. 1747.—(4) *Composuit*. Hæc et quæ sequuntur n. 4 et 5, totidem verbis expressit Hieron. *De Viris illustr.* cap. XXXVII, t. II, col. 878 edit. Vallars. — (5) *Edidit*. Ib. cap. XLVIII, col. 889. — (6) *Fecit*. Ib. cap. XLIX. — (6) Ἑξαήμερον. Ita Eusebius Hist. Eccl. VI, 22, confirmantibus titulis in cathedra marmorea inscriptis. — (8) *Genesim*. Hæc accepta refer Hieronymo in insigni fragmento epistolæ ad Paulam, quod in editis operibus desideratur; de illo alias, si faverit Deus O. M. — (9) *Mundi*. Est excerptum ex ampliore in Genesim commentario. Galland. *Bibl. vet. PP.* t. IV, p. 49. — (10) *In Genesim*. Hieronym. l. l. cap. LXXXIII.—Supersedemus deinceps a memorandis innumeris variorum commentariis, scholiis, quæstionibus, quæ ita de Opere VI dierum agunt, ut latius in omnem Genesim, aut in Pentateuchum, aut in Octateuchum excurrant.—(11) *Heroico*. Illustravit Arevalus in edit. Rom., 1791, in-4°.— (12) *Fabrica*. Hæc Gennadius, quem vide diligenter annotatum ab Arevalo in suis Prudentii *Proleg.* c. III, p. 42, 43. — (13) *Novem*. Hier. l. l. cap. CXVI, col. 943. Inde enim ordiuntur *Opera* edit. Benedict.

XIII.

S. Ambrosius Mediolanensis.

In *Hexaemeron* [1].

XIV.

S. Gregorius Nyssenus.

In *Hexaemeron* [2].

XV.

Severianus Gabalitanus.

Orationes VI in *Cosmopœiam*, seu *de mundi Creatione* [3].

XVI.

* Hieracas.

In *Hexàemeron*, græce et coptice [4].

XVII.

* S. Augustinus.

De Operibus sex dierum, serm. VI [5].

XVIII.

* Anonymus Græcus.

Discursus super contentis in veteri Testamento ab Hexaemero [6].

XIX.

Pseudo-Eustathius.

Commentarius in *Hexaemeron* [7].

XX.

Zacharias Mitylenensis.

Dialogus *de Universitatis creatione* [8].

XXI.

* Salvianus Massiliensis.

Liber in *Genesim*, quasi *Hexaemeron*, in morem Græcorum, versu compositus [9].

XXII.

* Ammonius Ægyptius.

Enarrationes in opus sex dierum [10].

XXIII.

Joannes Philoponus.

De mundi Creatione in Genesim, lib. VII [11].

XXIV.

* Antimachus Heliopolitanus.

Κοσμοποιία, sive *in mundi fabricationem* versus 3780.

XXV.

S. Anastasius Sinaita.

Anagogicæ contemplationes in Hexaemeron [13].

XXVI.

* Jacobus, cognomine Commentator.

Hexaemeron ad Constantinum, seu *Harmonia creationis et creatarum rerum* [14].

XXVII.

* Emmanuel Syrus.

Liber de opere sex dierum, carminibus syriacis [15].

XXVIII.

Venerabilis Beda.

Hexaemeron [16].

XXIX.

Epiphanius Monachus.

Fragmenta [17] in *Hexaemeron*.

XXX.

Georgius Pisides [18].

Κοσμοποιία, sive *de mundi Opificio*, carmen iambicum in versibus 1880.

(1) *Hexaemeron*. In capite *Oper.* ejusd. edit. Maurinor. — (2) *Hexaemeron*. Eodem loco in edit. Paris. 1637. — (3) *Creatione*. *Bibl. PP.* t. IV, p. 99. — (4) *Coptice*. Auctor iste ad Arianas partes se misere recepit. Fabricii *Bibl. græc.* t. IX, p. 246. — (5) *Serm.* VI. Possidius totidem diserte recenset in indiculo Augustini operum, quos tamen nullibi comparere dolendum. — (6) *Hexaemero*. « In Bodleiana Bibliotheca cod. 10, Baroec. 3. Unde tractatus ille Eustathii Antiocheni nomine ab Allatio editus ab illo anonymo desumtus videtur. » C. Oudin. *Comment. de scriptorib.* t. I, col. 318. — (7) *In Hexaemeron commentarius*. In quo continetur historia sacra ab orbe condito usque ad Josue, gr. lat. cum notis et collectaneis Leon. Allatii, Lugd. 1624, in-4°. — (8) *Creatione*. Græce et latine prodiit cum Origenis *Philocalia*, Paris. 1618, in-4°. Galland. ib. t. XI, p. 266. — (9) *Metricum*. Gennadius et Honorius *Bibl. PP.* XX, col. 1035. — (10) *Dierum*. Cs. Anastasius in prol. ad *Hexaem.* Lelong. *Biblioth. sacr.* p. 607. — (11) *In Genesim*. Galland. *Ib.* t. XII, p. 473. — (12) *Heliopolitanus*. Suidas p. 303. Cf. Lelong. *Ib.* p. 610. — (13) *Hexaemeron* lib. XI, latine t. IX, *Bibl. PP.* Lugd. p. 929. Liber XII prodiit Lond. 1682, lat. et gr. — (14) *Rerum*. Cf. *Catalogus codd. mss.* Bibl. Leidens. p. 300. — (15) *Syriacis*. Hebed-Jesu, p. 115. — (16) *Hexaemeron*. Ad caput t. IV, *Opp.* Non est quod glosa illa tribuatur Junilio africano, quod alicubi scriptum. — (17) *Fragmenta* ea accessere ad *Eustathianum Comment.* apud Allatium, p. 285. — (18) *Pisides*. Græce et latine edendum curavit Fred. Morellus. Cf. Fabric. *Bibl. gr.* t. XII, p. 6.

XXXI.

WANDELBERTUS.

De Creatione mundi per ordinem sex dierum, opus metricum [1].

XXXII.

* MICHAEL PSELLUS SENIOR.

Carmen *de Creatione mundi* [2].

XXXIII.

* AUXILIUS PRESBYTER.

Quæstiones CXXXVII *in Hexaemeron* [3].

XXXIV.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS.

Neocosmon, sive *de primis sex diebus* [4].

XXXV.

* S. ANSELMUS CANTUARIENSIS.

In *Hexaemeron* [5].

XXXVI.

B. HILDEBERTUS.

Poema *de Opere* VI *dierum* [6].

XXXVII.

* PETRUS ABÆLARDUS.

Tractatus in *opus Creationis, sive sex dierum* [7].

XXXVIII.

GUILLELMUS DE CONCHIS.

Triginta libros *super Opere sex dierum* composuit, typis editos [8].

XXXIX.

ARNOLDUS BONÆVALLIS.

De Operibus sex dierum [9].

XL.

* ARNULFUS BELLOVACENSIS [10].

De Operibus sex dierum, libri duo.

XLI.

* ROBERTUS LINCOLNIENSIS [11].

De Operibus sex dierum, lib. I.

XLII.

STEPHANUS LANGTHON.

Carmen *de Hexaemero*, sive *de Contemtu mundi* [12].

XLIII.

S. BONAVENTURA.

I. In *diversa loca Hexaemeri* ex ore dicentis excerpti sermones XXIII.

* II. In *Genesim septem visionum* [13] lib. I.

XLIV.

ÆGIDIUS DE ROMA.

Commentarius in *Hexaemeron* [14].

XLV.

* JOANNES DE SANCTO GEMINIANO.

De Operibus sex dierum [15].

XLVI.

MARTINUS ALPHONSI.

Hexaemeron [16] *super Genesim*, lib. I.

XLVII.

PETRUS DE ALIACO.

In Hexaemeron.

XLVIII.

NICOLAUS CUSANUS.

In principium Geneseos dialogus [17].

XLIX.

JOANNES PICUS DE MIRANDULA.

Heptaplus de opere sex dierum [18].

L.

* HIERONYMUS SAVONAROLA.

Commentationes in Hexaemeron [19].

(1) *Metricum.* « Cum additione mystici sensus in homine super creatione rerum accipiendi; quæ descriptio metro Pherecratio constat. » Hæc idem Wandelbertus in Dacherii *Spicileg.* t. II, p. 139. — (2) *Mundi.* Fabric. *Ib.* t. X, p. 42. — (3) *Hexaemeron.* Notæ ad Petrum Diacon. Cf. Lelong. p. 610. — (4) *Diebus.* Eo se ipsemet titulo inscripsit Honorius in *Luminarib. Eccl.* t. XX, *Bibl. PP.* p. 1038.—(5) *Hexaemeron.* Teste et vade Trithemio *de Scriptorib. Eccl.* n. DCXC. — (6) *Dierum.* Inter *Opp.* ed. Beaugend. col. 1169 — (7) *Dierum.* Martene, *Anecdot.* t. V, p. 1362. —(8) *Editos.* Oudin. *Comm.* t. II, p. 1229.—(9) *Dierum.* In *Bibl. PP.* t. XXII, p. 1284. — (10) *Bellovacensis.* Cf. Lelong. l. l. p. 616. — (11) *Lincoln.* Ib. p. 754. — (12) *Mundi.* In Biblioth. Anglicanis latere referunt Warthon, Usserius, Tanner in *Biblioth. Brit.* ad h. auct. Vereor autem ut alio nomine circumferatur, sive in *Operib.* Anselmi, ubi est Bernardi Morlanensis opus metricum *de Contemtu mundi*, sive in codd. multis qui asservant Bernardi Sylvestris *Megacosmum* et *Microcosmum.* — (13) *Visionum.* Memoratur apud Trithemium l. l. cap. CDLXIV. Sermones vero XXIII omnium Seraphici *Operum* agmen ducunt. — (14) *Hexaemeron.* Trithem. l. l. cap. DXC. — (15) *Dierum.* Cf. Echard. Biblioth. script. O. PP. t. I, p. 528.—(16) *Hexaemeron.* Inter *Opp.* J. Gersonii vol. I, append. V. Antverp. 1706. — (17) *Dialogus* in ejusd. *Operib.* — (18) *Dierum.* Inter ejusdem *Opp.* in-fol. Mirandulæ, 1596; Basileæ, 1601. — (19) *Hexaemeron.* Lelong. p. 947.—Ecce tibi selectam absolvimus commentatorum quinquagenam, neque in his omnem contineri seriem hujuscemodi commentionum velim æstimes. Non enim omnia possumus omnes. Plures ergo misi vel ob loci, vel ob meæ ipsius ignorantiæ angustias. Adisis quicumque plura cupieris, varias scriptorum ecclesiasticorum *Bibliothecas*, eamque præ cæteris quam P. Lelong locupletissimam adornavit. Plura, Deo favente, in *Proleg.* et infra dabimus.

CAPUT V.

DE VARIIS HOMINUM APPELLATIONIBUS [1].

I.

1. Homo, mens [2] : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [3]. »

2. Corpus humanum, vel homo totus ex corpore et anima [4] : « Et si exterior homo noster dissolvatur [5]. »

3. Caro, vel carnalis concupiscentia [6] : « Exsurge, Domine : non confortetur homo [7]. »

4. Christus : « Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, » ÷ « quia excelsus reputatus est [8]. » In psalmo : « Accedet homo ad cor altum [9]. »

5. Diabolus : « Inimicus homo hoc fecit [10]. » ÷ Et alibi : « Miserere mei, Domine, quia conculcavit me homo. »

6. Homines, rationabiles, spirituales [11] : « Homines et jumenta salvabis, Domine [12]. » ÷ « Vos autem, greges pascuæ meæ, homines estis [13]. »

7. Carnales [14] : « Vos autem sicut homines moriemini [15]. » ÷ « Sciant gentes quoniam homines sunt [16]. Quum enim sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? nonne homines estis? [17] »

÷ 8. Homo, Deus Pater : « Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias [18]. »

÷ 9. Verbum incarnatum : « Homo est : quis cognoscet illum [19]? Homo quidam peregre proficiscitur [20]. »

÷ 10. Judaicus populus : « Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso [21]. »

÷ 11. Sensus rationalis : « Quis dedit vehementissimo imbri cursum, ut plueret super terram, absque homine in deserto [22]? »

÷ 12. Caro : « Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum [23]. »

÷ 13. Homo per naturam : « Faciamus hominem, etc. »

÷ 14. Per culpam : « Ego dixi : dii estis; vos autem sicut homines moriemini.»

÷ 15. Per infirmitatem : « Maledictus, qui spem suam ponit in homine [24]. »

(1) *De diversis nominum appellationibus* B, C. Deest titulus in A, D. Jam antea defecit F, neque alibi per totum caput veniet in recensione codicum inde a nobis instituenda. — (2) *Mens hominis, in Genesi : facit Dominus homines ad i. e. s. suam* B-G. — (3) *Nostram.* Genes. I, 26. — (4) *Anima.* Necesse fuit e variis codicibus invicem collatis lectio confletur. — (5) *Dissolvatur.* II Cor. V, 1. — (6) *Carnalis conversatio, vel caro, sive diabolus, in psalmo* B-G. — (7) *Homo.* Ps. IX, 20. — (8) *Est.* Is. II, 22. « Versus iste in LXX non exstat, nec ibidem legebatur a S. Hieronymo, sed tantum in hebræo et aliis translationibus. » Hactenus Grabius, ut videtur, in apographo Bodleiano. — (9) *Altum.* Ps. LXIII, 7. Consentiunt quidem codd. nostri, unaque cum illis facit Rabanus *de Universo*, in ejusdem loci interpretatione, quæ tamen nonnullis rem forte qualemcumque facesserit. — (10) *Fecit.* Matt. XIII, 28. — (11) *Spirituales.* Utrumque ponit A in diverso loco. *Rationabiles quique, de quibus in psalmo* B-G. — (12) *Domine.* Ps. XXXV, 7. — (13) *Estis.* Ezech. XXXIV, 51. — (14) *Peccatores.* B-G. — (15) *Moriemini.* Ps. LXXXI, 7. — (16) *Sunt.* Ps. IX, 21. — (17) *Estis.* I Cor. III, 4. — (18) *Nuptias.* Matt. XXII, 2. — (19) *Illum.* Jerem. XVII, 9, juxta veteres interpretes. — (20) *Proficiscitur.* Matt. XXV, 14. — (21) *Bysso.* Luc. XVI, 1. — (22) *Deserto.* Job XXVIII, 25. — (23) *Volatum.* Job. V, 7. — (24) *Homine.* Jerem. XVII, 5.

— 16. *Filius hominis*, Christus. In Evangelio : « Quum venerit in majestate sua, et omnes sancti cum eo [1]. »

— 17. *Filii hominum*, fideles in Ecclesia, pertinentes ad Filium hominis, qui est Christus. In psalmo : « Secundum altitudinem tuam, multiplicasti filios hominum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus in *Carm.* VI, v. 7.

Sylvius, *de cognomentis Christi*, v. 11.

Phœbadius, *de Fide orthodoxa*, cap. VI.

S. Nicetas, serm. III, *de diversis appellationibus D. N. J. C.*

S. Orientius, *de Natali Domini*, v. 2 et 126.

S. Eucherius, ed. I, p. 17 ad 1, 3; ed. II, col. 754 B, ad 1, 3, 11, 17.

Gregorius M. Homo, Verbum Patris incarnatum, ut ibi : « Et homo est, et q. ć. e. » — Judaicus populus, ut ibi : « Homo quidam erat dives, etc. » — Sensus rationis humanæ, ut in Job : « Quis dedit, etc.; absque homine? » Illorum namque terra hominem non habet, quorum mens sensu rationis caret. Sed Deus imbri suo, id est prædicationi ejus, donat ut hujusmodi terra in intellectum et fecunditatem rationis humanæ restituatur. — Diabolus, ut ibi : « Inimicus h. h. f. » — Caro hominis, ut ibi : « Homo ad laborem nascitur, etc.; » quia inde mens ad superna evolat, unde caro in infimis laborat. — Homo per naturam, ut ibi : « Faciamus hominem, etc. » — Per infirmitatem, ut ibi : « Maledictus, etc.; » ac si dicat : in humana infirmitate. — Homines, viri spirituales, ut per prophetam Dominus dicit : « Vos autem greges, etc.; » quos videlicet voluptas carnis jumentorum more non afficit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IV, c. 1, 2, p. 169, 173.

S. Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. II, n. 36.

Rabanus. Homo, Deus Pater, ut : « Homini regi q. f. n. » — Redemtor, ut : « Non aspiciet me visus hominis [3]. » — Cœtus apostolorum, ut : « Exibit homo ad opus suum [4]. » — Prædicator, ut : « Super quem nullus homo sedit [5]. » — Vir justus, ut : « Timuit omnis homo [6]. » — Matthæus evangelista, ut : « Facies hominis in eis [7]. » — Ratio mentis, ut : « Domine, hominem non habeo [8]. » — Iniquus, ut : « Non appareat ultra homo super terram [9]. » — Antichristus, ut : « Quum revelatus fuerit homo peccati [10]. » — Diabolus. — Homo per naturam. — Per culpam [*ut supra* 13, 14]. — Per fatuitatem, ut : « Suavis est homini panis mendacii [11]. » — Per infirmitatem : « Maledictus, etc. » — Per rationem, ut : « Secundum hominem ad bestias pugnavi [12]. » — Per virtutem, ut : « Accedat homo, etc. » — Judaicus populus. — Viri spirituales [*ut supra* 9, 16].

Cf. *de Universo*, lib. VI, c. 1.

Herradis Abbatissa [13] in *Horto deliciarum*, fol. 81, col. 2. *De Christo homine.*

Semen naturæ mortuum
Fit jussu Dei vividum,
Ad procreandum filium,
De Sara sibi genitum.
Quo semine sterilium
Plantatur Virgo virginum :
Quis non corrideat?
Quis non congaudeat,

si tamen recte vivit, dum considerat de

(1) *Eo.* Luc. IX, 26. — (2) *Hominum.* Ps. XI, 9. — (3) *Hominis.* Job VII, 8. — (4) *Suum.* Ps. CIII, 22. — (5) *Sedit.* Matt. XXI, 2. — (6) *Homo.* Ps. CIII, 23. — (7) *Eis.* Ezech. I, 5, 10. — 8) *Terram.* Ps. X, 18. — (9) *Peccati.* II Thessal. II, 3. — (10) *Mendacii.* Prov. XX, 17. — (11) *Pugnavi.* I Cor. III, 3. — (12) Abbatissa. Splendidus abbatissæ Herradis codex Argentinus, cui titulus præfigitur idem ac Hermanni nostri carminibus, scilicet : *Hortus deliciarum*, orbi erudito notior est, quam ut quicquam paucis in præfatione nostra præmissis addere debeam. Usus sum excerptis, titulis et apographo a quodam Cart husiano digestis et asservatis in bibliotheca Argentina sub litt. K. 15. Cf. *Prolegom.*

spumam peccati, de luto seminis immundi, fieri stellam cœli? Quod Isaac efficere non potuit: qui quamvis justo Abrahæ promissus fuerit, tamen de immundo propter peccatum originale, semine patris et sanguine matris..., prout in promtu est in cadaveribus mortuorum videre, quorum numquam ullus resurgeret, nisi ille novus homo, qui non confluxit, non immulsit in matrem, nec sicut caseus in ea coagulatus; sed in Spiritu sancto Deo, non homine; Patris Dei, non hominis Patris Filius; ante tempora Deus, non homo; ut fieret homo, in uterum Virginis conceptus, non homo, sed Deus; ex clauso utero Mariæ exiens, Deus et homo: genus humanum de morte resuscitasset, et sicut stellas in claritate differentes, in cœlo beatos collocasset.

Distinctionum monasticarum lib. III, *De Homine*. Homo dictus est ab *humo* [1]: in quo ei salubriter provisum est, ut quia ipse valde appetens est gloriæ, ab ipsa appellatione sua sibi se humiliandi daretur occasio, dum ab ea parte qua terrenus est, et communem cum brutis animantibus sortitus est materiam, se nominatum agnosceret. Inde est quod ad humiliandum hominem et ab ipso homine corporeæ infirmitates et indignitates sæpissime proponuntur, sicut in his versibus:

Unde superbit homo? cujus conceptio, culpa;
Nasci, pœna; labor, vita; necesse, mori.

Et iterum de eodem versifice dictum est:

Res homo vana: placet? Sordebit. Abundat? Egebit.
Floret? Marcebit. Stat? Cadit. Est? Nec erit.

Et iterum:

Væ mihi nascenti! væ nato! væ morienti!
Væ mihi, quod sine væ non vivit filius Evæ.

Homo in Scriptura sacra multa significat. Homo dicitur per similitudinem ipse Deus Pater, ut: « Simile est, etc. » Nam Deus Pater Filio suo nuptias fecit, quando ei humanam naturam univit.

Homo dicitur diabolus, propter infirmitatem et vilitatem, ut ibi: « Ægyptus homo, et non Deus [2]. » Hæc sententia in distinctione de Ægypto exposita est [*vide infra cap.* XIII]. Sed apertius habes in Evangelio, quod diabolus homo dicitur, ut ubi legitur, quod inimicus homo superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

Homo etiam ipse qui secundum corpus factus est de humo, id est de limo terræ. Hoc nomine homo, multis ex causis multipliciter designatur. Dicitur enim homo quandoque per naturam, ut ibi: « Faciamus hominem, etc. » — Quandoque per culpam, ut ibi: « Quum sint inter vos zelus et contentio, nonne homines estis [2], » id est peccatores. — Quandoque per discretionis efficaciam, ut ibi: « Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? » hoc est: si contra homines bestiales rationabiliter disputavi de resurrectione, quid mihi prodest rationabiliter acta disputatio, si non est vera mortuorum resurrectio? — Quandoque dicitur homo per fatuitatem, ut ibi: « Suavis est homini p. m., » id est, stulto delectabilis est doctrina falsitatis. — Quandoque per humilitatem et subjectionem, ut ibi de superbis divitibus: « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur [3]. » — Quandoque per virtutem et patientiam, ut ibi: « Militia est vita hominis super terram [4]. » Nam homo virtuosus militat contra diabolum, contra mundum, contra carnem suam. Piger vero et lascivus non militat, quia consentit; cui contrarium est illud poeticum:

Non bene libertas [5] umquam pro pace daretur.

— Item homo interior dicitur anima humana, ut ibi: « Condelector legi Dei secundum interiorem hominem [6]. » — Homo exterior dicitur corpus humanum, ut ibi: « Et si is qui exterior est, homo noster corrumpitur, sed is qui intus est, renovatur de die in diem. »

(1) *Humo*. Isid. Etymol. lib. XI, c. 1, n. 5. — (2) *Deus*. Is. XXXI, 3. — (3) *Flagellabuntur*. Ps. LXXII, 5. — (4) *Terram*. Job. VII, 1. — (5) *Libertas*. Lucan. *Phars*. IV, 227. — (6) *Hominem*. Rom. VII, 22.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Homo.

Deus Pater.	Diabolus.
Redemtor.	Populus judaicus.
Prædicator.	Viri spirituales.
Vir justus.	Homo per naturam.
Matthæus.	— per infirmitatem.
Ratio mentis.	— per fatuitatem.
Iniquus.	— per rationem.
Antichristus.	— per virtutem.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Homo.

Verbum Patris incarnatum.	Caro hominis.
	Homo per naturam.
Judaicus populus.	— per culpam.
Sensus humanæ rationis.	— per infirmitatem.
	Viri spirituales.
Diabolus.	

I.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. I, v. 449-458.

Cœna hominis regis.

Ad cœnam regis fuit ista vocatio facta,
Uxor, villa, boves quando venire negant.
« Qui mea portastis juga pura mente, venite,
Christus ait : merces namque laboris ero. »
Non fuit aspiciens, oculum pietatis habendo,
Dum tendis sanctas in cruce, Christe, manus ;
Vel dum languores sacra, Christe, manus tua sanat.
Livor hebræus agit pro bonitate malum.
Sed tua, Christe, pati mors in cruce quam voluisti
Humano generi sit via, vita, salus. Amen.

II.

Imago Dei, lib. II, v. 282-285.

Splendet in humana forma deitatis imago :
Huic animal nullum fulget honore pari.
Hanc animam vitamque tuam libare cruento
Hosti peccando, turpe tibi sit, homo !

II.

÷ 1. ANIMA, idem quod charius amatur : « Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva [1]. »

÷ 2. Voluntas ; « Non est anima mea ad populum istum [2]. »

÷ 3. Intentio : « Quamobrem elegit suspendium anima mea [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

ADRIANUS, Εἰσαγωγὴ Β', λ'.

GREGORIUS M. Anima, mensis intentio, sicut in Job : « Elegit s. a. m., et mortem, ossa mea; » quia videlicet, quum mentis intentio in altum suspenditur, tota vitæ exterioris fortitudo permutatur.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 2, p. 201.

RABANUS, *de Universo*, lib. VI, c. I, col. 140, 141.

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS. Anima dicitur quandoque totus homo; unde octo animæ salvæ factæ sunt in arca Noe. Item : « Descendit Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta [4]. » —Quandoque vita præsens, vel sensualitas ; unde in Evangelio : « Qui odit animam suam in hoc mundo, etc., » id est præsentem vitam, vel sensualitatem, « in vitam æternam custodit eam [5]. » Idem est quod sequitur : « Et qui amat animam suam, etc. » Certe bonum est unicuique animam perdere, ne perdatur. Malo animam perdere, ut custodiam, quam custodire, ut perdam. — Quandoque spiritus hominis, qui post diem judicii cum corpore glorificabitur, aut cum corpore damnificabitur in æternum. De ista dicitur : « Benedic, anima mea, Dominum [6]. » Et : « Adhæsit pavimento anima mea [7]. » — Anima quandoque ponitur pro voluntate;

(1) *Serva.* Job II, 6. — (2) *Istum.* Jerem. XV, 1. — (3) *Mea.* Job VII, 15. — (4) *Septuaginta.* Genes. XLVI, 27. — (5) *Eam.* Joan. XII, 25. — (6) *Dominum.* Ps. CIII, 1. — (7) *Mea.* Ps. CXVIII, 25.

unde in persona Christi : « Et operui in jejunio animam meam [1], » id est voluntatem meam. — Quandoque pro potentia ; unde ubi supra : « Et operui, etc., » id est, non exercui potentiam in judicando.

Anima deficit futura desiderando ; unde : « Deficit in salutare tuum anima mea [2]. » Item : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria tua [3]. » — In temporalibus tabescendo ; unde : « Defecit caro mea et cor meum [4]. » — Æterna contemplando ; unde : « Anima mea liquefacta est [5]. »

Anima perturbatur quandoque ex propriis peccatis ; unde : « Rugiebam a gemitu cordis mei [6]. » — Quandoque ex compassione adversitatis proximi ; unde : « Flevit Dominus super civitatem Hierusalem, et dixit : « Quia si cognovisses et tu [7], etc. » — Quandoque ex compassione proximi ; unde : « Quis infirmatur, et ego non uror [8] ? » — Quandoque ex propria infirmitate ; unde : « Tristis est anima mea usque ad mortem [9]. »

Anima, causa doctrinæ, dicitur habere duas partes potentiales : superiorem, scilicet rationem, quæ duas habet partes : sapientiam de supernis, quæ non potest velle nisi bonum, qua contemplamur Deum ; et scientiam inferiorum rerum, quæ sic conversatur in hoc mundo, ut vivat sine querela, nisi corrumpatur per Evam, id est per carnem. — Et inferiorem, id est sensualitatem, quæ similiter duas habet partes : superiorem de licitis et necessariis, ut comedere, et bibere, et hujusmodi ; et inferiorem, de illicitis, ut fornicari, et hujusmodi. Et hæc dicitur serpens, qui suggessit Evæ.

Anima ornatur, sive coronatur quatuor principalibus, ut infra in *Corona* [vide cap. VI].

DISTINCTIONUM MONASTIC. lib. I. *De Anima.* Anima triplex est : rationalis, sensibilis, vegetabilis. Rationalis est hominum ; sensibilis, brutorum animalium ; vegetabilis, plantarum, id est arborum et herbarum virentium, et virendo viventium. Vivere enim dicuntur quodam modo plantæ quæ virent, teste Apostolo, qui ait : « Insipiens ! tu quod seminas, non vivificabitur, nisi prius moriatur [10]. » Sed ego significationes animæ, secundum quod spiritus hominis appellatur, intendo distinguere.

Nomen animæ sæpe proprie ponitur in Scripturis, sed sæpius improprie. Proprie ponitur, quando significat spiritum rationalem, corpus humanum vegetantem, vel vegetare naturaliter idoneum, ut in verbis Domini, dicentis in Evangelio : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam [11]. » Cujus sententiæ is est sensus : potestatem habeo separandi animam meam a corpore meo, moriendo ; et iterum uniendi eam corpori meo, resurgendo.

Improprie ponitur in multis locis ; quandoque significat totum hominem, per synecdochen, ut ibi : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit [12], » id est omnis homo. Et ibi : « Ingressus est Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta. » — Quandoque nomine animæ ipsa ratio designatur, ut ibi : « Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua [13], » id est toto affectu tuo, et tota ratione tua, et totis viribus tuis. Hoc est, sicut beatus Bernardus exposuit, dulciter, sapienter, fortiter. — Quandoque superior portio rationis, quæ græce synteresis [14] dicitur, ut ibi : « Benedic, a. m. d. » — Quandoque inferior pars rationis, ut ibi : « Magnificat anima mea. » Nam de superiori subditur : « Et exsultavit spiritus meus in Deo [15]. » — Quandoque sensualitas, ut ibi : « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter

(1) *Meam.* Ps. LXVIII, 11. — (2) *Mea.* Ps. CXVIII, 81. — (3) *Tua.* Ps. LXXXIII, 2. — (4) *Meum.* Ib. 4. — (5) *Est.* Cant. V, 6. — (6) *Mei.* Ps. XXXVII, 9. — (7) *Tu.* Luc. XIX, 41. — (8) *Uror.* II Cor. XI, 29. — (9) *Mortem.* Matt. XXVI, 38. — (10) *Moriatur.* I Cor. XV, 36. — (11) *Eam.* Joann. X, 17. — (12) *Sit.* Rom. XIII, 1. — (13) *Tua.* Marc. XII, 3. — (14) *Synæresis* cod. Cf. infra p. 250. — (15) *Deo.* Luc. I, 46.

meus [1] ; « id est, ratio mea, sensualitas mea, et memoria mea conturbata sunt in ira. — Quandoque animalitas, ut ibi : « Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam [2]. » Dederunt, hoc est reliquerunt, « pretiosa pro cibo, » id est virtutes pro voluptate, « ad refocillandam animam, » id est tenuiter pascendam, vel pascendam animalitatem suam. Et ibi : « Misit saturitatem in animas eorum [3]. » — Quandoque hæc vita mortalis; unde Apostolus : « Non facio animam meam pretiosiorem quam me [4]. » Et apertissime in hac acceptione ponit animam poeta [5], dicens :

Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

— Item anima dicitur, quum vivificat, corpus; quum vult, animus; quum est, mens; quum sentit, sensus; quum recolit, memoria; quum discernit, intellectus; quum judicat, ratio.—Item significat intentionem, ut ibi : « Ne tradideris me in animas tribulantium me [6]. » Et : « In die mala liberabit eum. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus [7]. » — Item diabolus dicitur metaphorice anima impii. Unde quum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam; quia quum ad nutum animæ movetur corpus, impius qui spiritu diabolico agitur, diabolum habere animam dicitur, quia ad voluntatem ejus movetur.

Laurentius Dunelmensis [8].

Hypomnesticon, lib. I, *De creatione hominis et efficientia animæ.*

Post, operante Deo, personam cedit in unam
Junctio naturæ duplicis, et fit homo.
Corpus ei placidum nova terra ministrat, et ortum
Ignea de nihilo vis animæ ejus habet.
Hac in parte potens, superos homo pene coæquat,
Et pecus omne præit ; pars ea fine caret.
Hac ratione, sui factoris imagine pollens,
In sibi subjecto corpore mira facit.
Hoc ea vivificans movet et regit, atque decorem
Induit, et multum sensibus ejus agit.
Ipsa profunda maris cœlique cacumen et orbem
Terræ scrutatur, transit, et ambit ovans.
Non minor in minimis, neque major habetur in amplis ;
Partibus in arctis tota simulque viget.
Quid Deus, et quid homo, quid terra, quid unda, quid aer,
Quid sit et ipsa, sua se ratione docet.
Sic Deus ex duplici natura consociatum
Hunc hominem primum, principiumque creat.

III.

1. Caput, divinitas Christi : « Caput viri, Christus [9]. » ÷ « Caput ejus, aurum optimum [10]. Unge caput tuum oleo [11] [*Cf. supra*, p. 1 et 25]. »

2. Mens [12], ÷ quæ principale est animæ : « Levate capita vestra [13]. » ÷ Ubi et supra : « Caput autem mulieris, vir. »

3. Initium aliquod : ÷ « Facti sunt hostes ejus in capite [14]. » ÷ Inchoatio bonorum operum, sive ipsa hominis voluntas, in Levitico : « Ponet manum suam super caput hostiæ suæ [15]. »

÷ 4. Caput omnium sanctorum, Christus. In Apostolo : « Caput viri, Christus. »

÷ 5. Caput omnium malorum, diabolus. In Habacuc : « Percussisti caput de domo impii [16]. »

(1) *Meus*.Ps. xxx, 10. — (2) *Animam*. Thren. I, 11.— (3) *Eorum*. Ps. cv, 15.—(4) *Me*. Act. xx, 24.— (5) *Poeta*. Juven. viii, 83.—(6) *Me*. Ps. xxvi, 12. — (7) *Ejus*. Ps. xl, 2, 3. — (8 Laurentius Dunelmensis floruit in Anglia, sub initio sæculi xii, musasque latinas eo laudabiliori cultu fovit, quod ipsi multis implicito rerum temporalium curis, sive in monasterio, sive in aula regia, nonnisi subsecivis horis hæc otia fieri licuerit; at nobismet quum nec tempus vacet, nec locus, ad alia cum Nostro et tecum, bone lector, festinandum. — (9) *Christus*. I Cor. xi, 3. — (10) *Optimum*. Cant. v, 11.—(11) *Oleo*. Ib. vi, 17. — (12) *Mens hominis, ubi et supra* B-G. — (13) *Vestra*. Luc. xxi, 28. — (14) *Capite*. Thren. i, 5. — (15) *Hostiæ*. Levit. i, 4. — (16) *Domo impii*. Habac. iii, 13.

IV.

÷ 1. Cervix, superbia : « Redigentur in lutum cervices vestræ [1]. »

÷ 2. Libertatis erectio : « Tenuit cervicem meam [2]. »

V.

÷ 1. Vertex, Christus : « Egressus Satan a facie Domini, percussit Job a planta pedis usque ad verticem [3]. »

÷ 2. Fides : « Filii Mempheos et Tanis constupraverunt te usque ad verticem [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius, v. 5 et 143.

Eucherius, ed. I, p. 19 ad III, 1; ed. II, col. 757 B *ad eadem ; utraque ed. habet art.* V, *sed in alio sensu.*

Gregorius M. Caput summam significat Judaici sacrificii, sicut de Redemtore nostro sub nomine beati Job dicitur : « Et tonso capite, corruens in terram, adoravit [5]. » Redemtor enim noster, quasi tonso capite, in terram corruit, quia Judæam, tamquam sacramentorum crine nudatam, deserens, ad notitiam gentium venit. — Mens hominis, ut : « Impinguasti in oleo caput meum [6], » id est, mentem siccis cogitationibus aridam charitatis unctione rigasti. — Cujuslibet rei principium, ut ibi : « Facti sunt h. e. i. c., » quia, quum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur.

Cervix, erectio libertatis, sicut per beatum Job dicitur : « Tenuit cervicem meam, et confregit me, et posuit sibi quasi in signum, » id est, elationem quam in infirmis habuit, districtione suæ percussionis inclinavit. — Superbæ cogitationes; unde Job ad quoslibet pravos dicit : « Et redigentur, etc.; » in lutum cervices rediguntur, quia, quam parum carnis potentia valeat, tabes corruptionis probat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 4, 5, 6, p. 202-211.

Rabanus. Caput, divinitas Christi [*ut supra*, n. 1]. — Sacerdotium Judæorum, ut : « Abstulit coronam de capite meo [7], » — Prælatus, ut : « Caput in tribubus Israel factus est [8]. » — Principatus Synagogæ, ut : « Omne caput languidum [9]. » — Principium, ut : « In capite libri scriptum est de me [10]. » — Superbia, ut : « Gurgustium piscium implebit capite ejus [11]. » — Initium tentationis, ut : « Caput aspidis sugget [12]. » — Excellentia, ut : « Advena erit in capite [13]. » — Concupiscentia hostis, ut : « Ipsa conteret caput tuum [14]. » — Mens, ut : « Caput tuum ut Carmelus [15]. » — Intentio, ut : « Facti sunt h. e. i. c. » Oblatio superborum, ut : « Conquassabit capita in terra multorum [16]. » — Vitia criminalia : « Draco habebat oculos septem [17]. » — Affectus hominis : « Impinguasti in oleo caput meum. » *Cf.* cap. II, p. 25.

Cervix, superbia, ut : « Ego scio cervicem tuam durissimam [18]. » — Libertas bona, ut : « Concidit cervicem meam. »

Cf. *de Universo*, lib. VI, c. 1, col. 144 C.

Notkerus, *Sequent.* XXXVI, v. 5 ad III, 1.

Petrus Cantor [*supra*, p. 25, 26, 27].

Petrus Capuanus [*supra*, p. 4].

Distinctionum monasticar. lib. I, *De Capite.*

Salvator caput est ; ejus sunt membra fideles :
Ut tanti capitis sis membrum, lector, anheles.
Pro membris caput hoc de cœlo, de cruce clamat
Ille superna capit, qui caput istud amat.

(1) *Vestræ.* Job XIII, 12. — (2) *Meam.* Job XVI, 13. — (3) *Verticem.* Job II, 7. — (4) *Verticem.* Jerem. II, 16. — (5) *Adoravit.* Job I, 20. — (6) *Meum.* Ps. XXII, 5. — (7) *Meo.* Job XIX, 9. — (8) *Est.* I Reg. XV, 17. — (9) *Languidum.* Is. I, 5. — (10) *Me.* Ps. XXXIX, 8. — (11) *Ejus.* Job XL, 26. — (12) *Sugget.* Job XX, 16. — (13) *Capite.* Deuter. XXVIII, 46. — (14) *Tuum.* Genes. III, 15. — (15) *Carmelus.* Cant. VII, 5. — (16) *Multorum.* Ps. CIX, 6. — (17) *Septem.* Apoc. XII, 13. — (18) *Durissimam.* Deut. XXXI, 27.

Caput est et dicitur omnium exsistentium Deus, quia ipse summum bonum et primum, A et Ω, principium et finis, sine principio et fine, de quo quidam ait :

Principium rerum sine tempore, tempora formans [1].

De hoc capite dicit Scriptura : « Oculi sapientis in capite ejus [2]. » Quod apertius dicitur in psalmo : « Oculi mei semper ad Dominum [3]. » Ubi amor, ibi oculus.

Capitis nomine quandoque rectores Ecclesiæ, quandoque Christum, quandoque Deum Patrem designari paucis verbis docet Apostolus dicens : « Caput mulieris est vir; caput autem viri, Christus; caput vero Christi, Deus. » — Caput mulieris est vir, » quia caput plebis subjectæ est ille qui præest. Moraliter, « caput mulieris est vir, » id est, caput sensualitatis est ratio. — « Caput vero viri est Christus, » quia ipse est pastor pastorum, rector rectorum, Prælatus prælatorum, sicut et sanctus sanctorum. — « Caput vero Christi est Deus, quia secundum humanitatem assumtam minor est Patre Filius.

Caput Ecclesiæ recte dicitur Christus, quia caput cæteris membris est eminentius, potentius, elegantius. Quod eminentius sit et elegantius, quia videmus oculis, non est necesse probare verbis. Quod potentius sit, satis est facile deprehendere cogitanti. Omnes namque sensus sunt in capite : ipsum enim per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per palatum gustat. Solum vero tactum cum cæteris membris habet communem, et, quod quolibet horum majus est, per linguam loquitur, et occultum ac spirituale mentis verbum per corporale facit manifestum.

Videamus an Christus membris suis sit eminentior, potentior, elegantior. Qui de cœlo est, super omnes est : ergo eminentior. « Non ad mensuram dedit ei Deus Spiritum, sed de plenitudine ejus nos omnes accepimus [4]. » Et ipse proprio ore ait : « Sine me nihil potestis facere [5]. » Ergo ipse potentior. Idem de se ipso dixit : « Princeps hujus mundi in me non habet quicquam [6]. » Hoc nullus alius veraciter dicere potest. Ergo ipse est elegantior. Unde et « speciosus forma præ filiis hominum » dictus est. Et ipse pro nobis, tamquam caput pro membris, loquutus est in cruce dicens : « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me [7] ? » De hoc capite nostro ait Apostolus : « Crescamus in eo qui est caput, Christus [8]. »

Capitis nomine designantur omnes qui præsunt populis, tam principes terrarum quam prælati ecclesiarum; unde ad Nabuchodonosor, regem Babylonis, ait Daniel : « Tu es caput aureum [9]. » Et quod prælati Ecclesiæ capitis nomine illustrentur, certum est ex eo quod ait Dominus Petro : « Tu vocaberis Cephas [10], » quod interpretatur caput. Cephas enim græce, latine dicitur caput [11]. Unde acephala dicuntur quædam animalia caput non habentia, sicut ostrea et quædam alia. Et cynocephali dicuntur homines capita canina habentes. Unde et cæpe dicuntur, teste Virgilio, qui ait in *Georgicis* [13].

Et cicer, et capiti nomen debentia porra.

Porra dixit in neutro genere, quum nos *Porros* dicere soleamus genere masculino.

Et nota quod non solum boni prælati capitis nomine honorantur, sed etiam indigni; unde Isaias : « Omne caput languidum, etc. » Et quidam alius : « Væ qui opulenti estis

(1) *Formans.* Eccille tibi, lector, præfixus primus versus est, a quo incipit *Hypomnesticon* ejusdem Laurentii Dunelmensis, quem modo salutavimus, fausta profecto ave, ne nos omnino in hoc obiter adducto versiculo (quod nimis in promtu erat) lateret. Hæc ille ibidem :

Principium rerum sine tempore, tempora formans,
Et formata regens, regnat ubique Deus.
Quem Patris, et Prolis, seu Flaminis una potestas,
Unum, sed trinum, nomina trina notant, etc.

— (2) *Ejus.* Eccl. II, 14. — (3) *Dominum.* Ps. XXIV, 15. — (4) *Accepimus.* Joan. I, 16. — (5) *Facere.* Joan. XV, 5. — (6) *Quicquam.* Joan. XVI, 11. — (7) *Me.* Matt. XXVI, 46. — (8) *Christus.* Ephes. IV, 15. — (9) *Aureum.* Dan. II, 38. — (10) *Cephas.* Joan. I, 42. — (11) *Caput.* Ita, post veteres, a voce syriaca vel chaldaica *Cephas* oriundum, noster e græco κεφαλή deduxit. *Cephas* autem, ut rectissime habet ipse sacer interpres, significare *petram, rupem*, vel pueros sub ludi magistro nescire pudet. Cf. Passaglia, *de Prærogat. S. Petri*, l. I, c. 4. — (12) *Georgicis.* Exemplar nullum ad manum habui, in quo hunc versum legerim, quem tamen conceptis verbis laudat Cl. v. A. Fée, *Flore de Virgile*, p. XXXIII.

in Sion, et confiditis in Samaria, vel in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel [1]. »

Caput etiam malorum dicitur diabolus; unde beatus Gregorius, in quadam homilia [2]: « Certe iniquorum omnium diabolus caput est, et hujus capitis membra sunt omnes iniqui. »

Caput dicitur mens hominis; unde : « Oleum de capite tuo non deficiat [3], » id est charitas de mente tua.

Caput dicitur intentio, quæ est mater actionum; unde : « Facti sunt h. e. i. c., » id est, maligni spiritus dominantur in intentione.

Caput significat extollentiam; unde : « Dominus confringet capita inimicorum suorum. »

Caput etiam dici solet cujusque rei initium; unde : « In capite libri scriptum est de me. » Et initium peccati solet dici caput; unde Dominus ait ad serpentem : « Mulier conteret caput tuum. »

Caput etiam ipsam animam solet significare, quæ est dignior pars hominis; unde : « Sanguis tuus super caput tuum [4], » id est, mors tuæ animæ imputetur.

Caput est ratio, ut ibi : « Habeat caput responsum tuum [5], » id est rationem.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 1338-1349.

Unge caput tuum.

Quum tu jejunas, non sis, ut hypocrita, tristis ·
Non virtus, sed mens ficta notatur jbi.
Unge caput, quum jejunas, oleo pietatis,
Ut de mente tua fragret amœnus odor.
Mentem designat caput; unctio, cordis amorem :
Ungitur ergo caput, quum viget intus amor.
Internam faciem, non externam, lacrymarum
Fonte laves, ut mens munda sit ante Deum.
Unguentum Christi sanguis fuit in cruce fusus,
Cujus in Ecclesia spirat amœnus odor.
Fiat in absconso quod agis coram Patre cœli,
Ne tibi furetur gloria vana bonum.

VI.

1. CAPILLI, sancti : « Capilli tui sicut greges [6]. » [*Cf. supra*, *cap.* II, *p.* 27.]

2. Virtutes animæ, sicut Samson, cui crines nutriebantur [7].

3. Vitia : « Multiplicati sunt super capillos capitis mei [8]. »

÷ 4. Terrena substantia abundans : « Et stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis suis tergebat [9]. »

÷ 5. Defluentes cogitationes : « Et tonso capite, corruens in terram, adoravit [10]. »

÷ 6. *Pili*, veteris vitæ cogitationes : « Quum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ [11]. »

VII.

÷ 1. CINCINNI, collectio cogitationum : « Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei [12]. »

÷ 2. Frigescentes a charitate : « Et cincinni mei pleni guttis noctium [13]. »

(1) *Israel.* Amos. VI, 1. — (2) *Homilia* 16 in Evang. — (3) *Deficiat.* Eccle. IX, 8. — (4) *Tuum.* II Reg. I, 6. — (5) *Tuum.* Eccl. XXXII, 11. — (6) *Greges.* Cant. IV, 2; VI, 4. — (7) *Virtutes animæ, sicut in libro Judicum de Samsone legitur, quod capillos postquam perdidit, statim ab inimicis captus, lumen scientiæ amisit* B-G. — (8) *Mei.* Ps. XXXVI, 13. — (9) *Tergebat.* Luc. VII, 38. — (10) *Adoravit.* Job I, 20. — (11) *Meæ.* Job. IV, 15. — (12) *Capitis mei.* Ezech. VIII, 3. — (13) *Guttis noctium.* Cant. V, 2.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 19, et ed. II, col. 757 B, ad VI, 2.

Gregorius apud *Garnerium* S. V., lib. V, c. 7, 8, 9, p. 214-214.

Gregorius M. Capilli, cogitatus, sicut de sancto viro dicitur : « Et tonso, etc. » Caput enim tondit, qui cogitatus superfluos a mente removet. In terram vero tonso capite corruit, quum, superbis cogitationibus amputatis, quam se ipso sit infirmus, humiliter agnoscit. — Superabundantia terrenæ substantiæ, ut ibi : « Lacrymis, etc. » capilli enim pedes Domini tergunt, quos lacrymis lavamus, quando sanctis ejus ex charitate compatimur, et ex nostrarum rerum abundantia subvenimus.

Cincinnus, collectio cogitationum, ut in Ezechiele : « Et emissa, etc. » Justorum enim mens, quanto intra semet ipsam per custodiam disciplinæ restringitur, tanto divini auxilii manu altius a terra sublevatur.

Pili, superflua humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationes; unde per Eliphaz dicitur : « Quum spiritus, etc. » Nobis præsentibus, transit spiritus, quando invisibilia cognoscimus; et tamen hoc non solide, sed raptim videmus. Transeunte autem spiritu, pili pertimescunt, quia a contemplationis facie cogitationes inutiles fugiunt, ut nil jam fluxum, sive superfluum menti libeat, quam in semet ipsam visitationis intimæ severitas illuminat.

Rabanus. Require supra ad cap. II, n. IV, p. 27, et *de Universo*, lib. VI, c. 1, col. 144.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Capilli, fideles; unde : « Multiplicati sunt s. c. c. m. » — Cogitationes; unde : « Tonso capite, etc. » — Virtutes; unde : « Capilli capitis vestri omnes numerati sunt [1]. » — Homines elati; unde : « Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli, etc. [2]. »

Pili, humilitas pœnitentium : « Saga XII de pilis caprarum [3] » — Afflictio : « Joannes erat vestitus pilis cameli [4] » — Cogitationes infirmæ : « Inhorruerunt p. c. m. » — Peccata : « Levitæ radant omnes pilos carnis suæ [5]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Capilli quandoque pro vitiis accipiuntur; unde : « Criminibus patrum suorum unusquisque constringitur. Unde est quod illi qui pœnitentiam gerunt, capillos et barbam nutriunt, ut demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur; et cilicio utuntur : per cilicium quippe est recordatio peccatorum. Postquam vero pœnitentiam egerunt, capillos et barbas deponunt, ad significandum quod vitia reliquerunt.

Capilli dicuntur apostoli et omnes fideles; unde : « Capilli tui sicut grex caprarum. » Unde in figura Christi dictum est : « Ascende, calve [6], » quia quum Christus crucem ascendit, omnibus capillis suis in apostolis spoliatus est. Et quare capilli dicantur apostoli, supra dictum est in *Apostolis* [7].

[Petrus Cantor. Apostoli dicuntur capilli..., quia Christum, tamquam capilli, ornant; unde Isaias, dirigens sermonem ad Christum, dicit : « Omnibus istis tamquam ornamento indueris [8] » — Et propter tenuitatem et abjectionem; viles enim erant et abjecti incredulis et infidelibus; unde : « Sancti ludibria et verbera experti sunt [9], etc. » — Propter radicationem in capite; unde : « Fundati super fundamentum apostolorum et prophetarum in Christo Jesu [10]. »]

Capilli bona opera, vel virtutes; unde : « Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. » Item : « Non ascendat novacula super caput

(1) *Sunt.* Matt. X, 30. — (2) *Capilli.* Ps. LXVII, 22. — (3) *Caprarum.* Exod. XXXVI, 14, ubi XI *saga.* — (4) *Cameli.* Matt. III, 4. — (5) *Suæ.* Numer. VIII, 8. — (6) *Calve.* IV Reg. II, 23. — (7) *Apostolis.* E re nostra fuit locum laudatum huc reducere, sed Garnerius ipse eadem alias in *Apostolis* exscribere non neglexit. — (8) *Indueris.* Is. XLIX, 18. — (9) *Sunt.* Hebr. XI, 36. — (10) *Jesu.* Ephes. II, 22.

Nazaræorum [1]. » — Capilli, mundana ; unde : « Maria ergo unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis. » Et sic nos facere tenemur, scilicet de superfluitatibus nostris pedes Christi ungere, id est, pauperes pascere corporaliter et spiritualiter.

Capilli, superfluæ cogitationes, vel minimæ ; unde in veteri testamento jubentur radi sacerdotes ; unde : « Fili hominis, rade caput tuum et barbam ; » et adhuc observant hoc ministri Ecclesiæ, quasi dicantur et dicere debeant : Non habeo superfluum. « Quod utinam sic dicere possint ! Quum enim quis incipit esse clericus, incipit removere capillos, ad significandum quod sic relinquit temporalia : quod in contrarium jam versum est ; quia quanto magis ascendit iniquitas, tanto magis temporalia congregare affectat.

Capilli, bonæ cogitationes ; unde : « Capillus de capite vestro non peribit [2]. »

Capilli, angeli, sive universi electi, scilicet omnes sancti. Unde in libro Danielis : « Vestimentum est quasi nix candida, et capilli capitis ejus quasi lana munda [3]. »

Distinctionum monasticar. lib. 1. *De Capillis.*

Et parvos lapides nos dicimus esse lapillos,
Sic minimos Christi nos dicimus esse capillos.
Quumque sit ille caput, hærentes firmiter illi
Recte dicuntur humiles, reor, esse capilli.

Capilli sunt qui capiti nostro Christo proximi sunt, eique adhærent, et ipsum ornant. De his dictum est in Apocalypsi, quod « erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix [4], » quia viri perfecti lanæ albæ comparantur, in munditia corporis ; et nivi, in munditia mentis. Vel lanæ similes sunt per charitatem ; nivi, per castitatem. — Vel capilli sunt infirmiores boni in Ecclesia, quia multi sunt, quoniam quanto sanctiores, tanto pauciores. De his capillis dicitur in Canticis : « Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. » Mons Galaad, qui interpretatur Acervus testimonii, Dominus Christus est, cui omnes prophetæ, apostoli et martyres testimonium perhibent. Ex hoc monte ascendunt, quasi greges caprarum, multitudo fidelium ; quia ex uno grano frumenti quod cecidit in terram, et mortuum est, excrevit tota seges fidelium. Sed quare capris assimilantur fideles ? Quia omnes peccaverunt, et egent gratia Dei, justificati gratis per gratiam ipsius. Unde quidam de nostris ait :

Quidquid habes meriti, præventrix gratia donat.
Nil Deus in nobis, præter sua dona, coronat.

Hic dico lectori : Intende ! de his capillis puto dixisse David ex persona Christi. « Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. » Certe quicumque Christum odit, eum gratis odit, id est sine causa. Ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Sed quis eum odit ? Certe judæus, paganus, hæreticus, et falsus christianus. Vis facile, vis facile probem ? « Qui non est mecum, contra me est [5]. »

Capillus significat quandoque peccatum criminale ; et ad hoc designandum capilli clericorum raduntur. — Quandoque designant ipsas res temporales ; unde tam clericis quam viris religiosis capilli tondentur, quia non debent uti rebus temporalibus, nisi tantum ad necessitatem ; unde Apostolus : « Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus [6]. » Hi sunt capilli non quidem materiales, sed mystici, quibus beata Maria Magdalena pedes Domini tersit, id est, pauperes Christi, qui hic extremi reputantur, ab onere suæ egestatis levigavit. — Signant etiam capilli cogitationes, propter subtilitatem, propter numerositatem, propter repullulationem, propter insensibilem processionem. Et forte de his capitis recte potest intelligi : « Capilli capitis nostri omnes numerati sunt. » Nam, si in cogitationibus impii interrogatio erit ad pœnam, cur non et in cogitationibus justi ad gloriam ? Magistri tamen nostri ibi per capillos opera dicunt designari.

(1) *Nazaræorum.* Deuter. xxiii, 16. — (2) *Peribit.* Luc. xxi, 18. — (3) *Munda.* Dan vii, 2. — (4) *Nix.* Apoc. i, 14. — (5) *Est.* Luc. xi, 23. — (6) *Simus.* I Tim. vi, 8.

Capilli etiam inanem subtilitatem hæreticarum quæstionum designant, ut ibi : « Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. »

Capillus etiam, propter facillimam flexibilitatem, promptissimam videtur designare obedientiam, ut ibi : « Habacuc uno transvectus regna capillo. » — Vade, et tu fac similiter [1]. »

LIBER PRÆFIGURATIONUM [2]

Christi et Ecclesiæ II, v. 648-672.

O Samson fortis, sanctæ collega cohortis,
Ipsorum solem signat quod inest tibi nomen.
Est equidem Christo vocitamen « Justitiæ sol, »
Qui sol electis est, non autem reprobatis.
Quum petis uxorem, superas, perimisque leonem :
Quum gentes sponsat Christus, Satanam prius occat.
Sed favus occisi reperitur in ore leonis
Christum blasphemat prius orbis, postea laudat.
Tu portas tollis, montisque cacumina scandis :
Ascendit Christus cœlos, ubi fregit avernum.
Dum moreris, plures quam vivus subruis hostes.
Quumque crucem subit, post se Deus omnia traxit.
Non typus est Christi Samson captivus et orbus,
Falsos Christicolas ita Samson ille figurat.
Ut mulier rasum Samsonem ludificavit,
Sic Satan illudit nudatis munere Christi.
Estque molam cæcus Samson versare coactus :
Nam quotquot Satanas cœlesti privat amore,
Hos per multiplices solet exagitare labores.
At contemplandi queis tollit acumina veri,
Hos per circuitus mundanos ductat et actus.
Post hæc Samsoni coma quando recisa recrevit,
Hostes excerebrat, simul allidendo columnas :
Quando peccator resipiscit, flendo, gemendo,
Quamvis mox obeat, tamen emoriendo triumphat.

VIII.

1. OCULUS, cordis intentio [3] : « Si oculus tuus fuerit simplex. » ÷ « Verbosi amici mei; ad Dominum stillat oculus meus [4]. » ÷ In Jeremia : « Leva oculos tuos, et vide [5]. »

2. Vita contemplativa et activa [6]. « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te [7]. »

÷ 8. Perfecta Dei cognitio : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus [8]. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei [9]. »

÷ 4. Mali consiliarii : « Oculi ejus ut palpebræ diluculi [10]. »

÷ 5. Mali prælati : « Obscurentur oculi eorum [11]. »

÷ 6. Spes : « Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones : defecerunt oculi eorum, quia non erat herba [12]. »

÷ 7. Veritate illuminati : « Caligavit ad indignationem oculus meus [13]. »

÷ 8. Operationes Spiritus sancti : « Super lapidem unum septem oculi sunt [14]. »

÷ 9. Elatio superbiæ : « Qui humiliatus fuerit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur [15]. »

÷ 10. Is qui docendo illuminat : « Oculus fui cæco, et pes claudo [16]. »

÷ 11. Hæretici, sive pravi omnes doctores. In Job : « Oculi ejus sicut palpebræ diluculi [17]. »

(1) *Similiter*. Luc. x, 37. — (2) LIBER PRÆFIGURATIONUM, cujus auctorem, pedibus manibusque quæritantes, nondum contigit expiscari : gallus certe est, sub Philippi I tempore et ditione scribens, rudi prorsus minerva horridus, quin singulari quodam cultu affectans quæcumque vetustiora sonant, vel « cinctutis non exaudita Cethegis. » Cæterum poeta vix alius e nostris est, qui pressius symbolicam rem omnem perstringat. Exstat in cod. Paris. sub n. 1956. — (3) *Scientia cordis* B-G. — (4) *Meus*. Job XVI, 21. — (5) *Vide*. Jerem. III, 2. — (6) *Oculi duo, activam et contemplativam vitam, ut quidam volunt, figurare dicuntur in Evangelio* B-G. — (7) *Te*. Matt. V, 29. — (8) *Ejus*. Hebr. IV, 13. — (9) *Mei*. Zachar. II, 8. — (10) *Diluculi*. Job XLI, 9. — (11) *Eorum*. Ps. LXVIII, 24. — (12) *Herba*. Jerem. XIV, 6. — (13) *Meus*. Job XVII, 7. — (14) *Sunt*. Zachar. III, 9. — (15) *Salvabitur*. Job XXII, 29. — (16) *Claudo*. Job XXIX, 15. — (17) *Diluculi*. Job XLI, 9. Multa multum a Vulgata hic illic differunt.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Orientius, cf. supra, p. 5.

Eucherius, cf. ibid. et p. 28.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v. c. 10, p. 215.

Gregorius M. Oculus, intentio cordis, ut in Job : « Ad Deum s. o. m.; » quum enim proximi nobis derogant, ad Deum necesse est oculus stillet, ut intentio nostra tanto subtilius ad interiora se erigat, quanto per exteriora opprobria introrsus cogitur, ne foris evanescat.—Qui alium docendo illuminat [*ut supra*, p. 10]. —Oculus dexter, vita contemplativa; oculus sinister, activa : « Si oculus tuus dexter, etc., » ac si dicat : quum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securus activam tene.—Dei perfecta cognitio. —Consiliarii. — Spes. — Prælati [*ut supra*, p. 28]. — Elationes mentis, ut ibi : « Qui inclinavit, etc. » Oculos inclinare, est nullum respiciendo despicere.—Ordo illuminatorum. —Spiritus sancti operationes [*vide ibid.*].

Rabanus. Mentis intentio : « Si oculus tuus fuerit simplex, etc. » — Clarus intellectus : « Conturbatus est in ira oculus meus [1]. » — Mens contemplantis : « Turbatus est a furore oculus meus [2]. » — Internum desiderium : « Ad Deum s. o. m. » — Amicus necessarius : « Si oculus t. s. t. » — Opus : « Trabem in oculo tuo non consideras [3]. » — Intuitus exterior : « Oculus meus deprædatus est animam meam [4]. » — Hæreticus : « Oculum qui subsannat patrem [5], etc. » — Prædicator. — Prophetæ. — Prædicatores boni. — Mali. — Apostoli. Sensus spirituales. — Doctores. — Consiliarii diaboli. — Prædicatores Antichristi. Populus. — Sancti Spiritus operatio [*vid. supra*, p. 29]. — Concupiscentiæ illicitæ : « Aperti sunt oculi amborum [6]. » — Cogitationes : « Qui inclinaverit, etc. » — Superbi motus cordis : « Quasi magna cogitans, attonitos habes oculos [7]. » — Exteriores aspectus : « Pepigi fœdus cum oculis meis [8]. — Perfecta cogitatio : « Qui vos tetigit, tangit pupillam oculi mei [9]. » — Dexter oculus, vita contemplativa, sinister activa [*ut supra*].

Cf. *de Universo*, lib. vi, c. 1, col. 149.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Oculi sunt concupiscentiæ, quos Adam aperuit, qui sunt claudendi; unde : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem [10]. » — Misericordiæ, quibus Dominus respexit Petrum, qui semper aperiendi sunt; unde : « Oculi ejus in pauperem respiciunt [11]. » — Intelligentiæ, qui semper in alta porrigendi sunt; unde : « Levavi oculos meos in montes [12]. » — Intentionis, sive conscientiæ; unde : « Si oculus tuus simplex, etc. »

Oculi Dei dicuntur respectus gratiæ Dei; unde : « Oculi Domini super justos [13]. » — Præcepta ejus, per quæ nobis lumen scientiæ subministratur. Et quia oculos habere dicitur Christus, ait Apostolus : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus [14]. »

Oculos inclinant quidam ex humilitate, ut publicanus, qui a longe stans, non audebat oculos suos ad cœlum levare, sed percutiens pectus suum, dicebat : « Domine, propitius esto mihi peccatori [15]. » — Oculos inclinant quidam ad terrena ex cupiditate; unde : « Oculos suos declinaverunt in terram [16]. » —Item Salomon : « Oculi sapientis in capite ejus; oculi autem stultorum in finibus terræ [17]. »

Oculos levant quidam ex elatione, unde Salomon : « Excellentiam oculorum ne dederis mihi [18]. » — Quidam in cœlestia, ex devotione; unde : « Oculi nostri semper ad Dominum. » — Oculus est carnalis, de quo Matthæus : « Si oculus tuus, etc. » Erue

(1) *Meus.* Ps. xxx, 10. — (2) *Meus.* Ps. vi, 8. — (3) *Consideras.* Matt. vii, 3. — (4) *Meam.* Thren. iii, 5. — (5) *Patrem.* Prov. xxx, 17. — (6) *Amborum.* Genes. iii, 7. — (7) *Oculos.* Job xv, 12. — (8) *Meis.* Job xxxi, 1. — (9) *Mei.* Zachar. ii, 8. — (10) *Vanitatem.* Ps. cxviii, 37. — (11) *Respiciunt.* Ps. x, 5. — (12) *Montes.* Ps. cxx, 1. — (13) *Justos.* Ps. xxxiii, 16. — (14) *Ejus.* Hebr. ii, 3. — (15) *Peccatori.* Luc. xviii, 13.—(16) *Terram.* Dan. xiii, 9.—(17) *Terræ.* Prov. xvii, 24. — (18) *Mihi.* Eccli. xxiii, 5.

cum ab illa re, non a te; et projice a te illam rem, non oculum. — Mentalis; unde ut supra : « Si oculus, etc; » id est, si mens tua scandalizat te, erue mentem ab illa re, et projice abs te. — Consiliarius amicus; unde : « Si oculus, etc.; » id est, si consiliarius amicus tuus velit te in hæresim trahere, erue eum a te. — Oculus est pater, vel mater, vel aliqui propinqui trahentes nos a jugo Domini, vel ab ingressu claustri, quos a nobis separare debemus, ne dum ipsum lucrari velimus, nos ipsi pereamus. — Vita contemplativa; unde supra : « Si oculus tuus, etc.; » id est, si vita tua contemplativa scandalizat te, nimis vigilando, vel orando, potes accedere ad aliquod officium in ipsa domo, vel ordine; ad activam vero numquam reverti; sed ab activa ad contemplativam potes. — Oculus est dexter, qui providet in spiritualibus; sinister, qui providet in temporalibus. — Oculi interiores duo sunt, scilicet ratio et intellectus; spirituales tres; bonus, nequam, medius.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIV, ex art. 8.

Oculi [1]

Exteriores.	*Interiores.*
Materiales.	Intentionis æternæ et
Prædicatores.	intuitus ad Deum.
Presbyteri et minis-	Inquisitionis et intel-
tri Domini.	ligentiæ.
Familiaritate conjunc-	Ratio et mens hominis.
ti, vel proximiores	Humilitatis vel superbiæ.
nostri.	
Superiores.	*Inferiores.*
Vis divina.	Concupiscentiæ.
Dona Spiritus sancti.	Consiliarii diaboli.
Respectus misericordiæ Dei.	Prælati mali.
Fides.	Animadversio gehennalis pœnæ.
Spes.	Avaritiæ.
Lia et Rachel.	

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. III. *De oculo.* Oculus in sacra Scriptura multa significat. Est enim oculus rationis; unde : « Conturbatus est i. i. o. m. » — Intentionis; unde : « Si oculus tuus, etc. » Affectus tuus operi tuo nomen imponit.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes
Est oculus simplex, si quum pietatis habetur
Propositum; dux proposití discretio detur.
Plus oculo carnis cura de lumine mentis :
Non est muscarum lux luci par animarum.

— Oculus miserationis; unde : « Eia! advocata, illos tuos misericordes oculos ad nos converte [2]. » — Oculus dexter, contemplationis; sinister, actionis; unde, si ille vel ille scandalizat te, erue eum, id est desere. — Considerationis, vel provisionis; unde : « Quatuor animalia in circuitu et intus plena erant oculis [3]; » quia sancti prædicatores, seu prælati, intus sunt oculati, custodiendo se ipsos; in circuitu, custodiendo subjectos. Vel intus et in circuitu oculis pleni sunt, quia providi sunt in omnibus operibus suis, sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint. Omnes autem intus et in circuitu oculati sunt, qui providenti bona eorum Deo et hominibus. — Gratiæ spiritualis; unde : « In lapide n. s. o. s.; » id est in Christo, gratiæ plenitudo. — Concupiscentiæ carnalis; unde de primis parentibus legitur, quod postquam vetitum cibum gustaverunt, aperti sunt oculi amborum, id est rivuli concupiscentiarum, qui ante erant clausi. — Intelligentiæ spiritualis; unde : « Revela oculos meos, et considerabo mira de lege tua [4]. » — Æstimationis; unde : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris [5]. » — Electionis; unde : « Oculi tui recta videant [6]. » — Attentionis; unde : « Misericordia tua ante oculos meos est [7]; » id est, misericordiam tuam semper attendo. — Cognitionis; unde : « In omni

(1) *Oculi.* Duplex causa est cur Capuani commentarium ad istiusmodi schema exile et jejunum coerceamus; una, quod supra, p. 5, pars non minima ejusdem commentarii præmittitur; altera, quod item supra exstant plerique Scripturæ loci, quibus glossa illa in codice satis diffuse coalescit. — (2) *Converte.* Erunt forte ex lectoribus nostris, extra catholicæ Ecclesiæ gremium exsulantibus, qui minus agnoverint piissima illa verba ex antiphona nobis perquam familiari, quæ incipit : *Salve, Regina.* — (3) *Oculis.* Ezech. I, 18. — (4) *Tua.* Ps. CXVIII, 18. — (5) *Vestris.* Is. V, 21. — (6) *Videant.* Prov. IV, 25. — (7) *Est.* Ps. XXV, 3.

loco oculi Domini contemplantur bonos et malos [1]. » — Approbationis ; unde : « Oculi Domini super justos [2]. » — Miserationis ; unde : « Oculi ejus in pauperem respiciunt. » — Dilectionis ; unde : « Oculi mei semper ad Dominum [3]. » — Curiosæ inquisitionis ; unde : « Averte a me oculos tuos, qui ipsi me avolare fecerunt [4]. Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria [5]. »

Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid sit.

— Oculus provisoris : « Si oculus tuus, etc., erue eum, » non contemnendo, sed doctorem eligendo. De hoc oculo ait sanctus Gregorius in *Pastorali*, capitulo 1, exponens illum versum : « Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva [6]. » Oculi sunt qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt ; quibus hi nimirum qui subsequuntur inhærentes, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur ; quia quum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur [7]. — Duo oculi sponsæ, duo mystici sensus Scripturæ : allegoricus, qui dicitur acutior ; moralis, qui est dulcior.

Anonymus Clarevallensis. Oculus planus, tenerrimus, lucem dat corpori ; pupillam habet ; cito læditur ; palpebra tegitur ; macula vel albugine offuscatur ; geminus est.

Allia, vina, venus, pulvis, fumus, ignis et aura,
Ista nocent oculis ; sed vigilare, magis.
Fœniculus, verbena, rosa, calidonia, ruta,
Ex illis aqua fit quæ lumina reddit acuta.

Oculi.

Prædicatores.
Sensus spirituales.
Concupiscentiæ malæ.
Exteriores aspectus.
Sancti Spiritus operationes.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 1221-1236.

Est oculus dexter, vel dextra manus tua frater,
Aut soror, aut aliquis dignus amore tuo.
Hi si propositum tibi surripiant operandi,
Recte non credas, sed fugiendo cave.
Expedit ut pereat unum membrum, unus amicus,
Quam totum corpus, tu, pariterque tui.
Per dextram quæ pauperibus dat danda, notatur
Actio terrestris, commoda fratris agens.
Scandala si generes, quia spernis commoda fratrum,
Parce tibi soli, pluribus esto bonus.
Est oculus dexter contemplans ardua virtus ;
Quæ relevat miseros actio, dextra manus.
Scandala contemplans virtus generat, quia pure
Non contemplaris, otia sæpe gerens.
Scandala sic etiam parit actio : namque frequentans
Turbas, sæpe Deo se facit esse reum.

VIII.

1. Palpebræ [8], Dei judicia : « Palpebræ ejus interrogant filios hominum [9]. »
÷ 2. Prælati : « Palpebræ meæ caligaverunt [10]. »
÷ 3. Prudentes sæculi : « Oculi ut palpebræ diluculi [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, Adrianus [vide supra, p. 5]. Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 2, p. 220.

Gregorius M. Palpebræ, prælati Ecclesiæ ; unde Job : « Palpebræ m. c. » Palpebræ enim Ecclesiæ caligant, si occulta Dei judicia et præpositi vigilantes ignorant. — Prudentes sæculi ; unde voce Dominica ad

(1) *Malos* Prov. xv, 3. — (2) *Justos*. Ps. xxiii, 16. — (3) *Dominum*. Ps. xxiv, 15. — (4) *Fecerunt*. Cant. vi, 4. — (5) *Gloria*. Prov. xxv, 27. — (6) *Incurva*. Ps. lxviii, 24. — (7) *Sequuntur*. Contulimus cum edit. Bened. t. ii, p. 3. — (8) *Palpebræ*. Parallelas lectiones codicum sex A-F vide supra, p. 5. — (9) *Hominum*. Ps. x, 15. — (10) *Caligaverunt*. Job xvi, 16. — (11) *Diluculi*. Job xli, 9.

beatum Job de diabolo dicitur : « Oculi ejus u. p. d. » — Divina judicia, ut ibi : « Palpebræ ejus, etc. » Hæc autem juxta aliquid clauduntur hominibus, et juxta aliquid reserantur, ut, qui se ignorant, per hæc semet ipsis innotescant.

Rabanus, *de Universo*, lib. v, c. 1, col. 150 c, d.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Palpebræ, judicia Dei. — Prælati. — Prudentes sæculi. — Cogitationes : « Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos [1]. »

Biblia codic. Bellevall.

Palpebræ.

Prælati.	Prudentes sæculi.
Divina judicia.	

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. i, v. 252-254.

Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

Clara tibi, fili dilecte, lucerna Sophiæ
Ostendendo vias ante sit atque retro,
Ut sapienter agas, et ad cœlestia tendas.

IX.

1. Nasus, discretio [2] : « Nasus tuus sicut turris [3]. »

÷ 2. *Vares*, fatuitas : « Circulus aureus in naribus suis [4]. »

÷ 3. Insidiæ exhalantes, et instigatio dæmonis : « De naribus ejus procedit fumus [5]. In sudibus perforabit nares ejus [6]. »

÷ 4. Præscientia : « Quiescite ab homine cujus spiritus est in naribus ejus [7]. »

÷ 5. *Vares Zabuli*, inspirationes illius pravæ : « De naribus ejus, etc. »

÷ 6. *Halitus Zabuli*, inspiratio ejus occulta, per quam corda peccatorum amore carnali ardere faciat. In Job : « Faciem ejus præcedit egestas [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 20, *sed alio sensu;* ed. ii, col. 757 ad 1 et 5.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 12, p. 223.

Gregorius M. Nasus, discretio, ut ibi : « Nasus tuus, etc. » Provida namque sanctorum discretio, dum sollicita circumquaque conspicit, in altum porrecta, priusquam veniat culpa, deprehendit. — Fatuitas, ut ibi : « Circulus, etc. » Mulier pulchra et fatua, id est pulchra et circumflexa loquutio, in sensibus mentis fatuæ. — Exhalantes insidiæ, atque instigatio antiqui hostis, ut de diabolo ad beatum Job dicitur : « De naribus, etc. » De Leviathan naribus fumus exit, quia ex ejus insidiis prodigiisque mendacibus bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. — Item : « In sudibus, etc. » Dominus enim nares antiqui hostis perforat, quia calliditatis ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat. — Præscientia, ut ibi : « Quiescite, etc. » Redemtoris nostri spiritus in naribus ejus esse dicitur, ut scientia illius in ejus esse præscientia designetur; quia quæcumque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc ante sæcula ex divinitate præscivit. Sed dum per nares spiritum ducimus, plerumque, ex redolentia rerum, aliqua et invisa præscimus.

Rabanus, *de Universo*, lib. v, c. 1, col. 153 b.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Nasus, discretio.— Nares, præscientia Christi [*ut supra*]. — Præstolatio sanctorum :

(1) *Tuos.* Prov. iv, 25. — (2) *Odoratus, discretio boni et mali, sicut in Cantico* B-G. — (3) *Turris.* Cant. vii, 4. — (4) *Suis.* Prov. xi, 22. — (5) *Fumus.* Job xli, 11. — (6) *Nares ejus.* Job xl, 19. — (7) *Naribus ejus.* Is. i, 22. — (8) *Præcedit egestas.* Job xli, 13.

« Gloria narium ejus terror [1]. » — Fatuitas. — Instigatio diaboli [*ut supra*].

Petrus Cantor. Nares sunt hominis, ad litteram. — Dei, unde in libro Regum : « Ascendit fumus de naribus ejus, » id est, lacrymosa compunctio pœnitentium inspiratio ejus est. Nares Dei, inspiratio est in cordibus fidelium.

Petrus Capuanus ad litt. XIV, art. 24. Odor virtutum. Genesis : « Odoratus est Dominus odorem suavitatis [2]. » — Odor orationis. Apocalypsis : « Habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum [3]. » — Odor bonæ famæ. Canticum : « Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum [4]. » — Odor veræ doctrinæ. Paulus : « Aliis sumus odor vitæ in vitam æternam [5]. » — Et odor, seu occasio ruinæ. Paulus : « Et aliis sumus odor mortis in mortem. »

Odor virtutum redolet Deo. Genesis : « Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni [6]. » Hunc odorem sensit Dominus, quando unguentum descendit a capite in barbam Aaron, et a barba stillavit usque in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. — Odor quoque orationum redolet Deo. Psalmus : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo [7]. » Hunc odorem sensit Dominus, quando, quum Susanna orasset ex intimo corde, exaudivit Dominus vocem ejus, et suscitavit spiritum junioris, per quem liberata est.

Odor bonæ famæ redolet proximo. Canticum : « Oleum effusum, nomen tuum [8], ideo adolescentulæ dilexerunt te. » Hunc odorem sensit regina Austri, quando venit ab ultimis finibus audire sapientiam Salomonis. — Odor quoque veræ doctrinæ redolet proximo. Psalmus : « In omnem terram exivit sonus eorum [9]. » Hunc odorem plene senserunt illi de quibus ipse Dominus ait : « Jam vos mundi estis. » Hunc perfecte senserat Petrus, quum ait : « Domine, verba vitæ æternæ habes; et ad quem ibimus [10]? »

Odor ruinæ fœtet malis. Evangelium : « Audistis blasphemiam [11]. » Paulus : « A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur [12]. » Hic odor fœtebat illis qui, quum audirent doctrinam beati Stephani, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.

In primo, odor unguentorum virtutum sponsæ super omnia aromata perhibetur. In secundo, corpus tam Jacob quam Joseph aromatibus (orationum) confovetur. In tertio, fracto alabastro, domus mundi ex odore unguenti repletur. In quarto, mensa (Scriptura) cum acetabulis et phialis (variis doctrinis) fieri jubetur. In quinto, Ægyptus ex miraculis Moysi magis excæcari videtur.

Biblia codic. Bellevall.

Nasus, *Nares*.
- Discretio.
- Fatuitas.
- Exhalantes insidiæ.
- Præscientia.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 1039-1046.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

Nasus fœtores, nasus discernit odores,
Designatque bonos in Christi messe colonos;
Qui bene discernunt, et puro lumine cernunt
Quid debet fieri; bona sectantur, mala spernunt.
Sunt turris Libani, qui fortes robore cordis,
Cor quibus est mundum, quibus est caro nesca sordis.
Sanguineus nomen sonat istud [13], et inde maligni
Quique figurantur, quibus obstant corde benigni.

(1) *Terror*. Job XXXIX, 20. — (2) *Suavitatis*. Genes. VIII, 21. — (3) *Sanctorum*. Apoc. V, 18. — (4) *Tuorum*. Cant. I, 3. — (5) *Æternam*. II Cor. I, 16. — (6) *Pleni*. Genes. XXVII, 27. — (7) *Tuo*. Ps. CXL, 2. — (8) *Tuum*. Cant. I, 1. — (9) *Eorum*. Ps. XVIII, 5. — (10) *Ibimus*. Joan. VI, 69. — (11) *Blasphemiam*. Matt. XXVI, 65. — (12) *Convertentur*. II Tim. IV, 4. — (13) *Istud*, scilicet *Damascus*.

XI.

1. Os, Christus [1] : « Osculetur me osculo oris sui. Audiet auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore ejus procedentem. »

2. Loquutio [2] : ⊰ « Manum meam ponam super os meum [3]. » ; In Evangelio : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis [4]. »

⊰ 3. Cogitatio : « Quum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondit illud sub lingua sua [5]. »

⊰ 4. Prædicator : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris [6]. »

⊰ 5. Doctorum scientia : « Potestas equorum in ore [7]. »

⊰ 6. Tentatio : « In medium oris ejus quis intrabit [8] ? »

⊰ 7. Prædicatores Antichristi : « De ore ejus lampades procedunt [9]. »

; 8. *Os Zabuli*, sapientia sæculi hujus, vel hæreticorum dogma. In Job : « Et fune ligabis os ejus [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, Sylvius, Phœbadius.

Nicetas, Orientius, Eucherius [*vide supra*, p. 7].

Gregorius M. — Oris nomine, cordis cogitatio designatur, ut de hypocrita dicitur : « Quum dulce, etc. » Malum quippe, quod cogitationi dulce est, sub lingua absconditur, quum asperitas malitiæ tegmine blandæ loquutionis operitur. — Loquutio; unde Job : « Manum, etc. », id est, virtute boni operis culpam tegam incautæ loquutionis. — Prædicator sanctus, ut ibi : « Si separaveris, etc. » Per eum namque, quasi per os proprium, Dominus verba sua exserit, qui loquendo quod debet, pretiosam animam a vili hujus sæculi amore divellit. — Oris nomine Dei Unigenitus designatur, ut per Eliud dicitur : « Audiet, etc. » De hoc prophæta : « Os Domini loquutum est, etc. [Cf. *supra*, p. 7]. » — Ordo prædicatorum Antichristi, ut in Job : « De ore e. l. p.; » quia, etsi videantur quod quasi per sapientiam luceant, magis tamen per nequitiam concremant. — Scientia. In Apocalypsi : « Potestas, etc.; » quia prædicatores Antichristi et per scientiam intumescunt, ut prava persuadeant, et temporalibus potestatibus fulti, post ea quæ retro sunt, se exaltant. — Suggestiones antiqui hostis, de quo Job dicitur : « In medium o. e. q. i. » In medium oris ejus adintrare, est calliditatis ejus verba perspicaci inspectione discutere, ut nequaquam pensetur quid resonent, sed quo intendant.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 14, p. 225.

Rabanus. Os, Filius Dei : « Et sonus de ore illius procedit [11]. » — Prædicator : « Incipiam te evomere de ore meo [12]. » — Secretum bonæ mentis : « Et os meum annuntiabit laudem tuam [13]. » — Prava cogitatio; — loquutio [*ut supra*]. — Peccatum grande : « Salvabit te de ore angusto [14]. » Calliditas diaboli : « In medium o. e. q. i. »

Cf. *de Universo*, lib. I, c. V, col. 154.

Petrus Cantor [15]. Os Dei dicitur Filius Patris, id est Christus Dominus; unde Isaias : « Quia os ejus ad iracundiam pro-

(1) *Christus*. Vide lectiones varias codd. B-G supra p. 6. — (2) *Bona vel mala* B-G. — (3) *Meum*. Job XXIX, 34. — (4) *Condemnaberis*. Matt. XII, 37. — (5) *Sua*. Job XX, 12. — (6) *Eris*. Jerem. XV, 19. — (7) *Ore*. Apoc. IX 19. — (8) *Intrabit*. Job XLI, 4. — (9) *Procedunt*. Ib. 10. — (10) *Ejus*. Job XL, 20. — (11) *Procedit*. Job XXXVII, 2. — (12) *Meo*. Apoc. III, 16. — (13) *Tuam*. Ps. L, 17. — (14) *Angusto*. Job XXXVI, 16. — (15) *Cantor*. De more suo Garnerium eadem exscripsisse satis erit hic illic significare.

vocamus [1].» —Sermo ejus, vel jussio; unde Isaias : « Os Domini loquutum est. » — Sacra Scriptura : Hoc est os Domini, quod in omnibus operibus nostris consulere debemus. Ideo filii Israel in deserto perierunt, quia os Domini, id est sacram Scripturam, non consuluerunt.

Os suum ponunt in cœlum quidam murmurando; unde : « Si vero non fuerint saturati, murmurabunt [2]. » Item omnes qui murmurant de actuali miseria, vel de frigore, vel de calore, vel de paupertate, vel de infirmitate. — Quidam, divinam potentiam negando; unde : « Numquid poterit nobis parare mensam in deserto [3] ? » — Quidam non credendo terrena Deum curare; unde : « Qui plantavit aurem, non audiet [4] ? » — Quidam impunitatem sibi promittendo, de quibus Jeremias : « Et curabant contritionem filiæ principis mei, cum ignominia dicebant : Pax, pax ; et non erat pax [5]. » — Quidam de majestate Dei mentientes, ut Arius, qui dicebat Filium minorem Patre, non attendens illud : « Ego et Pater unum sumus [6]. » — Quidam qui blasphemiam dicunt in Deum, vel in angelos [7].

Peccator in cœlum dicitur, qui blasphemiam dicit in Deum, vel in angelos, vel in dona Dei; unde : « Posuerunt, etc.; » id est, superbe contra Deum loquuti sunt. — Et qui in cœlo peccavit, id est diabolus; unde : « Vidi Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem [8]. » — Et qui ab hospitio mentis suæ gratiam Spiritus sancti repellit, quoniam scilicet gratiam a Deo sibi collatam respuit. Unde in Evangelio de prodigo filio : « Pater, peccavi in cœlum, et coram te [9].»

Os nostrum apertum esse debet ad confitendum; unde : « Dixi : Confitebor adversum me [10]. » Item : « Væ mihi, quia tacui [11]. »—Ad laudem Dei; unde : « Domine labia mea aperies, et os meum [12], etc. » — Ad doctrinam bonorum; unde Apostolus : « Os meum patet ad vos, o Corinthii [13]. » — Ad orationem; unde : « Mane oratio mea prævenict te [14]. »

Os nostrum debet esse clausum ad excusationem; unde : « Non declines cor meum in verba malitiæ [15],» quia grave est peccare; gravius, persevare; gravissimum, excusare. — Ad laudem propriam; unde : « Non te laudet os tuum [16]. » Hinc arguitur Pharisæus, dicens : « Non sum sicut cæteri hominum [17], etc. »—Et ad doctrinam malorum; unde : « Nolite dare sanctum canibus [18], » id est obstinatis.

PETRUS CAPUANUS, ad litt. XIV, art. 9.

Os

Dei quadruplex.	*Cordis quadruplex.*
Christus.	Mentis intentio.
Sancti et prædicatores.	Voluntas prædicandi.
Scriptura.	Spes.
Sententia judicii futuri nunc clausa, postmodum aperienda.	Compunctio et desiderium vitæ æternæ.
Corporis quadruplex.	*Diaboli quadruplex.*
Os materiale.	Os simulationis et deceptionis.
Verba sive loquela ipsa.	Blasphemiæ et maledictionis.
Manifesta loquutio.	Hæretici et prædicatores diaboli.
Confessio, clausa in primis parentibus, aperta in apostolis.	Suggestiones et tentationes ipsius.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III. *De ore.* Os Dei Patris est Filius; unde est illa vox sponsæ in Canticis : « Osculetur me osculo oris sui; » id est, reconciliatam me sibi ostendat incarnatione Filii sui. In osculo enim duorum est conjunctio, et talis est illa conjunctio corporum, quod signifi-

(1) *Provocavimus.* Thren. I, 18. — (2) *Murmurabunt.* Ps. LVIII, 16. — (3) *Deserto.* Ps. LXXVII, 19. — (4) *Audiet.* Ps. XCIII, 9. — (5) *Pax.* Jerem. VI, 14. — (6) *Sumus.* Joan. X, 30. — (7) *Angelos.* Provocat ad *Peccatores*, auctor; quem locum statim damus. — (8) *Cadentem.* Luc X, 18. — (9) *Te.* Luc. XV, 18, 21. — (10) *Me.* Ps. XXXI, 5. — (11) *Tacui* Is. VI, 5. — (12) *Meum.* Ps. L, 17. — (13) *Corinthii.* II Cor. VI, 11.—(14) *Te.* Ps. LXXXVII, 14.—(15) *Malitiæ.* Ps. CXL, 4. — (16) *Tuum.* Prov. XXVII, 2. — (17) *Hominum.* Luc. XVIII, 11. — (18) *Sanctum canibus.* Matt. VII, 6.

cat conjunctionem cordium. Osculum enim pacis est signum. Principale igitur os Dei est proprius ejus Filius; qui tamen propter nimiam, id est omnem creaturæ suæ sensum excedentem charitatem suam, pro nobis tradidit illum. — Os Dei sunt sancti doctores et prædicatores, in quibus loquutus est Deus, quorum unus ille fuit qui ait : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [1]. » Unde Dominus : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei [2]. » — Os Dei corporalium munditia appellatur. Unde est illa vox ad angelum Laodiceæ : « Scio opera tua, quod neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus ! Sed quia neque frigidus, neque calidus, sed tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo [3]. » Hæc verba Domini possumus ita exponere, salva integritate fidei et morum honestate : Scio opera tua, non per approbationem, sed per cognitionem, quia non me latent. Scio quod neque frigidus es, neque callidus, id est neque penitus infidelis, neque fervens fide. Utinam esses omnino talis aut talis ! Quia citius incredulus convertitur quam negligens inflammatur. Nam licet difficile sit tirones animare in pugnam, tamen difficilius est revocare fugientes. Tu vero quia neque sine fide es, nec operaris secundum fidem, incipiam te evomere de ore meo, id est, permittam te cadere exterius, ut patens sit quod non sis in corpore meo. — Vel ita : « Utinam frigidus esses, etc., » id est, ut vel timore supplicii declinares malum, vel desiderio regni faceres bonum! sed quia tepidus, id est delicatus et dissolutus, incipiam te evomere ex ore meo, ut prius.

Oris nomine ratio intelligitur, quia ipsa format ea quæ dicenda sunt; unde est illud : « Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium [4]. » — Os pro loquutione ponitur; unde est illud in Canticis : « Odor oris tui sicut odor malorum; guttur tuum sicut vinum optimum [5]; » quia, quantum vis vini superat virtutem malorum, tantum præsens sermo loquentis superat famam loquutionis. — Os pro facie ponitur; unde poeta [6] :

Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

— Os cupiditatem significat; unde est illud de perversis judicibus, qui cupiditate munerum pervertunt judicia. « Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium [7]; » id est, qui non obtulerit eis aliquid quod concupiscunt, sub spe sanctitatis et quasi ex amore justitiæ, disciplina districta eum perimunt. O quam multi sunt hodie tales judices, qui facillime illud idem vitii genus tolerant in uno, quod acerrime damnant in altero !

Os significat eloquentiam; unde est illud Dominicum ad discipulos : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri [8]. » Id est, eloquentiam vobis dabo et sapientiam, quas qui habet, nihil ei deest ad perfectionem doctrinæ vocalis; sed ut efficax sit, exigitur honestas vitalis. Ubi hæc tria conveniunt, stabilis est solidaque doctrina, comparabilis ædificio fundato super petram. Unde quidam [9] ait :

Quisquis facundus, et prudens et justus habetur,
Non poterit mundus superare quod ille tuetur.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Os.

Cordis cogitatio. Scientia.
Loquutio. Unigenitus Dei.
Sanctus prædicator. Suggestiones hostis
Ordo prædicatorum. antiqui.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 868-871.

Guttur illius suavissimum.

Gutture vox prodit, et Christi sancta figurat
Verba, quibus Christus animarum vulnera curat.

(1) *Deus*. Ps. LXXXIV, 9. — (2) *Dei*. Matt. IV, 4. — (3) *Meo*. Apoc. III, 16. — (4) *Judicium*. Ps. XXXVI, 30. — (5) *Optimum*. Cant. VII, 8. — (6) *Poeta*. Metam. lib. I, v. 86. — (7) *Prælium*. Mich. III, 5. — (8) *Vestri*. Luc. XXI, 15. — (9) *Hildebertus* in margine; at nihil simile occurrit in *Opp.* edit.

Quæ si quis gustat, quem culpæ pondus onestat,
Sentit quam blandus sit Christus et intus amandus.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 1088-1095.

Et erit gratia faucibus tuis.

Ut fauces animæ divini dulcor amoris
Melle suo satiet, cor sine lite geras.
Hic animæ fauces, sensum dico rationis,
Pessima quum reprobat, et bona quæque probat.
Faucibus his Domini tunc gratia multiplicatur,
Dum gustant quis sit dulcor amare Deum.
Unde David dicit plus dulcia faucibus esse
Verba suis Domini, quam sit in ore favus.

XII.

1. LINGUA, Spiritus sanctus : « Lingua mea calamus scribæ [1]. »

2. Falsa doctrina [2] : ÷ « Et ligabis linguam ejus [3] : » ÷ In Salomone : « Labia sapientium disseminabunt scientiam; lingua pravorum peribit [4]. »

÷ 3. Aperta loquutio : « Loquentes id quod justum est, judicate, et non invenietis in lingua mea iniquitatem [5]. »

÷ 4. Evangelicus sermo [*vid. supra*, p. 29].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS [*vide supra*, p. 7 et 29].

GREGORIUS M. Lingua, aperta loquutio; unde Job : « Non invenietis, etc. » Sancta enim Ecclesia ea quæ per publicam loquutionem prædicat, et per intimam fidem servat. — Falsitatis doctrina, ut de Leviathan dicitur : « Quia fune l. l. e. » Fune namque lingua ejus ligavit, qui fide incarnationis suæ, ab electorum suorum cordibus cuncta diabolicæ fallaciæ argumenta destruxit. — Lingua, Spiritus sanctus [*vide supra*, p. 7].

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v. c. 15, p. 230.

RABANUS. Lingua, Filius, ut : « Lingua mea, calamus scribæ. » — Vox Christi, ut : « Adhæreat lingua mea faucibus meis [6]. » — Doctrina hæretica, ut : « Fune l. l. e. » — Animus, ut : « Tota die cogitavit lingua tua [7]. » — Prædicator Dei, ut : « Lingua mea meditabitur justitiam tuam [8]. » — Doctrina sæcularis, ut : « Desolabit Dominus linguam meam [9]. » — Spiritus sanctus. — Aperta loquutio [*ut supra*, n. 3].

Cf. *de Universo*, l. l. col. 154 D.

PETRUS CANTOR. Linguam vendunt etiam viri religiosi, ad minus tacendo. Duobus enim modis lingua venditur, loquendo scilicet et tacendo. Nam si pecuniam accipio ut dicam, vel ut non dicam contra aliquem testimonium, in utroque linguam vendo. Quum ergo viri religiosi vident reges vel alios enormia publice agere, et tacent propter favorem, vel quia ad minus timent eos, linguam vendere probantur. Ait enim beatus Hieronymus : Sancta simplicitas, quantum exemplo prodest, tantum tacendo nocet [10].

PETRUS CAPUANUS ad litter. XI, art. 8.

Lingua

Dei triplex.	*Ecclesiæ triplex.*	*Diaboli triplex.*
Spiritus sanctus.	Prædicatores.	Prædicatio erroris.
Fides.	Prædicatio gentilium.	Falsa doctrina.
Laus divina.	— Operationi consona.	Pœna gehennalis.

Prima lingua Dei, seu Spiritus sanctus, loquitur mysteria et arcana divina. Secunda, seu fides recta, loquitur veritatem. Tertia, seu prædicatio et laus ipsius, loquitur fidem sanam.

(1) *Scribæ*. Ps. XLIV, 1. Cf. supra p. 6, l. 29. — (2) *Doctrina recta vel prava* B-G. — (3) *Ejus*. Job XL, 44. — (4) *Peribit*. Prov. X, 31. — (5) *Iniquitatem*. Job VI, 30. — (6) *Meis*. Ps. XXI, 16. — (7) *Tua*. Ps. LI, 4. — (8) *Tuam*. Ps. XXXIV, 28. — (9) *Meam*. Is. XI, 15. — (10) *Nocet*. Hieronymi *Opp.* Vid. ejus Comment. in Osee, ad cap. VII, cf. 11 et 12 (ed. Vallars. t. VI, p. 76).

Prima lingua Ecclesiæ, seu prædicatores, lingit saniem peccatorum. Habet enim canis linguam medicinalem. Sic nimirum lingua Elisæi linxit ulcera Naaman Syri, quum dixit : « Vade, et lavare septies in Jordane [1]. » — Secunda lingua Ecclesiæ, seu prædicatio gentilium, lingit sanguinem passionis Christi. Job : « Pulli ejus lambunt sanguinem [2]. » Sic nimirum lingebat Dionysius Areopagita, quando conversus est in Areopago ad prædicationem Pauli. — Tertia lingua Ecclesiæ, seu prædicatio, consona operationi lambit opera. Evangelium : « Jesus erat potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo [3]. »

Prima lingua diaboli loquitur falsa; secunda, discordias; tertia loquitur et eructat supplicia.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Lingua.*

Lingua paterna sonat quod ei sapientia donat.
Exaudi, fili, mentisque reconde cubili.

Lingua dicitur instrumentum loquendi, et lingua dicitur genus loquelæ, suis idiomatibus ab aliis discretæ loquelis. De lingua quæ instrumentum loquendi est, dicit beatus Jacobus : « Linguam nullus hominum domare potest [4]. » Et Cato [5] :

Virtutem primam esse puta compescere linguam.

Primam dixit, id est præcipuam. Nam hunc se habuisse sensum sequenti versu ostendit, dicens :

Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Et sacra Scriptura istud confirmat dicens : « Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir [6]. » Ergo quanto est proclivior ruina, et difficilior custodia, tanto debet esse pœnitenti facilior venia. Propterea væ vobis semel et secundo, qui propter amarum verbum perpetes in corde tenetis discordias!

Lingua significat loquelæ genus; unde Apostolus : « Gratias ago Deo quod omnium vestrum linguam loquor [7]. » Et in hymno, de Apostolis :

Linguis loquuntur omnium, etc.

Lingua Dei Patris dicitur Verbum incarnatum, Christus scilicet, qui dicit : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi [8]. » De hac lingua sua, secundum unam expositionem, est illa vox ejus in epithalamio : « Lingua mea, calamus scribæ. » Christus operatur calamo, quia verba sua certius et firmius impressit et infixit in mentibus auditorum suorum electorum, quam aliquis alius. Unde illi duo discipuli euntes in Emmaus, dixerunt : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret Scripturas [9]? » Sed Pharisæorum et Scribarum ministri, qui missi erant ut comprehenderent, reversi dixerunt : « Numquam sic loquutus est homo, sicut homo iste [10]. » Quid mirum? Numquam enim fuit tam sapiens homo, numquam tam innocens homo, numquam aliquis, præter illum, Verbum et homo. — Vel forte ideo calamo comparatur lingua summi Patris Christus, quia nomina electorum indelebiliter scribit in libro vitæ. Neque enim alius rectius scriptor est nominum, quam qui judex est et retributor meritorum.

Lingua Dei dicuntur prædicatores sancti, de quibus ipse Christus Patri suo dicit in psalmo : « Lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam [11]; » id est, prædicatores mei, toto tempore vitæ suæ, in meditatione et memoria habebunt justificantem gratiam tuam. Unde et eximius eorum ait : « Gratia Dei sum id quod sum [12]. »

Lingua verba significat; unde : « Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea [13]. » — Lingua significat eloquentiam; unde : « Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam confortare vel sustentare eum qui lapsus est verbo [14]. »

(1) *Jordane.* IV Reg. V, 10. — (2) *Sanguinem.* Job XXIX, 30. — (3) *Populo.* Luc. XXIV, 19. — (4) *Potest.* Jac. III, 8. — (5) *Cato* in *Distich. moralibus.* — (6) *Vir.* Jac. III, 2. — (7) *Loquor.* I Cor. XIV, 18. — (8) *Mihi.* Joan. XVII, 6. — (9) *Scripturas.* Luc. XXIV, 32. — (10) *Iste.* Joan. VII, 46. — (11) *Tuam.* Ps. XXXIV, 28. — (12) *Sum.* I Cor. XV, 10. — (13) *Mea.* Ps. XXXVI, 2. — (14) *Verbo.* Is. L, 4.

Multum dissimilis Babio [1], lingua Bovis. Cur cantare nescium facis præcentorem? Et qui spernit pascua, statuis pastorem? audi proverbium *Vetulæ* [2]:

Rusticus, urbanus quum fit, fiscella carina,
Et venatoris fit cornu cauda canina.

Lingua significat doctrinam, ut ibi : Joseph quum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat, audivit [3]. » Id est, gentilis populus de tenebris perfidiæ exiens, audivit doctrinam evangelicam, quam ante ignoravit.—Item lingua interior est ratio quæ interius dictat, et format quæ exterius proferenda sunt; unde : « Lingua mea meditabitur justitiam. » — Ponitur etiam lingua pro signo et typo animi indice; unde :

Est facies animi lingua secunda sui.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Lingua.
- Christus, vel prædicatores, aperta loquutio.
- Spiritus Sanctus super apostolos in linguis igneis apparuit.
- Sermo noster, vel prædicatio.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 490-495.

Sicut coccinea vitta labia tua, et eloquium tuum dulce.

Sparsos coccinea constringit vitta capillos :
Qui motus animi restringunt, denotat illos
Ipsos doctores. Signat nomen labiorum,
Qui verbo dulci mulcent aures populorum.
Per vocem fratris dilectio vera notatur ;
Et doctor verax hanc semper habere probatur.

XIII.

1. DENTES, interni sensus [4] : ÷ « Quare lacero carnes meas dentibus meis [5] ? »
÷ In Exodo : « Oculum pro oculo, dentem pro dente [6]. »
÷ 2. Prædicatores : « Dentes tui, sicut greges tonsarum [7]. »
÷ 3. Pravi prædicatores : « Per gyrum dentium ejus, formido ejus [8]. »
÷ 4. Pravæ suggestiones : « Dentes catulorum leonum contriti sunt [9]. »
÷ 5. Persequutores : « Collegit furorem suum in medio dentium [10]. »
÷ 6. Aperta culpæ perpetratio : « Dentibus illius auferebam prædam [11]. Derelicta sunt tantummodo labia cum dentibus [12]. »
7. Apostoli [*vide supra*, p. 29].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 16, p. 233.

GREGORIUS M. Dentes, sensus interni quibus cibus cognitionum manditur, ut ad ventrem memoriæ transmittantur, ut ibi : « Quare lacero etc. » Quasi diceret : cur me vel districte coram hominibus dijudico? vel quid appetam, bona in operibus ostendendo, si utilitati proximorum nec mala dijudicando, nec bona ostendendo, proficio? — Aperti persequutores; unde Job : « Infremuit contra me dentibus suis. »

(1) *Babio.* Quid sibi velit hic Noster in eo subobscuro loco, non satis liquet. An genio suo dicaci nimis indulgens, commate perstrinxerit quemdam concionatorem, nomine Babionem, tunc temporis famigeratum, non definiam. Obstat enim temporis nota, sive respiciatur ad Galfredum Babionem, sive ad Petrum. Prior, ineunte sæc. XII; posterior circa finem sæc. XIII floruit. (2) *Vetulæ.* Inter *Ovidii Catalecta*, edit. Goldasto, Francof. 1608, exstat spurium opus et ludicrum, sequioris ævi.— (3) *Audivit.* Ps. LXXX, 6.— (4) *Intellectus, sive loquutio bona vel mala* B-G. — (5) *Meis.* Job XIII, 14. — (6) *Dente.* Exod. XXI, 24. — (7) *Tonsarum.* Cant. IV, 8. — (8) *Ejus.* Job XLI, 5. — (9) *Sunt.* Job IV, 10.—(10) *Dentium.* Job XVI, 10. — (11) *Prædam.* Job XXIX, 17. — (12) *Cum dentibus.* Job XIX, 20.

— Pravæ suggestiones; unde per Eliphaz dicitur : « Dentes catulorum, etc.; » quasi ex voce electorum diceret : nos ideo nulla flagella timemus, quia persuasiones omnium reproborum vitæ meritis superando calcamus. — Apertæ culpæ perpetratio; unde Job : « Conterebam quondam molas iniqui, etc. » Molas iniqui, id est diaboli, conterimus, quoties contra insidias ejus disserendo, occulta ejus machinamenta monstramus, ac sic de ejus dentibus prædam tollimus, quia mentem, quam jam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitæ convertendo revocamus.

Rabanus. Dentes, verba Ecclesiæ : « Infremuit contra m. d. suis [1]. »—Verba legis, ut : « Dentes Moysi non sunt moti [2]. »—Robora virtutum, ut : « Fregit ad numerum dentes meos [3]. » —Vitia edacitatis, ut : « Dentes catulorum l. e. s. »—Persequutiones dæmonum, ut : « Dentes bestiarum immisit in eos [4]. »—Persequutores Ecclesiæ, ut : « Per gyrum d. e. f. » — Verba Dei, ut : « Dentes peccatorum contrivisti [5]. » — Detractores, ut : « Deus conteret dentes eorum [6]. » — Crudelitas, ut : « Dentibus eorum a. p. » — Prædicatores. — Interni sensus [*ut supra*]. Cf. *de Universo*, l. I, col. 155 A.

Petrus Cantor. Dentes quandoque in malo; unde : « Deus conteret d. e. » — Quandoque in bono; unde in Canticis : « Dentes tui, etc., » id est prædicatores et expositores de baptismo, a quibus auferuntur superflua, quandoque necessaria; et ideo dicitur : « Grex tonsarum. » Prædicatores in Ecclesia dicuntur dentes, quia peccata rodunt, et Scripturam sacram atterunt, id est exponunt.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Dentes alii primi, alii medii, alii extremi. Primi sunt incisivi; et primi fuerunt et quasi incisivi apostoli et primitivi sancti, qui a massa perditorum separaverunt primitias gentium; unde dictum est Petro : « Macta et manduca [7]. » — Medii sunt et quasi canini expositores sancti, qui contra impudentiam hæreticorum pro veritate audacem dederunt latratum; unde in psalmo : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso [8]. » — Molares dicuntur extremi. Molares quasi extremi sunt Patres moderni, qui de micis quæ cadunt de mensa dominorum, edunt, subtiliora comminuunt, et quædam super quosdam intelligunt. Et inde est quod, nisi ungulam dividant, id est litteram a spiritu, et ruminent, in lege Domini die ac nocte meditando, et ita verbum Dei comminuant aliis exponendo, immunda animalia comprobantur in lege, quæ non ruminant, nec ungulam dividunt.

Dentes diaboli dicuntur alii per detractionem; ab hac detractione revocat nos Apostolus, dicens : « Videte ne ab invicem consumamini [9]. » — Alii per rapacitatem; contra illos loquitur David, dicens : « Qui devorant plebem meam [10], etc. » — Alii per gulositatem. Dentibus gulositatis pœnam gehennæ comminatur Dominus, ubi ait : « Ibi erit fletus et stridor dentium [11]. » Dolebunt enim dentes de algoris stridore, qui hic gavisi sunt de edacitate.

Petrus Capuanus, ad litt. IV, art. 3. Dentes et tetris et aureis litteris scribuntur in hac pagina. Sunt autem tria genera dentium, præcisivi, canini et molares. Accipiuntur ergo in malo, et dicuntur dentes præcisivi tyranni principes, qui olim de unitate Ecclesiæ per violentiam aliquos decidebant. Psalmus : « Dentes peccatorum contrivisti [12]. » Nonne conabantur ab unitate Ecclesiæ præcidere hi de quibus ipse Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus [13]? » Et iterum : « Trahentes ad synagogas et præsides, propter nomen meum [14]. » — Canini fuerunt hæretici, suis rationibus fidem et fideles corrodentes. Job :

(1) *Suis*. Job XVI, 10. — (2) *Moti*. Deuter. XXXIV, 7. — (3) *Meos*. Thren. III, 6. — (4) *Eos*. Deuter. XXXII, 24. — (5) *Contrivisti*. Ps. III, 8. — (6) *Eorum*. Ps. LVII, 7. — (7) *Manduca*. Act. X, 15. — (8) *Ipso*. Ps. LXVII, 24. — (9) *Consumamini*. Galat. V, 15. — (10) *Meam*. Ps. XIII, 4. — (11) *Dentium*. Matt. VIII, 12. — (12) *Contrivisti*. Ps. III, 8. — (13) *Corpus*. Matt. X, 8. — (14) *Meum*. Luc. XXI, 12.

« Per gyrum d. e. fortitudo et terror. »— Nonne fidem et fideles corrodebant hi de quibus Ecclesia ait in Canticis : « Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas ? » — Molares sunt falsi fratres, qui dolosis suggestionibus diabolo nos incorporare nituntur. Paulus : « Propter subintroductos qui subintroierunt explorare libertatem nostram [2]. » Nonne diabolo nos incorporare nituntur, de quibus ait apostolus Joannes in epistola canonica : « A nobis exierunt, sed ex nobis non erant [3] ? » quum nulla sit pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus.

Scribuntur et aureis litteris, et fuerunt dentes præcisivi Apostoli, qui aliquos de massa mundi præciderunt.—Canini, expositores, qui verba Apostolorum quasi exponendo, rodebant. — Molares, moderni doctores, qui et ipsorum expositorum dicta perscrutando, quasi masticant, ut in ventrem memoriæ trajiciant.

Distinctionum monasticarum lib. 1, *de Dente*. Dentes sunt sancti doctores et idonei prædicatores, qui Scripturas sacras exponendo atterunt, peccata reprehendendo rodunt, peccatores convertendo a vita veteri interficiunt, et novo homini Christo incorporant. Talis dens ille primus erat apostolus, cui dictum est : « Macta et manduca. » De hujusmodi dentibus legimus in Canticis: « Dentes tui sicut greges tonsarum. » Gregibus comparantur sancti doctores propter concordiam et humilitatem, quia non se extollunt super fratres, nec dominantur in clero, ad illius Sapientiæ documentum se componentes : « Ducem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis [4]. » Et beatus Petrus, in epistola canonica, pastoribus Ecclesiæ humilitatem commendans, sic eos alloquitur : « Seniores qui in vobis sunt rogo, ego consenior; pascite eum qui in vobis est gregem Domini [5], etc. » « In vobis » dicit, non « sub vobis, » ne sublimitas prælationis præcipitaret eos in puteum elationis. Sed hac tempestate fere omnes prælati sunt elati, et ipsi abbates et priores monachorum, contra sancti Benedicti constitutionem, a subditis suis magis timeri quam amari student, sicut quidam de nostris ait :

Pascere cui Dominus præcepit, non dominari,
Non pascit populum, sed dominatur ei.

Quum audis « tonsarum, » quia subaudis « ovium, » innocentiam scito esse commendatam; et præterea rerum superfluarum abjectionem. Hoc autem quod sequitur : « Quæ ascenderunt de lavacro, » profectum commendat meritorum, scilicet ascensionem de virtute in virtutem, id est de usu unius virtutis in usum alterius. De his dentibus ait Petrus Riga [6] :

Christi sunt oculi, qui sensu mystica cernunt;
Dentes, qui frangunt fortia dicta Patrum.

— Dentes sensus interiores significant, ut ibi : « Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus [7]. » Uva acerba pro fructu ponitur immaturo ; species, pro genere. Porro fructum comedit immaturum, qui terrenam studiose quærit felicitatem, qui præsenti, id est temporali jucunditate pascitur et gaudet. Nunc tempus est flendi, et sequitur tempus ridendi. Nam licet hic possit homo forte licite ridere, id est subridere : tamen, quia terrestris hæc regio exsilium nobis est et vallis lacrymarum, quæ plus aloes quam mellis habet, opportunior est hic fletus quam risus ; unde Dominus : « Beati qui lugent ! » Et iterum : « Væ vobis qui ridetis nunc ! » Omnis qui comedit uvam acerbam, dentes habet stupidos, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Multo fortius carnalis qui carnis voluptatibus pascitur, sensus interiores habet obtusos. — Dentes significant verba maledica. Dentes Moysis verba legis significant ; unde legimus quod dentes ejus non sunt moti, quia, sicut Dominus qui mentiri non potest, ait in Evan-

(1) *Vineas*. Cant. II, 15. — (2) *Nostram*. Galat. II, 4. — (3) *Erant*. Joan. IV, 1. — (4) *Ipsis*. Eccli. XXXII, 1. — (5) *Domini*. I Petr. V, 1. — (6) *Riga*, in *Aurora*. Cf. cum similibus in p. seq. — (7) *Ejus*. Is. XXXI, 30.

gelio : « Iota unum aut unus apex de lege non præteribunt, quin impleantur [1], » spiritualiter sentiet. Dentes etiam diaboli sunt hæretici, seu omnes præcisores membrorum Christi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 178-189.

Possunt et dentes quadam ratione vocari
Doctores, qui comminuunt, quasi dente molari,
Panem Scripturæ, pueros populumque docendo,
Ut possint fortes fieri, sacra jussa tenendo.
Tales ascendunt tanquam de fonte lavacri;
Nam sunt ablati fontis baptismate sacri.
Doctores sunt tonsarum, qua mundi pondera spernunt,
Liberumque viam sic ad cœlestia sternunt.
Omnes dicuntur cum fetibus esse gemellis,
Dum plebs gentilis simul et Judæa rebellis
Gignitur in Christo, per eorum verba virorum,
Quos Deus accendit et amorum flamma duorum.

XIV.

÷ 1. SALIVA, sapientia : « Exspuens tetigit linguam muti, et statim solutum est vinculum linguæ ejus [2] »

÷ 2. Sapor contemplationis : « Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam [3]? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. XVII, p. 237.

GREGORIUS M. Saliva, intimæ contemplationis sapor, ut ibi : « Nec dimittis, etc. » — Quasi dicat : tunc dimittes ut salivam glutiam, quum me sapore tuæ contemplationis infundis, ut solidatus in te, irrigato mentis ventre, subsistam.—Sapientia, ut : « Exspuens tetigit, etc. » Saliva nobis est ex ore Redemtoris accepta sapientia in eloquio divino. Ea vero sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 16.

Sputum vel saliva incarnationis, id est misericordiæ et gratiæ.—Contemplationis, id est intelligentiæ.—Corruptionis, id est miseriæ et pœnæ.— Persequutionis, id est injustitiæ. — Coinquinationis, sive immunditiæ.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Saliva ex capite in os labitur. Jejuni hominis salivam si serpens gustaverit, moritur; sic dicta, quod salsa sit. Saliva de cerebro descendit; salsa, alba, capitis purgatio est.

Saliva, bonitas Dei, ut : « Dominus exspuens, etc. » — Interna contemplatio, ut : « Non dimittam, etc. » — Infirmitas Christi, ut : « Defluebant salivæ David in barbam [4]. » — Contumeliæ, blasphemiæ, ut : « Exspuerunt in Jesum [5]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in I Reg., v. 434-451.

David in aula Achis regis.

Post fugiens ad Achis, ne quid pateretur ab illo,
Cogitat; insanum se facit ergo David.
Et coram multis collabi cœpit eorum
In manibus, mutans os faciemque suam;
Seque impingebat regalis in ostia portæ;
Ibat et in barbam sponte saliva suam.
Hac David arte fruens, delusit lumina regis,
Evasit procerum verba necisque metum.
Qualiter est [6]? nomen sonat istud Achis, Synagogam
Signans, quæ Christum nescit, eumque negat.
Exterius speciem Christi præsentis Hebræi
Tangebant oculo, nec tetigere fide.
Coram talibus os Christus mutasse videtur :
Pro veteri legis dat documenta novæ.
In quorum manibus collapsum credimus, ipsum
Affigendo cruci, dum tenuere Jesum.
Initium fidei designant ostia portæ,
Hanc docuit Christus, janua nostra prius.
Quasque super barbam legimus stillasse salivas,
Infirmam carnem stultitiamque notant.
Stultus et infirmus gentilibus est et Hebræis
Visus Salvator, dum crucifixus obit.
Sed prudentior est, sed fortior omnibus illis
Fortibus et doctis, in patiendo crucem.
Barba, viri signum, signat deitatis honorem,
Et deitas fragili corpore tecta fuit.

(1) *Impleantur*. Matt. v, 18. — (2) *Ejus*. Marc. VII, 33. — (3) *Meam*. Job VII, 9. — (4) *Barbam*. I Reg. XXI, 13. — (5) *Jesum*. Matt. XXVI, 67. — (6) *Est*. Cf. infra p. 220, col. 2.

XV.

÷ 1. Maxillæ, prædicatores : « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v. c. 18, p. 239.

Gregorius M. Maxillæ, sancti prædicatores; ut ibi : « Plorans, etc. » Illi enim amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt : maxilla enim simplicitas est et patientia prædicantium, quia verus Samson hostes suos perimit, quum carnales homines a vitiis interfecit.

Rabanus. Maxilla, Ecclesia, ut : « Percusserunt maxillam meam [2]. » — Prædicatio, ut : « In maxilla asini percussi eos [3]. » — Malitia, ut : « Armilla perforabis maxillam [4]. » — Prædicatores, ut : « Lacrymæ e. i. m. e. »

Petrus Capuanus, ad litt. xii, art. 15. Maxillæ Ecclesiæ, maxillæ prædicationis, maxillæ patientiæ, et maxillæ furoris.

Maxillæ Ecclesiæ sunt prælati. Job : « Percusserunt maxillam meam. » — Maxilla prædicationis est maxilla quam Samson noster tenuit, et hostes interfecit, id est, gentes convertit, et fontem aquæ vivæ in corpore suo aperuit. Judicum : « In maxilla asini (in prædicatione gentilium) et mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros. » — Maxilla patientiæ dicitur ipsa patientia. Evangelium : « Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et alteram [5]. »—Maxilla furoris est furor persequutorum et superborum. Psalmus : « In chamo et freno maxillas eos constringes [6]. »

Primæ maxillæ, id est prælati, conterunt et in corpus Ecclesiæ trajiciunt malos. Secundæ, id est maxillæ prædicatoris, conterunt et in se trajiciunt verba divina. Tertiæ, id est maxillæ patientiæ, conterunt etiam superbiam et arrogantiam. Quartæ, id est maxillæ furoris, conterunt justos.

In maxillis Ecclesiæ et prædicationis sunt dentes interni sensus, quibus comminuunt et discutiunt quæ audiunt. In maxillis patientiæ Christi fuerunt dentes apostoli, de quibus Jeremias : « Fregit ad numerum dentes meos. » In maxillis furoris sunt dentes verba maledica.

In primis maxillis, Noe (prælatis) de fabricanda arca mandata dantur. In secundis sponsæ (Ecclesiæ) murenulæ (prædicatio) aureæ (sapientia), vermiculatæ argento (eloquentia), fabricantur. In tertiis Joseph (Christus), sine clamore (in patientia), sua tunica (carne) denudatur. In quartis contra Moysen et Aaron, Dathan et Abiron (persequutoribus) murmurantibus, seditio excitatur.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Judic., v. 299-304.

Impetit hostilis Samsonem turba ligatum :
Ille velut stuppam fortia vincla secat.
Armat se Samson maxilla : se cruce, Christus.
Sternitur hinc hostis : vincitur inde Satan.
Fons e maxilla salit, ut recreet sitientem :
Nos lavat et recreat crux sacra fonte sacro.

II.

Ibid., in Evang., v. 1261-1266.

Dextra maxilla si quis te læserit, illi
Da reliquam; non sit illa sinistra tamen.
Maxillam mentis patiendo dabis, quia justus
Est totus dexter, corpore, corde simul.
Sicut Aoth totus dexter manibus fuit, illos
Signans qui justi nulla sinistra gerunt.

(1) *Ejus.* Thren. i, 2. — (2) *Meam.* Job xvi, 10. — (3) *Eos.* Jud. xv, 15. — (4) *Maxillam.* Job xl, 21. — (5) *Alteram.* Matt. v, 39. — (6) *Constringes.* Ps. xxxi, 9. — (7) *Meos.* Thren. iii, 16.

XVI.

÷ 1. Genæ, spirituales Patres : « Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque oculis tuis [1]. »

÷ 2. Martyres : « Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 19, p. 239.

Gregorius M. Genæ, spirituales Patres, ut ibi : « Sicut cortex, etc.; » ac si diceret : ea quæ in te præeminent et apparent magna sunt, sed ineffabilia omnino quæ latent. Bene autem reverentia Patrum huic cortici comparatur, quia sicut cortex mali punici diversa sub se grana compositione mirabili continet, ita illa diversas animas sub una magisterii disciplina coercet.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Genæ, martyres, ut : « Genæ ejus sicut areolæ aromatum [3]. — Prælati, ut : « Pulchræ sunt genæ t. s. t. » — Boni operatores : « Sicut germen mali punici, sic genæ tuæ. »

Petrus Capuanus ad litt. VII, art. 8. Genæ Ecclesiæ et genæ Christi. Genæ Ecclesiæ, martyres sancti, qui peccare erubescunt. Canticum : « Sicut cortex, etc., » id est sancti, qui se affligunt ad similitudinem Christi. — Genæ Christi, passiones et opprobria, quæ sustinuit. Isaias : « Dedi maxillas percutientibus, et genas meas vellentibus [4]. »

In primis genis apparet rubor, et pulchritudo Ecclesiæ. In secundis apparet rubor ipsius Christi. In primis genis decurrunt lacrymæ Ecclesiæ. In secundis decurrunt lacrymæ ipsius Christi. Nonne genæ, id est sancti martyres, erant valde rubicundæ, quando ipsi erant rubicundiores ebore antiquo, eo quod « venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni [5] ? » An non hic rubor ornabat genas Ecclesiæ, quando ipso initio nascentis Ecclesiæ, quum scilicet « soror nostra parvula erat, et ubera non habebat [6], » protomartyris Stephani sanguis est effusus ? Et tamen ipse, positis genibus, dicebat : « Domine Jesu, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum [7]. » Nonne et puella illa, mente cana [8], beata Agnes, hunc sanguinem in his genibus posuit ad ornatum, quæ etiam dicebat : Et sanguis ejus ornavit genas meas [9] ? Nonne et lacrymæ Ecclesiæ erant in maxillis ejus, quando mittens Herodes, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnes fines ejus ? An non has lacrymas notant in genis Ecclesiæ, hi qui sub altare Dei declamant : « Vindica, Domine, sanguinem nostrum [10] ? » Has tamen lacrymas de genis Ecclesiæ tergebant apostoli, et ipsi qui erant præcipui ex omnibus charis ejus, consolabantur eam, quando « ibant gaudentes in conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati [11] ? » Nonne in genis Christi apparuit rubor, quando venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? et fratres nostri Joseph tinxerunt tunicam ejus in sanguine hædi ? An non hic rubor etiam olim imprimebatur in genis ejus, quando vitula rufa in expiatione peccatorum immolabatur ? Nonne per genas ejus rubeæ lacrymæ decurrebant, quando positus in agonia prolixius orabat, et « factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram [12] ? »

(1) *Tuis*. Cant. VI, 6. — (2) *Turturis*. Ib. I, 9. — (3) *Aromatum*. Ib. V, 13. — (4) *Vellentibus*. Is. L, 6. — (5) *Agni*. Apoc. VII, 14. — (6) *Habebat*. Cant. VIII, 8. — (7) *Peccatum*. Act. VII, 59. — (8) *Cana*. « Corpore quidem juvencula, sed animo cana; pulchra facie, sed pulchrior fide. » In *Act. Ambrosian.* apud Bolland. ad diem XXI *Jan.*, t. II, p. 351. — (9) *Meas*. Ibid. cap. I, n. 3. — (10) *Nostrum*. Apoc. VI, 10. — (11) *Pati*. Act. V, 41. — (12) *In terram*. Luc. XX, 44.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 496-509.

Sicut pigmentum mali punici genæ tuæ.

Christi qui spargunt sacra verba, duces animarum,
Signari possunt roseo splendore genarum :
Per quos Ecclesiæ facies jucunda nitescit,
Dum per eos credens populorum gloria crescit.
Malum puniceum notat Ecclesiam sine rugis,
De qua spirat odor bonus et devotio jugis.
Mali multa latent sub solo cortice grana,
Quæ nares mulcent, et sunt in pectore sana.
Sic est una fides, plures populos sibi stringens,
Quos tenet Ecclesia, multos baptismate tingens.
Punicei mali sunt fragmina, qui sua frangunt
Corpora pro Christo, multisque laboribus angunt.
Quæ foris apparent, sunt hæc populo speciosa ;
Sunt quæ mente latent, magis ista Deo pretiosa.

XVII.

1. FACIES DEI, incarnatio Christi : ÷ « Ostende faciem tuam, et salvi erimus [1]. »

÷ 2. Visio divina : « Faciem autem meam non videbis [2]. »

3. Facies, mens [3] : ÷ « Elevare poteris faciem tuam absque macula. » ÷ In Evangelio : « Et faciem tuam lava [4]. »

÷ 4. Intentio : « Operuit faciem ejus crassitudo [5]. »

÷ 5. Prælatus : « Facies mea intumuit a fletu [6]. »

÷ 6. Notitia : « Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni [7]. »

÷ 7. Cognitio Dei : « Et videbit faciem ejus in jubilo [8]. »

÷ 8. Cognitio diaboli : « Faciem ejus pœcedet egestas [9]. »

÷ 9. Rei præsentia : « Abominantur me : faciem meam conspuere non verentur [10]. »

÷ 10. Ultio : « A facie tua non abscondar [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. II, col. 731.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 20, p. 241.

GREGORIUS M. Faciei nomine mens signatur, ut in Job : « Si iniquitatem quæ in manu tua est, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc elevare, etc. » Hæc enim duo, scilicet iniquitatem operis et injustitiam mentis, quisquis abstulerit, ad stabilem securitatem liber assurgit. — Mentis intentio, ut ibi : « Operuit f. e. c. » Faciem namque iniqui crassitudo operit, quum desiderata terrenorum abundantia oculum mentis premit. — Quilibet Ecclesiæ sanctæ prælatus, ut ibi : « Facies m. i. a. f., » quia nimirum prælati, dum culpas infirmantium plangunt, quasi facies Ecclesiæ fletibus intumescunt. — Notitia, ut ibi : « Quatuor facies, etc. » Notitia enim fidei qua cognoscuntur a Deo, et contemplatio divinitatis qua sublevantur ad Deum, ipsa est in uno evangelista facies, quæ est similiter in quatuor. — Cognitio Dei, etc. [*vide supra*, p. 7]. — Cognitio diaboli : « Faciem e. p. e. » Nemo quippe cognitioni ejus adjungitur, nisi prius virtutum divitiis denudetur. — Cujuslibet rei præsentia ; unde Job : « Faciem meam c. n. v. » Faciem quippe justi conspuere, est eum in sui præsentia confutare. Quem dum pravi aperte

(1) *Erimus*. Ps. LXXIX, 4. Lectiones varias codd. B-C vid. supra, p. 8. — (2) *Videbis*. Exod. XXXIII, 20. — (3) *Summa in mente declaratio* B-G. *Macula*. — (4) *Lava*. Matt. VI, 17. — (5) *Crassitudo*. Job XV, 27. — (6) *Fletu*. Job XVI, 17. — (7) *Uni*. Ezech. I, 6. — (8) *Jubilo*. Job XXXV, 26. — (9) *Egestas*. Job XLI, 13. — (10) *Verentur*. Job XXX, 10. — (11) *Abscondar*. Job XIII, 20.

irridendo despiciunt, in eorum contumeliis fluxa verba, quasi sputa, ex ore mittuntur. — Animadversionis ultio; ut ibi : « A facie t. n. a. et formido tua non me terreat; » id est, persequutionis duritiam remove, et formidinis pondus tolle.

ISIDORUS, *Etymol.* lib. VII, c. 1, n. 37.

RABANUS.

Facies.

Deus Pater.	Benevolentia Dei.
Filius.	Scientia Dei.
Præsentia Dei.	Protectio Dei.
Notitia Dei.	Animadversio Dei.

[*Vide supra*, p. 7.]

Fides, ut : « Quatuor f. uni, » id est, quatuor evangelistis. — Ecclesia, ut : « Facies ejus sicut sol lucet [1]. » — Cor hominis, ut : « Levabit ad Dominum faciem suam [2]. » — Intentio, ut : « Operuit f. e. c. » — Conscientia, ut : « Faciem tuam lava. » — Prædicator, ut : « Facies intumuit a fletu. » — Bona actio, ut : « Ostende mihi faciem tuam. » — Lex vetus, ut : « Posuit velamen super faciem suam [3]. » — Præsentia Antichristi, ut : « Faciem e. p. e. »

PETRUS CANTOR. Facies Dei dicitur Filius, qui est imago Dei et similitudo; unde : « Ostende faciem tuam, in toto corde meo, » id est, Christum videre; et precatur misericordiam primi adventus. Vel agit de secundo adventu : « Deprecatus sum faciem tuam [4], » id est majestatem divinitatis. — Præsentia divinitatis, id est ipsa majestas; unde Moyses ad Dominum : « Ostende mihi faciem tuam. » Cui Dominus : « Non videbit me homo, et vivet [6]. » — Manifestatio; unde Jacob : « Vidi Dominum facie ad faciem [5]. » — Cognitio majestatis; unde : « Ante faciem tuam, etc. » — Facies est vindictæ; unde : « Averte faciem tuam a me. » — Gratiæ; unde : « Videbimus eum facie ad faciem [7]. »

PETRUS CAPUANUS, ad litt. VI, art. 10.

Facies Dei.	Id quod fuit ante mundi exordium.
	Judiciaria potestas.
	Animadversio ejus.
	Contemplatio ipsius.
	Ejus clementia et benignitas.
	Illustratio gratiæ ejus.
	Divinitas.
Facies Patris,	ipse Filius.
Facies Ecclesiæ,	prælati.
Facies hominis.	Mens virtutibus adornata, quam Deus agnoscit.
	Manifesta reprehensio.
	Exteriora.
	Totus homo.
Facies dæmonis.	Præsentia ejus.
	Peccatorum instantia, vel impulsus suggestionum.
	Exprobratio ignobilitatis.
	Hypocrisis.
	Pro temporalibus tantum Deum agnoscere.
	Acceptio personarum.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. II. *De facie.* Facies multiplex est. Est enim facies exterior quæ est humani corporis; unde Hieronymus : Speculum mentis est facies, et taciti oculi cordis fatentur arcana [8]; unde versus :

Est speculum mentis facies, oculique revelant
Qualia sunt intus.

Mens, animus hominis. Et poeta :

Est facies animi lingua secunda sui.

Et de hac facie, vel, ut mihi magis videtur, de typo faciei, quidam de nostris eleganter ait :

Divitis in mensa faciem, non fercula, pensa :
Nec mensæ cultum, sed dantis respice vultum.

Est facies interior ipsa mens, sive conscientia; unde est illud : « Quum jejunas, etc.; » id est, conscientiam tuam munda. — Est facies superior, id est ipsa divinitas; unde : « Quærite faciem ejus semper [9]. » Notan-

(1) *Lucet.* Apoc. XVII, 16. — (2) *Suam.* Job XXII, 16. — (3) *Suam.* Exod. XXXIV, 33. — (4) *Tuam.* Ps. CXVIII, 38. — (5) *Faciem.* Genes. XXXII, 30. — (6) *Vivet.* Exod. XXXIII, 13, 20. — (7) *Faciem.* I Cor. XIII, 12. — (8) *Arcana.* Hieron. Epist. LIV, ad Furiam, n. 13. — (9) *Semper.* Ps. CIV, 4.

dum quod verbum quærendi non notat absentiam rei quæsitæ, sed desiderium rei quærendæ. — Est facies inferior hypocritarum, qui exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. — Facies Dei dicitur ejus cognitio; unde : « Ignis a facie ejus exarsit [1], » quia cognitio in electis incentivum est amoris. Ex cognitione enim Dei ignis accenditur charitatis. — Est facies naturæ; unde : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ [2]. » — Est facies gratiæ; unde : « Facies ejus erat euntis in Jerusalem [3]. » — Facies ejus etiam dicitur pulchritudo corporalis, seu gloria sæcularis; unde : « Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis [4] ? » Quæso te, lector meus; facies quod Aristoteles hortatus est facere Alexandrum, horum sententia versuum [5] :

Si lis inciderit, te judice, dirige libram
Judicii, nec flectat amor, nec munera palpent;
Nec moveat stabilem personæ acceptio mentem.

Est facies

Gloriæ.	Miserationis.
Vindictæ.	Comminationis.
Cognitionis.	Manifestationis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Facies.

Deus Pater.	Protectio Dei.
Filius.	Præsentia Dei.
Fides.	Lex vetus.
Ecclesia.	Præsentia, seu adventus Antichristi.
Conscientia.	

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Exod., v. 1975-1982.

Ostende mihi faciem tuam.

Quod petis, o Moyses, viventi non datur ulli :
Post vitam dabitur visio talis ei.
Omne bonum, summumque bonum, mercesque bonorum
Est Deus; hoc confert visio sola Dei.
Qui gressu morum sequitur quo vult Deus, illum
Præcedit vultus auxiliumque Dei.
Nullos cœlestes nobiscum mitte ministros :
Tu sis dux, tu rex, tu via, tuque comes.

II.

Ib., in Cantic., v. 307-314.

Ostende mihi faciem tuam : vox tua dulcis.

Dona sacræ fidei notat aspectus faciei,
Qua nos agnoscit, qui nos, non nostra reposcit,
Sed quicumque fidem se dicit habere loquendo,
Debet eam studiis operum monstrare sequendo.
Per vocem poteris vocem signare magistri,
Qui verum sequitur, et nil docet ipse sinistri.
Sic igitur vox est dulcis, faciesque decora,
Quum bene respondent mores cum voce sonora.

III.

Ibid., v. 1069-1074.

Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis.

Ob fidei meritum, niveique pudoris honorem,
Sponsus eam geminum testatur habere decorem.
Carne decens est, pulchra fide, charissima rerum
Auctori, qui, cuncta regens, dator est specierum;
Chara Deo, quia deliciis cœlestibus hærens,
Nititur e terris ad cœlos, optima quærens.

XVIII.

÷ 1. BARBA, apostoli, vel fortes : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam [6]. »

÷ 2. Decor virtutis : « Sume tibi gladium, et duces eum super caput tuum et barbam [7]. »

÷ 3. Fiducia propriæ virtutis : « Venerunt octoginta viri, rasi barba et scissis vestibus [8]. » [*Barba Christi,* homo assumtus. *Vide supra*, p. 30.]

(1) *Exarsit.* Ps. XVII, 9. — (2) *Vitæ.* Genes. II, 7. — (3) *Jerusalem.* Luc. IX, 53. — (4) *Sumitis.* Ps. LXXXI, 2. — (5) *Versuum.* Hæc nimirum e Philippo Castillionis in notissimo poemate, cui titulus : *Alexandreis.* — (6) *Barbam.* Ps. CXXXIII, 2. — (7) *Barbam.* Ezech., V, 1. — (8) *Vestibus.* Jerem. XLI, 5.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 21, et p. 248.

Gregorius M. Cl. supra, p. 30.

Rabanus *de Universo*, lib. v, col. 152.

Rabanus et Anonymus Clarev. Barba, divinitas Christi; unde : « Defluebant salivæ in barbam suam [1]. » — Cœtus apostolorum; unde : « Unguentum, etc. » — Judaicus populus; unde : « Duces eum, etc. » — Fiducia; unde : « Venerunt octoginta, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. II, art. 3. Barba dicitur fortitudo divinitatis. Regum : « Salivæ decurrebant in barbam ejus (David), » id est, verba infantilia tegebant fortitudinem divinitatis. — Et barba, Christus, sapientia Dei Patris. Psalmus : « Descendet in barbam, id est in Christum. — Et viri perfectæ sanctitatis : « In barbam, barbam Aaron. » — Et blasphemia eorum qui blasphemant viros ecclesiasticæ unitatis; unde in Levitico lepram habent in barba, qui sanctos blasphemant.

Prima habet pilos æternitatis; secunda habet pilos, id est sanctos qui Christum ornant; tertia habet pilos, id est superflua veteris vitæ; quarta habet pilos, id est superflua peccatorum.

Prima numquam raditur, sed est immutabilis. Nonne immutabilis est hujus barba, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio? Secunda rasa est in passione. Hic enim est Elyseus, in ascensu decalvatus pilis et capillis, qui prius sibi adhærebant, id est suis discipulis; et invisus pueris, id est Judæis pueriliter clamantibus : « Crucifige, crucifige eum [2] ! Tertia raditur a Deo in resurrectione, quando deponetur omnis vetustas. Quarta, in cordis contritione, quando quis deponit superflua peccatorum.

In prima, hircus apopompeius (humanitas) in solitudine mittitur. In secunda, hircus (divinitas Christi) super quem cecidit sors, interimitur. In tertia, volatile (sanctus terrena calcans) super terram producitur. In quarta, Gabaonitarum (malorum) scelus agnoscitur.

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Barba*. Barba severitatis et gravitatis est signum; unde quidam ait : Dedignata — notans [3].

Barba significat virtutem Christi, id est divinitatem ejus. Unde legitur in libro Regum quod David vultum suum mutavit coram Achis, stultum se esse simulans. Nam tympanizabat femora manibus suis, et salivæ ejus ei decurrebant in barbam. Stultitiam simulare loco [opportuno], prudentia summa est. David Christum significat. Achis, qui interpretatur : Quomodo est? significat populum Judæorum, ignarum, dubium, et fluctuantem in multis de quibus fidem debuisset habere non dubiam. Interrogativa oratio dubietatem notat. Nam licet orationes interrogativæ plures habeant in Scripturis tam sacris quam profanis positiones, primo tamen inventæ sunt, vel institutæ ad quærendam certitudinem rei dubiæ. Ideo Judæorum populus, ignarus et dubius, recte designatur per Achis, qui dicitur interpretari : Quomodo est? Coram hoc populo Christus vultum suum mutavit, quia legem, per quam voluntas ejus ostendebatur, spiritualiter exposuit. Salivæ ei in barbam decurrebant, quando verba ejus mystica, quæ eis infantilia videbantur, divinitatem ejus operiebant. Cogita, lector, quod in infantibus salivæ solent effluere. Certe quando Christus dixit Judæis : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est [4], » et iterum : « Antequam Abraham fieret, ego sum [5], » pueriliter eis loqui videbatur.

Per barbam significati sunt apostoli, ut ibi : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. » Un-

(1) *Suam.* I Reg. xxi, 13. — (2) *Eum.* Marc. xv, 13, cf. IV Reg. ii, 23. — (3) *Notans*, scilicet *Petrus de Riga*, quem vide in p. seq. — (4) *Est.* Joan. viii, 56. — (5) *Sum.* Ib. 58.

guentum in capite, id est spiritualis gratia in Christo, quem « unxit Deus oleo lætitiæ præ participibus suis [1], » primo et præcipue descendit in apostolos, et sic in extremos etiam Ecclesiæ, quoniam « de plenitudine ejus (id est Christi) omnes accepimus [2]. »

Per barbam videtur loquacitas designari; unde jubetur propheta ut radat sibi caput et barbam, quatenus tali schemate significet cæteris, ut corda a vanis cogitationibus, et ora a superfluis loquutionibus cohibeant.

Per barbam designantur virtutes. Unde Petrus Riga sic versificatus est : « Rex revocat famulos... amat [*vide in sequentib.*].

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in II Regum, v. 140-169.

Post moriente Naas, rex Amon filius ejus
Efficitur patris sceptra locumque tenens.
Mittit ad hunc famulos David, ut de morte paterna
Leniat hunc, et eos fœderet unus amor.
Sed male respondens Amon missos inhonestat,
Indignum reddens pro pietate scelus.
Radit eis medium barbarum; vestis amictum
Truncat, eos nudans parte tegente nates.
Sauciat hoc animum David : in Jericho jubet illos
Abscondi, donec barba venustet eos.
Amon, hoc nomen *dolor illorum* sonat, hostem
Designans, per quem crescit in orbe dolor.
Hic barbam famulis David aufert, quando magistros
Quosdam corrumpit, qui sacra verba serunt.
Quando per hunc sordet virtus sermonis eorum,
Tunc veluti radi barba videtur eis;
Quumque palam populo deformia facta revelat,
Tunc veluti nudas indicat esse nates.
Tales in Jericho maneant, donec muliebrem
Deponat speciem barba professa viros;
Donec honoret eos summi clementia regis,
Et dignos faciat vultibus esse suis.
Dedignata genæ muliebri serpere, solos
Vestit barba viros, fortia facta notans.
Rex famulos revocat, barba crescente : Redemtor,
Quorum virtutes crescere cernit, amat.
Milite collecto, David hostes conterit omnes :
Sic et Christus eos qui nocuere bonis.
Tempore judicii, quum venerit ordine cinctus
Angelico, pœnas inferet ille malis.

XIX.

1. COLLUM, sacrum eloquium [3] : « Collum tuum sicut turris David [4]. »

÷ 2. Elationis extensio : « In collo ejus morabitur fortitudo [5]. »

÷ 3. Dogma hæreticorum. In Salomone : « Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, in edit. II, col. 757 B ad 1 et 2.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 22, p. 249.

GREGORIUS M. Collum, sacrum eloquium, ut ibi : « Sicut turris d. c. t. » In collo enim, guttur; in gutture vox est. Merito igitur collum Ecclesiæ sacræ eloquium dicitur, per cujus organum vox ei divina formatur.—Elationis extensio; unde de diabolo dicitur : « In collo ejus m. f. » Hinc Isaias filias Jerusalem redarguit dicens : « Ambulaverunt extento collo [7], » id est, extensa mentis intentione contra Dominum incesserunt.

RABANUS. Collum, ordo prædicatorum, ut : « Collum tuum sicut turturis [8]. » — Sermo prædicationis, ut : « Addatur torques collo tuo [9]. »—Mens, ut : « Solve vincula colli tui [10]. »—Fides, ut : « Vulnerasti me in uno crine colli tui [11]. »—Audacia, ut: « Cucurrit adversus eum, erecto collo [12]. »

(1) *Suis.* Ps. XLIV, 8.—(2) *Accepimus.* Joan. I, 16. — (3) *Intelligentiæ decor et prædicationis fortitudo, in Salomone* B-G. — (4) *David.* Cantic. IV, 4. — (5) *Fortitudo.* Job XLI, 13. — (6) *Ejus.* Prov. V, 3. — (7) *Collo.* Is. III, 16. — (8) *Turturis.* Cant. VII, 45. — (9) *Tuo.* Prov. I, 9. — (10) *Tui.* Is. LII, 2. — (11) *Tui.* Cant. IV, 9. — (12) *Erecto collo.* Job XV, 26.

—Elatio, ut : « In collo e. m. f. » — Finis, ut : « Denudasti fundamentum ejus usque ad collum [1]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, ex art. 16.

Collum.

Prædicatores.	Superbia.
Scriptura sacra.	Cor jugo diaboli
Potestas dæmoniorum.	oneratum.

Primum ornatur monili prædicationis... — Secundum munitur clypeis auctoritatum...—Tertium, doctrinis philosophorum et hæreticorum. Psalmus : « Quis deducet me in civitatem munitam [2]? » Nonne his doctrinis muniebatur hoc collum, quando Jericho munita erat muro fortissimo, et mundus philosophico documento. Qui tamen muri, postquam arca nostra circumducta est, et Christus per orbem tubis prædicationis annuntiatus, funditus corruerunt; eo quod virga Moysis devoravit virgas magorum, et sapientia Christi stultam fecit sapientiam hujus mundi.—Quartum, multitudine malorum.—Quintum, varietate delectationum.

In primo, sagena in mare a piscatoribus mittitur. In secundo, aqua Scripturarum in Cana Galilææ in vinum convertitur. In tertio, mulier in adulterio deprehenditur. In quarto, a Lucifero in cœlum ascenditur. In quinto, mola asinaria mundanorum ad collum suspenditur.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Collo*. Collum, quod cæteris membris eminet, et capiti proximum est, significat apostolos, qui sanctis cæteris eminentiorem assequuti sunt gradum et gratiam, et Domino nostro magis familiares erant et viciniores, quibus et ipse dixit : « Multi prophetæ, vel justi, vel reges voluerunt videre quæ vos videtis, etc. [3]. » De hoc collo dicit sponsus sponsæ in Canticis : « Collum tuum sicut turris eburnea [4]. » Bene comparantur apostoli turri eburneæ, quia ipsi sunt post Christum tutissimum et pulcherrimum munimen Ecclesiæ. Et quidem de Ecclesia, quæ est aula solis justitiæ, immobilis naturæ, possumus dicere quod insignis poeta [5] fabulose dixit de domo regia solis hujus volubilis :

Regia solis erat, sublimibus alta columnis.

Et paulo post :

Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat.

Si fortem [6], rectam, pulchram decet esse columnam,
Sit pastor patiens, sit justus, sitque pudicus.

Per collum etiam designantur cæteri doctores Ecclesiæ, sicut eidem sponsæ dicitur : « Collum tuum sicut monilia [7], » quia et ipsi inferiores et infirmiores verbis et exemplis monent et muniunt, pectora ornant per salutarem scientiam, sinus claudunt per diligentem custodiam.

Per collum etiam designantur prædicatores funesti et impii, scilicet hæresiarchæ, qui sunt collum corporis diaboli. Nam sicut dicit beatus Gregorius : Iniquorum omnium diabolus caput est, et hujus corporis membra sunt omnes iniqui [8]. De hoc collo scriptum est in prophetia sancti Habacuc, sic loquentis ad Christum : « Percussisti caput de domo impii, etc. Denudasti fundamentum ejus usque ad collum. » Dominus namque diabolum per passionem suam et mortem percussit; per missionem vero Spiritus sancti in discipulos, et eorum prædicationem errores infidelium patefecit, et pudendos ac turpes esse declaravit. Et sciendum quia errores hæreticorum originem habuerunt de sectis gentilium philosophorum : « Denudasti, inquit, fundamentum usque ad collum. » Per fundamentum designati sunt qui rudiores et stolidiores sunt in synagoga Satanæ, id est in conven-

(1) *Collum*. Habac. III, 13. — (2) *Munitam*. Ps. LIX, 11. — (3) *Videtis*. Matt. XIII, 17. — (4) *Eburnea*. Cant. VII, 14. — (5) *Poeta*. Ovidius in *Metamorphos.* lib. II, v. 1 et 5. — (6) *Si fortem*. Pergit Noster, codemque pede, provocante Nasone, sed quam invita Minerva! Ipsius nimirum esse eos versus ideo duxerim quod ibidem, præter suum morem, nullum omnino auctorem appellaverit. — (7) *Monilia*. Cant. I, 10.— (8) *Iniqui*. Cf. *Homil.* 16 *in Evang. Moral.* lib. XXXIV, c. 4 (n. 8. col. 1119, ed. Bened. venet.).

ticulis hæreticorum, qui quanto sunt imperitiores, tanto turpius emittunt sordes quas intus habuerunt. Recte enim talium blasphemiæ stercoribus comparantur, quia et fœdant et fœtent; quia per collum intrat, quod per anum emittitur. Magistri talium, collum est eorum.

Collum significat studium sapientiæ, seu meditationem Scripturæ sacræ; unde est illud sponsi ad sponsam in Canticis : « Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui [1]. » Vulneratio hic non pœnalem læsionem, sed subtilem significat penetrationem. Cor sponsi medullam sacræ Scripturæ, id est secretiora ejus designat mysteria. Nam de hoc corde suo puto Christum per os David dixisse in psalmo : « Factum est cor meum tamquam cera liquescens [2]. » Cera enim, nisi liquescat, lumen non præbet; sic et sacræ Scripturæ profundiora sacramenta, nisi in passione Domini solverentur, doctrinæ evangelicæ lumen non funderent : « Vulnerasti, inquit, cor meum, » id est, penetrasti, et hoc « in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. » Duo oculi sponsæ, id est animæ in lege Dei studiosæ, sunt duo modi investigandi sacram Scripturam, id est moralis et allegoricus. Quorum allegoricus acutior est, in quo vulneratur cor sponsi, ut supra expositum est : « Et in uno crine colli tui. » Multi sunt crines colli sponsæ, id est multæ cogitationes subtiles et minutæ; sed in uno crine maxime vulneratur cor sponsi, id est meditatione anagogica, quæ mentem sursum evehit ad speculanda cœlestia, vel illa quæ articulorum fidei arcanam intelligentiam inquirit.

Collum significat gestum exteriorem, sive maturum et gravem, sive lascivum et levem. De primo ait beatus Gregorius : Nihil in collo pontificis splendidius fulget quam humilitas [3]. De altero, poeta ethnicus in vituperium cujusdam juvenis notabilis :

Collaque femineo gestabat mollia gestu [4].

Cujus [5] colla nolis resonant, hunc tangere nolis.

De stulto tamen manifesto, et præ nimia stoliditate, seu temeritate nesciente stultitiam suam tegere, dictum est :

Non opus est follo suspendere cymbala collo.

Collum prædicationem significat; ut ibi : « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur, etc. » Pater et mater fidelium sunt Deus et Ecclesia. Utriusque vero leges fidelibus sunt observandæ, quia, ut dicit beatus Augustinus : Sicut transgressores legum divinarum, ita et contemtores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt : « Ut addatur gratia capiti tuo, etc. » id est, intellectus tuus augeatur, et prædicatio morum honestate decoretur : quia, quum vox vitam non remordet, dulcis est symphonia, id est consonantia; e contrario, cujus vita despicitur, restat ut prædicatio contemnatur.

Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum.

Per collum, cui caput connectuntur et humeri (quorum caput omnibus sensibus insignitur, humeri ad portandum onera apti sunt), puto nostrum liberum arbitrium designari; quod in se copulare debet mandatorum Dei scientiam et obedientiam. De hoc videtur mihi collo scriptum esse in Evangelio, ubi legitur quod pius pater super collum filii prodigi, ad se revertentis, cecidit : per quod designatur quod Deus pater vere pœnitentis libero arbitrio jugum suæ dilectionis imponit. Et de hoc eodem collo intelligo illud dictum propheticum : « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion [6]. » Vincula enim liberi arbitrii sunt vel terrena desideria, vel certe quælibet gravia peccata, quæ, licet libertatem arbitrii non possint auferre, possunt tamen deprimere.

Per collum significatur intellectus, quia sicut per collum cibos in ventrem trajicimus, et vocem emittimus, ita per intelle-

(1) *Tui*. Cant. IV, 9. — (2) *Liquescens*. Ps. XXI, 15. — (3) *Humilitas*. Cf. Moral. XXXIV lib. II cap. col. 1116 ib. — (4) *Gestu*. Auctor me fugit. — (5) *Cujus*. Noster audacius quam felicius vetera cum recentioribus miscet, in quibus haud illepide turgidum cantorem campanæ et cymbalis assimilat. — (6) *Sion*. Is. LII, 2.

ctum nostrum cibos spirituales, id est sacræ Scripturæ sensus, memoriæ commendamus, et per eumdem intellectum sanæ doctrinæ verba proferimus. De hoc collo potest intelligi sponsum dixisse sponsæ in Canticis : « Collum tuum sicut t. e.; » quia intellectus sanctæ animæ firmus est per humilitatem, candidus per veritatem.

Collum significat temeritatem et audaciam; unde ibi : « Cucurrit adversus eum, extento collo. » Et in Isaia : « Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt e. c. »—Vel per collum extentum hic notatur superbia, quæ in colli extentione notabilis est. Et sicut dicit beatus Hieronymus : Nihil tam displicet Deo quam cervix erecta post peccatum.

Quum tibi copia, quum sapientia formaque detur,
Inquinat omnia sola superbia, si comitetur.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., in lib. II, v. 276-287.

Clarum dogma Patris audi, charissime fili,
Et legem matris corde tenere stude.
Hic persona Dei signatur nomine Patris,
Ecclesiæque fidem nomine matris habe.
Vel quæ nos salvat, pia mater jure vocatur
Cœlestis Patris gratia larga Dei.
Salvari qui vult horum sub lege parentum,
Devoto studio fiat amando timens.
Hoc faciendo tuo torquem lucrabere collo,
Addetur capiti gratia larga tuo.
Militis emeriti, qui fert pugnando triumphum,
Torques colla ligat atque corona caput.
Splendens perfectos torques notat iste magistros,
Per quorum collum dogmata sancta fluunt.
Per caput accipias geminatum fratris amorem
Atque Dei : fons est hic et origo boni.
Hoc caput et collum fulgenti torque coronat
Christus, dans regnum quod sine fine manet.
Splendidus iste tenet flos primatum Paradisi :
Omnibus electis pulchra corona Deus.

XX.

÷ 1. AURES, obedientia in præceptis Dei, sive auditus fidei [1], vel intellectus. In Evangelio : « Qui habet aures audiendi, audiat [2]. »

÷ 2. Et in malam partem : « Et aures eorum aggrava, ne forte audiant [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 4, 19; ed. II, col. 737 C, 757 C.

ISIDORUS, *Etymol.* lib. VII, cap. 1, n. 34.

RABANUS. Auris, potentia Dei, ut : « Præparationem cordis eorum audivit auris tua [4]. » — Clementia, ut : « Aures ejus ad preces eorum [5], » id est pietas. — Doctor, ut : « Auris quæ audit increpationes [6]. » — Mens hominis : « Nec perforabis aurem ejus subula [7]. »— Intellectus cordis, ut : « Nonne auris tua verba dijudicat [8] ? » — Subjectus, ut : « Aurem audientem et oculum videntem [9]. » — Occultum, ut : « Quod in aure auditis, prædicate super tecta [10]. » — Contemplatio interna, ut : « Quasi furtive suscepit auris mea susurrum ejus [11]. » — Obedientia, ut : « Qui habet aures a. a. » — Pura intelligentia, ut : « Aures autem perfecisti mihi [12]. »—Judicia Dei, ut : « In auribus meis hæc dicit Dominus [13]. »

PETRUS CANTOR. Audire volunt quidam et scire et facere præcepta evangelica, et hi boni sunt. Alii audire et scire, sed non facere, et hi mali sunt. Alii audire, sed nec scire, nec facere, et hi pejores sunt. Alii nec audire, nec scire, nec facere, et hi pessimi sunt, adhærentes huic verbo forsitan : « Servus sciens et non faciens vapulabit multis [14]. ». De istis dicit Salomon : « Qui avertit aurem ne audiat legem, oratio ejus erit

(1) *Auditus vel intellectus* B, C. — (2) *Audiat.* Matt. XI, 15. — (3) *Audiant.* Is. VI, 10. — (4) *Tua.* Ps. IX, 17. — (5) *Eorum.* Ps. XXXIII, 16. — (6) *Increpationes.* Prov. XV, 31. — (7) *Subula.* Exod. XXI, 6. — (8) *Dijudicat.* Job XII, 11. — (9) *Videntem.* Prov. XX, 12. — (10) *Tecta.* Matt. X, 27. — (11) *Ejus.* Job IV, 12. — (12) *Mihi.* Ps. XXXIX, 7. — (13) *Dominus.* — (14) *Multis.* Luc. XII, 47.

exsecrabilis [1].» Et hoc est quod alibi dicitur, quod de quærentibus Deum quidam sunt qui requirunt, sed opera non faciunt. Unde Isaias : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam [2]. » Quidam nec Deum quærunt, nec opera ejus faciunt. De quibus dicitur : « Furor illius secundum similitudinem serpentis aspidis [3]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. 1, ex art. 30.

Auris

1. Corporis.
2. Pectoris.
3. Dei, clementia exaudiendi.
Spiritualialis intelligentia.
4. Diaboli, negligentia et quædam obstinatio.
Obedientia.

Prima audit sonum corporalem; secunda, spiritualem. Tertia audit sonum cordis; quarta, sonum iniquitatis. Prima naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ, quarta culpæ. Prima audit ad discernendum et judicandum; secunda, ad obediendum; tertia, ad exaudiendum; quarta, ad concupiscendum et contemnendum.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Aure*. Auris in Scriptura sacra multa significat. Est enim auris pœnitentiæ; unde : « Præparationem c. a. a. t.; » id est, occultissima cordis eorum penetravit potentia tua. — Est auris clementiæ; unde : « Oculi Domini super justos, et aures, etc. » Et iterum : « Verba mea auribus percipe, Domine [4]. » Beatus Augustinus sic exponit : « Auribus percipe, » id est præsentia divinæ majestatis [5]. Sed quum divina majestas ubique sit præsens, non solum per potentiam, sed etiam per essentiam, quomodo orat fidelis sibi præsentem esse majestatem? Ad quod non inconvenienter dici potest, quod præsentia pro propitiatione poni solet, tam in sacris Scripturis quam in sæcularibus. Unde in *Bucolicis* dicitur de quibusdam : Præsentes habuere deos [6], id est propitios. Petit igitur vir fidelis præsentem sibi esse Dei majestatem quoad effectum; hoc est, ut divinam sibi adesse sentiat bonitatem. — Est auris intelligentiæ; unde Isaias : « Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii [7]. » Felix qui hoc veraciter dicere potest, cui Deus dedit intelligentiam, et ipse paratus est ad obedientiam. Et notandum quod auris non solum spiritualem significat intelligentiam, sed etiam carnalem : unde legitur in Evangelio, quod Petrus Malco præcidit auriculam, quam Dominus sanavit; quia sancti doctores carnalem legis sensum credentibus ex Judæis abstulerunt, et Christus, qui omnium bonorum largitor est, novum sensum et spiritualem largiens, eos ab errore curavit. Vetus auris est intelligentia legis litteralis; nova auris, intelligentia spiritualis. Et notandum quod is cui auris innovata est, Malcus dictus est, qui interpretatur Adjutus; quia spiritualem legis intelligentiam nullus assequitur, nisi a Christo adjuvetur. Unde et Plato, licet esset acutissimus, verba Moysis, quæ potuit legere, non potuit multis in locis intelligere, quia caruit gratia adjutrice. Nam sicut in Apocalypsi scriptum est : « Non est inventus, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, qui posset libri signati septem signacula solvere, nisi agnus qui occisus est [8], » qui est Dominus noster Jesus Christus, filius Dei, benedictus in sæcula.—Est auris obedientiæ; unde : « In auditu auris obedivit mihi [9]. » — Est auris diligentiæ; unde beatus Job : « Præbete aurem, et videte an mentiar [10]. » — Auris significat ipsum auditorem; unde : « Auris [11] qui audit increpationem vitæ, in medio sapientium commorabitur; « quia, sicut beatus Benedictus ait : Loqui et docere magistrum condecet; tacere et audire discipulo convenit [12]. Per aurem recte discipulus designatur, qui si audierit, et libenter susce-

(1) *Exsecrabilis*. Prov. XXVIII, 9. — (2) *Tuam*. Is. LVII, 1. — (3) *Aspidis*. Ps. LVII, 5. — (4) *Domine*. Ps. V, 2. — (5) *Majestatis*. Aug. in Ps. V, n. 2 (edit. Bened. IV, 85). — (6) *Deos*. Virgil. *Eclog*. I, v. 42. « Nec tam *præsentes* alibi cognoscere divos.» — (7) *Abii*. Is. 4, 5. — (8) *Est*. Apoc. V, 12. — (9) *Mihi*. Ps. XVII, 45. — (10) *Mentiar*. Job VI, 28. — (11) *Auris*. Prov. XV, 31. — (12) *Convenit*. Sanctæ Regulæ cap. VI.

perit increpationem quæ valent ad vitam gratiæ consequendam, conservandam, augendam, iste « in medio sapientium commorabitur, » id est, ad certitudinem doctorum provehetur, vel in numero bonorum qui soli sunt vere sapientes, computabitur, aut certe utrumque assequetur. — Auris assensum significat, ut ibi : « Sepi aurem tuam spinis, ne audias linguam nequam [1]. » Non utique docet Scriptura corpoream aurem spinis materialibus obstrui ; sed aditum cordis divini timoris aculeis jubet ad verba detractoria claudi, ne accipiat opprobrium adversus proximum. Quod timor Dei aculeos habeat, testis est mihi Psalmista, qui Deo dicit in oratione sua : « Confige timore tuo carnes meas [2]. »

Auris significat occultam inspirationem, ut ibi : « Quod in aure, etc. », id est, quod dicitis in secreto, dicite in publico :

Non vult abscondi Deus inclyta lumina mundi,
Ad radios quorum laxatur hiems animorum.
Quam bene narratur quo proximus ædificatur !
Criminis est vere morum documenta silere.

Supple utroque silentio, verbi scilicet et exempli. Nam monachus non docentis, sed lugentis habet officium, quantum ad doctrinam dico, quæ verbo exhibetur. Verumtamen licet monachus non habeat officium docentis, habet tamen obedientis ; unde si docere sciat, et superior suus ei præcipiat, obedire tenetur, nisi conscientiæ suæ pravitas obsistat.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Auris.
- Clementia Dei.
- Potentia Dei.
- Intelligentia cordis.
- Occulta.
- Obedientia.
- Judicia Dei.
- Contemplatio.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., in lib. I, v. 492-503.

Obturabo meas, sicut tu nunc facis, aures ;
Frustra clamabis proficiendo parum.
Littera nulla docet Judæos, tempore belli,
Contrito corde vota tulisse Deo.
Et quamvis flerent templi patriæque ruinam,
Non sunt compuncti pro nece, Christe, tua.
Sed si clamabant, quia duro corde manebant,
Non est auditus clamor in aure Dei.
Sic omnes reprobi, summa discriminis hora,
Frustra clamabunt judicis ante thronum.
Ne tunc clamemus frustrati, sit modo noster
Contriti cordis clamor in aure Dei.

XXI.

1. HUMERUS, operatio [3] : « Discooperi humerum, revela crura [4]. »
2. Jugum Dei [5] : « Fecerunt superhumerale. »
÷ 3. Labor passionis Christi : « Cujus imperium super humerum ejus [6]. »
÷ 4. Socialis vitæ conjunctio : « Humerus meus a junctura sua cadat [7]. »

XXII.

÷ 1. SCAPULÆ, protectio Dei : « Scapulis suis obumbravit tibi [8]. »
÷ 2. Patientia Dei [*vide supra*, *p.* 8].

(1) *Nequam.* Eccli. XXVIII, 28. — (2) *Meas.* Ps. CXVIII, 120. — (3) *Operatio, vel pondus ejusdem operis* B-G. — (4) *Crura.* Is. XLVII, 2. — (5) *Sicut in Exodo, in ornamento sacerdotis superhumerale habere præcipitur* B-G. Exod. XXXIX, 2. — (6) *Ejus.* Is. IX, 6. — (7) *Cadat.* Job XXXI, 22. — (8) *Tibi.* Ps. XC, 4.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. II, col. 733, A ad XXI, 2.

Gregorius *apud Garnerium S. V.*, lib. V, c. 23, p. 251.

Gregorius M. Humerus socialis vitæ conjunctio; unde Job : « Humerus, etc.; » quia nimirum qui patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit. — Operatio, ut ibi : « Discooperi, etc. » Discooperit enim humerum reproba mens, quum suæ confusionis opus quod ignorabatur, ostendit. — Electorum mens, ut in Isaia : « Super humerum populi mei spinæ et vepres ascendunt, quanto magis domos gaudii civitatis exsultationis [1] ! » Ac si aperte dicat : si illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro desiderio cœlestis patriæ affligunt, quibus culpis obruti sunt, qui sine ulla formidine criminali delectationi substernuntur ?

Rabanus. Humerus, vita socialis [ut supra]. — Opus justitiæ, ut : « In humero meo portem illum [2]. » — Opus pravum, ut : « Discooperi h. r. c. » — Labor : « Supposuit humerum ad portandum [3]. » — Caro Christi, ut : « Cujus imperium s. h. e. » — Passiones, ut : « Ovem imposuit in humeris suis [4]. » — Fortitudo, ut : « Circumduxit eum, et docuit, atque portavit in humeris suis [5]. » — Conversationes, ut : « Onera importabilia imponunt in humeros hominum [6]. » — Scapula, exercitium boni operis : « Deposuit hydriam super scapulas. » — Defensio : « Scapulis suis obumbravit tibi. »

Petrus Capuanus ad litt. VIII, ex art. 8.

Humeri
- Patientiæ.
- Operationis, opera bona.
- Societatis, societas individua.
- Incurvationis, opus malum quo anima incurvatur ad terrena.

Primi humeri supportant proximum; secundi portant suum auctorem ad cœlestem patriam; tertii supportant minus discretos; quarti portant hominem ad gehennam. Primi fuerunt in Christo, quando supposuit humerum ad supportandum jugum captivitatis nostræ. Secundi fuerunt in sanctis, quibus dictum est : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum : esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere [7]. » Tertii fuerunt in Christo, quando Judam, in cujus cor jam diabolus intraverat, in societate tolerabat. Quarti fuerunt et sunt in diabolo, ex quo sedem suam voluit ponere ad aquilonem, ut esset similis Altissimo.

Distinctionum monasticar. lib. II, *de Humero*. Humerus significat operationem; unde bene prædicanti dicit Scriptura : « Da os tuum in humerum tuum [8]; » id est, qui bene loqueris, bene operare. Et hæc est tam fidelis et tam clare recta doctrina quod eam tam gentiles philosophi, quam poetæ probatam habuerunt. Nam Tullius in Rhetoricis ait : « Caput artis est, docere quod facias [9]. » Et quidam poetarum :

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,
Quum judex alios quod monet, ipse facit.

Humerus significat sustentationem tribulationum et laborum; unde beatus Job : « Si levavi super pupillum manum meam, et quum viderem me in porta superiorem, humerus meus cadat a junctura sua, et brachium cum ossibus confringatur, » id est, si hoc feci quod prædictum est, auferatur mihi et sustentantia tolerandi mala, quæ signatur per humerum, et efficacia operandi bona, quæ designatur per brachium.

Humerus significat fortitudinem; unde est illud propheticum : « Pueri eorum in humeris portabuntur [10]. » Pueros in hume-

(1) *Exsultationis.* Is. XXXII, 13. Vulgat. *super humerum populi mei... civitatis exsultantis.* — (2) *Illum.* Job XXXI, 36. — (3) *Portandum.* Genes. XLIX, 15. — (4) *Suis.* Luc. XV, 5. — (5) *Suis.* Deuter. XXXII, 11. — (6) *Hominum.* Matt. XXIII, 4. — (7) *Bibere.* Matt. XXV, 34. — (8) *Tuum.* Neque in Vulgata, neque in veteribus edit. exstat. — (9) *Facias. Orat.* 1, 29. *Caput esse artis, decere.* Ita sane legendum. — (10) *Portabuntur.* An respectu ad Is. XLIX, 22 ?

ris portari, est imbecillitates infirmorum, sive morum, sive corporum, patienter sustineri a fortioribus; unde beatus Apostolus: « Debemus nos fortiores infirmorum imbecillitates sustinere, et non nobis placere [1]. » In hac significatione ponit humeros etiam gentilis poeta, dicens :

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri [2].

Humerus significat subjectionem, ut ibi : « Vocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno [3]. » Nam ad serviendum Deo æqualiter subjecti sunt rex qui sedet in solio, et mendicus qui jacet in sterquilinio.

Significat et humerus subjectionem ; ibi : « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea humeris hominum ; digito autem suo nolunt ea movere. » Hoc namque de indiscretis et immisericordibus et se ipsos amantibus pastoribus dictum est. Quos bene reprehendit Petrus Riga his versibus [4] :

Pondera bina fero, si pro simili tibi culpa
Impono pondus grande, minusque mihi.

Per humerum, tropo metonymiæ, significatur crux Christi, quam ipse gestavit in humeris. Nam crux illa quæ ei fuit instrumentum, pene facta est sceptrum gloriæ; unde Isaias : « Factus est principatus super humerum ejus. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1553-1572.

Fert Aaron humerale decens, quum pastor in ulnis
Ægram portat ovem, quam miserando fovet.
Aurum, vel byssus, vel purpura, sive hyacinthus,
Seu coccus faciunt hoc humerale decens.
Ista docent præsul, ut sit sapiens, sit honestus,
Sit justus, cœlo fixus, amore calens.
Primis respondent ibi prima ; secunda, secundis;
Et sic procedunt ordine cuncta suo.
Vult aurum quod sit sapiens ; byssus, quod honestus ;
Purpura, quod justus, juraque regis agat [5];
Quod maneat cœlis infixus mente, hyacinthus;
Coccus, quod duplici fiat amore calens.
Præfulgens variis humerale coloribus, apte
Virtutes varias præsulis esse notat.
Hæ bene virtutes rutilant in præsule, sanctam
Si studeat vitam claudere fine bono.
Oras ergo duas faciet jungi sibi, finis
Si bene respondet ad bona cœpta bonus.
Inscripti lapides signant Christi duodenos
Discipulos, præsul quos imitando gerit [6].

XXIII.

1. Brachium, Christus : « Et brachium Dei, cui revelatum est [7] ? » ÷ « Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas [8] ? »

÷ 2. Antichristus : « Brachium excelsum confringetur [9]. »

÷ 3. Operatio : « Et brachium meum cum suis ossibus conteratur [10]. »

XXIV.

1. Cubitus, Christus, vel operatio [11] : « Et in cubito consummabis eam [12]. »

÷ 2. *Cubiti duo*, duo charitatis præcepta : unde et arca testamenti, quæ typum Ecclesiæ habuit, duos cubitos habuisse in longitudine perhibetur.

(1) *Placere*. Rom. xv, 1. — (2) *Humeri*. Horat. *Art. poetic*. v. 37. — (3) *Uno*. Sophon. III, 9. — (4) *Versibus*. In *Aurora* ad Deuter. v. 155, 156. — (5) *Regis agens* inal. codd. — (6) *Gerit*. Cf. infra, p. 249. — (7) *Est*. Is. LIII, 1. Vid. in pag. 8, l. 18, 19, lect. variant. B-G. — (8) *Tonas*. Job XL, 4. — (9) *Confringetur*. Job XXXVIII, 15. — (10) *Conteratur*. Job XXXI, 22. — (11) *Unitas fidei, vel operis plenitudo, sicut in Genesi de arca describitur* B-G. — (12) *Consummabis eam* A. Genes. VI, 16.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Phœbadius, *adv. Arian.*, c. vi.

Nicetas, III Serm. *de Appellationibus D. N. J. C.* [Cf. p. 31.]

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 25.

Gregorius M. Brachium, unigenitus Dei Filius [*vid. supra*, p. 8].—Antichristus : « Et brachium e. c. » — Operatio, ut in Job : « Consumat brachia ejus primogenita mors[1]. » Hæc autem pulchritudinem cutis et brachia devorat, quia iniqui gloriam operationemque supplantat. Quia vero mors animæ peccatum est, et primum peccatum superbia, recte ipsa intelligitur primogenita mors.

Isidorus, *Etymolog.* lib. vii, c. ii, v. 24.

Rabanus. Brachium, Christus. — Vigor Salvatoris [*ut supra*, p. 8]. — Debilis fortitudo hominis, ut : « Et brachium eorum non salvabit eos[2]. » — Opus charitatis, ut : « Pone me quasi signaculum super brachium tuum[3]. » — Superbia Antichristi, ut : « Brachium excelsum conteretur. » — Opera robusta, ut : « Posuisti ut arcum æreum brachia mea[4]. » — Labilis gloria, ut : « Consumat, etc. »

Cubitus, bona actio, ut : « Vas lateris erat cubiti unius[5]. » — Multiplicitas activæ vitæ, ut : « Funiculus sex cubitorum et palmo[6]. »

Petrus Cantor [*vide supra*, p. 9].

Distinctionum monasticar. lib. i, *de Brachio.* Brachium inter cætera membra corporis humani aptius et habilius est ad operandum vel laborandum, ad pugnandum vel feriendum, ad protegendum vel defendendum. Unde brachium Dei Patris Redemtor noster recte dicitur, per quem Deus Pater opera miserationis suæ quæ sunt omnia opera ejus evidenter exercuit. Unde et ipse Filius ait : « Me oportet operari opera Patris mei[7]. » Qui ut Patris imperium impleret, laboravit usque ad mortem : de quo labore ait Jeremias in Threnis, Judæorum duritiam prophetando : « Domine, dabis eis scutum cordis, laborem tuum[8]. » O scutum perniciosum, quod cordis ostium obstruit veritati ! De pugna hujus brachii ait psalmista : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prœlio[9]. » De percussione qua percussit humani generis inimicum, ait ad ipsum propheta loquens : « Nonne tu percussisti superbum, vulnerasti draconem[10] ? » De ejus protectione ait psalmista : « Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est[11]. » De hoc Dei Patris brachio ait propheta : « Paravit Dominus brachium in oculis omnium gentium[12]. » Et vir quidam litteratissimus nostri temporis : Dum medium silentium tenerent legis apices, et litteræ dominium regnaret apud simplices, extendit Pater brachium. Brachii hujus extensio, Filii Dei est per incarnationem manifestatio.

Per brachium designatur circa nos tenera nostri Salvatoris affectio ; unde est illud propheticum : « Sicut pastor pascet gregem suum, in brachio suo congregabit agnos[13]. »

Per brachium, quod ictibus solet se opponere, ne feriatur corpus, sancti apostoli et martyres recte figurantur, qui pro Christi fide se ipsos exposuerunt tormentis et mortibus ; unde est illa vox illorum in psalmo directa ad Dominum : « Propter te morte afficimur tota die[14]. » De his loquitur Christus ad Patrem : « Posuisti ut arcum æreum brachia mea[15], » id est, fidei meæ et Ecclesiæ meæ defensores fortes fecisti et infatigabiles ; si quidem occidi potuerunt, sed flecti nequiverunt.

(1) *Mors.* Job xviii, 13. — (2) *Eos.* Ps. xliii, 4. — (3) *Tuum.* Cant. viii, 6. — (4) *Mea.* Ps. xvii, 35. — (5) *Unius.* III Reg. vii, 31. — (6) *Palmo.* Ezech. xl, 5. — (7) *Mei.* Joan. ix, 4. — (8) *Tuum.* Thren. iii, 65. — (9) *Prælio.* Ps. xxiii, 8. — (10) *Draconem.* Is. li, 9. — (11) *Est.* Ps. xxxii, 20. — (12) *Gentium.* — (13) *Agnos.* Is. xl, 10. — (14) *Die.* Ps. xliii, 22. Veteris interpretis. — (15) *Mea.* Ps. xvii, 35.

Per brachium confidentia designatur, ut ibi : « Maledictus qui spem suam ponit in homine, et ponit carnem brachium suum [1]. » Carnem brachium suum ponit, qui in homine, qui est res fragilis et infirma, confidit. De cujus fragilitate ait beatus Job : « Homo natus de muliere, etc. » Et insignis poeta [2] :

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Per brachium bona operatio designatur; unde Salomon de forti muliere dicit : « Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum [3]. » Fortis mulier prius lumbos accinxit; postea brachium roboravit : quia ante omnia castitas est obtinenda, et sic bona opera exercenda. Unde Judith : « Incipite Domino in tympanis [4], » id est in mortificatione carnis. — Per brachium temporalis potentia designatur, ut ibi : « Brachia peccatorum conterentur. » Brachia peccatorum sunt temporalis potentia, terrena opulentia, fortitudo corporea, consanguineorum turba, artificiosa malitia; quæ omnia conterentur, quia

Omnia præterenunt, præter amare Deum.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., de Muliere forti, litt. VIII, *Heth*.

Christus ait : « Lumbos accingite, vestra pudica
Sit caro, criminibus luxuriaque carens. »
Brachia designant virtutum robora, per quæ
Vincitur hic mundus, et Satan, atque caro.
Virtutes alias poteris complere potenter,
Carnalis luxus si prius acta domes.

XXV.

1. MANUS, operarii, vel opera [5] [cf. *supra*, p. 31].

÷ Christus : « Levabo ad cœlum manum meam [6]. »

÷ 3. Activa vita : « Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus [7]. »

÷ 4. Potestas : « In manu ejus sunt omnes fines terræ [8]. »

÷ 5. Operatio : « Manum meam ponam super os meum [9]. »

÷ 6. Fortitudo : « Manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum [10]. »

÷ 7. Sententia legis districta : « Manus autem Moysis erant graves [11]. »

÷ Virtus animæ, sive opus bonum. In psalmo : « Labores manuum tuarum manducabis [12]. »

÷ Opus pravum. In Job : « Et manus ejus reddent [13]. » Et alibi : « Secundum opera [14] manuum eorum retribue illis [15]. »

÷ 10. Divina operatio [*vide supra*, p. 9].

XXVI.

1. DEXTERA, Christus [cf. *supra*, p. 8].

2. Omnes electi [cf. *ib.*].

3. Aliquis charorum : « Si dextera manus tua scandalizet te, abscide eam [16]. »

(1) *Suum*. Jerem. XVII, 5. — (2) *Poeta*. Ovidius nempe in *Pontic*. lib. IV, ep. III, v. 5. — (3) *Suum*. Prov. XXXI, 7. — (4) *Tympanis*. Judith XVI, 2. — (5) *Opera*. Exstant lectiones B-G. l. l. — (6) *Meam*. Deuter. XXXII, 40. — (7) *Partibus*. Ezech. I, 8. — (8) *Terræ*. Ps. XCIV, 4. — (9) *Meum*. Job XXXIX, 34. — (10) *Meum*. Job XXIII, 2. — (11) *Graves*. Exod. XVII, 12. — (12) *Manducabis*. Ps. CXXVII, 2. — (13) *Reddent*. Job XX, 10. — (14) *Secundum operationem r. i.* B, C, D. — (15) *Retribue illis*. Prov. XII, 14; Vulg. *retribuetur illis*. — (16) *Eam*. Matt. VI, 30.

÷ 4. Vita beata : « Mittite in dexteram navigii [1]. Sedet ad dexteram Patris [2] » [cf. *supra*, p. 8].

÷ 5. Id quod pro magno habetur : « Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur [3]. »

6. Dextera et sinistra, prosperitas et adversitas : « Hæc est via : ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram [4]. »

XXVII.

÷ 1. Sinistra, cenodoxia : « Nesciat sinistra tua quid agat dextera [5]. »

÷ 2. Læva, protectio Dei : « Læva ejus sub capite meo [6]. »

÷ 3. Reprobi : « Ad dexteram et ad lævam dilataberis [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, Sylvius, Phœbadius, Nicetas, Orientius [*vid. supra*, p. 8 et 31].

Eucherius, ed. I, p. 20; ed. II, col. 758 A ad XXV, 4, 5; XXVI, 6.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 27-29, p. 255.

Gregorius M. Manus, unigenitus Dei Filius [*vid.* p. 9]. Potestas. — Operatio [*ut supra*, p. 230]. — Fortitudo : « Manus, etc. » Manum namque super os ponere, est virtute boni operis culpam tegere. — Severitas legis; unde : « Manus Moysis, etc. » Graves enim manus lex habuit, quia peccantes non misericorditer pertulit, sed sæva districtione percussit. Eas autem verus Aaron leves reddidit, qui pondus legalium mandatorum ad virtutem confessionis retorsit. Dextera [*vid. supra*, p. 31].

Læva, præsentis vitæ prosperitas, ut ibi : « Læva ejus, etc. » Læva namque sub capite posuit, qui præsentem prosperitatem intentione summi amoris premit.

Rabanus. Manus, Christus. — Christus ascendens. — Consolatio divina [*vide supra*, p. 10]. — Potestas, ut : « De manu filiorum alienorum [8]. » — Membra Christi, ut : « Manus Moysis leprosa de sinu prodiit [9]. » — Impulsio, ut : « Manus peccatoris non moveat me [10]. » — Disciplina, ut : « Die ac nocte gravata est super me manus tua [11]. » — Gratia. — Munificentia. — Vindicta [*supra*, p. 10]. — Opus bonum : « Manum meam, etc. » — Opus pravum, ut : « Tetendit adversus Dominum manum suam [12]. » — Vis supernæ virtutis, ut : « Similitudo manus apprehendit me [13]. » — Actio Christi, ut : « Manus hominis s. p. e. » — Potestas Dei [*supra*, p. 10]. — Potestas Antichristi, ut : « Dolus in manu ejus dirigetur [14]. » — Tentatio diaboli : « Ecce in manu tua est [15]. » — Percussio divina : « Manum tuam longe fac a me [16]. » — Populus Judaicus, ut : « Quid avertis manum [17] ? » — Persequutio Judæorum : « Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me [18]. » — Amicus familiaris : « Si manus tua, etc. » — Versutia hominis, ut : « Interficiet eos manus mea [19]. » — Plures actiones, ut : « Qui docet manus meas ad prælium [20]. » — Martyres, ut : « Manus meæ distillaverunt myrrham [21]. » — Operatores boni, ut : « Manus ejus tornatiles [22]. » — Discretio, ut : « Manibus spicas fricabant. » — Disposi-

(1) *Navigii.* Joan. XXI, 6. — (2) *Patris.* Marc XVI, 19. — (3) *Adversaretur.* Zachar. III, 1. — (4) *Adversitas, sive hominum favor vel vituperatio* B-G. In Isaia XXX, 21. — (5) *Dextera.* Matt. VI, 3. — (6) *Meo.* Cant. II, 6. — (7) *Dilataberis.* Genes. XXVIII, 14. — (8) *Alienorum.* Ps. CXLIII, 7. — (9) *Prodiit.* Exod. IV, 6. — (10) *Me.* Ps. XXXV, 12. — (11) *Tua.* Ps. XXXI, 4. — (12) *Suam.* Job XV, 25. — (13) *Me.* Ezech. VIII, 3. — (14) *Dirigetur.* Dan. VIII, 25. — (15) *Est.* Job II, 6. — (16) *Me.* Job XIII, 21. — (17) *Manum.* Ps. LXXIII, 11. — (18) *Me.* Job XVII, 3. — (19) *Mea.* Exod. XV, 9. — (20) *Prælium.* Ps. XVII, 35. — (21) *Myrrham.* Cant. V, 5. — (22) *Tornatiles.* Ib. 14.

tiones Dei (*supra*, p. 10). — Curæ speciales, ut : « Anima mea in manibus meis [1]. » — Misericordiæ Dei (*supra*, p. 10). « Severitas legis, ut : « Manus Moysis, etc.

Dextera, Filius Dei. — Gratia (p. 8). « Juxti, ut : « In dextera ejus ignea lex [2]. — Salus animæ, ut : « Diabolus stet a. d. e. » — Bona actio, ut : « Dextera eorum repleta est muneribus. » — Contemplatio, ut : « Dextera illius a. m. » — Potentia, ut : « Dextera eorum, dextera iniquitatis [3]. » — Prosperitas, ut : « Non declines ad dexteram [4]. » — Amicus, ut : « Considerabam ad dexteram [5]. » — Elatio in virtutibus, ut : « Si me vertam ad dexteram, non videbo illum [6]. » — Vita æterna, ut : « In dextera ejus longitudo dierum [7]. » — Favor, ut : « A dextris est mihi Dominus, ne commovear [8]. » — Collectio bonorum, ut : « Mittite ad d. n. r. » — Martyres, ut : Gedeon, in dextra tubas, in sinistra lagenas dedit.

Sinistra, vita præsens, ut : « In sinistra ejus divitiæ et gloriæ [9]. » — Delectatio laudis humanæ, ut : « Nesciat s., etc. » — Adversitas, ut : « Ne declines, etc. » — Opus pravum, ut : « Si ad sinistram, quid agam [10]? » — Reprobi angeli, ut : « Omnem exercitum ei assistentem a dextris et a sinistris [11]. » — Homines reprobi, ut : « Hædos autem a sinistris [12]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis [cf. p. 9 et 10].

Petrus Cantor. Manus est vindictæ ; unde : « Melius est incidere in manus hominis, quam in manus Dei viventis [13]. » — Largitionis ; unde : « Aperis tu manum tuam [14], etc. » — Protectionis ; unde : « Sub umbra manus tuæ protegit me [15]. » — Manus Dei dicitur Christus ; unde : « Emitte manum tuam de alto. » — Virtus operationis ; unde : « Manus tuæ fecerunt me [16]. » — Vel pluraliter Dei manus accipiuntur virtus et sapientia, quia utrumque est Christus. — Vel manus Dei Patris sunt Filius et Spiritus sanctus ; quia cum eis operatur. Non est ergo contrarium quod in Evangelio dicitur, de Verbo Dei, scilicet : « Omnia per ipsum facta sunt. » — Cæcitas mentis ; unde Dominus ad Moysen : « Ponam te in foramine petræ, et protegam te dextera mea [17]. » — Per Moysen, Judaicus populus ; per dexteram mentis cæcitas.

Petrus Capuanus, ad litt. xii, ex art. 19.

Manus

Dei octuplex.	*Christi quintuplex.*
Ipse Filius.	Manus divinitatis.
Spiritus sanctus.	— humanitatis.
Manus potentiæ.	— potestatis.
— gratiæ.	— benignitatis.
— misericordiæ.	*Ecclesiæ duplex.*
— protectionis.	
— vindictæ.	Opera sanctorum.
Judaicus populus.	Contemplatio.

Manus

Justi quintuplex.	*Item Perversorum.*
Manus operationis.	Manus peccati.
— fidei.	— pigritiæ.
— devotionis.	— elationis.
— curationis.	— duplicitatis.
— laudationis.	— falsi amici.

Manus diaboli triplex.

Ipsi Judæi, quibus ipse crucifixit Christum.
Potestas ejus. Tentatio.

Dextera [*vid. supra*, p. 32].

Distinctionum monasticarum lib. iii, *de Dextera Dei*. Dextera Dei Patris Deus Filius dicitur, per quem Pater operatur ; unde est illud beati Joannis : « Omnia p. i. f. s. » — Et illud Apostoli : « Olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime die-

(1) *Meis*. Ps. cxviii, 109. — (2) *Lex*. Deuter. xxxiii, 2. — (3) *Iniquitatis*. Ps. cxliii, 8. — (4) *Dexteram*. Deuter. v, 32. — (5) *Dexteram*. Ps. cxli, 5. — (6) *Illum*. Job xxiii, 9. — (7) *Dierum*. Prov. iii, 16. — (8) *Commovear*. Ps. xv, 8. — (9) *Gloriæ* Prov. iii, 16. — (10) *Agam*. Job xxiii, 9. — (11) *Sinistris*. III Reg. xxii, 19. — (12) *Si- nistris*. Matt. xxv, 32. — (13) *Viventis*. Dan. xiii, 23. — (14) *Tuam*. Ps. cxliv, 16. — (15) *Me*. Is. xlix, 2. — (16) *Me*. Ps. cxviii, 73. — (17) *Mea*. Exod. xxxiii, 22.

bus istis loquutus est in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula [1]. » Quod Filius Dei dextera Patris vocetur, apertissime ostenditur in illa benedictione : « De sede majestatis benedicat nos dextera Dei Patris [2]. » — Dextera Dei significat vitam æternam; sinistra, bona temporalia; unde sponsa de sponso in Canticis : « Læva ejus sub c. m., etc.; » quia temporale subsidium mentem meam, dum corpus sustentat, sublevat; sed amor vitæ æternæ me totam sibi vindicat.—Item ad dexteram Dei Patris Jesus Christus sedere dicitur, quia in æquali cum Patre gloria regnat. Filius enim Patri omnino est æqualis in deitate, licet ipse Patri sit minor ex humanitate. — Dextera Dei justos significat, qui sunt statuendi ad dexteram; unde est illud : « In dextera e. i. l.; » id est charitas, quæ calefacit fidelem animam amore Dei et proximi, et ipsa accensa proximos accendit; unde est illud :

Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos [3].

Dextera significat prosperitatem, ut ibi : « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis [4]; » quia plures cadunt per prosperitatem quam adversitatem. — Dextera significat dignitatem et eminentiam; unde in libro Boethi *de Consolatione* legimus quod Philosophia in dextera libellos, et in sinistra gestavit sceptrum [4], quia dignior est sapientia, quæ significatur per librum, quam temporalis potentia, quæ designatur per sceptrum. — Itemque dextera solet præponi sinistræ; per dexteram signantur ea opera quæ præferimus. Sed nota quod ea quæ justi habent pro dextera, reprobis sunt sinistra. Et e contrario; unde de Juda prophetatum est in psalmo sic : « Diabolus stet a dextris ejus [5]; » quia infelix ille præposuit sapientiæ et animæ suæ pecuniam. Dextera significat illa opera quæ de genere sunt bonorum; unde his qui vendunt justitiam dictum est in psalmo : « Dextera eorum repleta est muneribus [6]. »

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni [7].

Biblia Codic. Bellevall.

Dextera.

Vita perpetua, bonorum collectio.	Quodlibet quod pro magno habetur.

Anonymus Clarevallensis. In sinistra parte dependet clypeus; portatur gladius; regitur equus, ut expedita sit dextera ad præliandum; opponitur ictibus.

Sinistra.

Vita præsens.	Adversitas.
Delectatio vanæ laudis.	Opus pravum.
	Homines reprobi.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 198-209.

Læva manus, vitam præsentem, dextra figurat
Æternam, quæ fine caret, sine tempore durat.
Est caput excellens, foris et membris dominatur :
Quæ regit internos motus, mens inde notatur.
Sponsi læva subest capiti sponsæ, quia mundum
Cor facit illius immundum spernere mundum.
Dextra dat amplexus sponsæ, quia mente beatam
Illa facit vitam justis retinere paratam.
Dum sic deprimitur divino sponsa sopore,
Efficit hanc dignam majori sponsus amore.
Ne possint igitur homines turbare soporem.
Quoslibet incessus depellit, ob ejus amorem.
Cervi vel capreæ, etc.

XXVIII.

1. Digitus, Spiritus sanctus [8] [*vide cap.* I, *n.* XV, *p.* 9].
2. Prophetæ, vel sancti [*vide ibid.*].

(1) *Sæcula.* Hebr. I, 1. — (2) *Patris.* Bened. in *Breviar. O. Cisterc.* — (3) *Proximos.* Hymn. ad tert. in Brev. — (4) *Sceptrum.* Lib. I, pros. I, col. 589, edit. Migne. — (5) *Ejus.* Ps. CVIII, 6. — (6) *Muneribus.* Ps. XXV, 10. — (7) *Tyranni.* Virg. *Æneid.* VII, 266. — (8) *Sanctus.* Codd. B-G conferuntur supra l. l.

3. Martyres [*vide cap.* II, *n.* XII, *p.* 31].

4. Dona ejus : « Misit digitos suos in auriculas ejus [1]. »

5. Discretio : « Superponite digitum ori vestro [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 731 C, ad 1, 2.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 30, p. 264.

Gregorius M. Digitus, Spiritus sanctus [*ut supra*, p. 9]. — Dona Spiritus sancti, ut ibi : « Misit digitos, etc. » Digitos siquidem in auriculas surdi mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdam ad obedientiam aperire. — Digitus, discretio; unde Job : « Superponite digitum o. v. » — Digitus enim ori superponitur, quum discretionis fræno lingua moderatur.

Rabanus. Digitus, Spiritus sanctus [*ut supra*]. — Discretio, ut : « Digito scribebat in terra [3]. » — Moderamen, ut : « Superponite d. o. v. » — Diversitas personarum, ut : « Quis appendit tribus digitis mensuram terræ [4] ? » — Liber evangeliorum, ut : « Coronam interrasibilem altam quatuor digitis [5]. » — Operari Ecclesiæ, ut : « Digiti mei pleni myrrha [6]. » — Dona Spiritus sancti, ut : « Misit digitos, etc. »

Petrus Cantor. Digitus Dei significat quandoque distinctionem gratiarum, quia unus est Spiritus, et dona ejus distincta sunt divisa; unde in Canticis : « Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei p. m. » — Quandoque distinctionem trium personarum, unde Isaias : « Quis appendit t. d. m. t. » Hic significat digitus quamlibet trium personarum in Trinitate. — Quandoque tertiam personam in Trinitate; unde Veritas : « Si in digito Dei ejicio, etc. » Et in Exodo magi Pharaonis in tertio signo defecerunt, dicentes : « Digitus Dei est hic [7], » id est, per Spiritum sanctum Moyses hoc facit.

Petrus Capuanus ad litt. IV, ex art. 14.

Digitus notat

Personarum distinctionem.	Gratiarum divisionem.
Spiritum sanctum.	Judicii discretionem.
Ejusdem operationem.	Meritorum protectionem.

Primo digito scribitur liber prædestinationis divinæ; secundo, scripta est lex Moysi in tabulis marmoreis; tertio, scripta est lex spiritus in cordibus fidelium. Quartum misit Deus in auriculas surdi, quando humano generi contulit dona gratiarum. Quinto, palpavit Thomas cicatrices Christi resurgentis. Sextus distillavit myrrham primam.

Spiritus sanctus vero dicitur digitus propter variam juncturam et divisionem gratiarum. Nam, sicut in uno digito junctura diversæ, ita in uno Spiritu dona multa. Paulus : « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult [8]. » — Et quia procedit a dextera Dei Patris, id est Filio. Isaias : « Dexteræ Dei tu digitus [9] » Nonne processit a dextra Patris, id est Filio, quando in die pentecostes effudit de Spiritu suo super omnem carnem? — Et propter distinctam et ornatam operationem. Psalmus : « Quando videbo cœlos, opera digitorum tuorum [10]. » Nonne distincta et ornata fuit ejus operatio, quando Spiritus Domini ornavit cœlos, et fecit luminaria in firmamento cœli, et ipsi cœli enarrant gloriam Dei? — Et quia est ejusdem essentiæ cum Patre et Filio, et procedit ab utroque, sicut digitus ejusdem naturæ est cum manu et brachio. Symbolum : Non tamen tres dii,

(1 *Ejus.* Marc. VII, 33.—(2) *Vestro.* Job XXI, 5.—(3) *Terra.* Joan. VIII, 6. — (4) *Terræ.* Is. XL, 12. — (5) *Digitis.* Exod. XXXVII, 12.—(6) *Myrrha.* Cant. V, 5.— (7) *Hic.* Exod. VIII, 19.—(8) *Vult.* I Cor. XII, 15. — 9) *Digitus.* Nolui codicem mutare, inscius cur ad Isaiam provocaverit. — (10) *Suorum.* Ps. VIII, 4.

sed unus est Deus. Nonne est ejusdem naturæ cum Patre et Filio, ex quo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, et Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo est?

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Digitus.

Spiritus sanctus. Discretio.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 738-743.

Digiti mei pleni sunt myrrha.

Sunt bona facta manus, sed amari myrrha saporis :
Exprimit exemplum patientis amara laboris.
Exprimitur digitis discretio nescia fraudis,
Quam non defraudat humanæ gloria laudis.
Myrrha replet digitos, quæ sit virtute probata ;
Si te mortifices, tunc est discretio grata.

XXIX.

÷ 1. DORSUM, subjecti : « Et dorsum eorum incurva [1]. »

÷ 2. Tergum, obedientia : « Si non recesseritis a tergo [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 31, p. 266.

GREGORIUS M. Dorsum, ordo subditorum, sicut de pravis doctoribus in psalmo dicitur : « Obscurentur oculi eorum, et dorsum e. i. » Quod procul dubio in Judæa factum novimus, ut, dum lumen scientiæ perdunt qui præsunt, eorum sequaces sub peccatorum oneribus incurventur.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Dorsum, sequaces, ut : « Dorsum e. i. » — Mens, ut : « Divertit ab oneribus dorsum ejus [3]. » — Reprobi, ut : « Quoniam pones eos dorsum [4]. » — Patientia, ut : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores [5]. » — Rectores Ecclesiæ, ut : « Posteriora dorsi ejus in pallore auri [6]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Dorso*. Dorsi nomine sequaces significantur; unde est illud Psalmistæ, sub persona Christi loquentis ad Patrem : « Inimicos meos dedisti mihi dorsum [7], » id est, eos fecisti sequentes, qui erant persequentes, ut Paulum, Longinum, et alios. — Dorsum significat depressos et despectos, vel ad terrena curvos, ut ibi : « Quoniam pones eos dorsum. » — Dorsum in quo onera portantur, significat tolerantiam ; unde est illa vox Ecclesiæ in psalmo : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores [8], » id est, quos corrigere nequeo, æquanimiter porto. — Dorsum vitam sequentem significat, ut ibi : « Virga in dorso ejus qui indiget corde [9]. » Virga in dorso, pœna est in vita sequenti. — Dorsum significat contemtum ; ut habes : « Verterunt ad me dorsa, et non facies [10]. » — Dorsum significat rectores Ecclesiæ, quales erant sancti martyres, de quibus scriptum est in psalmo : « Posteriora dorsi ejus in pallore auri [11], » id est, mors erit similis morti Christi, quæ designatur per aurum. Aurum namque palluit, quando Dei Filius mortem gustavit.

Vita beata, Deus, mortem gustavit ad horam,
Ut miser æternum vivere posset homo.

— Dorsum subjectionem significat ; unde est illa vox bonorum subditorum : « Posuisti tribulationes in dorso nostro ; imposuisti homines super capita nostra [12]. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. III, v. 471 sqq.

Hunc non in laudem sequitur Roboam reboandus :
Nempe rudimentis cœpit regnare malignis,

(1) *Incurva.* Ps. LXVIII, 24. — (2) *Tergo.* I Reg. XII, 20. — (3) *Ejus.* Ps. LXXX, 7. — (4) *Dorsum.* Ps. XX, 13. — (5) *Peccatores.* Ps. CXXVIII, 3. — (6) *Auri.* Ps. LXVII, 14. — (7) *Dorsum.* Ps. XVII, 41. — (8) *Peccatores.* Ps. CXXVIII, 3. — (9) *Corde.* Prov. X, 13. — (10) *Non facies.* Jerem. XVIII, 17. — (11) *Pallore auri.* Ps. LXVII, 14. — (12) *Capita nostra.* Ps. LXV, 11.

Despexitque senum, puerorum sensa secutus,
Responditque populo truculenta, protervaque verba :
« Grossior est, inquit, minimus digitus meus iste
« Quam dorsum lumbique mei fuerunt genitoris.
Ergo vos mitis, virgis vos ille cecidit
« Vestras sæpe nates lacerabit scorpio noster
« Vobis ille jugum superimposuit grave multum :
« Subditione mei flentes, curvique gemetis. »
Vix ea finierat, populus frendendo reclamat ...
Fit Roboam tribuum rex duntaxat geminarum :
Jeroboam vero bis quina tribus comitatur.
Talia sed quorsum, nisi mores ædificentur? ...
Rex ita sacrilegus fuit hic ; ast ille, superbus :
At nos sacrilegi fugiamus et esse superbi.

XXX.

÷ 1. Pellis, exteriora opera : « Vetustam fecit pellem meam [1]. »

÷ 2. Substantia mundi : « Pellem pro pelle [2]. »

÷ 3. Pelles, sancti, vel Ecclesia : « Nigra sum, sed formosa [3]. »

÷ 4. Stulti : « Numquid implebis sagenas pelle ejus [4]? »

÷ 5. Mulieres evangelicæ : « Pelli meæ, consumtis carnibus, adhæsit os meum [5]. »

÷ 6. Scriptura : « Extendit cœlum sicut pellem [6]. »

÷ 7. Carnis motus : « Pelle et carnibus vestisti me [7]. »

÷ 8. Grossæ hominum mentes : « Saga silicina et pelles ad tabernaculum protegendum [8]. »

÷ 9. Pelles, signum mortalitatis. In Genesi : « Fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelliceas [9]. »

÷ 10. *Pelles hyacinthinæ*, vel *rubricatæ*, mortificatio sanctorum ob spem regni cœlestis, sive Ecclesia pretioso Christi cruore decorata [10]. In Exodo : « Fecit opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis et de pellibus hyacinthinis [11]. »

XXXI.

÷ 1. Cutis, mollities infirmitatis : « Adhæsit cutis eorum ossibus [12]. »

÷ 2. Peccatum carnis : « Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam [13]. »

÷ 3. Exteriora sola curantes : « Cutis mea aruit, et contracta est [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 20 ad XXX, 9; ed. II, col. 758 D ad XXIII, 9, XXIX, 3.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, cap. 32, 33, p. 267.

Gregorius M. Cutis, administratores exteriorum, qui plerumque, dum exterius actibus implicantur, ab interna meditatione contrahuntur; unde est illud : « Cutis mea a. etc. » — Mollities infirmitatis, ut in Jeremia : « Adhæsit cutis e. o. » Cutis hypocritæ adhærere ossibus dicitur, quia in eis infirmitas vitii virtutis fortitudo putatur.

(1) *Meam.* Thren. III, 4. — (2) *Pelle.* Job II, 4. — (3) *Formosa.* Cant. II, 4. — (4) *Ejus.* Job XI, 26. — (5) *Meum.* Job XIX, 20. — (6) *Pellis.* Ps. CIII, 2. — (7) *Me.* Job X, 11. — (8) *Protegendum.* Exod. XXVI, 7. — (9) *Pelliceas.* Genes. III, 11. — (10) *Pretiosa Christi c. d.* E. *Ecclesiæ protectio, Christi cruore decorata* B, C, E, G. Omnia desunt in D, F. — (11) *Hyacinthinis.* Exod. XXXVI, 19. — (12) *Ossibus.* Thren. IV, 8. — (13) *Meam.* Job XVI, 15. — (14) *Est.* Job VII, 7.

Aruit et facta est quasi lignum, quia culpa eorum nulla sui cognitione viridescens, tanto insensibilior redditur, quanto et apud eos laudabilis habetur. — Peccatum carnis, unde Job : « Saccum, inquit, consui super cutem meam. » Saccus enim super cutem consuitur, quum culpa carnis per pœnitentiam operitur.

Rabanus. Cutis, spiritus malignus, ut : « Saccum, etc. » — Infirmus, ut : « Cutis mea denigrata est super me [1]. » — Mollities, ut : « Adhæsit cutis ejus ossibus. » — Peccatum, ut : « Saccum consui, etc. » — Vacans terrenis, ut : « Cutis mea aruit. » Pellis, motus carnis : « Pelle et carnibus v. m. » — Veritas corporis nostri : « Rursum circumdabor pelle mea [2]. » — Adversitas magna et parva : « Pellem pro pelle. » — Superficies actionis : « Sacerdos habebit pellem qui offeret holocaustum [3]. » — Infirma mundi : « Numquid, etc. — Sanctæ feminæ : « Pelli meæ, etc. » — Intellectus litteralis : « Detracta pelle hostiæ [4]. » — Mortalitas hominis : « Extendens cœlum s. p. » — Corpora martyrum : « De pellibus arietum rubricatis. » — Antiqui patres : « Ambulabam in medio pellium [5]. » — Virtutes corporales : « Subito vastata s. p. m. » — Cives cœlestes : « Sicut pelles Salomonis [6]. » — Reprobi : « Turbabuntur p. t. m. »

Petrus Cantor. Pellis est infirmitatis et mortalitatis; unde Job : « Pellem p. p., etc. » — Malitiæ; unde : « Si potest Æthiops mutare pellem suam, et pardus varietatem suam, et vos poteritis bona facere, quum didiceritis mala [7]. » — Avaritiæ; unde : « Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian [8]. » — Sancti vero dicuntur pelles Salomonis, qui figurantur per pelles, quibus operiebatur tabernaculum.

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 10. Cutis protectionis, cutis infirmitatis et cutis deformitatis. Cutis protectionis dicuntur fortes prælati in Ecclesia. Job : « Cutis mea aruit, et contracta est. » — Cutis infirmitatis, minores in persequutione. Job : « Cutis mea d. e. s. me, et ossa mea aruerunt præ caumate, » quia scilicet, dum infirmis imminet persequutio, fortes in Ecclesia dolent. — Cutis deformitatis est conversatio immunda. Job : « Saccum consui, etc., » id est, habitum pœnitentiæ pro mala conversatione assumsi.

Prima cutis optima; secunda, bona; tertia, mala. Prima protegit minores et inferiores ab impetu tentationum et persequutionum : « Bonus enim pastor ponit animam suam pro ovibus suis [9]. » Cutis infirmitatis interdum pro teneritudine fatigatur et rumpitur. Pro quibus rogat Ecclesia ut fulciantur et solidentur, dicens : « Fulcite me floribus [10]. » Cutis deformitatis semper lacerata est et confracta. Leviticus : « Si efflоruerit discurrens lepra in cute [11], etc. » Hujus cutis redintegrationem orat psalmista, quum ait : « Sana contritiones ejus, quia mota est [12]. »

- *Pellis*
  - *Materialis duplex :*
    - Mortalitatis.
    - Mulieres illæ quæ in exterioribus Domino ministrabant, et, fugientibus etiam apostolis, ipsæ cum Domino permanserunt.
  - *Spiritualis triplex :*
    - Pellis pœnitentiæ et mortificationis.
    - Martyres.
    - Virgines.
  - *Cœlestis duplex :*
    - Pellis immortalitatis.
    - Caro ipsius Christi.
  - *Infernalis triplex :*
    - Hypocritarum simulatio.
    - Mali et iniqui.
    - Ipse diabolus.

Anonymus Clarevallensis.

- *Cutis.*
  - Peccatum.
  - Mollities.
  - Infirmus.

(1) *Me.* Job XXX, 30. — (2) *Mea.* Job XIX, 26. — (3) *Holocaustum.* Levit. VII, 8. — (4) *Hostiæ.* Levit. I, 6. — (5) *Pellium.* II Reg. VII, 2. Sed a Vulgata vers. longe abit. — (6) *Salomonis.* Cant. I, 4. — (7) *Mala.* Jerem. XIII, 23. — (8) *Madian.* Habac. III, 7. — (9) *Suis.* Joan. XI, 11. — (10) *Floribus.* Cant. II, 5. — (11) *Cute.* Levit. XIII, 12. — (12) *Mota est.* Ps. LIX, 4.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Exod., v. 1315-1326.

Legifer hunc Moyses undena parat saga, tecti
Causa, peccatrix turba notatur eis
Perfectum numerum quia desert ordo sagorum,
Hunc qui perfectus respuit esse notat
Rident cortinæ vario splendore colorum,
Sed saga tristia sunt, aspera, plena pilis.
Sic et perfectos virtutum pompa serenat,
Sed rea plebs gravis est, hispida, plena malis.
Cortinas vincunt numero saga nempe maligni
Excedunt numero divitiisque bonos.
Illa tamen tecto prosunt; quia sæpe nocivi
Pro vita regum principibusque juvant.

II.

Ib. v. 1343-1354.

Est triplex tegimen : prius est vestis cilicina,
Pungens; est medium pellis ovina, rubens;
Tegminis extremi decus ex fulgore hyacinthi
Splendens, aerei signa coloris habet.
Tegmen habes primum, dum, culpas mente relinquens,
Pungeris, et vestis te cilicina tegit.
Tegmen habes medium, de rubra pelle bidentum,
Si fueris simplex, et patienter agas.
Extremo dabitur tegmen cœleste, hyacinthus
Quod bene designat, aeriusque color.
Ordo bonus, primo peccata relinquere, carnem
Postea puniri, præmia deinde sequi.

XXXII.

1. CARO, homo exterior [1]. ÷ Caro, juxta culpam : « Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt [2]. » ÷ In Apostolo : « Caro concupiscit adversus spiritum [3]. »

2. Corpus Christi : ÷ Et comedetis carnes nocte ac die [4]. » ÷ Sacramentum Corporis Domini, in Evangelio : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem [5]. »

3. Littera legis [6] : « Vespere comedetis carnes [7]. »

4. Operis infirmitas [8] : « ÷ Concutit carnem meam tremor [9]. » ÷ In Salomone : « Vita carnium, sanitas carnis [10]. »

÷ 5. Humana natura [11] : « Consumta est caro a suppliciis [12]. Caro de carne mea [13]. »

÷ 6. Cordis sensibilitas : « Auferam vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum [14]. »

÷ 7. Vita carnalis : « Induta est caro mea putredine [15]. »

÷ 8. Delectatio carnalis : « Tabescet caro illius et ossa [16]. »

÷ 9. Carnalitas : « Deficiet omnis caro simul [17]. »

10. *Carnes*, infirmi in Ecclesia [18] [*vide supra*, *p.* 36].

÷ 11. Carnes, apostoli : « Pelli meæ, consumtis carnibus, adhæsit os meum [19]. »

÷ 12. Reprobi : « Membra carnium ejus cohærentia sibi [20]. »

(1) *Exterior*. Utramque codicum lectionem, ob rerum diversitatem et gravitatem, in duobus primis distinctionibus, retulimus. In eo insuper loco collegimus quæ in codd. secundæ familiæ alienis in locis peregrinabantur. — (2) *Sunt*. Genes. VI, 3. — (3) *Spiritum*. Galat. V, 17. — (4) *Die*. Num. VI, 18. — (5) *Sanguinem*. Joan. VI, 54, 56. — (6 *Historia legis, ut quidam volunt. In Exodo : Ad vesperum vescemini carnibus, et mane saturabimini panibus. Et in malam* [*in aliam* G] *partem, in Isaia : « Quorum carnes sunt sicut carnes asinorum* [legendum : *In Ezech.* XXIII, 20] B-G. — (7) *Carnes*. Exod. XVI, 18. — (8) *Infirma quæque et adhuc tenera operatio* B-G. — (9) *Tremor*. Job XXI, 6.—(10) *Cordis*. Prov. XIV, 30. — (11) *Natura*. Sive, ut iterum A legit infra : *Caro juxta naturam : caro d. c. m.* — (12) *Suppliciis*. Job XXXIII, 25. — (13) *Mea*. Genes. II, 22. — (14) *Carneum*. Ezech. XI, 19; XXXVI, 26. — (15) *Putredine*. Job VII, 5. — (16) *Ossa*. Job XXXIII, 21. — (17) *Simul*. Job XXXIV, 15. — (18) *Ecclesia*. Ibid. concordantiæ codd. B-G. — *Meum*. Job XIX, 20. — (20) *Sibi*. Job XLI, 14.

÷ 13. Motus carnis : « Pelle et carnibus vestisti me [1]. »

÷ 14. Vitia carnis : « Quare persequimini me, sicut Deus, et carnibus meis saturamini [2] ? »

÷ 16. *Caro* et *sanguis*, ingluvies et luxuria. In Apostolo : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 20 ad 1; ed. II, col. 759 A ad 1, 5, *pene ad verbum*.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 34, p. 274.

Gregorius M. Caro, natura humana, sicut per Eliud dicitur : « Consumta est, etc.; » ac si de primo homine diceret : mortalitatis suæ pœna in quadam vetustatis dejectus est servitute, sed prioris vitæ innocentia renovatur. — Cordis sensibilitas, ut ibi : « Auferam cor, etc. » Quod utique tunc Dominus facit, quum duritiam mentis nostræ in sensibilitatem charitatis et misericordiæ vertit. — Vita carnalis, ut ibi : « Induta est, etc.; » ac si deceret : carnalem vitam quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit. — Dilectio carnalis, ut in Job : « Tabescet caro, etc. » Quum enim, flagellis prementibus, omnis exterior voluptas atteritur, internæ voluptatis ossa mundantur. — Carnalitas, ut ibidem : « Deficiet omnis c. s. » Simul caro deficit, quando nullis suis motibus deservit, et tunc homo qui a peccato liberatur, in pulverem revertitur, quia se cinerem humiliter recordatur. — Infirmitas operis, ut in Job : « Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, etc.; » ac si diceret : si aliquid infirmi operis habuisse me recolo, mox in pœnitentiæ fletu contremisco. — Aliquando juxta naturam, ut : « Verbum caro factum est. » — Aliquando juxta culpam, ut : « Non remanebit, etc. » — Reprobi, ut in Job : « Membra carnium, etc. » Quia enim diabolus sibi in perverso opere a primis usque ad extremos reprobos concordat, membra carnium sibimet cohærentia divinus sermo commemorat. — Discipuli Domini, ut ibi : « Pelli meæ, etc. » Quasi enim, consumtis carnibus, os Domini pelli suæ adhæsit, quia, deficientibus in passione discipulis, teneritudo sanctarum mulierum ab ejus fortitudine non recessit. — Pœnæ carnales, vel vitia, ut in Job : « Quare persequimini, etc. » Quorum etenim mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus cupit : sic et qui alienæ vitæ detractione pascitur, alienis profecto carnibus saturatur. — Motus carnis ; unde Job : « Pelle et carnibus v. m. » Pelle quippe et carnibus interior homo vestitur, quum in eo quod ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur.

Rabanus. Caro Christi, vel quam sumimus, vel quæ affixa est in ligno, ut : « Caro mea vere est cibus [3]. » Et : « Caro mea immutata est propter oleum [4]. » — Peccatum, ut : « Operui cinere carnem meam [5]. » Natura, ut : « Caro de c. m. » — Infirmitas, ut : « Recordatus est quia caro sunt [6]. » — Delectatio carnalis, ut : « Tabescet c. i. » — Corruptio mortalis, ut : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. » — Carnalitas, ut : « Non permanebit, etc. » — Totus homo, ut : « Manifesta autem sunt opera carnis [6]. » — Sapientia

(1) *Me.* Job x, 11. — (2) *Saturamini.* Job xix, 22. — (3) *Possidebunt.* I Cor. xv, 50. — (4) *Oleum.* Ps. cviii, 24, et supra Joan. vi, 55. Uno alterove exemplo pateat quibus nævis sordeant *Allegoriæ* sub nomine Rabani editæ. Ibidem enim legitur : « Caro *nostra* vere est cibus... de qua in psalmo : Caro m. i. e. propter *Deum.* » Et paulo infra : « *Caro, immortalitatis* (!) *corruptio.* » Ad nostra necesse est recurrat, si quis oriatur novus Rabani editor. — (5) *Meam.* Job xvi, 15. — (6) *Carnis.* Gal. v, 19.

carnalis, ut : « Caro et sanguis non revelavit tibi [1]. » — Concupiscentia, ut : « Caro concupiscit a. s. » Mollities, ut : « Tulit unam de costis, et replevit carnem pro ea [2]. » — Sententiæ Scripturæ, ut : « Edent nocte illa carnes assas [3]. » — Discipuli Christi, ut : « Pelli meæ, etc. » — Humiles doctrinæ, ut : « Pluit super eos sicut pulverem carnes [4]. » — Opera infirma, ut : « Vita carnium s. e. » — Impii, ut : « Gladius meus devorabit carnes [5]. » — Pœnæ malorum, ut : « Manducetis carnes regum [6]. » — Sensibilitas cordis, ut : « Auferam cor, etc. » — Vita carnalis, ut : « Induta est, etc. »— Motus carnis, ut : « Pelle et c. v. m. »

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 9. *Caro sex modis in bono, septem in malo.* Caro dicitur homo assumtus. Evangelium : « Et Verbum c. f. e. » — Et homo quilibet. Jeremias : « Maledictus qui ponit carnem brachium [7]. »—Et integritas carnis. Isaias : « Videbit omnis caro Salutare Dei [8]. » — Et caro, femina. Evangelium : « Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt [9]. » — Et consanguinitas : « Nemo umquam carnem suam odio habuit [10]. »—Et sensualitas. Paulus : « Caro enim concupiscit adversus, etc. » — Et carnis corruptibilitas. Paulus : « Etsi noverimusChristum secundum carnem [11],etc.» —Carnalis etiam intelligentia. Evangelium : « Caro et sanguis n. r. t. » — Et carnalis observantia. Paulus : « Qui volunt vobis placere in carne [12]. » —Caro etiam peccata, vel carnalia desideria. Job : « Operui cinere carnem meam [13]. »— Et carnale opus. Genesis : « Et erunt duo in carne una [14]. » *Figuræ* in I, candelabrum (Christus) in tabernaculo (Ecclesia) componitur. In II, Noe cum filiis (genus humanum) a diluvio eripitur. In III, homo ad laborem nascitur. In IV, nec capillus de capite amittitur. In V, domus sapientiæ (de integritate) ædificatur. In VI, scandalizans dextra (vicinus) abscidi mandatur. In VII, Samson in sinu Dalilæ (sensualitatis gremio) tonsuratur. In VIII, pro esu pomi Adam mortalitati damnatur. In IX, cor judaici populi (per carnalem intellectum) incrassatur. In X, velum (carnis observantia) a facie Moysis deponitur. In XI, peccatum Cain arguitur. In XII, filius per castigationem a patre corripitur. In XIII, Noe et filiis de multiplicatione præcipitur.

(1) *Tibi.* Matt. XVI, 17. — (2) *Ea.* Genes. II, 21. — (3) *Assas.* Exod. XII, 8. — (4) *Carnes.* Ps. LXXVII, 27. — (5) *Carnes.* Deuter. XXXII, 42. — (6) *Regum.* Apoc. XIX, 18. — (7) *Brachium.* Jerem. XVII, 5. — (8) *Dei.* Is. XL, 16. — (9) *Nati sunt.* Joan. I, 13. — (10) *Habuit.* Ephes. V, 30. — (11) *Carnem.* II Cor. V, 16. — (12) *Carne.* Galat. VI, 12. — (13) *Meam.* Job XVI, 15. — (14) *Una.* Genes. II, 24.

Herradis Abbatissa.

Hortus deliciar., f. 220.

De lapsu carnis quo labitur homo de scala charitatis.

Hoc metro tactus, sic corporis inspice lapsus,
Ut quis sis teneas, et quod habes timeas.
Debilitas carnis aciem turbat rationis,
Pertrahit ad vitium, ducit ad exitium.
Si perpendit homo quis sit, vel cujus imago,
Vel quo deciderit, quove loco fuerit,
Sive quod eveniet, perfectus ad omnia fiet;
Omne malum nolet, sed bona cuncta volet.
Esurit, atque sitit, comedit, bibit, atque quiescit,
Sed redit esuries, transit et ipsa quies.
Est opus ut comedat rursum, bibat, atque quiescat,
Quæ si non faciat, corporis aula ruet.
Vestibus ambitur, lana, linis operitur;
Ut calet aura, placet; friget et aura nocet.
Ventus, tempestas, gravat hunc; autumnus, et æstas,
Temperies veris, frigus obest hiemis.
Quum labor est, requiem; requies, vult esse laborem:
Sed gravat requies, et gravat omne quod est ...
Febres incurrit, dolet, et medicamina quærit,
Et medicina placet, sed medicina nocet.
Vitam debilitas aut ultima subtrahit ætas,
Et species carnis terra fit atque cinis.
Hæc caro perpetitur : sed si bis perspiciatur
Quæ patitur ratio, militat omnis homo.
Gaudet, tristatur, torpet, ridet, lacrymatur;
Fervet avaritia, rumpitur invidia.
Ira turbatur, curis sic exagitatur,
Ut qua vita placet, tædia mille parit.

Laudibus inflatur, sed probris examinatur;
Adversis mœret, prosperitate tumet.
Hunc spes impellit, formido tremorque repellit;
Quod sprevit, repetit; quod voluit, refugit.
Quem non ambitio, fastus tenet, atque cupido,
Ex ovis quorum pullulat omne malum?
Sed damnosa duo, gula scilicet atque libido,
Mentem perturbant, dilacerant, hebetant.
Ergo doma carnem [1], qui vis evadere mortem,
Præsideat ratio, serviat ipsa caro.
Si vallum cordis pulsat tentatio carnis,
Nec tibi concubitus causa sit interitus.
Collige quis carnis dulcedo : quid est, nisi vermis?
Collige : quid facies pulchraque cæsaries?
Formaque membrorum, speciosus et ordo colorum?
Marcent, prætereunt, intereunt, pereunt.

XXXIII.

1. Sanguis, peccatum : « Sanguis sanguinem tetigit [2]. »
2. Luxuria [3] : « Caro et sanguis non possidebunt regnum Dei [4]. »
÷ 3. Passio Christi : « Pulli ejus sanguinem lambent [5]. »
÷ 4. Carnalis intellectus : « Qui vehementer emulget, elicit sanguinem [6]. »
÷ 5. Malitia cruentæ mentis : « Sanguis ejus in medio ejus, super limpidissimam petram effudit illum [7]. »
÷ 6. Animæ origo, ut quidam volunt; de cujus natura disputandi licentia non conceditur, quia origo ejus secreta et soli Deo cognita est. Ad basim altaris, secundum legis præceptum, effundi, id est potestati divinæ et intellectui reservari. Quid enim est sanguinem comedere, nisi de animæ origine disputare?

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 20 ad 1; ed. II, col. 756, ad 1, 2, 3.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 35, p. 281.

Gregorius M. Sanguis, passio Christi, sicut de sancto prædicatore sub figura aquilæ dicitur : « Pulli ejus lambent sanguinem; » id est, venerabuntur Domini passionem. — Carnalis intellectus, ut ibi : « Qui vehementer e. e. s.; » quia carnale efficitur, quod nimia discussione sentitur. — Peccatum, ut ibi : « Maledictum et mendacium inundaverunt, et sanguis s. t.; » id est, culpa culpam cumulavit. — Malitia cruentæ mentis, ut ibi : « Sanguis ejus, etc. » Quod quidem tunc efficitur, quando cruenta mens in afflictione justi grassatur.

Rabanus. Passio Christi : « Terra, ne operias sanguinem meum [8]. » — Exempla martyrum : « Sumtum sanguinem respersit in populum [9]. » — Intellectus carnis : « Qui vehementer, etc. » — Furor Domini : « Inebriabo sagittas meas sanguine [10]. » — Mors Christi : « Vox sanguinis fratris tui clamat [11]. » — Peccatum; « Revelavit terra sanguinem suum [12]. » — Angustia; « Intinguatur pes tuus in sanguine [13]. » — Ultio peccati : « Manus suas lavabit in sanguine peccatoris [14]. » — Crudelitas : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt [15]. » — Pœnæ inferni : « Exivit sanguis de lacu [16]. » —

(1) *Carnem.* His incipit *Ammonitio Victoris papæ*, in codice Sorbon. 280, quod hic notandum, alias vero disquirendum. — (2) *Tetigit.* Osee IV, 2, etsi nomine designent Amos B-G; qui præterea in longiorem glossam abeunt, eamque, licet recentiora sapiat, forte ad tempora antegregoriana attingentem. Addunt igitur : « Propter hoc lugebit terra. » *Sanguis sanguinem tegere, est peccata peccatis conjungere, siquidem et omne peccatum occidens animam* [*tamen* s. c. B, C, D] *sanguini comparatur; sicut in propheta pro peccatore dicitur : « Sanguis ipsius super caput ejus erit* [Ezech. XVIII, 13]. » — (3) *Opera carnis in Apostolo*, ib. — (4) *Dei.* I Cor. XV, 50. — (5) *Lambent.* Job XXXIX, 30. — (6) *Sanguinem.* Prov. XXX, 33. — (7) *Illum.* Ezech. XXIV, 7. — (8) *Meum.* Job XVI, 18. — (9) *Populum.* Exod. XXIV, 8. — (10) *Sanguine.* Deuter. XXXII, 42. — (11) *Clamat.* Genes. IV, 10. — (12) *Suum.* Is. XXVI, 21. — (13) *Sanguine.* Ps. LXVII, 24. — (14) *Peccatoris.* Ps. LVII, 11. — (15) *Sunt.* Is. I, 15. — (16) *Lacu.* Apoc. XIV, 15.

Opera libidinis : « Libera me de sanguinibus [1]. » — Malitiosi : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos [2]. »

Petrus Cantor. Sanguinem fudit quinques Christus : quem sequens, vade, et tu hac similiter, ne requiratur sanguis ejus a te, sanguis scilicet ejus qui effusus est pro te. — In circumcisione, quia ferrum pertransiit carnem ejus. — In nocte, quum prolixius orasset, « factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram [3]. » — In crastino, quando alligatus est columnæ, et virgis cæsus; adeo quod vestigia cruoris notantur in columna usque in hodiernum diem. — In sexta feria, quum suspensus in ligno; unde : « Foderunt manus meas et pedes meos [4]. » — Postremo et aspersa est sanguine caro ejus : « De latere » dormientis « exivit sanguis et aqua [5]; » quod significatum est, quando Adæ dormienti sublata est costa. Totiens Christus fudit sanguinem suum pro te; et tu totiens funde pro ipso. Totiens fudit sanguinem suum, non tantum ut nos redimeret, sed et ut nos erudiret. In his docet nos Christus quid debeamus nobis, quid proximo, quid Deo; nobis circumcisionem; proximo, sudorem; Deo, flagellationem.

Est sanguis peccati : hic operiendus est, hujus usus prohibetur. Hic operitur per humilitatem confessionis, per plenitudinem satisfactionis, et per ruborem confusionis. — Remedii : hic est manifestandus, hic est digne sumendus, de quo dicitur : « Et sanguis meus vere est potus [6]. »

Petrus Capuanus ad litter. xviii, ex art. 47. Sanguis septem modis in bono, sex in malo.

In bono.	*In malo.*
Sanguis redemtionis.	Pœna malorum.
— sacramentalis.	Aspera increpatio.
Anima.	Corruptibilitas carnis.
Vita hominis.	Carnalis sensus.
Sanguis martyrum.	Peccata, maxime carnis et sanguinis.
Virtutes et cogitationes mundæ.	Pœna gehennalis.
Maceratio pœnitentis.	

Sanguis redemtionis. Apocalypsis : « Redemisti nos Deo in sanguine tuo [7]. » Epistola canonica : « Non corruptilibus auro et argento redemti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati [8]. » Job : « Terra, ne operias sanguinem meum [9]. » Exodus : « Sument de sanguine, et ponent super utrumque postem (oris et cordis), et in superliminaribus (frontium) domorum, in quibus comedent illum [10]. » Hoc sanguine perfusus fuit et inunctus funis ille coccineus, quem Raab meretrix, ut salvaretur, appendit in fenestra, dum scilicet gentilis Ecclesia Christi passionem confessa est. Et hic fuit sanguis ille qui exivit de latere Christi, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis, scilicet redemtionis, et aqua ablutionis nostræ in baptismo. Hic fuit sanguis hædi, quo intincta fuit vestis Joseph a fratribus suis, quia et Judæi, fratres Christi (ex quibus scilicet Christus secundum carnem), veri Joseph, quem Dominus sibi secundum mortalitatem univit, quando : « In Idumæam, ait, extendam calceamentum meum [11]. » In sanguine ipsius qui fuit agnus Dei, tollens peccata mundi, ex invidia tinxerunt, quando rubrum factum est indumentum suum, et vestimentum quasi calcantium in torculari.

Biblia codic. Bellevall.

Sanguis.

Passio Christi.	Peccatum.
Carnalis intellectus.	Malitia cruentæ mentis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Numer., v. 287-306.

Intingens digitum sacrifex in sanguine, contra
Claustra tabernaculi spargere novit eum.

(1) *Sanguinibus.* Ps. l, 16. — (2) *Suos* Ps. liv, 24. — (3) *Terram.* Luc. xxii, 44. — (4) *Meos.* Ps. xxi, 17. — (5) *Aqua.* Joan. xix, 34. — (6) *Potus.* Joan. — (7) *Tuo.* Apoc. v, 9. — (8) *Immaculati.* I Petr. i, 19. — (9) *Meum.* Job xvi, 19. — (10) *Illum.* Exod. xii, 7. — (11) *Meum.* Ps. lix, 10.

Fit pax per digitum, divisio congruit illi :
Discretos sensus ergo notare potest.
Sanguine sic tingit digitum, quum sacra recordans
Vulnera, discrete quisque fidelis agit.
Claustra tabernaculi respergit sanguinis unda,
Quum de morte crucis pectora nostra dolent.
Septenis vicibus digitum de sanguine tingit,
Perfecte Christi probra, crucemque gerens.
Post carnem cum pelle, fimum cum sanguine torrens,
Oblatam sacrifex tradit in igne bovem.
Tam caro quam pellis Christi carnis notat actus,
Humanis oculis qui patuere foris.
Sanguine signatur virtus interna, forenses
Vivificans actus carnis, eosque fovens.
Exprimiturque fimo sitis, esuries, labor, angor,
Mors, dolor, et quidquid est sacra passa caro.
Singula das igni, quum corde vel ore fateris
Flamine facta sacro, quæ Deus egit homo.

LAURENTIUS DUNELMENSIS.

Hypomnestici lib. IX. *De sanguine Christi.*

Hic petra, bis virga ducis icta, videtur adesse,
Quæ dat qua sitiens plebs satietur, aquam.
Unda, cruor Christi; Christus, petra; turba, fideles:
Ictio bina ducis sunt duo ligna crucis.
Panis in altari, Deus in cruce; fusus in illa
Sanguis, in altari sumitur ipse manens.
Non tamen est sine carne cruor, non absque cruore
Est caro; sanguis, in hac; inque cruore caro est.
Quodlibet istorum teneatur, utrumque tenetur;
Sumens alterutrum, sumit utrumque simul.

XXXIV.

1. ADEPS, pinguedo gratiæ divinæ : « Sicut adipe et pinguedine repleatur [1]. »

2. Spiritualis intellectus [2] : « Ex adipe frumenti satiat te [3]. »

÷ 3. Superbia : « Viscera ejus plena sunt adipe [4]. »

÷ 4. *Adipes*, compunctio cordis sanctorum [5]. In Levitico : « Et imposito desuper holocausto, adolebit adipes pacificorum [6]. »

÷ 5. Crassitudo malitiæ. In psalmo : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum [7]. » Item ibi : « Adipem suum concluserunt [8]. »

÷ 6. Crassitudo, duritia cordis. In propheta : « Incrassatum est cor populi hujus [9]. » Et in Job : « Operuit crassitudo faciem ejus [10]. »

÷ 7. *Pinguedo*, opulentia : « Pingui cervice armatus [11]. »

÷ 8. *Arvina*, terrena potentia : « Et de lateribus ejus arvina dependet [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 20; ed. II, col. 758 c ad 1, 5.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 36, 37, 38, p. 283, 284.

GREGORIUS M. Arvina, terrena potentia, quæ quasi de iniqui lateribus pendet, quum de potentia eorum quibus innititur, velut ex pinguedine rerum, tumet. — Adipis nomine superbiæ crassitudo exprimitur, ut in Job : « Viscera e. p. s. a. » Et in psalmo : « Prodiit, quasi ex a. i. e. » Quasi enim ex adipe iniquitas prodit, quum ex tumore superbiæ colluvies iniquitatis erumpit.

RABANUS. Adeps, humanitas Christi, ut : « Adipe s. f. » — Intellectus simplex Scripturæ, ut : « Cibavit eos ex adipe frumenti [13]. » Desiderium spirituale, ut : « Cum adipe agnorum et arietum [14]. » — Abundantia, ut : « Prodiit, etc. » — Carnalis lætitia, ut : « Adipem suum concluserunt. » — Bona voluntas, ut : « Sicut adipe et pinguedine repleatur. »

(1) *Repleatur*. Ps. LXII, 6. — (2) *Spiritualis gratiæ intellectus* B-G. — (3) *Te*. Ps. CXLVII, 14. — (4) *Adipe*. Job XXI, 24. — (5) *Adipes pacificorum, compunctio cordis et lacrymarum profusio*, iidem codd. in alio capite, textu eodem adducto. — (6) *Pacificorum*. Levit. VI, 12. — (7) *Eorum*. Ps. LXXII, 7. — (8) *Concluserunt*. Ps. XVI, 10. — (9) *Hujus*. Matt. XIII, 15. — (10) *Ejus*. Job XV, 27. — (11) *Armatus*. Job XV, 26. — (12) *Dependet*. Job XXV, 27. — (13) *Frumenti*. Ps. CXLVII, 14. — (14) *Arietum*. Is. I, 11.

Petrus Cantor. Adeps ponitur in bono, pro charitate : « Omnis adeps Domini erit[1]. »

Similiter pro æterna beatitudine, ut : « Sicut adipe, etc. » — In malo, pro superbia, ut in Job : « Pinguedo a facie ejus, etc. » — Similiter pro temporali abundantia ponitur, ut : « Prodiit, etc. » — Et pro vana lætitia, ut : « Vaccæ pingues quæ sunt in montibus Samariæ[2]. »

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Adipe*. Adeps in sacra Scriptura a carne distinguitur, ubi legitur : « Sicut adeps separatur a carne, ita David a filiis Israel[3]. » Scio tamen certissime quod socii mei, si me adipem terrestris animalis comedere viderent, carnem comedere me dicerent. Adeps proprie pinguedo animalis interior ; et quia pinguedo tam interior quam exterior est, solet inter adipem et pinguedinem nonnumquam sacra Scriptura distinguere, ut ibi : « Sicut adipe, etc. » — Per adipem significantur tum mala, tum bona. Nam, sicut dicit magister Radulfus Flaviacensis, *super Leviticum*[4], adipes hostiæ nostræ affectus nostri sunt, congrua ad succendendum materies ; sed interest plurimum quo inflammentur incendio. Item in sequentibus. — Adeps, ut supra ostensum est, affectus noster est, qui, quum per varia et noxia distrahitur, diversorum vitiorum nomina sortitur. Quum enim ad congregandam pecuniam, avaritia ; quum ad corporis sui corruptionem, impudicitia ; quum ad proximi læsionem inflectitur, malitia ; quum vero dominari aliis appetit, superbia nominatur. —Per adipem significatur opulentia ; unde : « Prodiit quasi, etc. » Avaris namque ex abundantia crescit indigentia ; unde poeta insignis :

Creverunt et opes, et opum curiosa[5] cupido,
Et quum possideant plurima, plura petunt.

Cor namque avari similis est inferno ; unde scriptum est : « Avarus non impletur pecunia[6]. » — Per adipem significatur carnalis legis intelligentia ; unde in psalmo scriptum est de Judæis : « Adipem suum concluserunt, » id est, carnalem legis sensum sibi detinuerunt. — Adeps devotionem mentis significat, unde : « Omnis adeps, etc. ; » quia omnis devotio erga Deum ipsi Deo est ascribenda. Similiter quidquid bonum est, naturale vel gratuitum, quidquid in affectu, in cogitatu, in fatu, in actu, in gestu commendabile est, per adipem significatur, ut ibi : « Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod captum est a bestia, habebitis in usus varios[7]. » Cadaver morticinum est omnis incredulus, ut Judæus, paganus, hæreticus. Animal captum, christianus lapsus in peccatum mortale. Et in quocumque horum invenitur aliquid commendabile, ipsum est et imitabile. — Adeps significat deitatem Christi ; unde est illud propheticum ad Ecclesiam : « Qui posuit fines tuos pacem, et adipe f. s. t. » Nam et vox Ecclesiæ est in alio psalmo ad Christum : « Satiabor quum apparuerit gloria tua[8]. » — Adeps significat charitatem, ut ibi : « Sicut adipe, etc., » id est, repleatur dilectione Dei et proximi. Adeps separatur a carne in colore, in sapore, in humore : sic spiritualis a carnalibus, in gestu, in actu, in affectu.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. I, v. 470-502.

Hispidus et rufus procedit primus Esau,
Qui pro lenticula sua dat primordia cocta ;
Unde minoratus fuit, efficiturque profanus,
Ut neque per lacrymas venia potiatur adepta.
Namque prophetarum de Christo vaticinantum,
Ipsius et Christi maduit Judæa cruore :
Ac peccatorum spinis obsessa suorum,
Ceu subulis, ritum vallatur ad hericiorum.
Si fuerit ergo gulæ damnatio talis hiulcæ,
Nobis sobrietas, non crapula sit comes atra :
Ne ventris causa barathri jaculemur ad ima,
Nec propter porcum putens tradamur in orcum ;
Nec pro gallina sit nobis fœda ruina ;
Nec nos immunda Styx, ardens polluat unda ;
Nec sit Cocytus nobis inamabile littus ;
Pro lardi perna, nobis ne dentur averna,

(1) *Erit*. Lev. III, 16. — (2) *Samariæ*. Amos. IV, 1. — (3) *Israel*. Eccli. XLVII, 2. — (4) *Leviticum*. Bibl. PP. t. XVII, p. 47. — (5) *Furiosa*, et paulo post *volunt*, in edit. Ovid. *Fast*. I, 211, 212 — (6) *Pecunia*. Eccli. V, 9. — (7) *Varios*. Levit. VII, 24. — (8) *Tua*. Ps. XVI, 15.

Nec tamquam torrens nos merset tartarus horrens;
Pro crassa cœna, nec nos cruciet mala pœna;
Neu chaos inferni nobis sit amore falerni.
Sed frugi vita mercemur regna beata;
Æternum Numen mereamur edendo legumen;
Pro laticis potu, carnis careat caro motu;
Pro tunica furva, sint longe crimina curva;
Pro spreto garo [1], letho careamus amaro;
Ob spretum sumen, cordis nobis sit acumen;
Pro justo voto, dominemur in æthere toto;
Pro morsu pulicum, cœlum nobis sit apricum;
Pro facie macra, sint a nobis procul acra;
Simus chrysopraso similes, pro vertice raso;
Pro pallore cutis, repleamur odore salutis,
Pro disciplina, careamus mente ferina,
Non aliud risus sit noster quam Paradisus.

XXXV.

1. Os, Christus : « Pelli meæ adhæsit os meum [2]. »

2. Vir fortis : « Nocte os meum perforatur [3] doloribus. »

3. Ossa, virtutes [4] : « Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur [5]. »

4. Pessimi : « Ossa ejus velut fistulæ æris [6] [*vide infra* Ossa Zabuli]. »

÷ 5. Duritia fortitudinis : « Adhæsit cutis eorum ossibus [7]. »

÷ 6. Carnis fortitudo : « Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea [8]. »

÷ 7. Sæcularis dignitatis fortitudo : « Medullis ossa illius irrigantur [9]. »

÷ 8. Sancti : « Ossa mea aruerunt præ caumate [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 20; ed. II, col. 758 C, II ad 2, 4.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 39; p. 285.

Gregorius M. Os, Christus, ut ibi : « Pelli meæ, etc.; » scilicet quum fortitudo Christi discipulis fugientibus destituta, juxta se milites invenit. — Quilibet in Ecclesiæ corpore fortis, ut ibi : « Nocte perforatur o. m. d. » Nonnumquam enim tormentis victi, et ipsi quandoque ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur. — Virtutes, ut ibi : « Custodit Dominus, etc. » — Nequiores in corpore Antichristi, de quo dicitur : « Ossa ejus, etc.; » quia nimirum more metalli insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. — Duritia fortitudinis, sicut Jeremias de quibusdam nimis suis virtutibus confidentibus ait : « Adhæsit cutis, etc. » Dum videlicet infirmitas vitii reputatur ab eis fortitudo virtutis.—Carnis fortitudo, ut ibi : « Elegit suspendium, etc. » Sancti enim, suspensi in anima, mortem ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ virtutum studiis accincti, hi qui fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur [11].—Fortitudo sæcularium dignitatum; unde Job de superbo divite dicit : « Ossa ejus plena sunt adipe. » Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur. Quæ impugnat mentem divitis, dum elevatur animus insolentis. — Fortes viri, de quibus in persona Ecclesiæ dicit Job : « Cutis mea denigrata est, et ossa, etc.; » id est, vigor fortium defecit in persequutione.

Rabanus. Ossa, virtutes animæ : « Omnia ossa mea marcescere faciet. » — Fortia facta : « Omnia ossa mea perterrita sunt [12] » — Fortitudo carnis : « Et mortem ossa

(1) *Garo*, et infra *sumen*. E re nostra non est, singulas voces peregrinas aut insolentiores sigillatim enucleare; quanto minus quum easdem Cangius exponit? — (2) *Meum*. Job XIX, 20. — (3) *Perforatur*. Job XXXI, 17. — (4) *Virtutes sanctorum, in psalmo* B-G. — (5) *Conteretur*. Ps. XXXIII, 21. — (6) *Æris*. Job XL, 13. — (7) *Ossibus*. Thren. IV, 8. — (8) *Mea*. Job VII, 15. — (9) *Irrigantur*. Job XXI, 24. — (10) *Caumate*. Job XXX, 30. — (11) *Insequuntur*. Ita *Moral.* VIII, n. 44, ed. Bened. — (12) *Sunt*. Job IV, 14.

mea. » — Consuetudines pravæ : « Et medullis, etc. — Suggestiones diaboli : « Ossa illius, etc. » — Virtutes ; « Custodit Dominus, etc. » — Viri fortes : « Ossa mea a. p. c. » — Prava duritia : « Adhæsit cutis e. o. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIV, art. 12.

Ossa

Christi.	*Ecclesiæ.*
Divinitas ejus.	Apostoli.
Ipse Christus.	Martyres.
[*Vid. supra*, p. 37.]	

Animæ.	*Diaboli.*
Virtutes solidiores.	Fortiora ejus argumenta.
Fortitudo et perseverantia ipsius.	Consuetudo peccandi. Fortitudo sæcularium, dignitatum et divitiæ.

Ossa Ecclesiæ duplicia : Apostoli. Psalmus : « Dispersa sunt o. o. m. »—Seu etiam robustiores et fortiores in Ecclesia. Psalmus : « Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt [1]. » Qui dicuntur ossa, propter fortitudinem. Paulus : « Jacobus, Joannes et Cephas, qui videbantur columnæ esse [2]. » Nonne firmissime fulciebant et sustentabant Ecclesiam, de quibus et ipse Dominus ait : « Ego confirmavi columnas ejus [3] ? » — Propter candorem. Evangelium : « Jam vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis [4]. » Nonne valde candidi fuerunt hæc ossa, de quibus ait Jeremias : « Candidiores nive, nitidiores lacte [5] ? »—Et propter occultationem. Psalmus : « Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto [6]. » Nonne occultata fuerunt hæc ossa, quando apostoli ejus, relicto eo, fugerunt? — Ossa etiam Ecclesiæ, martyres, qui robur præstant, dum persequutionem fortiter tolerant. Job : « Neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est [7]. » Nonne robusta erant hæc ossa in Laurentio, quum dicebat : « Versa, et manduca [8] ? »...

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Ossibus*. Ossa significant bona naturæ ; unde : « Non est pax ossibus meis [9]. » — Ossa significant bona gratiæ, id est virtutes ; unde : « Custodit Dominus, etc., non conteretur, » id est, patientia non conteretur.

Magna etenim morum semper patientia virtus.
Nam virtus vacua est, quam non patientia firmat.

Et Boethius : Omnis sors beata est, æquanimitate tolerantis. — Fortia membra Ecclesiæ ; unde : « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me [10]. » Verba sunt Ecclesiæ, de Spiritu sancto dato discipulis in die pentecostes. — Articuli fidei christianæ ; unde Dominus per Amos de hæreticis : « Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non corripiam eum ; eo quod incenderit ossa regis Idumeæ usque ad pulverem [11]. » Idumeæ, quæ interpretatur terrena, est veteris legis littera, in qua promittuntur terrena. Rex Idumeæ est spiritualis ejus intellectus, cui littera servit, eique subjecta est. Unde : « Non alligabis os bovi trituranti [12]. » Quod exponens Apostolus ait : « Numquid de bobus cura est Deo? Non utique, nisi pro hominibus. » Ossa hujus legis, id est robur hujus intellectus sunt articuli fidei catholicæ, sine qua impossibile est quemquam salvari. Hæc ossa Moab incendit usque ad pulverem, quum hæretici pravis interpretationibus, licet subtilibus, articulos veræ fidei attenuant et exacuunt, quantum in eis est. Moab [13] interpretatur Aqua patris. Mo enim hebraice, aqua ; Abba, pater, interpretatur. Pater vero hæreticorum est diabolus, cujus aqua est doctrina erronea.—Malitia mentis obduratæ ; unde : « Deus dissi-

(1) *Sunt*. Ps. CI, 4. — (2) *Esse*. Galat. II, 9. — (3) *Ejus* Ps. LXXIV, 4. — (4) *Vobis*. Joan. XV, 3. — (5) *Lacte*. Jerem. Thren. IV, 7. — (6) *Occulto*. Ps. CXXXIII, 15. — (7) *Ænea est*. Job VI, 12. — (8) *Manduca*. Acta apud Bolland. ad X aug. t. II, p. 519, n. 11. — (9) *Meis*. Ps. XXXVII, 4.—(10) *Me*. Thren. I, 13.—(11) *Pulverem*. Amos II, 1.—(12) *Trituranti*. I Tim. V, 18. — (13) *Moab*. Hieron. t. III, p. 21.

pavit ossa eorum qui hominibus placent[1]. » — Ossa Beemoth, id est diaboli, sunt hæresiarchæ, de quibus loquitur Dominus ad beatum Job : « Ossa ejus sicut fistulæ æris, » quia prædicatio eorum acuta est per subtilitatem; sonora, per eloquentiam; dulcis, per adulationem.

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Est os Divinitatis potentiæ; unde : « Os non. c. e. e. » Unde quidam :

Occiso Christo, non perdunt integritatem
Ossa; malum nam nullum lædit Divinitatem.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Ossa.

Robur mentis. Divinitas Christi.
Robur passionis Christi. Interiora nostra.

ÆGIDIUS PARISIENSIS.

Ad *Auroram*, in Exod., v. 700 sqq.

De Agno paschali.

* Coctio quæ fit aqua carnem disjungit et ossa;
* Dogmate sic falso cedit ab osse caro.
* Corpore in Ecclesiæ, cujus sunt membra fideles,
* Carnes infirmos dicimus, ossa bonos.
* Si credis, sed non constanter, es ut caro mollis;
* Robur, si credis fortiter, ossis habes.
* Si caro sis, ita sis, ut nonumquam ab osse recedas,
* Credas quod credit qui magis alta capit.
* Tuque inquisitus, dic : « Credo quod ille peritus,
* Ecclesiæ innitor, et sua membra sequor. »
* Sic non ipse fluës, sed ad ossa manebis adhærens.
* Assus sic agnus qui comedetur, erit ...
* Arrius ignorat : « Os non minuetis in illo. »
* Manes, hoc quid sit : « Nulla ferenda foras. »
* Ille os comminuit in eo, quod numen ab illo
* Tollit, nec credit quod Deus est et homo.
* Dimittit Manes, quasi sint a dæmone, carnes,
* Dum vult quod Deus est credere, non quod homo.
* Stercoraque exportat, quum sordes hunc pueriles
* Defectusque hominis sustinuisse negat.

XXXVI.

1. CARTILAGO, infirma membra in Antichristo : « Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ[2]. » [*Vide infra* ZABULUS.]

÷ 2. Simulatio, eo quod os videtur, et non est.

XXXVII.

1. MEDULLA[3], cogitationes sanctæ, sive compunctio ex intimo cordis procedens : « Holocaustum medullatum offeram tibi[4]. » ÷ Et in aliam partem, de reprobis in Ezechiele : « Et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum[5]. »

÷ 2. Nobiles, vel subtilis ingenii : « Aquila grandis magnarum alarum, tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit[6]. »

÷ 3. Medullæ, divitiæ : « Medullis ossa illius irrigantur[7]. »

÷ 4. Cordis intentio : « Vivus est sermo Dei : compagum quoque et medullarum discretor et cogitationum et intentionum cordis[8]. »

XXXVIII.

÷ NERVUS, districta sententia : « Posuisti in nervo pedem meum[9]. »

(1) *Placent*. Ps. LII, 6. — (2) *Ferreæ*. Job XL, 13. — (3) *Medulla*, *devotio* A. — (4) *Tibi*. Ps. LXV, 15. — (5) *Eorum*. Ezech. XXXII, 27. — (6) *Evulsit*. Ezech. XVII, 13. — (7) *Irrigantur*. Job XXI, 4. — (8) *Intentionum cordis*. Hebr. IV, 12. — (9) *Pedem meum*. Job XIII, 22.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 758 D, ad XXXVII, 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 40, 41, 42, p. 289-294.

Gregorius M. Cartilago, inferiora membra Antichristi, ut ibi : « Cartilago ejus q. l. f. » Hinc enim qui Antichristo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores sunt; et quo infirmius quisque eorum crediderit, eo nequius incidit, et quasi inferri se laminas extendit. — Simulatio, ut ibidem. Cartilago namque ossis ostendit speciem, quum ossis non habeat firmitatem; recte autem laminæ ferreæ comparatur, quia, quo fraudulentius sub prætextu boni calliditatem suam exerit, eo diabolus in culpa durius mentem tenet.

Medullæ, divitiæ, ut in Job de pravo divite dicitur : « Medullis ossa i. i., etc.; » quia videlicet fortitudines dignitatum quibus innititur, divitiarum affluentia roborantur. — Vel medullas dicit desideria fluxa, quibus pravæ consuetudines satiantur. — Aut certe per medullas ingenii subtilitas intelligitur, qua fraudulenta diaboli consilia roborantur. — Intentiones cordis, unde dicitur quod sermo Dei divisor est compagum et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, quia interdum non aspicit quid apud temet ipsum cogitas, sed quid per medullam compaginis, id est per intentionem cogitationis, accipere gestias.

Nervus, sententia fortis districtionis, ut ibi : « Posuisti in nervo, etc. » — In nervo pedem hominis posuit, qui pravitatem ejus forti districtionis suæ sententia ligavit.

Rabanus. Cartilago membra diaboli simulatio [*ut supra*]. — Medullæ, corpus Christi, ut : « Hircos cum medulla tritici [1]. » — Divitiæ terrenæ. — Intentiones [*ut supra*]. — Nobilitas regni, ut : « Tulit aquila medullam cedri. » — Nervus, districta sententia : « Posuisti in nervo, etc. » — Robur carnis : « Tetigit nervum femoris ejus [2]. » — Afflictio : « Jussit eum mitti in nervum [3]. » — Virtutes animæ : « Ossibus et nervis compegisti me [4]. » — Diaboli machinamenta : « Nervi testiculorum ejus perplexi sunt. »

Petrus Capuanus ad litt. XII, art. 24, ad litt. XIII, art. 12.

Medulla

Gratiæ, irrigatio Spiritus sancti.	cogitatio cordis.
Naturæ, subtilitas ingenii, vel	*Dignitatis regiæ*, regia nobilitas.
	Fortunæ, divitiæ.

Nervus

Gratiæ.	
Charitas.	*Gloriæ*, resurrectio nostra.
Abstinentia.	
Pœnæ.	*Culpæ.*
Districta sententia.	Machinatio argumentorum diaboli.
Obstinatio mentis.	Voluptas carnis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes., v. 1290-1313.

Cum Jacob vir habet luctam, nec prævalet illi,
Sed claudum tacto crure relinquit eum.
Cui nomen mutans, quem claudum fecerat, ipsum
Israel appellat, et benedicit ei.
Hoc Judæa loco per Jacob jure notatur,
Ex cujus veniens stirpe creata fuit.
Vir Christum signat, cum quo luctamen habebant
Judæi verbis, fraudibus, arte, minis;
Cum quibus et Christus luctamen agebat amando,
Infirmos curans, dulcia verba serens.
Pes claudus tantum Judæos denotat illos,
Qui titubant clauda mente negando Deum.
Pes sanus notat hos qui recto tramite pergunt
Ad Christum, sana mente fatendo Deum.
Israel hi merito dicuntur nomine digni,
Qui sitiunt faciem mente videre Dei.
Illos cœlestis ditat benedictio, terram
Spondens stillantem nectare, lacte, favis.

(1) *Tritici.* Deut. XXXII, 14. — (2) *Ejus.* Gen. XXXII, 25. — (3) *Nervum.* Jerem. XXIX, 26. — (4) *Me.* Job X, 11.

* Rursus qui propriam luctantur vincere carnem,
* Hos luctans Jacob significare potest.
* Jacob post luctam marcescit in inguine nervus :
* Et pruritus in his nascitur, unde Venus.
* Israel est omnis qui sic de carne triumphat :
* Huic benedictio fit, qua videt ipse Deum.

XXXIX.

÷ 1. Pectus, cogitatio luxuriæ : « Pectore et ventre repes [1]. »
÷ 2. Consilium, vel cor, vel superbiæ tumor.

Eucherius, ed. I, p. 20; ed. II, col. 758 ad 2ᵉ dist. locum 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, cap. 43, p. 294.

Gregorius M. Pectus, cogitatio; unde serpenti a Domino dicitur : « Pectore et v. r. » Pectore serpens antiquus repit, quando eos quos ad opus trahere non valet, saltem cogitatione polluit. — Cor, in quo rationale judicii vittis ligantibus imprimitur, ut status cordis rationis moderamine constringatur.

Rabanus. Pectus, cor rectum; doctrina et veritas in pectore Aaron [2]. — Superbia, ut : « Super pectus tuum gradieris. »

Cf. *de Universo*, lib. VI, c. I, col. 161.

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. VI. Pectus Christi, pectus hominis, et pectus serpentis.

Primum est sapientiæ. Evangelium Joannis, « qui et recubuit in cœna supra pectus Jesu [3], » ubi de profundo sapientiæ suæ plenius hausit arcana divinitatis. Secundum est pœnitentiæ. Evangelium : « Publicanus a longe stans nolebat oculos ad cœlum tollere, sed percutiebat pectus suum dicens : « Propitius esto, Domine, mihi peccatori [4]. » Tertium est nequitiæ et carnalis prudentiæ. Genesis : « Super pectus, etc. »

Primum pectus est sursum levandum, quia sapientia levat hominem ad superna. Hinc in pectore Aaron ponebatur ornamentum illud quod appellatur Rationale, quia scilicet sapientia nostra discreta debet esse de rationalibus et cœlestibus, non de mundanis; quia « stultam fecit Deus sapientiam mundi [5]. » Propter quod et virga Moysis (sapientia Christi) devoravit virgas magorum (philosophorum), eo quod de mundana ait Dominus per Abdiam : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo [6]. » Secundum pectus, scilicet hominis, est percutiendum. In ipsa autem pectoris tunsione vel percussione, tria principaliter attenduntur, scilicet læsio, sonus et manus. In læsione, cordis contritio. Joel : « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra [7]. » In sono, oris confessio. Epistola canonica : « Confitemini alterutrum peccata vestra [8]. » In manu, operis satisfactio. Evangelium : « Facite fructus dignos pœnitentiæ [9]. » Et hæc sunt quæ attenduntur in perfectione pœnitentiæ. Tertium pectus, seu carnalis prudentiæ, deponendum : « Non plus sapere quam oportet sapere [10]. »

Ex primo pectore procedit prudentia virtutis; ex secundo, prudentia humilitatis; ex tertio, prudentia carnalitatis.

Anonymus Clarevallensis. Pectus, cor rectum. — Superbia. — Sapientia. — Perversa cogitatio superbiæ, aut luxuriæ.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1573-1586.

Fit rationale, quod judicii titulatur
Nomine, quod positum pectore præsul habet.
Designatur in hoc, quod sensus præsulis æquam
Judicii libram cum ratione tenet.
Et rationalis textura fit hæc humeralis,
Ut quod lingua docet præsulis, illud agat.
Quatuor ordinibus terni lapides ibi fulgent :
Bis sex discipulos hi recolendo notant.

(1) *Repes*. Genes. III, 14. — (2) *Aaron*. Exod. XXVIII, 30. — (3) *Jesu*. Joan. XIII, 25. — (4) *Peccatori*. Luc. XVIII, 13. — (5) *Mundi*. I Cor. I, 20. — (6) *Reprobabo*. Lege *per Isaiam*, et vid. XXIX, 14. — (7) *Vestra*. Joel II, 13. — (8) *Vestra*. Jacob. V, 15. — (9) *Pœnitentiæ*. Matt. III, 8. — (10) *Sapere*. Rom. XII, 13.

Quos mutans præsul bis sex fert pectore gemmas,
Unum vel trinum mente tenendo Deum.
Cum rationali junxens humerale, catena
Est fraternus amor, qui ligat omne bonum,
Annulus aureus est fidei doctrina; hyacinthus,
Clara spei virtus, cor super astra levans.

XL.

Cor, secretum divinæ generationis : « Eructavit cor meum verbum bonum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Cantor. Cor hominis dicitur conspectus Dei, quia solus Deus cor hominis videt et conspicit; unde ipse solus dicitur probans sive scrutans corda et renes. Jeremias [2] dicit : « Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud [3] ? » quasi dicat : nullus, nisi solus Deus.

De corde exeunt omnia mala, sicut de abysso omnia flumina; unde Deus in Evangelio Matthæi : « De corde exeunt malæ cogitationes : homicidia, adulteria [4], etc. » De corde exeunt, dicit Glosa; non enim a diabolo immittuntur, sed ex propria voluntate nascuntur. Diabolus enim incentor est, quia interiora, nisi per habitus et gestus, non novit.

Cor habent humile, qui se nihil reputant esse, et quum omnia bene fecerint, dicunt : « Servi inutiles sumus [5]. » De hoc corde dicitur : « Prævaricatores, redite ad cor [6]. » — Altum, qui mente capti sursum rapiuntur; de hoc corde dicitur : « Accedet homo ad cor altum [7]. » Et unde est quod pavimentum ecclesiæ ab angulo in angulum alphabeto scribitur? Quia a corde humili usque ad cor altum, sive humilia de nobis sentiamus, sive mente excedamus, inscriptos nobis limites firmo corde tenere debemus, ne forte dicatur nobis : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare [8]. »

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 26. Cor Dei, et cor bonorum, et cor malorum.

Cor Dei secretum divinæ generationis. Psalmus : « Eructavit c. m. v. b. »

Cor bonorum multiplex : est enim cor gubernationis, scilicet sapientes in Ecclesia. Psalmus : « Cor meum dereliquit me [9]. » — Et contritionis. Psalmus : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies [10]. » — Et recordationis. Psalmus : « Bene fac, Domine, bonis et rectis corde [11]. » — Et cor altæ inquisitionis. Psalmus : « Accedet h. a. c. a. » — Et cor puræ intentionis. Sapientia : « Omni custodia serva cor tuum [12]. »

Cor etiam malorum multiplex : scilicet cor simulationis, et cor vanæ cogitationis, et cor induratæ obstinationis.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Corde*. Cor significat ipsam animam humanam; ut ibi : « Qui finxit singillatim corda eorum [13]. » Unde credimus quod singulis diebus creat Deus novas animas. — Cor significat superiorem partem rationis quæ græce συντήρησις dicitur, id est contemplativa, et a Latinis dicitur sapientia; unde : « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui [14]; » id est, rationabiles petitiones tuas dabit tibi, quæ scilicet non contrariæ sunt divinæ voluntati, nec tuæ saluti. — Cor quandoque designat inferiorem portionem rationis, quæ græce dicitur ἕσθησις, id est, actualis, et a Latinis appellatur scientia; unde : « Omni custodia s. c. t. » O fidelis anima, per synteresim tuam custodi esthesim; quæ, sensualitati proxima, si ad illam inclinetur, et a superiore vi rationis deflectatur, vetitum præsumendo corrumpitur. — Cor significat quandoque usum rationis, ut ibi : « Ephraim factus est columba

(1) *Meum*. Ps. XLIV, 2. — (2) *Hieronymus* vitiose in cod. — (3) *Illud*. Jerem. XVII, 9. — (4) *Adulteria*. Matt. XV, 18. — (5) *Sumus*. Luc. XVII, 10. — (6) *Cor*. Is. XLVI, 8. — (7) *Altum*. Ps. LXIII, 7. — (8) *Consummare*. Luc. XIV, 30. — (9) *Me*. Ps. XXXIX, 13. — (10) *Despicies*. Ps. L, 19. — (11) *Corde*. Ps. CXXIV, 4. — (12) *Tuum*. Prov. IV, 23. — (13) *Eorum*. Ps. XXXII, 15. — (14) *Tui*. Ps. XXXVI, 4.

seducta non habens cor [1] » in usu, scilicet judicium non habens rationis.

Simplicitas hominis, quam non prudentia condit,
Candida pro nigris sæpe tenere facit.

Cor significat memoriam... — voluntatem... — intellectum... — conscientiam... — affectum... — cogitationem... — sensualitatem... — amorem, ut ibi : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde [2] ! » Porro hi recto sunt corde, qui recto sunt amore. Recto autem sunt amore, qui ordinatè amant. Ordinate autem amant, qui amant quod plus amandum est, minus amant quod minus amandum est, æque amant quæ æque amanda sunt. Et quidem nobis dubium non est, quin super omnia amandus sit Deus ; unde Dominus ter ait Petro : « Simon Joannis, diligis me plus his [3], » id est plus quam tua, plus quam tuos, plus quam te. Talibus amatoribus Deus Israel bonus est et esse agnoscitur, quia amor ipse notitia est.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. I, v. 684-697.

Imbuat ergo tuam Christi sapientia mentem :
Qui ratione viget, est et imago Dei.
Vis est præcellens animæ cor, gratia sola
Quam divina replet cognitione sui.
Non valet hujus opes reprobum cor habere sophiæ :
Hæc manet in sancta sede, fugitque malam.
Rebus disponit humana scientia mundi,
Dum promittit homo se ratione regi.
Hæc tibi dat meritum, reliqua dat gratia Christi.
Hæc regit humanas, hæc deitatis opes.
Humanis prudens qui scis disponere rebus,
Spiritui requiem fac metuendo Deum.
Felix pro meritis, cui Christus præstat utrumque,
Ut sapienter agat, vim rationis habens.

XLI.

1. Ubera, Judæi et gentiles : « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli [4]. »

2. Verba Scripturæ : ÷ « Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum [5]. » ÷ Quatuor evangeliorum doctrina. In Salomone : « Meliora sunt ubera tua vino [6]. »

÷ 3. Prædicatores : « Meliora sunt u. t. v. »

÷ 4. Argumenta cassæ spei : « Cur lactatus uberibus [7] ? »

÷ 5. Sensus cordis : « Accingite lumbos vestros super ubera [8]. »

÷ 6. *Mammæ*, erroris prædicatio : « Sed et lamiæ nudaverunt mammam [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 44, p. 295.

Gregorius M. Uberum nomine verba sacri eloquii designantur [*cf. supra*, p. 33]. — Argumentum cassæ spei uberum nomine designatur; unde per beatum Job dicitur : « Cur lactatus uberibus? » Id est, per quem in culpæ consuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequitiam, vel falsæ spei fiduciam, vel lacte miseræ desperationis enutrivit? — Sancti prædicatores, ut ibi : « Meliora sunt u. t. v. » — Mammæ, doctrina erronea, ut ibi : « Sed et lamiæ n. m. » Lamiæ quippe mammam nudant, quum hæretici doctrinam suam in publico prædicant.

Rabanus [*vide supra*, p. 33.]

Petrus Capuanus ad litt. xx, ex art. 43. Ubera et aureis et tetris litteris scribuntur in sacra Scriptura. Accipiuntur enim ubera in bono, et dicuntur ubera incipientium, et

(1) *Cor.* Osee VII, 11. — (2) *Corde.* Ps. XXXV, 11. — (3) *His.* Joan. XXI, 15, 16. — (4) *Gemelli.* Cant. VII, 3. — (5) *Butyrum.* Prov. XXX, 33. — (6) *Vino.* Cant. I, 1. Cf. supra, p. 33. — (7) *Uberibus.* Job III, 12. — (8) *Ubera.* Is. XXXII, 12. — (9) *Nudaverunt mammam.* Thren. IV, 5.

proficientium, et pervenientium vel consummatorum. Ubera recipientium doctrina legis : « Quis docebit ablactatum a lacte, avulsum ab uberibus [1] ? » — Ubera proficientium, doctrina Evangelii. Canticum : « Meliora sunt u. t. v. » — Ubera pervenientium, beatitudo æterna. Isaias : « Lætare, Jerusalem, et conventum facite, omnes qui diligitis eam, ut exsultetis, et satiemini ab uberibus consolationis vestræ [2]. » Item in bono etiam sunt

Ubera :
- Testamentorum : novum et vetus.
- Prædicatorum.
- Donorum sancti Spiritus : septem dona.
- Populorum : Judæi et gentiles.
- Dilectionum : amor Dei et proximi.

Cf. supra, p. 34. In sanctis uberibus virginis Mariæ cibus solidus factus est lac, ut contemperaretur infantiæ parvulorum ; quia non poteramus lippis oculis solem intueri in sua rota. Qua de re Dominus respondet Moysi in exemplo : « Non videbit me homo, et vivet [3]. Verbum in principio erat apud Deum [4]. » Et cibus solidus angelorum factus est lac infirmorum in uberibus, vel in utero virginis Mariæ, dum « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [5]. » Et propterea venit ad nos divinitas calceata, ut cibum gustaremus in terra, quo angeli pascebantur in cœlo. Qua in re ipse ait in Evangelio : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis [6] ; » postquam « in terris visus est, cum hominibus conversatus est [7]. » — In eisdem etiam beatis uberibus sanguis dealbatus est in lac, quia, quum omnes prius nuberent, et maledicta esset sterilis, quæ non relinquebat semen super terram; quarum puellarum violatio non fiebat sine sanguinis excussione ; nec etiam conceptus, partus, et nutritura sine sanguine esse poterat : in hac sancta Virgine cœpit sanguis iste dealbari in candorem virginalis integritatis, dum ipsa virginitatem suam legitur Domino dedicasse et voluisse; propter quod ipsa respondit angelo in Evangelio : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco [8] ? » De virginibus autem, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, scribitur in Apocalypsi : « Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt [9]. » — Hæc etiam beata ubera a pectore sapientiæ dependebant, quia in pectore ipsius Virginis, plenæ sapientia, residebant ; utpote quæ reservabat omnia verba illa, conferens in corde suo, et in cujus pectore sapientia ædificavit sibi domum. — Quæ etiam ubera lacte supercœlesti tumebant, et plena erant, juxta quod in cantu Ecclesiæ canitur :

Sola Virgo lactabat,
Ubere de cœlo plena [10].

Hæc namque est lana illa in area Gedeonis, in quam ros supercœlestis descendit, et quam lac cœleste plene replevit, quando « descendit, sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram [11]. » — Ex his etiam sacris uberibus lac illud manavit, unde nutrita est infantia illius qui pro nobis fieri parvulus voluit, ut nos efficeremur magni, quando « parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis [12] ; et quos vocavit, illos et magnificavit [13]. » Voluit fieri filius hominis, quando « misit Filium suum factum ex muliere, factum sub lege [14] ; » quando non habuit Filius hominis ubi caput etiam reclinaret, ut homines per eum efficerentur filii Dei ; quando dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nutriebatur ergo lacte illo infantia ejus, qui simul magnus fuit et parvus, dives et pauper, Emmanuel, id est nobiscum Deus. O beata ubera, lactentis labiis impressa, dum ab eo lacte replebantur, quem ipsa lactabant, et nutriebant illum a quo et formata fuerant et enutrita.

(1) *Uberibus*. Is. XXVIII, 9. — (2) *Vestræ*. Is. LXVI, 11. — (3) *Vivet*. Exod. XXXIII, 20. — (4) *Deum*. Joan. I, 1. — (5) *Nobis*. Joan. I, 14. — (6) *Videtis*. Matt. XIII, 16. — (7) *Est*. Baruch III, 38. — (8) *Cognosco*. Luc. I, 34. — (9) *Sunt*. Apoc. III, 4. — (10) Plena. *Brev. Cisterc.* in Advent. antiph. — (11) *Terram*. Ps. LXXI, 6. — (12) *Nobis*. Is. IX, 6. — (13) *Magnificavit*. Rom. VIII, 3. — 14) *Lege*. Galat. IV, 4.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 136-139.

I.

Uberibus quibus incumbens hærendo moratur
Dilectus, merito dilectio bina notatur.
Per geminum Christus puer est nutritus amorem,
In mammis sponsæ lactis sugendo liquorem.

II. *Ibid.*, v. 575-576.

Per mammas sponsæ dilectio bina notatur,
Quum Deus in summis, et in imis frater amatur.

III. *Ibid.*, v. 1027-1030.

Ubera sunt populi duo gentiles et Hebræi,
Quos sacra Scriptura fovet ac spes summa quietis.
Qui bene pro gemino dicuntur amore gemelli,
Inque fine facti doctorum voce novelli.

IV. *Ibid.*, v. 1079-1080.

Uberibus geminis dilectio bina notatur,
E quibus ubertas sitienti grata paratur.

XLII.

÷ COSTÆ, animi sensus : « Inedia invadat costas illius [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Costæ, animi sensus, ut in Job de iniquo dicitur : « Attenuetur robur ejus fame, et inedia, etc. » Robur iniqui fame attenuatur, quum anima ejus interna affectione non pascitur. Inedia invadit costas illius, quia fames interna sensus mentis extenuat, ut cogitationes suas nullatenus regat.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 46, p. 300.

RABANUS. Costa, robur spiritualis, ut : « Tulit costam, et replevit carnem pro ea [2]. »

— Sensus animæ, ut : « Judicio invadat etc. »

PRÆFIGURATIONUM lib. I, v. 11-18.

De limo fit homo, sic præficitur paradiso :
Assumensque Deus carnem, caput Ecclesiæ fit.
Non Adæ similis valet adjutor reperiri :
Humanumque genus salvare nequit nisi Christus.
Ex Adæ costa mulier fuit ædificata :
Ecclesiæ non fit robur, nisi de nece Christi.
Una vero duos ait Adam carne futuros :
Christi sunt omnes per carnem membra fideles.

XLIII.

1. Venter, mens : ÷ « Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi [3]. » ÷ Cordis intima. In Jeremia : « Ventrem meum, ventrem meum doleo [4]. »

÷ 2. Avaritia : « Rapuit, nec est satiatus venter ejus [5]. »

÷ 3. Luxuriæ opera : « Pectore et ventre repes [6]. »

÷ 4. Infirmitas humana : « Venter meus intremuit ad tactum ejus [7]. »

5. Lavacrum regenerationis [*vide supra* p. 34].

XLIV.

1. Uterus, secretum Dei : « Ex utero ante luciferum genui te [8] [*cf. supra*, p. 11]. »

÷ 2. Consilium Dei : « Et orabam filios uteri mei [9]. »

÷ 3. Mens : « Uterus ejus præparat dolos [10]. »

(1) *Illius*. Job XVIII, 12. — (2) *Ea*. Genes. II, 12. — (3) *Tibi*. Ezech. III, 3. — (4) *Doleo*. Jerem. IV, 19. — (5) *Ejus* Job XX, 21. — (6) *Repes*. Genes. III, 14. — (7) *Ejus*. Cant. V, 4. — (8) *Te*. Ps. CIX, 3. — (9) *Mei*. Job XIX, 17. — (10) *Præparat dolos*. Job XV, 35.

Eucherius ed. I, p. 4 ad 1; ed. II, col. 733 A ad 2; 737 D ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 17, 18, p. 301, 303.

Gregorius M. Uterus, sacræ gratiæ Dei sinus; sic per beatum Job dicitur : « De cujus utero glacies egreditur [1] ? » quando ii qui intus incaluerant, ex virtutum dono frigescunt. — Mens, sicut per Eliphaz de hypocrita dicitur : « Uterus ejus præparat dolos. » Uteri nomine recte mens accipitur, quia, sicut proles in utero concipitur, sic cogitatio in mente generatur. Præparat itaque uterus hypocritæ dolos, quia tanto semper majorem malitiam contra proximos in mente concipit, quanto solus præ omnibus videri innocentior quærit.

Venter, mens, ut ad Ezechielem dicitur : « Fili hominis, etc.» Venter noster comedit, et viscera nostra replentur, quum mens nostra pabulum veritatis accipit, et interna nostra non jam vacua remanent, sed alimento permanent satiata. — Avaritia, sicut in libro Job de iniquo dicitur : « Rapuit, nec est, etc. » Iniquus domum pauperis confringit, invadit, diripit, quando per potentiam eum conterit, quem per avaritiam spoliare non erubescit. Sed avaritia in perverso desiderio non satiatur, quæ dum ædificare cupit, in morbo perversitatis perit. — Infirmitas nostra, ut in Canticis : « Dilectus meus misit per foramen manum suam, etc. » Mittit manum suam per foramen dilectus, quando virtute sua Dominus animum nostrum per subtilem intellectum pulsat, et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudii intellectus tangitur, ipsa sua exsultatione turbatur. — Luxuria, sicut serpenti dicitur : « Pectore et v. r. » Serpens ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra, sibimet subdita, usque ad explectionem operis luxuriam exercet.

Rabanus. Venter, humilitas Christi, ut : « Venter tuus eburneus, distinctus sapphiris [2].» — Ecclesia, ut : « In medio ventris mei [3]. » — Fons baptismi, ut : « Venter tuus, sicut acervus tritici [4].» — Mens humana, ut : « Qui investigat omnia secreta ventris [5].» — Conversatio nostra, ut : « Faciet amaricare ventrem tuum [6]. » — Cor compunctum, ut : « Ventrem meum doleo.» — Avaritia, ut : « Non est satiatus v. e. » — Memoria hominis : « De ventre ejus extrahet eam Deus [7].» — Uterus, substantia Patris, ut : « Ex utero, etc.» — Synagoga, ut : « Orabam filios uteri mei. » — Gratia Dei, ut : « De cujus utero, etc.»

Petrus Capuanus [*vid. p.* 11, 12].

Distinctionum monasticar. lib. V, *de Utero*. Uterus videtur significare obscuram et angustam quæ ex litterali sensu legis est parvulorum nutritura; unde est illud Pauli : « Qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam [8]. » Hic in illo statu loquutus est Paulus, quem commendans ait : « Postquam factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli [9]. »—Uterus significat secretum gratiæ Dei sinum, de quo plebs judaica, mandata Dei prævaricando, egressa, in malitia et perfidia sua obduruit. Unde est illud divinum eloquium ad Job : « De cujus utero egressa est glacies, etc. » — Uterus significat inaccessibilem Dei Patris sinum de quo est unigenitus ejus Filius, sicut ineffabiliter, ita et intemporaliter genitus; unde est illa vox Patris ad Filium : « Ex utero, etc.» —Uterus mentis tractationem significat, quæ secum deliberat quid, qualiter educat in actum. Hinc est illa vox sancti Job, sub persona peccatoris pœnitentis, et casum suum lamentantis : « Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero, cur non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus [10]? » In vulva moritur, qui in ipsa con-

(1) *Egreditur*. Job XXXVIII, 29. — (2) *Eburneus*. Cant. V, 14. — (3) *Mei*. Ps. XXI, 15. — (4) *Tritici*. Cant. VII, 2. — (5) *Ventris*. Prov. XX, 27. — (6) *Tuum*. Apoca X, 9. — (7) *Deus*. Job XX, 21 — (8) *Suam*. Gal. I, 15. — (9) *Parvuli*. I Cor. XIII, 1. — (10) *Uberibus*. Job III, 11.

ceptione peccati resipiscit. Egressus ex utero, statim perit, qui, postquam peccandi propositum produxit ad actum, illico peccare desistit. Porro ille genibus excipitur, qui pravis et distortis actibus assuescit. Ille vero lactatur uberibus, qui dulcibus adulatorum blanditiis in peccato suo fovetur. — Uterus significat communem fidem Ecclesiæ; unde est illud in psalmo : « Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa [1]. » De hæreticis dictum est, quod exciderunt a gratia quam in baptismo perceperunt, quia communem Ecclesiæ fidem reliquerunt, eique contraria dogmata docuerunt. Vulva namque baptismi significat sacramentum. Unde Petrus Riga [2] :

Vulva sacrum fontem notat, in quo gratia Christi
Parturit infantes, vivificatque novos.

— Uterus significat multitudinem congregatorum in Ecclesia, a quo antiquus hostis ejectus est per virtutem sancti Spiritus, in apostolis et per apostolos operantem. Unde est illud beati Job : « Spiritus Domini ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus [3]. » Cœlos namque, id est cœlestis conversationis viros, hoc est primos et præcipuos Christi discipulos, spiritus Domini excellenter ornavit, quando pentecostes die eis omnem scientiam veritatis et omnium linguarum peritiam tribuit. Et sequutum est quod sequitur, scilicet : « Obstetricante, etc.; » quia non per violentiam, sed per sapientiam et tolerantiam a cordibus electorum ejectus est diabolus. De hac namque ejectione loquutus est Dominus, dicens : « Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras [4]. » — O quam immundus est mundus, cujus princeps est spiritus immundus !

Distinctionum monasticarum lib. v, *de ventre*. Venter in sacra Scriptura multa significat. Est enim

Venter { Corporalis. / Virtualis. / Criminalis, seu peccatum gulæ / Fragilis { Assumta humanitas. / Infirmi boni. } / Memorabilis. / Sensus carnalis...

Venter fragilis significat quandoque assumtam a Dei Verbo humanitatem; unde est illud : « Venter tuus e. d. s. » Christi namque humanitas tota erat eburnea, id est castitate candidissima, et ab omni immunis culpa; sed sapphiris erat distincta, quia in ea per intervalla temporum divina radiabant opera. — Quandoque significat infirmos bonos in Ecclesia; unde est illud sponsi de sponsa : « Venter tuus, acervus tritici, vallatus liliis [5], » quia multitudo infirmorum in Ecclesia perfectorum muniuntur custodia. — De ventre memoriali est illud de quibusdam reprobis : « De absconditis tuis adimpletur venter eorum [6], » id est, memoria eorum repleta est de his quæ tu nescis per experientiam. Sic namque solemus dicere in Laudibus cujuslibet canonizatæ Virginis : « Hæc est quæ nescivit thorum in delicto. »

Anonymus Clarevallensis.

Venter.

Humanitas Christi. Cor compunctum.
Fons baptismi. Avaritia.
Mens prava.

Petrus de Riga.

I, *Aurora*, in Cantic., v. 842-845.

Est venter dictus carnis mortalis amictus,
Qui velut est eboris, nitido pro flore pudoris.
Nullus enim niveo fuit ejus in ore reatus,
Qui candore boni fuit omni parte beatus.

II, v. 1023-1026.

Venter designat turbas, quæ corde fideli
Sunt triticum, quarum mens tendit ad horrea cœli.
Quæ quasi vallantur nitidorum gramine florum,
A sanctis dum sancta trahunt exempla bonorum.

(1) *Falsa*. Ps. LVII, 4. — (2) *Riga*. In *Aurora* ad Genes. v. 1903, 1904. — (3) *Tortuosus*. Job XXVI, 13. — (4) *Foras*. Joan. XII, 32. — (5) *Liliis*. Cant. VII, 2. — (6) *Eorum*. Ps. XVI, 14.

III, v. 726-737.

Dilecti manus est per strictum missa foramen,
Quum per subtilis sensus cœleste juvamen
Inspirans sponsæ, declarat quanta superni
Sit virtus operis, per quam debent mala sperni;
Absque Dei virtute quidem non est homo salvus
Ad cujus tactum gaudens sponsæ tremit alvus;
Nam quo plus virtutem cœlestis gratia tangit,
Plus homo jussa Dei timet, et sua crimina plangit,
Mens attacta manu divina, plena timoris,
De requie surgit ad opus sublime laboris.
Surgit ut acquirat alios, sacra verba docendo,
Exemplum præbendo alus, prius istud agendo.

XLV.

1. Intestina, occulta et mystica præcepta : « Caput cum pedibus ejus et intestina vorabitis [1]. »

2. Secretum divinum [*vide supra*, p. 34].

XLVI.

1. Viscera, pietas : ÷ « Per viscera misericordiæ Dei nostri [2]. » ÷ In Apostolo : « Si quis viscera misericordiæ [3]. »

2. Interna malitia [4] : « Et diffusa sunt omnia viscera ejus [5]. »

÷ 3. Qui spiritualibus sacramentis deserviunt : « Et effudit in terram viscera mea [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, cap. 49, 50, p. 305-306.

Gregorius M. Intestina, occulta et mystica Dei mandata, sicut per Moysen dicitur : « Caput cum pedibus, etc. » Caput enim agni vorare, est divinitatem Christi fide percipere [*cf. supra*, p. 35].

Viscera, spirituales ; sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : « Effudit, etc. » Quasi diceret : hi qui in interioribus sacramentis deservire videbantur, diabolica suggestione usque in intentionem secularem delapsi sunt.

Rabanus. Intestina, arcana verba Dei : « Caput, etc. » — Interiora mentis nostræ, ut : « Lotis [7] intestinis aqua. » — Viscera, mentes hominum, ut : « Quis posuit in visceribus hominum sapientiam [8] ? » — Affectiones cordis, ut : « Effudit in t. v. m. » — Superbia iniquorum, ut : « Viscera ejus plena sunt adipe [9]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx ex art. 76. Viscera Dei, viscera Ecclesiæ, viscera hominis, et viscera diaboli.

Viscera Dei misericordia est : « Per viscera misericordiæ Dei, in quibus visitavit nos oriens ex alto. » — Viscera Ecclesiæ duplicia : dicuntur enim viscera Ecclesiæ hi qui in Ecclesia spiritualibus deserviunt sacramentis et eorum mentes. « Effudit i. t. v. m. » — Viscera etiam Ecclesiæ dicuntur aliqui spirituales amici in Ecclesia. Paulus : « Refice viscera mea in Christo, frater [10]. Tu autem illum ut viscera mea suscipe [11]. » — Viscera hominis multiplicia sunt : sunt enim viscera ejus vitalia : « Domine, Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus [12]. » Sapientia : « Comestores viscerum hominum [13]. » — Viscera quoque hominis dicuntur miseratio, charitas, pietas, religio et compassio ejus... Viscera hominis dicitur anima. Psalmus : « Spiritum rectum

(1) *Vorabitis*. Exod. xii, 9. — (2) *Nostri*. Luc. i, 74. — (3) *Misericordiæ*. Phil. ii, 1. — (4) *Effectus pietatis et misericordiæ* B, G. — (5) *Ejus*. Act. i, 18. — (6) *Mea*. Job xvi, 14. — (7) *Lotis*. Levit. i, 9. — (8) *Sapientiam*. Job xxviii, 36. — (9) *Adipe*. Job xxi, 24. — (10) *Frater*. Phil. 7. — (11) *Suscipe*. Ib. 12. (12) *Ejus*. III Reg. iii, 26. — (13) *Hominum*. Sapient. xii, 5.

innova in visceribus meis [1]. » — Viscera autem diaboli sunt interiora vitiorum : « Viscera autem impiorum crudelia [2]. »

Viscera Dei patuerunt in incarnatione. Paulus : « Ideo dilexit Deus mundum [3]. » — In passione. Evangelium : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis [4]. » — In Spiritus sancti missione. Evangelium : « Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos [5]. » — Viscera Ecclesiæ, id est, hi qui spiritualibus deserviunt sacramentis, patent in prædicatione. — Viscera hominis, id est, pietas et religio et cætera bona intrinseca, patent in operatione. — Viscera diaboli patent in scelerum perpetratione. Paulus : « Stipendia peccati mors [6]. » Actus : « Suspensus discrepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus [7]. »

Anonymus Clarevallensis.

Viscera, affectiones cordis, ut : « Effudit, etc. » — Superbia iniquorum, ut : « Viscera p. a. » — Virtutes, ut super hæc : « Venter meus sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris [8]. » — Intentio recta, ut : « Venter tuus comedat, et viscera tua replebuntur [9]. »

Petrus de Riga.

Actus Apostolorum, v. 49-70.

In medio fratrum Petrus, his surgendo diebus,
Excitat illorum divinis pectora rebus,
Dicens : « Impleri scripturam condecet istam
« Quæ nobis sonuit de Juda, per cytharistam;
« In libro legitur Psalmorum : Jure mutatum
« Accipiens alter ejus teneat dominatum.
« Fur erat hic, et habens loculos, et ductor eorum
« Qui tenuere Jesum, regemque Deumque priorum.
« Quam digne meruit, suscepit in aere pœnam;
« Viscera rupta fluunt; patiuntur colla catenam.
« Congruit ut furis sint viscera rupta patenter,
« Quæ scelus in Dominum grave concepere latenter.
« Congruit ut collum constringat dura catena,
« Per quod prodivit vox fundere dira venena.
« Congruit ut vendens Dominum sit in aere pendens,
« Undique damnandus et dæmoniis sociandus;
« Ut quasi terrâ vomat et cœlum conspuat illum,
« Qui cœli terræque Deum prodit male Christum.
« Os non est passum, quod Christi contigit ora,
« Dulcia, plena favis, magis omni flore decora.
« Sic est conveniens pœnæ modus et locus ejus
« Culpæ, qua nemo potuit delinquere pejus.

XLVI.

1. Umbilicus, luxuria [10] : ÷ « Et umbilicus tuus non est præcisus [11]. » ÷ Sicut in Job pro zabulo dicitur : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo in umbilico ventris ejus [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 20; ed. II, col. 786 C.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 51, p. 306.

Gregorius M. Umbilicus, luxuria; ut per Ezechielem dicitur : « Et umbilicus t. n. e. p. » In die quippe umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare.

Rabanus. Umbilicus, ordo prædicatorum, ut : « Umbilicus tuus, crater tornatilis. » — Luxuria, ut : « Virtus ejus, etc. » — Affectus carnalis, ut : « Non est præcisus, etc. »

Distinctionum monasticar. lib. V, *de Umbilico*. Umbilicus sanctæ Ecclesiæ doctores dicuntur, quia in eis divini verbi seminarium continetur. De hoc umbilico dicit

(1) *Meis* Ps. L, 12. — (2) *Crudelia*. Prov. XII, 10. — (3) *Mundum*. Joan. III, 16. — (4) *Suis*. Joan. XV, 13. — (5) *Vos*. Joan. XVI, 7. — (6) *Mors*. Rom. VI, 23. — (7) *Ejus*. Act. I, 18. — (8) *Lateris*. Is. XVI, 11. — (9) *Replebuntur*. Ezech. III, 3. — (10) *Appetitus concupiscentiæ in feminis, ut per Ezechielem adversus plebem Judaicam Dominus loquitur, dicens* B-G. — (11) *Præcisus*. Ezech. XVI, 4. — (10) *Ejus*. Job XL, 11.

sponsus sponsæ in Canticis : « Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis [1]. » — Crater major calix dicitur, duas habens ansas, qualem sæpe memini legisse in libris, numquam vidisse in mensis. Hoc calicis genus commemorat nobilis poeta, dicens [2] :

Ast ubi prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, et vina coronant

In umbilico non absurde notatur profunditas sapientiæ; in cratere, capacitas intelligentiæ; in tornatili, inerribilitas doctrinæ; in eo quod dicitur « numquam indigens poculis, » fecunditas scientiæ.—Vel in umbilico docetur sapientiæ et scientiæ occulta possessio; in cratere, proferendi in medium larga promtaque devotio; in tornatili, sanæ doctrinæ et fidei infallibilis certitudo; in eo quod « numquam indigens poculis » dicitur, hilaris et abundans, quantumcumque tempus exegerit, divini sermonis exhibitio. — Umbilicus significat luxuriam, quia sedes luxuriæ feminis est in umbilico, sicut viris in lumbis; unde, quia antiquus hostis maximam partem generis humani sibi per luxuriam subdit, dicit Dominus beato Job de diabolo : « Virtus ejus, etc. » Et quidam de his [3] ait :

De hac lumborum fit vilis vita virorum,
Fæx umbilici lex est miseræ meretrici, etc.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 1019-1022.

Umbilicus tuus crater tornatilis [4].

Cœtus doct
Pars denotat ista bon } orum.
Qui quasi vasa m
Diffundunt pocula v
Ignaras mentes v } eri.
Sermone docentes
Doctrinæque sacræ musto pia corda replentes.

XLVII.

1. LUMBI, luxuria [5] : ÷ « Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos [6]. » ÷ In Job : « Fortitudo in lumbis ejus. »

÷ 2. Propago mortalitatis : « A lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu [7]. »

÷ 3. Appetitus laudis : « Accinge sicut vir lumbos tuos [8]. »

÷ 4. Fortitudo animi. In Apostolo : « Accincti lumbos mentis vestræ [9]. »

XLVIII.

÷ 1. RENES, voluptas carnis : « Renes vestros accingite [10]. »

÷ 2. Interiora cordis. In Propheta : « Ego Dominus scrutans corda et renes [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 20, ad XLVII, 4; ed. II, col. 758 c, ad XLVII 1 et 4.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 52, p. 307.

GREGORIUS M. Lumbi, propago mortalitatis, ut in Propheta, de Redemtore nostro dicitur : « A lumbis, etc.; » quia videlicet per incarnationem ejus in circuitu illius

(1) *Poculis*. Cant. VII, 2. — (2) *Dicens*. Virgil. *Æneid.* I, v. 724. — (3) *Quidam de his*, videlicet Gualterus Mappes, aut quivis alius ex illo Goliarum grege, quem tunc temporis per Angliam infauste crebruisse notum est. Doleudum istiusmodi multa in lucem nuper prodisse, vel æternis tenebris digna. — (4) *Tornatilis*. Versus sequentes in nonnullis codd. ad urceoli effigiem componuntur. — (5) *Luxuria carnis in viris* B-G. — (6) *Meos*. Job XVI, 14. *Ejus*. XL, 11. — (7) *Circuitu*. Ezech. I, 27. — (8) *Tuos*. Job XL, 2. — (9) *Vestræ*. I Petr. II, 13. — (10) *Accingite*. Ephes. VI, 14. — (11) *Renes*. Jerem. XVII, 10.

ignis resplenduit, qui in universo gentilitatis mundo claritatem sancti Spiritus effudit. Hic autem ignis super lumbos ejus intrinsecus ardet, quia angelos ad amorem suum per divinitatem tenet. — Luxuria, ut ibi : « Circumdedit me, etc. » Quum hostis antiquus fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hæc procul dubio in lumbis fecit. —Appetitus laudis ; unde Dominus ad Job : « Accinge sicut vir lumbos tuos ; » ut qui prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc elationis luxuriam restringat.

Renes, voluptas carnis, ut ibi : « Renes v. a. » Et ibi : « Ure renes meos. » Indigne enim solemnia paschæ, seu incorruptionis agit, qui voluptatem carnis renibus non constringit.

Petrus Capuanus ad litt. xvii, art. 13. Renes Christi, renes mentis, renes justi et renes iniqui.

Renes Christi, humanitas ejus. Psalmus : « Insuper usque ad noctem increpuerunt me renes mei [1] ; » dum scilicet usque ad mortem nostræ mortalitatis tenebras experitur. — Renes mentis, animi constantia. Psalmus : « Quia delectatum est cor meum, et renes mei commutati sunt [2], » dum scilicet virtus et constantia mentis fatigata mollescit.—Renes justi sunt renes temperantiæ et castitatis. Psalmus : « Scrutans corda et renes Deus [3]. » Deus scilicet novit quidquid quisque cogitet, et quidquid quemque delectet.—Renes iniqui sunt delectatio carnalis voluptatis. Exodus : « Renes vestros accingetis [4]. » Hinc Deum oramus, dicentes : « Ure renes meos et cor meum. »

Suos renes accinxit Christus, quando accinctus est gladio suo circa femur suum potentissimus, et exsultavit ut gigas ad currendam viam. Cingulum quo renes sui fuerunt accincti, justitia et fides. — Renes mentis accinguntur, dum animi constantia in nobis perseverat. Cingulum quo ii renes accinguntur et undique concluduntur, est perseverantia. — Renes justi accinguntur, quum temperantia mortificantur. Cingulum quo hi renes sunt præcincti, est zona castitatis. —In renibus iniqui mittendæ sunt sagittæ divini amoris. Jeremias : « Misit in renibus meis filiam pharetræ suæ [5], » ut et hi renes castigati, cingulo continentiæ sint præcincti ; et jam castigatos habens renes, dicat : « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi [6]. »

Idem ad litt. xi, art. iv.

Lumbi.

Propagatio.	Adhærentes Christo.
Sensualitas.	Luxuria.
	Motus carnis.

Distinctionum monasticarum lib. iii, *de Lumbo*. Lumbi exteriores significant delectationes lascivæ carnis ; lumbi interiores sunt affectiones cordis. De exterioribus dicit Dominus in Evangelio : « Sint lumbi vestri præcincti [7]. » De interioribus lumbis dicit beatus Petrus : « State succincti lumbos vestros in veritate. » Utrosque lumbos nos oportet præcingere, ut simus mundi ab omni inquinamento carnis et spiritus. Non enim columbis similes esse docemur in lumbos colendo, sed in felle carendo, id est malitia ; et scire debemus quod si præcincti fuerint lumbi interiores, non erunt discincti exteriores ; secundum illud : « Munda prius quod deintus est, et sic quod deforis est erit mundum [8]. » Sin alias, si impleantur lumbi interiores illusionibus, non erit sanitas in carne nostra ; si desit in carne castitas, nulla erit vera sanctitas ; quia, sicut ait beatus Gregorius : « Nec castitas magna est sine bono opere, nec bonum opus sine castitate aliquid est [9]. » Et quidam de nostris [10], commendans castitatem, devotius quam discretius ait :

(1) *Mei*. Ps. xv, 7. — (2) *Sunt*. Ps. lxxii, 21. — (3) *Deus*. Ps. vii, 10. — (4) *Accingetis*. Exod. xii, 11. — (5) *Suæ*. Thren. iii, 13. — (6) *Mihi*. Ps. xxxvii, 3. — (7) *Præcincti*. Luc. xii, 13. — (8) *Mundum*. Matt. xxiii, 25, 26. — (9) *Est*. Gregor. *Hom.* xiii *in Evangel.* — (10) *Nostris* ; forte cujusdam Rogeri Cisterciensis, cujus penes me exstant plurima carmina, conspicua hujuscemodi lusibus.



Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Lumbi, propago generis, ut : « Adhuc erat in lumbis patris [1]. » — Libido, ut : « Fortitudo ejus, etc. » — Luxuria cordis, ut : « Succincti lumbos m. v. »

Rabanus. Opera luxuriæ : « Renes mei commutati sunt [2]. » — Opera genitalia : « Fune præcinget renes eorum [3]. » — Delectatio : « Ure renes meos et cor meum [4]. »

Anonymus Clarevallensis.

Renes. { Opera luxuriæ. / Dilectio. / Voluptas carnis.

XLIX.

1. Femur, propagatio generis : « Percussi femur meum [5]. » ÷ Sicut in Genesi de Jacob legitur : « Tetigit latitudinem femoris ejus, et claudicavit [6]. »

÷ 2. Delectatio carnalis : « Habebat in vestimento et in femore ejus scriptum : Rex regum [7]. »

÷ 3. Incarnatio Dei : « Pone manum tuum super femur meum [8]. »

L.

1. Genua, confessio humilitatis : ÷ « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal [9]. » ÷ Et in Apostolo [10] : « Et nunc flecto genua » cordis mei [11].

÷ 2. Opera : « Remissas manus et genua debilia roborate [12]. »

÷ 3. Sensus spirituales, vel peccati : « Cur exceptus fui genibus [13] ? »

LI.

÷ 1. Crura, fortes, vel virtutes : « Ad Jesum autem quum venerunt, crura non fregerunt [14]. »

1. Apostoli et prædicatores [*vide supra*, p. 35].

(1) *Patris*. Hebr. VII, 10. — (2) *Sunt*. Ps. LXXII, 21. — (3) *Eorum*. Job XII, 18. — (4) *Meum*. Ps. XXV, 2. — (5) *Meum*. Jerem. XXXI, 19. — (6) *Claudicavit*. Genes. XXXII, 25. — (7) *Regum*. Apoc. XIX, 16. — (8) *Meum*. Genes. XXIV, 2. — (9) *Baal*. III Reg. XIX, 18. — (10) *Et in Cantico* B-D. — (11) *Mei*. Ephes. III, 14. — (12) *Roborate*. Is. XXXV, 3. — (13) *Genibus*. Job III, 12. — (14) *Fregerunt*. Joan. XIX, 33.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 19; ed. II, col. 759 B ad L, 1, 3.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, cap. 54, 55, p. 310-312.

Gregorius M. Femur, voluptas carnis; unde Jeremias : « Postquam ostendisti mihi, percussi f. m. » Id est, postquam superna spiritualiter vidi, omne quod in me carnaliter vivebat, exstinxi. Et in Salomone : « Uniuscujusque ensis super femur suum [1]. » Ensis enim super locum femoris est disciplina vigilans super illecebras carnis. — Propagatio carnis, ut ibi de Domino dicitur : « Habebat in femore suo scriptum : « Rex regum et Dominus dominantium. » Unde enim huic mundo innotuit, ibi de se lectionis scientiam infixit.

Rabanus. Femur, humanitas Christi, ut : « Accingere gladio tuo super femur tuum [2]. » — Progenies, ut : « Animæ quæ egressæ sunt de femore Jacob [3]. » — Delectatio carnis, ut : « Ponat unusquisque gladium super femur suum. »

Genua, apostoli, ut : « Genua mea infirmata sunt a jejunio [4]. » — Opera, ut : « Genua debilia roborate. »

Crura, corruptio, ut : « Revela crura, transi flumen [5]. » — Bona desideria, ut : « Qui habet longiora retro crura [6]. »— Robur stabilitatis, ut : « Frangerentur eorum crura [7]. » —Doctores sancti, ut : « Non fregerunt crura Jesu. » — Itinera dominicæ incarnationis, ut : « Crura ejus sicut columnæ [8]. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 30. Femur dicitur prædicatio, generans fideles : « Uniuscujusque gladius s. f. s. » —Femur etiam stirps de qua Christus natus est. Apocalypsis : « Habens, etc., » quia scilicet ejus generatio fuit de regia tribu. Genesis : « Non deficiet regnum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est [9]. »— Femur etiam caro Christi. Psalmus : « Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime [10]. » — Femur, ignominia crucis. Genesis : « Noe bibens vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo » : siquidem et Noe noster bibit vinum, ebriatus calice passionis, et ita nudata est, id est manifestata, ignominia crucis. Quem derisit senior frater Judæus, veritus est junior frater Christianus. — Femur etiam carnis voluptas, sive luxuria. Jeremias : « Percussi f. m. » Angelus etiam in Genesi tabescere fecit nervum femoris Jacobi, dum carnis voluptatem reprimit. Duo autem femora Ecclesiæ intelliguntur duo apostoli. Canticum : « Junctura femorum tuorum sicut monilia [11]. »

Idem ad litt. VII, art. 6.

Genu

Exterius.	*Interius.*
Apostoli.	Affectus mentis.
Opus bonum.	Devotio.
Superius.	*Inferius.*
Robur fidei.	Opera mala.
	Consuetudo prava.

Distinctionum monasticarum lib. II, *de Femore*. Femur Christum designat; unde Abraham, a servo suo juramentum exigens, quod ea quæ sibi imperaverat, faceret, fecit eum manum suam ponere sub femore suo, et sic jurare : significans per hoc Christum de sua carne nasciturum, cui, tamquam Deo, juramenti esset exhibenda reverentia. Soli namque Deo est honor debitus faciendi fidem confirmandæ veritatis. Quod antiqui philosophi senserunt et sanxerunt, videlicet per solum Creatorem esse jurandum : secundum illud Pythagoricum :

Per, qui nostræ animæ numerum dedit esse quaternum.

—Femur significat teneritudinem humanita-

(1) *Suum*. Cant. III, 8. — (2) *Tuum*. Ps. XLIV, 4. — (3) *Jacob*. Exod. I, 5. — (4) *Jejunio*. Ps. CVIII, 24. — (5) *Flumen*. Is. XLVII, 2. — (6) *Crura*. Levit. XI, 21. — (7) *Crura*. Joan. XIX, 31. — (8) *Columnæ*. Cant. V, 12. — (9) *Est*. Genes. XLIX, 10. — (10) *Potentissime*. Ps. XLIV, 4. — (11) *Monilia*. Cant. VII, 1.

tis Christi, immo teneram ipsius humanitatem passibilem et mortalem. Unde Deus Pater ad Filium in psalmo : « Accingere gladio super femur tuum, potentissime. » Quasi diceret :

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus[1],

Cui nihil potest resistere : quum sis pugnaturus contra diabolum in assumta fragili carne, robora infirmitatem tuæ humanitatis virtute tuæ divinitatis. — Femora Christi dicuntur sancti doctores Ecclesiæ, qui ei filios verbo generant et exemplo : quorum ipse erat eximius qui quibusdam, conversis per ejus prædicationem ad Christum, ait : « In Christo Jesu, per Evangelium ego vos genui[2]. » De talibus Christi femoribus dicitur in Apocalypsi, quod habet scriptum, etc. Habet enim Dominus indelebile testimonium in carne, et ex carne sua in cœlum assumta, et sanctorum doctorum doctrina et vita, quod est vere « Rex regum et Dominus dominantium. » — Vel femur significat patres suos secundum carnem ; [scriptum], prophetas ; vestimentum, apostolos, qui corpus ejus, scilicet Ecclesiam, ornant et vestiunt. Cætera non mutantur.—Per femora significantur motus vel appetitus libidinis ; unde de Salomone scriptum est quod femora sua inclinavit mulieribus[3]. » Et de alio multo felicius dicitur : « Percussit femur suum, » id est, domuit carnem suam.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ

lib. I, v. 104-114.

Fitque domo propria Noe debrius, inguine nudus :
Quum crucifixisti Jesum, Judæa tribulis,
Tunc quia mortalis fuerit, patuit caro Christi.
Quum nudum vidit Cham, derisit genitorem :
Judæi Christum subsannarunt crucifixum.
At Sem cum Japhet patris texere verenda :
Nam Christi mortem venerantur quique fideles.
Inque suo nato Cham protinus est maledictus :
Nam modo qui peccat, Styx illum postea vexat.
Si non pœniteat qui peccat, eum cremat Orcus ;
Si quis desperat, Erebi jaculatur ad ima.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 1011-1018.

Sunt sponsæ femora populorum turba duorum,
Quos ligat una fides, et jungit gratia morum.
Hæc est junctura, pax et concordia pura :
Per quas doctores norunt componere mores.
Qui collo sponsæ quasi clara monilia pendent,
Quæ rutilant gemmis, auroque micantia splendent.
Hæc manus artificis fabricat ; nam laude nitentes
Doctores opifex Deus efficit et sapientes.

LII.

÷ 1. Pedes, debilium sustentatio : « Oculus fui cæco, et pes claudo[4]. »

÷ Apostoli : « Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et invios[5]. »

÷ 3. Qui ad injuncta currit : « Si dixerit pes, quoniam non sum manus[6]. »

÷ 4. Externa membra Ecclesiæ : « Pedes meos subverterunt[7]. »

÷ 5. Sancti prædicatores : « Quam pulchri super montes pedes evangelizantium bona[8] ! »

÷ 6. Inferiorum operum ministri : « Quando lavabam pedes meos butyro[9]. »

÷ 7. Gressus actuum : « Pedes eorum, pedes recti[10]. »

÷ 8. Vestigia Christi : « Et stans retro, secus pedes[11]. »

÷ 9. Duo amores, Dei et mundi : « Et claudicavit pede[12]. »

(1) *Solus*. Virg. *Æneid.* I, 664. — (2) *Genui*. I Cor. IV, 15. — (3) *Mulieribus*. Eccli. XLVII, 21. — (4) *Claudo*. Job XXIX, 15. — (5) *Invios*. Job XXVIII, 4. — (6) *Manus*. I Cor. XII, 15. — (7) *Subverterunt*. Job XXX, 12. — (8) *Bona*. Is. LII, 7. — (9) *Butyro*. Job XXIX, 6.—(10) *Recti*. Ezech. I, 7.— (11) *Pedes*, Luc. VII, 38. — (12) *Claudicavit pede*. Genes. XXXI, 31.

÷ 10. Cogitationes : « Deinde misit aquam in pelvim, et lavit pedes eorum[1]. »
÷ 11. Cursus vitæ : « Perfice gressus meos[2]. »
12. Virtus fidei[3] : « Stantes erant pedes nostri[4]. »
13. Æternitatis stabilitas [*vide supra*, p. 12].
14. Homo assumtus, apostolus vel prædicator [*vide supra*, p. 35].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4 et 21; ed. II, col. 759 B ad 9, 11.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 36, p. 314.

Gregorius M. Pes, is qui debilem opitulando suscitat; unde Job : « Oculus fui, etc.» — Is qui ad injuncta obedienter currit; unde : « Numquid dicit oculus pedibus : Non estis mihi necessarii[5] ? » — Extrema membra Ecclesiæ. — Prædicatores [*require supra*, p. 35]. — Gressus actuum, ut ibi : « Pedes eorum p. r.; » quia videlicet perfectorum opera non debent esse ad sequendam iniquitatem retorta. — Vestigia, ut de muliere legitur : « Stans retro secus pedes. » Retro enim pedes stat, qui vestigia illius imitari desiderat. — Duo amores, spiritualis videlicet et carnalis, ut ibi legitur de Jacob : percussus in femore, claudicavit pede; ubi enim occiditur voluptas carnis, amor sæculi debilitatur, et a terra suspenditur. — Cogitationes; hos pedes discipulis lavit, quum cogitationes eorum, post prædicationis gloriam, a pulvere elationis tersit.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α', α'— Β', η'.

Rabanus. Pes, prædicator : « Intinguatur pes ejus in sanguine[6]. » — Prædicatio : « In flumine pertransibunt pede[7]. — Amicus : « Si pes tuus scandalizat te[8]. » — Opera præceptorum cœlestium : « Immutantes pedem bovis[9]. » — Exemplum Christi : « Conculcabit eam pes pauperis[10]. » — Exemplum malum : « Obliviscitur quod pes conculcet ea[11]. » — Pedes, incarnatio Christi : « Lacrymis cœpit rigare pedes ejus[12]. » — Apostoli : « Lavabam pedes meos butyro. » — Infirmi : « Pedes meos s. » — Cogitationes : « Sordes ejus in pedibus ejus[13]. » — Intentiones : « Pedes eorum ad malum currunt[14]. » — Affectiones : « Pedibus et intestinis lotis aqua[15]. » — Operationes : « Expandit rete pedibus meis[16]. » — Actus sanctorum : « Pedes eorum, pedes recti. » — Viri sancti : « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus[17]. » — Hi qui in cœlo sunt : « Statuisti in loco spatioso pedes meos[18]. » — Ministri impiorum : « Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem[19]. »

Petrus Cantor [*require*, p. 35, 36].

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. 34. Pedes Dei, pedes Christi, pedes Ecclesiæ, pedes justi, pedes animæ et pedes iniqui.

Pedes Dei, stabilitas æternitatis. Psalmus : « Caligo sub pedibus ejus[1]. » Supra pedes namque stabiles stamus : et ipse super stabilitatem æternitatis stabilis manens dat cuncta moveri[20]. Malachias : « Ego Deus, et non mutor[21]. »

Pedes Christi dicuntur quinque modis, scilicet humanitas ejus. Psalmus : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum

(1) *Eorum*. Joan. XIII, 5. — (2) *Meos*. Ps. XVI, 5. — (3) *Stabilitas mentis, aut fidei* B-G. — (4) *Nostri*. Ps. CXXI, 2. — (5) *Necessarii*. I Cor. XII, 21. — (6) *Sanguine*. Ps. LXVII, 2. — (7) *Pede*. Ps. LXV, 6. — (8) *Te*. Matt. XVIII, 8. — (9) *Bovis*. Is. XXXII, 20. — (10) *Pauperis*. Is. VI, 6. — (11) *Ea*. Job XXXIX, 18. — (12) *Ejus*. Luc. VII, 38. — (13) *Ejus*. Thren. I, 9. — (14) *Currant*. Prov. I, 16. — (15) *Aqua*. Levit. I, 9. — (16) *Meis*. Thren. I, 15. — (17) *Ejus*. Ps. CXXXI, 7. — (18) *Meos*. Ps. XXX, 9. — (19) *Sanguinem*. Ps. XIII, 3. — (20) *Moveri*. Usurpavere frequenter dictum illud tum Petrus noster, quum alii plures e nostris, quod acceperunt e Boethii *de Consolat. Phil.* lib. III, metr. 9 :

> O qui perpetua mundum ratione gubernas,
> Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
> Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

— (21) *Mutor*. Malach. III, 6.

est [1]. » Hunc in sepulcro duo Angeli apparuerunt, unus ad caput, et alter ad pedes, quia utramque in eo naturam annuntiabant. Ad hos pedes sedet Maria; quæ non Dei omnipotentiam, sed Domini misericordiam exspectat et amplexatur. Hos lavat qui munda fide ipsum hominem credit. Pedibus namque super terram gradimur : et ipse secundum humanitatem in terris apparuit. Jeremias : « Post hæc in terris visus est [2]. » — Pedes Christi pauperes. Evangelium : « Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat [3]. » Hos enim tergit capillis, qui de superfluitate bonorum suorum eis subvenit. Pedes namque inferiora membra sunt : hi sunt pauperes in Ecclesia. — Pedes Christi, firmiora membra ipsius. Psalmus : « Dum commoventur, etc. » Pedibus autem firmamur : et ipsis majoribus firmantur minores. — Pedes quoque Christi, apostoli vel prædicatores ipsius. Psalmus : « Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum [4]. » Horum autem est dexter, scilicet firmiores; et sinister, scilicet minus firmi prædicatores. Apocalypsis : « Posuit pedem dextrum suum super mare (gentiles), sinistrum vero super terram [5] (Judæos). » — Pedes etiam Christi, potestas illius. Pedibus enim conculcamus hostes : et ipse Christus potestate sua omnes hostes conculcavit. Sapientia : « Superborum et sublimium colla propria virtute calcavit [6]. »

Pedes

Ecclesiæ.	*Justi.*
Qui minora dona recipiunt.	Opera bona.
Qui minores sustentant.	Immortalitas et impassibilitas eorum.
Animæ.	*Iniqui.*
Sensualitas.	Amor libidinis.
Affectus mentis.	Pes superbiæ.

Pedibus namque fere semper adhæret pulvis : et pedibus superbiæ, semper pulvis inanis gloriæ. Evangelium : « Excutite pulverem de pedibus vestris [7]. »

Distinctionum monasticarum lib. IV, *de Pede*. Pedes Christi significant humanitatem ejus; unde est illud propheticum : « Adorabunt curvi vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi [8]. » — Item pedes ejus dicuntur duo testamenta, quibus innititur et sustentatur corpus ejus, quod est Ecclesia. Unde beatus Joannes dicit in Apocalypsi de angelo qui ei apparuit in persona Christi, qui pedem suum dextrum posuit super mare, et pedem suum sinistrum super terram. Dominus enim noster Jesus Christus pedem suum dextrum super mare posuit, quia gentilitati, quondam moribus amaræ et turbulentæ, legem evangelicam imposuit, quæ significatur per pedem dextrum, quia in ea promittuntur bona æterna; pedem vero suum sinistrum, id est legem mosaicam, in qua promittuntur bona terrena et caduca, super terram posuit, quia plebi Judæorum, per legem et prophetas et apparitiones angelorum stabilitati et culturæ divini juris aptatæ, legem veterem imposuit. — Pedes etiam Dei dicuntur prædicatores sancti, qui eum portant per mundum; unde est illud : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius [9]. » — Pedes etiam Christi, pauperes appellantur, qui in corpore ejus novissima esse videntur membra. Hos pedes, ad exemplum beatæ Magdalenæ, debemus lacrymis rigare, capillis abstergere, unguento ungere. Lacrymis hos pedes rigamus, si eorum inopiæ intimo affectu compatimur. Capillis tergimus, si indigentiæ eorum onus, de terrenis bonis nostris, quæ extra nos sunt, et quodammodo nobis superfluunt, auferimus. Unguento ungimus, si eos verbo consolationis et vultu hilari consolamur. — Pes dicitur affectus; unde est illud Jeremiæ in Threnis, de filia Sion, id est anima infirma et elumbi, atque in pravæ delectationis

(1) *Est*. Ps. XCVIII, 15. — (2) *Est*. Baruch III, 38. — (3) *Tergebat*. Luc VII, 38. Joan. XII, 85. — (4) *Tuum*. Ps. XC, 12. — (5) *Terram*. Apoc. X, 2. — (6) *Calcavit*. Eccli. XXIV, 11. — (7) *Vestris*. Matt. X, 14. — (8) *Tibi*. Is. LX, 14. — (9) *Illius*. Deut. XXIII, 3.

[pulvere dedecorata], christianæ fidei tamen charactere insignita : « Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui [1]. » Non enim videtur quod mortis habeat meditationem, quæ carnalis affectus (etsi non opere, tamen corde) fovet et sequitur delectationem. Potest tamen hæc Jeremiæ prophetia intelligi de miseria Ecclesiæ in his diebus nostris, qui mali sunt : quoniam pedes ejus, id est prælati, qui ejus infirmitatem sufferre, id est sursum ferre, [verbis] et exemplis debuerant, eam e contrario misera sua conversatione sordidant, ita ut jam patenter videamus illud propheticum impletum : « Qui optimus in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe [2]. » —Pes significat propositum bonum ; unde : « Pes meus stetit in directo. » —Item pedes sunt fides et operatio; unde de quatuor animalibus scriptum est, quod « pedes eorum erant recti, » quia omnes sancti, maxime prædicatores sancti, et recte credunt, et secundum fidem rectam juste operantur. — Item pedes spirituales sunt timor et spes. Qui igitur bene timet, et bene sperat, utrumque pedem sanum habet, et talis sine dubio bene ambulat. Qui non habet hos pedes sanos, claudus est, qualis fuerit quondam quidam episcopus, qui in uno eodemque tempore legatus fuit Angliæ et justiarius; sed utramque potestatem perdidit valde velociter, cum longa confusione [3]. De illo episcopo quidam versus composuit tales :

Anglia, terrarum quondam lætissima, luge,
Pressa caput pedibus præsulis absque pede.

—Pes significat humilitatem; unde in veste pontificis in lege veteri erant et tintinnabula et malogranata circa pedes, ut tam in prædicatione quam in operatione servetur humilitas.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Pes.

Incarnatio Christi.	Operationes.
Prædicatores.	Actus sanctorum.
Cogitationes.	Viri sancti.
Intentiones.	Amicus.
Affectiones.	Peccator.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 716-725.

Lavi pedes meos : quare inquinabo illos?

Sponsa pedum lavit vestigia fida suorum,
Dum lacrymis tersit operum peccata priorum.
Hos fœdare pedes iterum mens sancta veretur,
Ne, si forte sibi decus aut prælatio detur,
Terrenis iterum maculis fuscata laboret,
Ac pro delictis iterum suspiret et oret.
Idcirco metuit contemnere blanda Rachelis
Otia, ne valeat Satanæ succumbere telis.
Sed sponsus, graviter damnum tolerans animarum,
Tangit eam propius manuum virtute suarum.
Dilecti manus [4], etc.

LIII.

VESTIGIA, signa operum Dei : « Et vestigia tua non cognoscentur [5] [*cf. supra*, p. 15]. »

LIV.

÷ 1. TALI, vitæ termini; unde Joseph talarem tunicam habuit [6].

÷ 2. Prima vestigia boni operis : « Mensus est cubitis mille, et transduxit me per aquam usque ad talos [7]. »

(1) *Sui*. Thren. I, 6. — (2) *Sepe*. Mich. *vii*, 4. — (3) *Confusione*. Durius, ut solet erga prælatos, alludit ad Hubertum Walterum († 1207) aut Radulphum Nevill († 1245); de quibus cf. Godw. *Præsul. angl.* p. 83 et 504. — (4) *Manus*. Quæ sequuntur vid. p. 256. — (5) *Cognoscentur*. Ps. LXXVII, 20. Cf. lectionem cod. B-G, supra l. l. — (6) *Habuit*. Genes. XXXVII, 23. — (7) *Talos*. Ezech. XLVII, 3.

LV.

1. Calcaneus, supplantatio vitiorum [1]. ÷ In Genesi : « Ipsa [2] tuum observabit caput ; et tu, illius calcaneum. » ÷ « Ipsa conteret caput tuum [3]. »

÷ 2. Finis actionis : « Ipsi calcaneum meum observabunt [4]. »

÷ 3. Et in aliam partem : « Levabit contra me calcaneum [5]. »

LVI.

÷ 1. Planta, primus justus Abel : « A planta pedis usque ad verticem [6]. »

÷ 2. Actio vitæ : « Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli [7]. »

÷ 3. Finis vitæ : « Tenebitur planta ejus laqueo [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4 et 21 B ad LIII, et LV; ed. II, col. 738 A ad LIII ; col. 750 B ad LV, 1, 2, *totidem verbis*.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. V, c. 57, 58, 59, p. 319-322.

Gregorius. Talorum nomine prima boni operis vestigia designantur, ut Ezechiel enarrat, dicens : « Mensus est cubitis mille, etc. » Millenarius numerus plenitudinem muneris in hoc loco designat. Vir qui apparuit, mille cubitis metitur, et propheta per aquas usque ad talos ducitur ; quia Redemtor noster, quum nobis, ad se conversis, boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritualis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. — Tali nomine vitæ terminus designatur ; unde Joseph, qui inter fratres justus perseverasse describitur usque ad finem, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est tunica talaris, nisi actio consummata ? Quasi enim protensa tunica talum corporis tegit, quum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ terminum nos tegit.

Calcaneus, finis actionis nostræ, ut ibi : « Ipsi calcaneum m. o. » Maligni enim spiritus calcaneum observant, quum actionis finem vitiare desiderant.

Planta, primus justus, sicut in persona Job dicitur de Domino : « Percussit eum Satanas [9], etc. » Ab ipso enim mundi exordio Redemtoris nostri corpus expugnare conatur ; prius ab Abel inchoavit, et sic usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit. — Actio vitæ, ut ibi : « Planta pedis, etc. ; » denotans videlicet venerationem in gravitate, fortitudinem in opere, discretionem in ungulæ divisione. — Finis vitæ, sicut de iniquo per Eliphaz dicitur : « Tenebitur p. e. l. ». Quum enim vita in culpa concluditur, ejus planta laqueo tenetur.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. 1, n. 38.

Rabanus. Vestigia, operationes Dei, ut : « Vestigia ejus sequutus est pes tuus [10]. » — Visiones Dei, ut : « Forsitan vestigia Dei comprehendes [11]. » — Præsentia Dei, ut : « Vestigia tua n. c. » — Mala exempla, ut : « Post vestigia gregum tuorum [12]. »

Calcaneus finis actionis, ut : « Insidiaberis calcaneo ejus. » — Profectus noster, ut : « Ipsi

(1) *Sive externus cursus vitæ* B-G. *Supplicatio* E. — (2) *Ipse tuum* B, C. — (3) *Tuum*. Genes. III, 15. — (4) *Observabunt*. Ps. LV, 7. — (5) *Calcaneum*. Joan. XIII, 18. — (6) *Verticem*. Ezech. I, 7. — (7) *Vituli*. Act. III, 7. — (8) *Laqueo*. Job XVIII, 19. — (9) *Satanas ulcere pessimo a planta*. Job II, 7. — (10) *Tuus*. Job XXIII, 11. — (11) *Comprehendes*. Job XI, 7. — (12) *Tuorum*. Cant. I, 7.

calcaneum m. o.» —Caro noster, ut : « Iniquitas calcanei mei circumdabit me [1]. »

Planta, discretio, ut : « Planta pedis eorum, etc. — Infirma actio, ut : « A planta p. u. a. v. » — Finis cujusque, ut : « Tenebitur p. a. d. » — Finis mundi, ut : « Plantam fratris tenebat manu [2]. »

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 47. Calcaneum exterius, interius, inferius et superius. Exterius dicitur caro. Psalmus : « Ipsi c. m. o.» — Interius, vilior animæ sensus circa mundana, vel dolus quo quis contra alium machinatur. Sapientia : « Oculi sapientis in capite ejus; stulti, in calcaneo, » vel « finibus terræ [3]. » — Inferius, originale peccatum. Psalmus : « Iniquitas calcanei mei circumdabit me. » Et hic est stimulus carnis qui Paulum colaphizat, et ei insidiatur. — Superius, finis bonæ actionis et perseverantia. Ezechiel : « Traxit me, etc. »

Id. ad litt. XIX, art. 73. Talus est prima vel extrema pars pedis, quæ etiam interdum dicitur calcaneum. Est autem talus operationis et talus consummationis. Primus, boni operis vestigia. Secundus, consummatio operum, terminus vitæ, sive perseverantia finalis.

Idem ad *litt.* XX, *art.* 99. Vestigia ad litteram sunt signa ad imitandum aliis impressa. Sunt vestigia Dei, vestigia Christi, vestigia bonorum, vestigia malorum, et vestigia diaboli.

Vestigia

Dei.	*Christi.*
Opera mirabilia et misericordia ejus.	Incarnatio et humanitas ejus.
Doctrina et mandata ejus.	Vestigia adhuc impressa in loco unde ascendit.

Bonorum.	*Malorum.*
Exempla patrum antiquorum.	Perniciosa eorum exempla.

Vestigia diaboli sunt hæresis, idololatria, infidelitas et alia hujusmodi.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Genes., v. 668-677.

Facta Dei jussu sequitur maledictio culpam :
Vir, mulier, serpens, debita quisque luit.
Terræ cultura, vir ; partu, femina ; serpens
Pectore punitur, cui datur esca cinis.
Dicitur huic : « Fraudem pones plantæ muliebri :
« Sed vires capitis conteret illa tui. »
Dicitur hoc verbum pro partu Virginis : hostis
Dæmonis attrivit Virgo beata caput.
Vipera vim perdit, sine vi pariente puella ;
Exclusit virus nescia Virgo viri.

II. *Ibid.*, v. 1240-1249.

Post, Isaac vota sterili pro conjuge fundit :
Luctantes utero concipit illa duos.
Prædixit Deus huic quod sint populi duo, quorum
Subjaceat major, prævaleatque minor.
Vult prior a tenebris Esau prodire, sed ortus
Tardatur, plantam fratre tenente Jacob.
Olim major erat Judæus, qui modo servit ;
Gentilisque minor, qui dominatur ei.
Jacob supplantat Esau, gentesque figurat,
Per quas amittit jus Synagoga suum.

LVII.

÷ Unguis, finis est cujuslibet rei : « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino [4]. »

LVIII.

÷ 1. Ungula, virtutum perfectio : « Terram ungula fodit [5]. »

(1) *Me.* Ps. XLVIII, 6. — (2) *Manu.* Genes. X, V, 25. — (3) *Terræ.* Eccle. II, 14. VIII, 1; Prov. XVII, 24. — (4) *Adamantino.* Jerem. XVII, 1. — (5) *Fodit.* Job XXXIX, 21.

÷ 2. Abstinentia : « Ungulam dividit[1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 60, 61, p. 322-323.

Gregorius M. Unguis, finis cujuslibet rei, sicut per prophetam dicitur : « Peccatum Judæ, etc. » In ungue quippe finis est corporis. Ita vero lapis fortis est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum ferreum, fortis sententia, et per unguem adamantinum signatur finis æternus. Peccatum ergo Judæ stylo ferreo et ungue adamantino scriptum esse dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in finem servatur in futuro. — Ungula, perfectio virtutum, sicut ad beatum Job dicitur : « Terram ungula fodit. » Quid est fodere ungula terram, nisi quum de corde audientium sancti prædicatores, exemplo suorum operum et perfectionem virtutum demonstrantes, terrenas cogitationes ejiciunt?

Rabanus. Ungula, perfectio, ut : « Terram u. f. » — Ultima opera, ut : « Non remanebit ne ungula quidem[3]. » — Finis mundi, ut : « Mordens ungulas equi[4]. » — Discretio, ut : « Cornua producentem et ungulas[5]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 68.

Unguis

Dei, ejus sententia irrevocabilis.	*Hominis*, finalia ejus opera, vel finis ipsius justi.
Animi.	
Eminentia virtutum.	*Dæmonis*, impetus
Virtus discretionis.	persequutorum.

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes., v. 1880-97.

Dan judex, coluber in largo calle, cerastes
In stricto factus, fiet iniquus equo.
Ungula morsa per hunc titubabit equina retrorsum,
Ut cadat ascensor deficiatque retro.
Qui verus Dominus cognosceris esse, salutem
Exspectabo tuam, tu mihi vera salus.
Dan judex ideo, quia Samson prodiit inde,
Qui leges populo judiciumque dabat.
Ex hoc ascendens Antichristus trahet ortum,
Ut scriptura sequens inde loquendo refert.
Hic erit ut coluber mordens, velutique cerastes
Illis qui rectis gressibus ire volent.
Est equus hic mundus; est sessor quisque superbus;
Est mundi finis ungula, finis equi.
Ille quidem veniens, in mundi fine vorabit
Quos poterit, mordens, dejiciensque retro.
Sed quos elegit pietas divina, salutem
Invenient, ut eis sit sine fine salus.

LIX.

÷ 1. Stare Domini, patientia divinitatis [*vide supra*, p. 15].

÷ 2. Fide consistere. In Apostolo : « State in fide[2]. »

LX.

÷ Jacere, aut vitiis aut tentationibus succumbere. In Evangelio : « Et invenit eum jacentem[3]. »

LXI.

÷ Sedere, in Domino humiliter præsumere [*vide supra*, p. 14].

(1) *Dividit.* Levit. xi. Nonnulla e textu exsulant, quæ tantum in uno alterove codice occurrunt : *Jecur, ratio mentis, ut quidam volunt. — Vulva, interiora animæ, ubi bonum, vel malum concipitur. Est et vulva, Ecclesiæ fides interior, a qua hæretici depravati abortum matris intulerunt, sicut in psalmo de iisdem dicitur : Abalienati sunt peccatores a vulva* [*utero* B, C; *et a ventre* B-D], *loquuti sunt falsa.— Testiculi, viriles sensus; unde et in lege præcipitur ut qui amputatis testiculis est, non intret in Ecclesiam Domini.* —(2) *Fide.* I Cor. xvi, 3. — (3) *Jacentem.* Joan. xi, 17.

LXII.

÷ Ambulare, ad Deum tendere. In psalmo : « Et ambulabam in latitudine [1]. »

LXIII.

÷ 1. Currere, in operibus bonis properare. In Apostolo : « Sic currite, ut comprehendatis [2]. »

÷ 2. Et in malam partem : « Pedes eorum ad malum currunt [3]. »

LXIV.

÷ 1. Ascensus Domini, elevatio hominis assumti [*supra*, p. 12].

÷ 2. Ascensus, profectus ad Dominum. In psalmo : « Ascensus in corde suo disposuit [4]. » Et in Exodo : « Armati ascenderunt filii Israel de Ægypto [5]. »

÷ 3. Ascensus, superbiæ præsumtio [*vide supra*, p. 12].

LXV.

÷ Descensus, defectus in Domino. In Evangelio : « Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho [6]. » Et in Isaia : « Væ qui ascendistis equos, ut descendatis in Ægyptum [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 27, ad LIX, 2; LX, LXI, LXII, LXIII, 2; LXIV, 2; LXV. — Ed. II, col. 764 D, 765 A, B *ad eadem loca, plerumque totidem verbis.*

Gregorius M. apud *Garnerium S. V.*, Cf. p. 139, 355.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α′, δ′, ε′, ια′ — Β′, η′, θ′, ιδ′.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Jacere, modus orandi, ut : « Surge, cur jaces pronus in terram [8] ? » — Vitiis succumbere, ut : « Invenit e. j. » — Quies mentis, ut : « Indica mihi ubi jaces, ubi cubes in meridie [9] ? »

Ascensus, elevatio corporis Christi; unde : « Qui ponis nubem ascensum tuum [10]. » — Afflictio martyrum; unde : « Ascensum fecit purpureum [11]. » — Perfectio vitæ; unde : « In septem gradibus ascensio ejus [12]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Ascensus [*ut supra*]. — Ascendit Christus de aqua, in deserto. — Ascendit, in prædicatione; unde : « Ascendit Jesus in montem [13]. » — In passione, scilicet super crucem; unde : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum [14]. » — In resurrectione, secundum illud : « Qui ascendit super occasum, Dominus est nomen illi [15]. » — In ascensione, in cœlo; unde : « Ascendit Christus in altum [16]. » — Ascen-

(1) *Latitudine.* Ps. CXVIII, 45. — (2) *Comprehendatis.* I Cor. IX, 24. — (3) *Currunt.* Prov. I, 16. — (4) *Disposuit.* Ps. LXXXIII, 6. — (5) *Ægypto.* Exod. XIII, 18. — (6) *Jericho.* Luc. X, 30. — (7) *Ægyptum.* Is. XXX, 2. — (8) *Terram.* Jos. VII, 10. — (9) *Meridie.* Cant. I, 6. — (10) *Tuum.* Ps. CIII, 2. — (11) *Purpureum.* Cant. III, 10. — (12) *Ejus.* Ezech. XL, 34, ubi tamen legitur : *In octo gradibus.* — (13) *Montem.* Matt. V, 2. — (14) *Ipsum.* Joan. XII, 32 — (15) *Illi.* Ps. XVII, 5. — (16) *Altum.* Ps. LXVII, 19.

dit in corde hominis; unde : « Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra [1]. » — Ascendit, in mundo; unde : « In omnem terram exivit sonus eorum [2]. » — Ascendit, in inferno; unde : « Portas æreas et vectes ferreos confregit [3]. » — Ascendit, in die judicii; unde : « Exaltabitur Dominus solus in die illa [4]. »

Ascendit sive exaltatur bonus homo per miraculorum operationem; unde : « Qui in me credit, opera quæ ego facio, et ipse faciet [5]. » — Per contemplationem; unde : « De virtute in virtutem... ascensiones in corde suo disposuit [6]. » — Per cœlestium inquisitionem; unde : « Ascendet homo ad cor altum [7]. » — In futuro, præmii collatione; unde : « Exaltabuntur cornua justi [8]. »

Ascendit homo malus, vel diabolus, per superbiam; unde : « Ascendam in cœlum; similis ero Altissimo [9]. » — Est ascensio elevationis; unde : « Vidi impium superexaltatum [10]. » — Cognitionis [*sive inquisitionis*]. — Dilectionis [*sive contemplationis*, vid. supra]. — Dignitatis; unde : « Amice, ascende superius [11]. »

Petrus Cantor. Ascensionis Domini septem sunt gradus : primus, postquam in Jordane baptizatus est, in desertum. Secundus, in montem, ubi discipulos elegit. Tertius, in montem, ubi transfiguratus est coram discipulis. Quartus, in asinam, appropinquante hora passionis. Quintus, in montem, ubi Patrem oravit. Sextus, in crucem, ubi crucifixus est pro peccatis nostris. Septimus, in cœlum, ubi sedet ad dexteram Patris. In primo, docuit; in secundo, prædicavit; in tertio, resplenduit; in quarto, se humiliavit; in quinto, oravit; in sexto, redemit; in septimo, Patrem interpellat pro nobis, ad dexteram ejus sedens. Sic nos in primo habemus fidem; in secundo, spem; in tertio, virtutis exercitium; in quarto, humilitatem; in quinto, orationem; in sexto, potentiam; in septimo, charitatem.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Descendit Christus in incarnatione; unde : « Descendit sicut pluvia in vellus [12]. » — Per meritorum inquisitionem; unde : « Descendam et videbo utrum opere compleant [13]. » — Per compassionem, unde : « Descendit Jesus de monte [14]. » — Per mortem; unde : « Descendit ad inferos [15]. »

Descendit homo per peccatum; unde : « Filia Sion, descende in Babylonem [16]. » — Prælatus, per compassionem, secundum illud Apostoli : « Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii simus [17]. » — Per humilitatem; unde omnes sancti dicuntur « lilia convallium [18]. » — Angelus malus, sive diabolus, per ruinam; unde : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer [19]. » — De descensu hominis dicit Augustinus, in sermone de induratione Pharaonis : Primo fideliter et firmiter credat dilectio nostra, quia numquam deserit Deus hominem, nisi prius ab homine deseratur [20]. [Nota quod descendit Deus, homo et diabolus : sed Christus, per humanitatem; homo, per peccatum; diabolus, per superbiam.]

Descensus triplex est : primus, in languore culpæ; secundus in compassione misericodiæ; tertius, in humilitatis exhibitione. De primo scriptum est : « Non avertas faciem tuam a me [21]. » De secundo : « Videns vidi afflictionem populi mei [22]. » De tertio : « Inclinavit cœlos, et descendit [23]. »

Idem. Sedes est hominis; unde : « Vanum est vobis ante lucem surgere, » id est

(1) *Terra*. Ps. xlv, 11. — (2) *Eorum*. Ps. xviii, 5. — (3) *Confregit*. Ps. cvi, 16. — (4) *Illa*. Is. ii, 11. — (5) *Faciet*. Joan. x, 12. — (6) *Disposuit*. Ps. lxxxiii, 6. — (7) *Altum*. Ps. xxxvi, 7. — (8) *Justi*. Ps. lxxiv, 11. — (9) *Altissimo*. Is. xiv, 14. — (10) *Superexaltatum*. Ps. xxxvi, 35. — (11) *Superius*. Luc. xiv, 10. — (12) *Vellus*. Ps. lxxi, 16. — (13) *Compleant*. Genes. xi, 6. — (14) *Monte*. Matt. viii, 9. — (15) *Inferos*. Ephes iv, 9. — (16) *Babylonem*. Is. xlvii, 1. — (17) *Simus*. II Cor. v, 3. — (18) *Convallium*. Cant. ii, 1. — (19) *Lucifer*. xiv, 12. — (20) *Deseratur*. August. *Opp.* t. iv, p. 2321 (p. 588, ed. Gaum.). Hæc solus Cantor; unus vero Lingonensis habet quæ proxime sequuntur uncinulis inclusa. — (21) *Me*. Ps. xxvi, 9. — (22) *Mei*. Act. vii, 34. — (23) *Descendit*. Ps. xvii, 10.

ante Christum surgere, id est exaltari. « Surgite, postquam sederitis [1], » post humiliationem. Dominus enim post mortem exaltatus est. Quidam vero sedent in peccatis, quidam in pœnitentia.

Sedere convenit Christo, secundum triplicem statum. Nam sedere est inclinantis, secundum illud : « Tu cognovisti sessionem meam [2]. » Sessio appellatur exinanitio in passione. — Quiescentis; unde : « Sede a dextris meis [3], » id est, in potioribus bonis meis æqualis mihi; vel « sede, » post laborem quiesce, id est, conregna mecum, secundum quod homo; vel « sede » manifestus. — Judicantis; unde « quum sederit Filius hominis in sede majestatis [4]. »

Sedere convenit homini tripliciter : peccanti, secundum illud : « Surgite, postquam sederitis. » — Pœnitenti, secundum illud Job : « Sedebat in sterquilinio [5], » id est, in humilitate pœnitentiæ; « radens saniem ulcerum, » scilicet, putredinem peccatorum; « cum testa, » id est, cum asperitate pœnitentiæ radebat. — Convenit etiam perseveranti sedere [6].

Petrus Capuanus, ad litter. I, art. 36, 37, 38.

Ascendit

Homo	*Antichristus*
Per bonam operationem.	Sæviendo.
— Cognitionem.	Superbiendo.
— Prædicationem.	
— Gloriam sæcularem.	*Diabolus*
— Elationem.	Lædendo.
Ad patriam, per remunerationem.	Superbiendo.

Angelus ascendit humana corpora tangendo.—Secreta revelando. Sic ascendit Gabriel, quando cito volans tetigit Danielem in tempore sacrificii vespertini.

Ascendit Dominus protegendo. Sic ascendit, quando educens populum de Ægypto, præcedebat eos in columna nubis et ignis.

Ascensus Christi quadruplex intelligitur. Ascendit enim super humanam naturam, in conceptione. — Super crucem, in passione. — Super mortem, in resurrectione. — Super cœlos, in ascensione.

Ambulat

Homo in bono	*Deus*
In puritate cordis delectando.	Peccata arguendo.
Viam hujus mundi currendo.	Discipulos vocando.
Bona operando.	Virtutes in corde augendo.
In malo	*Diabolus*
In peccatis perdurando.	In malis, membris suis, perdurando in peccato.
Peccata peccatis addendo.	Peccatores decipiendo.
Temporalia avide appetendo.	Bonorum deceptiones appetendo.

Idem, ad litt. III, art. 49.

Currit

Deus omnia replendo.	*Homo.*
Angelus, suum circa nos obsequium implendo.	*Justus*, in virtutibus proficiendo.
Diabolus, superbiendo.	*Injustus*, peccatis consentiendo.

Idem, ad litt. IV, art. 33.

Descensus

Dei	*Hominis*
Per incarnationem.	Per culpam a gratia Dei.
Per misericordiæ largitionem.	Per infernalem portam a præsenti vita.
Per mortem, ad nostram resurrectionem.	Per pœnitentiam a culpa.
Ad inferos, ad nostram liberationem.	Per humilitatem a superbia.

(1) *Sederitis.* Ps. CXXVI, 2.—(2) *Meam.* Ps. CXXXVIII, 2. — (3) *Meis.* Ps. CIX, 1. — (4) *Majestatis.* Matt. XXV, 31. — (5) *Sterquilinio.* Job II, 8. — (6) *Sedere.* Cf. infra. *Cathedra Dei, C. Petri, C. Diaboli* in cap. X.

— Per peccatorum animadversionem. Per actionem a contemplatione.

Idem, ad litt. xviii, art. 49 et 56.

Sessio vel sedere, sive sedes regnantis Dei, hominis et diaboli. Sessio Dei multiplex : sedere namque regnantis est. Ergo sessio Dei est regnum et regimen majestatis suæ, non secundum ipsius positionem membrorum, sed quia regiam habet majestatem. Secundum hunc modum sedendi, dicitur Christus sedere ad dextram Patris per divinitatem, id est, conregnare æqualis ei. Paulus : « Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, sedet ad dexteram majestatis in excelsis [1]. » Dicitur autem sedere a dextris ejus per humanitatem, id est, esse in potioribus bonis ejus. Evangelium : « Assumtus est in cœlum, et sedet a dextris Dei [2]. » Dicitur etiam Christus sedere, id est, in Ecclesia regnare. — Sessio quoque Christi dicitur ejus incarnatio, vel mors. Psalmus : « Tu cognovisti s. m. etc. » — Deus etiam dicitur sedere in anima justi per gratiam.

Sedes

Hominis.	*Diaboli.*
Pœnitentia et humiliatio.	Consensus malo.
Contemplatio.	Studium nocendi, cum mora et deliberatione.
Instructio.	Maledictio.
Exspectatio.	Amor mundi.
Auctoritas judicationis.	Voluptas.
Quies in regno.	Aggravatio peccati.

Stat vel stabilis est Deus, Christus, justus, malus et diabolus.

Stat

Deus	*Christus*
Per rectitudinem.	Per incarnationem.
— immutabilitatem.	— carnis glorificationem.
— judicii potestatem.	Auxilii exhibitionem.

Justus	*Malus*
Dum in bonis durat.	In peccato perseverando.
Per fortitudinem.	Persequendo.
— contemplationem.	Superbiendo.

Diabolus autem dicitur stare duobus modis, scilicet præsentiam et potentiam Dei non effugiendo. Job : « Quadam die, quum venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque inter eos Satan, et staret in conspectu ejus [3]. » Sic stat ipse diabolus semper, qui non potest effugere eum qui attingit a fine ad finem fortiter : eo quod si ascenderit in cœlum, ipse illic est ; et si descenderit in infernis, adest.—Stat et diabolus insidiando et persequendo. Apocalypsis : « Stabat bestia super arenam maris [4]. » Sic stetit diabolus, quando draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut quum peperisset, filium ejus devoraret.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. iii, v. 870-881.

Oscula, quæso, sui sponsus mihi porrigat oris :
Hoc est assumat carnem Deus, et redimat me.
Illius ubera sunt veteri vino meliora :
Est Evangelium præ psalmis, lege, prophetis.
Estque tuum nomen diffusum sicut olivum :
Religio mundum complevit Christicolarum.
Hinc adamarunt te juvenes, pulchræque puellæ :
Nam propter Christum sua sancti posthabuerunt.
Jam post te trahe me, curramque tuo sub odore :
Nemo Deum sequitur, nisi ducat eum Deus ipse.
Introduxit me rex in cellaria magna :
Ecclesiæ sanctæ Christus legem reseravit.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 85-94.

Dic ubi, sponse, cubes, solito quem diligo more;
Dic ubi, sponse, cubes, solis mediante calore,
Ne vagus error agat me per tormenta laborum,
Post comitum turmas, turbasque, gregesque tuorum.

Dat sponsus sponsæ verbis responsa severis :
Si te nescieris, o pulchra, malum patieris.
Exi, nec tardes, post cœtus currere fœdos,
Sub pede pastorum ; non agnos pasce, sed hædos.
Ergo tuum decus observa ; ne nigra voceris,
Quæ splendore meo fieri formosa mereris.

(1) *Excelsis*. Hebr. i, 3. — (2) *Dei*. Marc. xvi, 19. — (3) *Ejus*. Job ii, 1. — (4) *Maris*. Apoc. xii, 18.

I.

APPENDIX AD CAPUT V.

SCRIPTORES PRÆCIPUI VETERES

DE OPIFICIO HOMINIS [1].

I.

S. Melito Sardensis.

I. Περὶ φύσεως ἀνθρώπου [2].

II. Περὶ πλάσεως [3].

III. Περὶ αἰσθητηρίων [4].

IV. Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοός [5].

II.

Firmianus Lactantius.

De Opificio Dei, vel Formatione hominis [6].

III.

S. Zeno Veronensis.

Tractatus XIX. *In illud Geneseos :* « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [7]. »

Tractat. XX. *In eumdem locum Geneseos.*

IV.

S. Gregorius Nyssenus.

I. Θαυμαστὴ βίβλος περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου.

II. Εἰς τὰ τῆς γραφῆς ῥήματα· Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ ὁμοίωσιν [8], λόγοι ϛ΄.

V.

S. Joannes Chrysostomus.

In Genesin [9] *homiliæ* VIII, IX, X, XI.

VI.

Theodoretus.

I. Ἀπόδειξις ἀπὸ τῆς τοῦ ἀνθρωπείου σώματος κατασκευῆς [10].

II. Ἀπόδειξις ἀπὸ τῶν χειρῶν τῶν ἀνθρωπείων, καὶ τῶν ἐφευρεθεισῶν τεχνῶν [11].

VII.

Meletius Monachus.

De Structura hominis [12].

VIII.

S. Anastasius Sinaita.

De hominis ad imaginem et similitudinem Dei creatione [13].

IX.

Alcuinus.

1° *Super illud :* « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [14]. »

2° *Disputatio puerorum per interrogationes et responsiones* [15].

(1) *Hominis.* Lectorem, cui forte satis non forent ea quæ obiter hic subdimus, remittimus ad calcem præcedentis capitis, ubi multo plures sunt commentatores de opificio mundi, sive, ut aiunt, *megacosmo*, qui per non minimam sui partem in *microcosmum* excurrunt. — (2) Ἀνθρωπου. Πιστεως ἀνθρ. Nicephorus, et vetus interpres Rufinus : *De fide hominis.* Routh. — (3) Πλάσεως. De plasmate liber I. Hieronymus. — (4) Αἰσθητηρίων. Apud Nicephorum legitur ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως, καὶ ὁ περὶ αἰσθητηρίων, ut duo fuerint Melitonis libri, alter *de Obedientia fidei*, alter *de Sensibus*, idque confirmant Hieronymus et Rufinus. Valesius. — (5) Νοός. Quam scripturam veram esse non dubitamus; nam et interpretatio Rufini eam confirmat : *De anima et corpore et mente.* Val. Legendum vero post Rufini versionem καὶ νοός. Routh. Vide ad calcem hujus tomi dissert. de Melitonis scriptis et multa ex illis fragmenta græce et syriace. — (6) *Hominis.* T. II *Opp.* ed. Lenglet-Dufresnoy. Par. 1748, p. 71. — (7) *Nostram.* Tractatus uterque inest in S. Zenonis *Opp.* p. 217, 219, edit. Baller. — (8) Ὁμοίωσιν. Greg. Nyss. *Opp.* t. I, p. 44, 139, 153, edit. Paris. 1615. — (9) *Genesin.* Tom. IV, p. 58-91 edit. Montfauc. — (10) Κατασκευῆς. *De Providentia* orat. III, *Opp.* t. IV, p. 541 edit. Paris. 1642. — (11) Τεχνῶν. Ibid. p. 553. — (12) *Hominis.* Exstat latine edit. Venet. 1552. Cs. Fabric. *Bibl. græc.* t. IX, p. 304. — (13) *Creatione.* Cs. Fabric. ibid. t. X, p. 571. — (14) *Nostram.* Inter Alcuini *Opp.* t. I, p. II, p. 339 edit. Froben. Edita olim fuerat hæc commentatiuncula inter *Opp.* S. Ambrosii sub hoc titulo : *De dignitate conditionis humanæ* (ed. Bened. *app.* p. 611), et S. Augustini, cum hac inscriptione : *De creatione primi hominis* (edit. Bened. t. VI, p. 49). Froben. — (15) *Responsiones.* Continetur in hoc scripto brevis illa commentatio (quæ supra) quam Cl. Quercetanus, detracta forma dialogica, edidit ex cod. ms. Sirmondi, ubi exstabat sub nomine Alcuini. Et verosimile nobis videtur hanc ipsam commentatiunculam a quopiam pro singulari usu suo ex hocce dialogo extractam fuisse. Id.

X.

CANDIDUS.

De Imagine Dei [1].

XI.

MICHAEL PSELLUS.

De hominis natura cum cœlestium corporum motibus comparata [2].

XII.

GERMANUS GABALITANUS.

De Homine et ejus significatione [3].

XIII.

GUILLELMUS DE CONCHIS.

De Opere sexti diei [4].

XIV.

RAYMUNDUS DE SABUNDE.

1° *Theologia naturalis, seu liber creaturarum, sive de homine propter quem sunt aliæ creaturæ* [5].

2° *De natura hominis, seu Viola animæ per modum dialogi* [6].

II.

APPENDIX ALTERA AD CAPITA IV ET V.

RELIQUI NONNULLI SCRIPTORES

DE OPIFICIO MUNDI ET HOMINIS.

I.

VICTORINUS PHILOSOPHUS.

Opusculum pro religione christiana contra philosophos physicos [7].

II.

VENERABILIS BEDA.

Hymnus de opere sex dierum primordialium et de sex ætatibus mundi.

III.

THEODORUS STUDITA.

Τετράστιχοι εἰς Ἑξαήμερον.

IV.

ANONYMUS SYRUS.

De Opificio sex dierum.

V.

SIMEON LOGOTHETA.

In mundi opificium, ex Genesi et chronicis per seriem opus collectum.

VI.

NICETAS SERRON.

Catena in Hexaemeron.

VII.

MOSES BAR-CEPHA, SYRUS.

Commentarii de Paradiso.

VIII.

HUGO RHOTOMAGENSIS.

Commentarius in Hexaemeron.

IX.

ROBERTUS SCRIBA.

In Hexaemeron. Collecta quæstion. in Pentateuchum.

X.

BERNARDUS SILVESTRIS.

Megacosmus et *Microcosmus*, sive libri II *de Mundo et Homine.*

XI.

MATTHÆUS LENSIUS.

In Cosmographiam Mosis seminarium verbi Dei.

XII.

ANDREAS DE BILIIS.

De mundo sex diebus condito.

XIII et XIV.

JOANNES MARESCALLUS et GUILLELMUS CORBORENSIS.

Commentarii in Hexaemeron.

XV.

ALBERTUS MAGNUS.

Summa de creaturis sive *de Operibus sex dierum.*

(1) *Dei.* Brevissimum illud opusc. exstat ibid. t. II, p. 597. — (2) *Comparata.* Cs. Fabric. *Bibl. gr.* t. x, p. 42. — (3) *Significatione.* Cod. Paris. gr. 2872. — (4) *Diei.* Editio vet. sine loci nec anni nota laudatur apud Hain, *Repertor. bibliogr.* n. 5604. — (5) *Creaturæ.* Vide edit. 4 ibid. n. 14066-14069. — (6) *Dialogi.* Ibidem bis edit n° 14070-14071. — (7) *Physicos.* De singulis cs. *Proleg.* et varias Fabricii *Bibliothecas.*

CAPUT VI.

DE METALLIS ET ALIIS REBUS, SIVE HIS QUÆ EX EIS FIUNT [1].

I.

1. Aurum, divinitatis splendor[2] : « Caput ejus, aurum optimum. »

2. Sancti, in Job : « Ab aquilone aurum venit[3]. » ÷ Et in psalmo : « Et dabitur ei de auro Arabiæ[4]. » ÷ Sanctitatis splendor : « Quomodo obscuratum est aurum[5] ? »

3. Sapientia, ÷ vel regius honor : « Aurum, thus et myrrham[6]. » ÷ Sicut in Exodo, in ornamento sacerdotis hoc ipsum in priori loco habere præcipitur.

4. Reprobi, modo viventes[7] : « Sternit sibi aurum, quasi lutum[8]. »

÷ 5. Supernæ civitatis splendor : « Ipsa vero civitas, aurum mundum[9]. »

÷ 6. Temporalis gloriæ nitor : « Calix aureus, Babylon[10]. »

÷ 7. Charitas : « Procinctus ad mamillas zona aurea[11]. »

÷ 8. Ingenium : « Si putavi aurum robur meum[12]. »

÷ 9. Sensus bene agentis : « Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, ita probatur homo laudatus[13]. »

÷ 10. Ecclesia, vel anima : « Ab Aquilone aurum venit. »

÷ 11. Spiritualis sensus in Scriptura divina. In psalmo : « Posteriora dorsi ejus, in specie auri[14]. »

÷ 12. Ecclesiæ fides. In psalmo : « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato[15]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 26 ad 11; ed. II, col. 764 A, B ad 3, 5, 11.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 1, p. 418.

Gregorius M. Aurum, intima divinitatis claritas, ut ibi de sponso dicitur : « Caput ejus, aurum optimum. » Aurum quippe caput habet sponsus, quia caput Christi, Deus. — Splendor supernæ civitatis; unde Joannes : « Ipsa civitas, aurum mundum, simile vitro mundo; » quia per aurum clara, per vitrum meruit esse perspicua. — Cha-

(1) *Fiunt.* Ita B, C. Titulus a capite truncatur in D, medioque textui inseritur in hunc modum : *Eisdem et aliis sive his quæ ex eis fiunt.* Jam conjicere inde est, eumdem codicem ex alio vetustiore, eoque propter vetustatem manco aut evanido fuisse transsumtum. Inscriptio integra deest in F, G. In hisce secundæ familiæ exemplaribus caput partim rejicitur post X, partim intercalatur capiti IV. — (2) *Aurum, Deus, sicut in Cantico canticorum pro Christo dicitur : Caput* (Cant. I, 2) B-G. — (3) *Venit, id est a populo gentium, credentes in Christo* B-G. Job XXVIII, 24. — (4) *Arabiæ.* Ps. XCI, 15. — (5) *Aurum.* Thren. IV, 1. — (6) *Myrrham.* Matt. II, 11. — (7) *Reprobi quique apud Deum, et apud homines electi, de quibus in Job pro Zabulo dicitur : sternit, etc. Et in Habacuc : Esca ejus electa* [I, 16] B-G. — (8) *Lutum.* Job XLI, 20. — (9) *Mundum.* Apoc. XXI, 8. — (10) *Babylo..* Jerem. LI, 7. — (11) *Aurea.* Apoc. I, 13. — (12) *Meum.* Job XXXI, 21 — (13) *Laudatus.* Prov. XVII, 3. — (14) *Auri.* Ps. LXVII, 14. — (15) *Deaurato.* Ps. XLIV, 20.

ritas ; unde angelus ad mamillas aurea zona præcinctus esse ostenditur, quia supernorum civium pectora sola charitate constringuntur. — Nitor gloriæ temporalis, ut ibi : « Calix aureus, Babylon ; » quia, dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ pulchritudinis subtrahit [1]. — Splendor sanctitatis, ut ibi : « Quomodo o. ę. a, mutatus est color optimus? » Aurum quippe quodammodo obscuratur, quum sanctitatis splendor luto concupiscentiæ carnalis inficitur. — Claritas ingenii ; unde Job : « Si putavi a. r. m. » Aurum namque robur non creditur, si in accepto ingenio fiducia non probetur. — Sensus bene operantis ; unde Salomon : « Sicut probatur, etc. » Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur, dum fornace linguæ non consumitur, sed purgatur. — Fidelis anima ; unde Job : « Ab aquilone aurum veniet. » Ab aquilone aurum venire dicitur, quum quælibet anima, peccati quodam frigore congelata, in gloriam vitæ splendidæ reparatur.

Rabanus. Aurum, divinitas, ut : « Caput e. a. o. — Splendor patriæ cœlestis, velut : « Ipsa civitas s. a. m. » — Sapientia primi angeli, ut : « Aurum, opus decoris tui [2]. » — Cœtus bonorum spirituum, ut : « Non dabit aurum obrizum pro eo [3]. » — Virtus charitatis, ut : « Præcinctum, etc. » — Sapientia spiritualis, ut : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis [4]. » — Sapientia gentilitatis, ut : « Dabitur ei d. a. a. » — Sublimitas temporalis, ut : « Si putavi a. r. m. » — Claritas sanctorum in cœlo, ut : « Non adæquabitur ei aurum [5]. » — Claritas animæ conversæ, ut : « Ab aquilone a. v. » — Cœtus martyrum, ut : « Auro locus est, in quo conflatur [6]. » — Patientia, ut : « Probavit me quasi aurum quod per ignem transit [7]. » — Regia potestas, ut : « Magi aurum offerunt. » — Vita sacerdotum, ut : « Quomodo o. e. a. » — Sancta conversatio populi, ut : « Glebæ illius, aurum [8]. » — Claritas contentorum mundi, ut : « Sternet sibi a. q. l. — Acumen ingenii, ut : « Suadeo tibi emere aurum ignitum [9]. » — Sapientia reproborum, ut : « Merces auri tui nemo emet [10]. » — Favor pompæ sæcularis, ut : « Dilexi mandatum tuum super aurum [11]. » — Præmium æternum, ut : « Posteriora dorsi ejus in pallore auri. »

Cf. *de Universo*, lib. XXII, c. 12, col. 475.

Petrus Cantor. Offerendum est aurum sapientiæ, et myrrha mortificationis instar magorum. Dum offerimus sacerdoti, manus ejus osculamur. In hoc quod osculamur, dimittimus, ut dimittatur nobis. In hoc quod ei oblationem damus, Deo damus, ut detur nobis. Primo ostenditur misericordia ; secundo, veritas ; hæ semper simul debent esse. « Universæ enim viæ Domini, misericordia et veritas [12]. » — Offerimus aurum, si sapientiæ luce resplendemus, et per patientiam, tribulatione pulsante, non deficiamus, quia nobis tribulatio est necessaria, sicut fornax auro. Unde : « Aurum probat fornax. » — « Et apertis thesauris suis, obtulerunt, etc. ; » aurum scilicet regi, thus Deo, mortali myrrham. Dicunt sancti : Aurum est perfecta sapientia ; thus, oratio munda ; myrrha, operatio bona. Primum ergo fides offerenda est, in qua vera sapientia ; deinde, oratio ; tertio, bona operatio. — Offert aurum, qui Christum ex toto corde diligit, qui divinitatem in Christo homine recognoscit, sicut in Canticis legitur : « Caput e. a. o. »

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 65.

Aurum

Divinitatis.	Charitatis.
Humanitatis Christi, ad designandam stirpem regiam.	Splendidæ sanctitatis.
Angelicæ puritatis.	Theologicæ veritatis.
Ecclesiasticæ unitatis.	Philosophicæ loquacitatis.

(1) *Subtrahit* ex Garnerio. In codice *subministrat*. — (2) *Tui*. Ezech. XXVIII, 13. — (3) *Eo*. Job XXVIII, 15. — (4) *Sapientis*. Prov. XXI, 20. — (5) *Aurum*. Job XXVIII, 17. — (6) *Conflatur*. Job XXVIII, 1. — (7) *Transit*. Job XXIII, 10. — (8) *Aurum*. Job XXVIII, 6. — (9) *Ignitum*. Apoc. III, 18. — (10) *Emet*. Apoc. XVIII, 12. — (11) *Aurum*. Ps. CXVIII, 127. — (12) *Veritas*. Ps. XXIV, 10.

Sacerdotalis dignita- Mundanæ prosperi-
tis. tatis.

Figuræ. Per primum, hircus apopompeius in solitudine jactatur. Per secundum, filia Jephte pro victoria immolatur. Per tertium, cœlum empyreum cum terra creatur. Per quartum, arca Noe in uno cubito consummatur. Per quintum, Noe de fabricanda arca mandatur. Per sextum, arca Noe bitumine intus et extra linitur. Per septimum, templum Salomonis ex dolatis lapidibus construitur. Per octavum, rota in medio rotæ conspicitur. Per nonum, murus Jericho funditus evertitur, id est munitio philosophica, qua munitus erat mundus. Per decimum, Sodoma sulfure et igne submergitur, id est prosperitas mundana.

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Auro*. Aurum pretiosum est; speciosum est; tractabile est; ductile est; ponderosum est; in igne missum clarius rutilat; lepram purgat. Quia pretiosum est, significat sapientiam et charitatem; quia speciosum est, continentiam et sobrietatem; quia ductile est, obedientiam et humilitatem; quia ponderosum est, constantiam et morum gravitatem; quia in ignem missum clarius rutilat, patientiam et fidem; quia lepram purgat, eleemosynam et confessionem.

Pretiosa est sapientia, de qua scriptum est: « Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari [1]. » Et de charitate scriptum est: « Si dederit homo omnem substantiam domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam [2]. » Speciosa est castitas; unde: « O quam pulchra est casta generatio [3]! » Ductilis est obedientia; unde: « Fiat voluntas tua, etc. » Ponderosa est constantia; unde: « In populo gravi laudabo te [4]. » Clarior fit igne tribulationis patientia. Nam « tribulàtio patientiam operatur [5]. » Unde Seneca: Rutili virtus latuisset, nisi accepisset injuriam; dum violatur, effulsit [6]. Et insignis poeta [7]:

Nos quoque conspicuos nostra ruina facit.

De fide ait Apostolus Petrus: « Ut probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem transit [8]. » Et poeta, de fide quam fidelitatem dicimus, per quam credibiles efficimur, ait [9]:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Lepram, id est mortalem culpam, purgat, id est expungit tam eleemosyna quam confessio, quia, teste sancto Tobia, « eleemosyna a morte et ab omni malo liberat [10]. » Et teste sancta Ecclesia, omnia in confessione lavantur.

Aurum significat

Deitatis eminentiam [11].	Regiam potestatem.
Cœlestem sapientiam.	Sacerdotalem excellentiam.
Charitatem.	Mundanam sapientiam.
Castitatem.	
Patientiam.	Mundi gloriam.

Anonymus Clarevallensis. Aurum, ab *aura* dictum, id est a splendore, eo quod repercusso splendore plus fulgeat [12]. Aurum pretiosissimum metallorum; solidissimum; quanto rubicundius, tanto melius; visum fovet; per fornacem purgatur; splendidum est; reges decet; ponderosius cæteris metallis; quo caro incisa, non putrescit; temperatissimum, purissimum; adveniente die, madescit; in cibo sumtum, mundificat sanguinem; præ omnibus metallis a terrenitate purgatius.

Sunt auro signata fides, amor, atque sophia,
Ignitum Domini verbum, populusque fidelis,
Vita sacerdotum, patriæ nitor, et Deus ipse.

Aurum.

Divinitas Christi.	Sapientia sensualis.
Claritas cœlestis patriæ.	— gentilitatis.
	Claritas temporalis.

(1) *Comparari*. Prov. III, 15. — (2) *Eam*. Cant. VIII, 7. — (3) *Generatio*. Sap. IV, 1. — (4) *Te*. Ps. XXXIV, 18. — (5) *Operatur*. Jacob. I, 3. — (6) *Effulsit*. Senecæ *Epp*. 79, 12. — (7) *Poeta*. Ovid. *Pontic*. lib. III, ep. I, v. 56. — (8) *Transit*. 1 Petr. I, 7. — (9) *Ait*. Ovid. *Pontic*. lib. V, ep. V, vers. 25, 26. — (10) *Liberat*. Tob. XV, 9. — (11) *Eminentiam*. Subjiciuntur hic et deinceps eadem propemodum loca, quæ supra citantur. — (12) *Fulgeat*. Hæc Isidorus (*Etymol*. XVI, 18. Cf. Hug. *S. V.* t. III, 463) accepit a Servio in *Æneid*. VI, 204:

Discolor inde auri per ramos aura refulsit.

Sapientia primi angeli.
Virtus charitatis.
Cœtus martyrum.
Regia potestas.
Vita sacerdotum.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Exod., v. 1106-1115.

Ad majora stylus properans torpescit, et ipso
Tracta tabernaculi nomine, penna gemit.
Et re sæpe stylum tam grandis dictio ladat,
Labs sive domus confero nomen ei.
Auri nobilitas, argenti fulgor, et æris
Materies primo dantur ad illud opus.
Auro mens sapiens, argento sermo notatur,
Nil nisi vera loquens, purus et absque dolo.
Æs resonans sonitu sibi subjugat omne metallum,
Facundosque notat ore tonante viros.

II.

Ibid., v. 1617-1624.

Aaron fronte sedens nitet auri lamina puri;
Scribitur hic titulus sanctus, honorque Dei :
Ut quasi frons dicat : Sanctum Domini tibi monstro,
Qui frons et titulus debet esse gregi
Auro fit titulus puro; fit stricta hyacintho
Lamina : virtutes tres ibi præsul habet.
Mens auro puro sapiens et munda; hyacintho
Præsulis exprimitur mens super astra volans.

III.

In Evangel., v. 463-482.

Ingressique domum, puero, cum supplice voto,
Aurum, thus, myrrham, tres tria dona ferunt...
Quid thus designet, quid adumbret myrrha, quid aurum
Exprimat, inquire : pagina sacra docet.
Mortuus in myrrha Christus signatur; in auro,
Rex; in thure, Deus : sunt tria forma trium.
Huic offers myrrham? credatur mortuus. Aurum,
Si regem credas; thus, venerando Deum.
Quod latet in donis, alia ratione notata,
Declarant aliud regia dona mihi.
Per myrrham, macerata caro; doctrina, per aurum;
Per thus signatur vox lacrymosa precum.
Dat myrrham qui se macerat; thus, quilibet orans
Cum lacrymis; aurum, qui sapienter agit [1].

II.

OBRIZUM, angelica natura : « Non dabitur aurum obrizum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Obrizum, angelica natura; sicut in pretium sapientiæ dicitur : « Non dabitur a. o. pro ea. » Nullus enim vice ejus angelus mittitur, ubi necesse est ut per creatorem creatura liberetur. — Mentis pulchritudo, ut ibi : « Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi : Fiducia mea [3]. » Quasi diceret : nec intellectum meum mihi attribui, nec puritatem mentis meæ meis viribus deputavi.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 2, p. 421.

RABANUS. Obrizum, angelicæ dignitates : « Non dabitur a. o. » — Sanctitas hominis : « Nec obrizo d. f. m. » — Divitiæ terrenæ : « Pretiosior erit homo auro obrizo [4]. »

Cf. *de Universo*, ibid., col. 475 B.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Obrizum.
Fervor charitatis.
Angelica natura.
Mens humana.

III.

1. DENARIUS, æterna retributio [5] : « Placito autem facto cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. »

2. Denarii duo, duo præcepta charitatis [÷ vel utrumque testamentum, hoc est vetus et novum, in Evangelio] : « Et alio die protulit duos denarios, et dedit stabulario [6]. »

(1) *Agit.* Cf. Hildeberti *Opp.* Col. 1337. — (2) *Obrizum.* Job XXVIII, 15. — (3) *Mea.* Job XXXI, 24. — (4) *Obrizo.* Is. XIII, 12. — (5) *Beatitudinis retributio, in Evangelio* B-G. Matt. XX, 2. *Suam, id est in exercitium bonæ operationis* B, C, D, G. *Boni operis.* — (6) *Stabulario.* Luc. X, 35.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Denarius, Christus, ut : « Bilibris tritici, denario uno [1]. » — Æterna retributio, ut : « Conventione facta ex denario diurno. » — Duo testamenta, ut : « Altera die protulit, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. IV, art. 22. Denarius naturæ, gratiæ et gloriæ. Denarius naturæ, mens rationalis. Evangelium : « Ostendite mihi numisma census. Et quum obtulissent ei denarium, ait : Reddite [2], etc. » — Denarius gratiæ est Scripturæ denarius, sive decalogus legis. Psalmus : « In psalterio decem chordarum psallite illi [3]. » Et litteralis, vel spiritualis intelligentia legis. Evangelium. « Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quinquaginta [4], » id est judæus, qui solam litteram acceperat ; « alius vero ducentos, » scilicet populus gentilis, qui et litteram et spiritum acceperat. — Denarius gloriæ, beatitudo æterna, de quo in Evangelio pater familias conduxerat operarios in vineam suam. Evangelium : « Nonne ex denario convenisti mecum [5] ? »

Primus datur incipientibus [6] ; secundus, proficientibus ; tertius, pervenientibus. Primus datur ad negotiationem ; secundus, ad multiplicationem ; tertius, ad remunerationem. Per primum laborando, lucratur quis secundum ; per secundum proficiendo, meretur tertium. Per tertium non lucratur alium, sed ipse est lucrum.

Primi autem denarii, id est rationalis mentis, fabricator est Deus. Et habet imaginem regis impressam, id est gratiam, et etiam nomen regis insculptum ; unde et a Christo dicuntur christiani. Interdum tamen ab hoc denario deletur imago Dei. Et tamen retinet nomen, ut in his qui sunt falsi christiani. Et tunc ipse diabolus imprimit ei imaginem suam ; et sic est denarius ille falsus. Sic itaque diabolus falsat monetam mentis nostræ. In falsa quippe moneta, superscriptio quidem eadem est cum vera, sed materia diversa, et ideo inde provenit periculum : sic et falsus christianus eamdem quidem habet superscriptionem cum vero, quia uterque dicitur christianus ; sed materiam christianitatis, id est imaginis impressionem, habet diversam : nam verus, imaginem Dei ; falsus vero imaginem diaboli habet impressam ; et ideo inde præcipue imminet periculum. Nulla autem efficacior pestis ad nocendum, quam familiaris inimicus. Sed si immittitur superscriptio, ut ne dicantur christiani, manifeste apprehenduntur quasi evidenter falsa moneta, et ideo ne damnum sequatur, facilius præcavetur.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Denario*. Denarius est numerus qui ex decem constat unitatibus ; et denarius dicitur genus numismatis, quod pro decem nummis imputatur, vel potius imputabatur, et significat uterque perfectionem, tam numerus scilicet quam nummus. Numerus, quia ipse est primus limes numeri, quem numerando non potes transgredi, nisi recurras ad unitatem. In hoc etiam evidenter notatur perfectio per denarium : quia lex divina comprehensa est in decem præceptis ; rerum universitas, in decem prædicamentis ; et Ægyptus percussa est decem plagis. Unde Petrus Riga sic dixit [7] :

Perfectas signat numeri perfectio pœnas :
Nam reprobas mentes ultio plena ferit.

(Plenius dixisset et planius, si dixisset :

Nam reprobos omnes ....

ubi dixit, « Reprobas mentes. »)

Denarius nummus, imagine regis et su-

(1) *Uno*. Apoc. XI, 6. — (2) *Reddite*. Matt. XXII, 19. — (3) *Illi*. Ps. XXXII, 2. — (4) *Quinquaginta*. Luc. VII, 41. — (5) *Mecum*. Matt. XX, 13. — (6) *Incipientibus*. Singulis illis distinctionibus, immo apicibus singulis, appenduntur gemmulæ Scripturarum, quas dura quidem lege, sed lege, ne hujusmodi armillis obruamur, excerpere necesse fuit, aut integras in codice relinquere. — (7) *Dixit*, in *Aurora*, ad Exod., v. 191, 192.

perscriptione insignitus, significat animam humanam ad imaginem Dei creatam, qui solus vere et proprie est rex, et ipse omnia regit, et regi non indiget. — Item denarius, propter rotunditatem, significat vitam æternam; unde : « Nonne ex denario convenisti mecum [1]? » — Item duo denarii quos Samaritanus dedit stabulario, duo testamenta significant, quorum scientiam Dominus dedit apostolis post resurrectionem suam, descendente super eos Spiritu sancto die pentecostes; unde quondam vir acutissimus ait : Spiritus scientiæ ad consolandum hodie apostolis donatur; et eis plenarie fons veræ sapientiæ per hunc administratur. Stabularius est apostolorum chorus; stabulum, Ecclesia; in qua Dei animalia pascuntur verbi divini doctrina et sacrosancta Eucharistia.

Anonymus Clarevallensis. Denarius dictus, quod pro decem nummis imputatur. Imaginem regis et superscriptionem continet; argenteus, rotundus, integer, bene formatus, non imminutus; æqui ponderis est signum : formæ rotunditas; figura, imaginis; scriptura, cognitionis; cum labore acquiritur; cum timore possidetur; cum dolore amittitur : iram mitigat; pacem facit; dignitates acquirit.

Denarius. { Christus. / Duo testamenta. / Æterna retributio.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2619-2626.

Quingentos nummos debebat debitor unus,
Et decies quinque debitor alter erat.
Gentes designat major debitor ille :
Peccavere diu, nec timuere Deum.
Sed, veniente Jesu, credunt, peccata relinquunt,
Et largis redimunt facta priora bonis.
Judæam signat qui debebat minus : illa
Ante Deum timuit; nunc manet absque fide.

IV.

Drachma [1], homo ad imaginem Dei factus : « Quæ mulier, habens drachmas decem, » ÷ « si perdiderit unam ex illis [2]...? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Drachma, humana natura, ut : « Inveni drachmam quam perdideram [3]. » — Angelica natura et humana, ut : « Quæ mulier habens drachmas ...? »

Petrus Capuanus ad litt. iv, art. 23. Drachma materialis, spiritualis et cœlestis. De prima Evangelium : « Quæ mulier, etc. » — Drachma spiritualis est homo. Evangelium : « Si perdiderit, etc. » — Drachma cœlestis, angelica natura. Novem enim drachmas, quas non amisit mulier prædicta, sunt novem ordines angelorum, qui in sua puritate permanserunt.

Prima reponitur in thesauro materiali. Evangelium : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in cœlo [4]. » Nonne in hoc thesauro reposuerat hujusmodi drachmas adolescens ille, qui, quum audisset a Domino : « Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et tum veni, et sequere me [5]; » abiit tristis, eo quod erat multas divitias habens? An non has male reponunt in hujusmodi thesauris, hi quibus dicitur : « Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram [6]! » — Secunda, in thesauro cordis spiritualis. Evangelium : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum [7]. » Nonne in hunc thesaurum intraverat, et reposuerat se ipsum, ille qui amico insistenti respondet : « Noli mihi molestus esse; jam pueri mei mecum sunt

(1) *Drachma, id est denarius — illis. Hanc mulierem Sapientiam Patris quidam intellexerunt, alii vero Ecclesiam* B-G. — (2) *Illis.* Luc. xv, 8. — (3) *Perdideram.* Luc. xv, 9. — (4) *Cœlo.* Matt. vi, 20. — (5) *Me.* Matt. xix, 21. — (6) *Vestram.* Luc. vi, 24. — (7) *Tuum.* Matt. vi, 21.

in cubili[1]? » Et Paulus, quum dicebat : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ[2]? An non in hoc thesauro se bene reposuit ille, qui intrat in cubiculum suum, et ibi, clauso ostio, orat Patrem suum? An non et Maria in hoc manebat reposita, quando, Martha ministrante, ad pedes Domini residebat, et audiebat verbum illius? — Tertia, in thesauro cœlesti, « ubi fur non appropinquat, nec tinea demolitur. » Nonne in thesauro cœli repositæ sunt hujusmodi drachmæ, quando « angeli parvulorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est[4]? » An ibi eas repositas aspiciebat Daniel, quum dicebat : « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei[5]? »

Anonymus Clarevallensis. Drachma, angelica natura et humana, ut : « Quæ mulier h. d. x. » — Confessio oris, ut : « Magister vester non solvit didragma. » — Humana natura, ut : « Inveni drachmam q. p. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2445-2448.

Ecclesiæ mulier typus; animam vitiorum
Astrictam laqueis perdita drachma notat,
Quæ se corripiens, peccata priora relinquens,
Cælicolas hilares christicolasque facit.

V.

1. Talentum unum, intelligentiæ donum : « Alii vero unum[6]. »

÷ 2. Et in malam partem. In Zacharia : « Vidi iniquitatem super talentum plumbi[7]. »

÷ 3. Talenta duo, intellectus et operatio : « Alii autem duo. »

÷ 4. Duo testamenta, ubi et supra.

5. Talenta quinque, quinque libri Moysis[8].

÷ 6. Quinque sensus corporis, per quos externa bene subministrantur, ubi et supra.

÷ 7. Decem talenta, operatio decem præceptorum legis; unde in Evangelio : « Et oblatus est ei unus qui debebat decem talenta[9]. »

÷ 8. Talenta, dona gratiæ : « Et uni dedit quinque talenta. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Talentorum nomine dona gratiæ designantur, ut in Evangelio : « Homo quidam, etc. » Quinque talentis quinque sensuum, id est exteriorum, scientia exprimitur; duobus vero, intellectus et operatio; unius autem talenti nomine, intellectus tantummodo.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 3, p. 482.

Rabanus. Talentum, intellectus, ut : « Abscondit talentum in terra. » — Pondus peccati, ut : « Ecce talentum plumbi portabatur. » — Pondus bonum, ut : « Candelabrum habebat talentum aureum[10]. » — Sensus corporis, ut : « Domine, quinque talenta tradidisti mihi. » — Intellectus et operatio, ut : « Duo talenta tradidisti mihi. »

Petrus Cantor. Talenta quinque sunt sensus corporis, visus, auditus, gustus, olfactus, tactus. — Duo, intellectus et operatio; unde in Evangelio, qui quinque accepit, id est rectam operationem in tempora-

(1) *Cubili*. Luc. XI, 7. — (2) *Nostræ*. II Cor. I, 12. — (3) *Fur*. Matt. VI, 19. — (4) *Est*. Matt. XVIII, 10. — (5) *Ei*. Daniel. VII, 10. — (6) *Unum*. Matt. XXV, 15-22. — (7) *Plumbi*. Zachar. V, 7. — (8) *Moysis, ut quidam volunt, alii autem quinque, etc.* B-G. — (9) *Talenta*. Matt XVIII, 24. — (10) *Aureum*. Exod. XXXVII, 24.

libus, alia quinque lucratur, quia per observationem mandatorum venit ad præmium eorum. — Unum vero talentum est intellectus. — Talentum etiam cujuslibet est quidquid habet quod sibi vel aliis potest proficere.

Petrus Capuanus ad litt. XIX, art. 22. Talentum ad litteram est pondus certæ quantitatis, et inter pondera dicitur maximum. Est autem talentum naturæ, scripturæ, gratiæ et culpæ.

Talenta naturæ sunt dona naturalia, ut ingenium, intellectus, et cætera hujusmodi. Talenta scripturæ sunt mandata decalogi. Talentum gratiæ est plena Dei gratia. Talentum culpæ est pondus et gravedo peccatorum. Talentum pœnæ est gravis ira et vindicta Dei. Apocalypsis : « Grando magna sicut talentum [1] descendit de cœlo in homines, et blasphemaverunt homines Deum, propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. »

Talenta naturæ multiplicantur per bonum usum naturalium. Talenta scripturæ multiplicantur per completionem operis et doctrinam. Talenta gratiæ multiplicantur per augmenta virtutum. Talenta culpæ multiplicantur per aggravationem peccatorum. Talenta pœnæ multiplicantur per vehementiam cruciatuum. Et hæc est diplois illa de qua inquit David : « Induantur sicut diploide, confusione sua [2]; » et de qua Jeremias : « Duplici contritione contere eos, Domine, Dominus noster [3]. »

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Evangel., v. 2471-2476.

Dena talentorum vir debens millia, pravos
Qui spernunt legis jussa decena notat;
Qui peccando rei, Domino quasi maxima debent
Debita, sed veniæ flendo merentur opem.
At nisi dimittant aliis sua debita, Christus
Nil dimittet eis; immo priora luent.

II.

Ibid., v. 2765-2774.

Vir peregre pergens est Christus ad astra revertens,
Spe lucri servis dans sua dona suis.
Quinque talenta prior, alius duo, tertius unum
Accipit, ut Domino tres tria lucra parent.
Quinque talenta libri Moysis sunt quinque, prior quos
Multiplicat, per eos jussa tenendo decem.
Bina talenta vetus lex et nova; duplicat illa
Quisquis mortalem vim typicamque tenet.
Est intellectus unius marca talenti,
Quam malus abscondit, nil operando boni.

VI.

Electrum, Christus [4] : « Et a lumbis ejus et supra, quasi electrum [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Electrum, mediator Dei et hominum; in quo, quasi per argentum, auri fulgor oppalluit, quum incarnationis amictu majestatis suæ gloriam in nostris aspectibus temperavit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 8, p. 428.

Rabanus. Electrum, Christus, ut : « De medio ejus quasi species electri. ».

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 16, col. 478.

Anonymus Clarevallensis. Electrum, propter auri fulgorem et argenti claritatem, significat Christum divinitatem et humanitatem habentem : « Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis [6]. »

Thomas Cantipratanus in libro *de Naturis rerum* XV, art. 3. Electrum duplex est : electrum naturale, et electrum artificiale. Artificiale, ut dicit *Liber rerum*, ex auro et argento pariter mixtis conficitur.

(1) *Talentum*. Apoc. XVI, 21. — (2) *Sua*. Ps. CVIII, 28. — (3) *Noster*. Jerem. XVII, 18. — (4) *Christi divinitas, carni conjuncta, in Ezechiele* B-G. — (5) *Electrum*. Ezech. I, 4. — (6) *Ignis*. Ezech. VIII, 2.

Naturale vero simile est colore, sed in virtute præstantius. Invenitur autem rarissime, et difficillime discernitur sophulisatum a vero naturali electro. Potest autem hoc modo discerni : vas ex vero et naturali electro venenum prodit; cui si venenum infunditur, stridet, quasi violentiam passum, et perdit colorem, usque dum igne purgetur. Est autem hoc metallum conservativum; unde antiquitus in locellis ex electro Magnorum corpora condebantur. Unde legitur quod Magnus Constantinus corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli in locello ex ære cyprio condidit [1]; quod utique creditur electrum fuisse, quia in Cypro insula reperitur præcipuum.

Petrus Capuanus ad litt. v, art. 43. Electrum est quædam mixtura ex auro et argento; unde et Christus dicitur electrum, propter aurum divinitatis et argentum humanitatis. Ezechiel : « De medio ejus quasi species electri [2]. » Electrum etiam dicitur pretiosius auro, propter quod designat divinitatem; unde et Deus a lumbis sursum dicitur electrum, quia divinitas præcedit humanitatem.

Biblia Codic. Bellevall. Electrum, mediator Dei et hominum.

VII.

1. Argentum, eloquium Dei [3] : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum [4]. » ÷ Et in propheta contra hæreticos : « Argentum meum et aurum meum tulistis, et posuistis in delubris vestris [5]. »

2. Populus judaicus : « Argentum reprobum vocat eos, quia Dominus projecit eos [6]. »

3. Confessio oris, vel castitas [7] : « Omnis qui percipit corde, offeret initia Domino, aurum, argentum et æramentum [8]. »

÷ 4. Scriptores divinorum eloquiorum : « Non appendetur argentum in conspectu ejus [9]. »

÷ 5. Sermo prædicationis. In Exodo : « Columnæ tabernaculi deargentatæ esse perhibentur [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 26 ad I; ed. II, col. 762 B ad I, *et in malam partem*.

Gregorius M. Argentum, divinum eloquium, de quo Judæis bene dicitur per prophetam : « Quare appenditis argentum, non in panibus; et panem vestrum, non in saturitate? » Ac si diceret : dum solam superficiem divini eloquii creditis, gratiam internæ refectionis amittitis. Unde illud : « Disperierunt omnes, involuti argento [11]. » — Scriptores divini eloquii; unde Job, quum sapientiæ pretium requirit, dicit : « Non appendetur, etc., » quia nimirum eloquentia prædicantium, quantacumque

(1) *Condidit*. « Ipsum loculum undique ex ære cyprio conclusit, quod est immobile. » Hæc *liber Pontificalis* ad S. Sylvestrum (ed. Blanchini, t. II, p. 511). Ad hæc notandum occurrit æneum quidem fuisse monumentum, in quo loculi cum corporibus SS. Apostolorum sunt reconditi, minime vero ibidem quales fuerint loculi et e qua materia exprimi. Primus est Petrus Manlius, at sæculi XII scriptor, qui eos argenteos faciat, quod quidem et rationi esse et historiæ consentaneum Bollandiani volunt in Junii t. VII, p. 119 *de Basil. S. Petri in Vatic.* n. 178. — (2) *Electri*. Ezech. I, 4 et 27, ad quem respicitur paulo infra : *A lumbis*, etc. — (3) *Divina Scriptura, vel ipsa historia legis, in psalmo* B-G.—(4) *Examinatum*. Ps. XL, 7. — (5) *Vestris*. Joel. III, 5. — (6) *Populus Judæorum in Jeremia* B, G. *Eos*. Ib. VI, 30. — (7) *Oris confessio, sive munditia castitatis. In Exodo* B-G. — (8) *Æramentum*. Exod. XXV, 5. — (9) *Ejus*. Job XXVIII, 15. — (10) *Perhibentur*. Exod. XXVI, 19. Sequuntur in codd. utriusque familiæ art. duo *Vittæ aureæ* et *Circuli aurei*, quos satius visum est remittere ad cap. X, ubi hujusmodi multa. — (11) *Argento*. Sophon. I, 11.

sermonis claritate effulgeat, pretium tamen nobis supernæ sapientiæ sua præsentia non compensat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 7, p. 427.

Rabanus. Argentum, eloquium spirituale, ut : « Argentum tuum versum est in scoriam [1]. » — Nitor divinæ eloquentiæ, ut : « Murenulas aureas faciemus tibi, verniculatas argento [2]. » — Martyres, ut : « Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum [3]. » —Figmenta poetarum, ut : « Merces argenti tui nemo emet [4]. » —Vita prædicatorum, ut : « Non appendetur, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 13, col. 478.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 66. Argentum tribus modis in bono, tribus in malo.

Argentum

In bono.	*In malo.*
Vita sanctorum.	Perversum dogma.
Patientia martyrum.	Tulliana facundia [5].
Vera prædicatio.	Simoniaca hæresis.

Primum argentum non uritur igne concupiscentiæ : neque enim exussit Joseph Ægyptia impudica, nec Susannam concupiscentia sacerdotum. — Secundum probatur fornace tribulationis : probati sunt enim tres pueri, socii Danielis, in fornace Nabuchodonosor, quando succensa est septuplum. —Tertium, discussione veritatis : sic probaverat argentum suum Paulus, quum ait : « Etiamsi angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, præter quod accepistis, anathema erit [6]. » — Quartum, instantia persequutionis : sic probati sunt illi quibus dicitur : « Non ascendistis ex adverso, ut opponeretis vos murum pro domo Israel [7]. » —Quintum, utilitate conversionis : sic probatus fuit Dionysius Areopagita, quando conversus est ad exhortationem Pauli. — Sextum reprobatur fornace gehennalis damnationis : sic reprobatur dives ille qui sepultus est in inferno, quando guttam de digito Lazari cupiebat.

Eloquia Domini comparantur argento propter tinnitum.

— Pretiositatem.

— Splendorem qui consistit :

In spirituali intelligentia.

— In apertione.

— In dilatatione.

— In operatione.

Thomas Cantipratanus, in lib. XV, art. 4, *de Argento*. Argentum frigidum est et temperatum, ut dicit Plato. Durabile est, ubi purum fuerit; impurum vero, de facili contrahit corruptelam. Ductile est atque tractabile; sonorumque ac tinnitu dulcissimum, et hoc maxime, si æri misceatur. Unde tubas ductiles ex argento fieri præcepit Moyses, ad terrorem hostium. Osee : « Clanget tuba, et populus expavescet [8]. » Clanget ad exhortationem ad pugnam, sicut dicitur in Deuteronomio. Ad castra movenda, sicut dicitur in Numeris. Ad vocandum ad epulas, sicut dicitur in Psalmo : « Buccinate in neomenia tuba [9]. »

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Argento*.

Argentum omnium candidorum metallorum est candidissimum ; omnium simpliciter, post aurum, pretiosissimum ; omnium generaliter sono dulcissimum ; ductile est et tractabile, sicut aurum ; ex usu clarescit ; ex situ nigrescit. Hæc sunt in argento commendabilia. Sed est in eo unum notabile : quum ipsum sit candidum et clarum, tangentem coinquinat.

Per argentum, quod est candidum et tinnulum, significantur « eloquia Domini casta, argentum igne examinatum. » Horum verborum dulcedinem ille experimento didicit, qui ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo [10]. »

(1) *Scoriam*. Is. I, 22. — (2) *Argento*. Cant. I, 11. — (3) *Argentum*. Ps. LXV, 10. — (4) *Emet*. Apoc. XVIII, 12. — (5) *Facundia*. Ad hæc noster : « Isaias : *Qui non habetis argentum*, scilicet Tulliani eloquii, *venite* ad fidem, *et emite*, etc. Isaias : *Quare appenditis argentum non in panibus*, id est non ad refectionem [LV, 1, 2]. — (6) *Erit*. Gal. I, 9. — (7) *Israel*. Ezech. XIII, 5. — (8) *Expavescet*. Osee V, 8. — (9) *Tuba*. Ps. LXXX, 4. Ex his multa refert Vincentius Bellovacens. in *Specul. de natur.* lib. VIII. — (10) *Meo*. Ps. XVIII, 11.

Per argentum, quod, post aurum, pretiosum est, significatur eloquentia; unde Deus præcepit filiis Israel, ut quando egrederentur de Ægypto, asportarent secum aurum et argentum et vestes. Per quod intelligimus Deo esse placitum, ut qui mundanam philosophiam deserunt, et ad divinam se transferunt, secum ferant sapientiam, eloquentiam et honesta instituta morum; quæ utique omnia apud Ægyptios, id est mundi sapientes, aliquando possunt reperiri.

Per argentum significatur lex mosaica, quæ suo tempore dulcem habuit sonum; unde scriptum est in Parabolis : « Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum [1]. » Rubigo argenti carnalem legis intelligentiam figurat; qua ablata, vas egreditur purissimum, id est Christi Evangelium.

Argentum significat humanæ mentis ingenium, quod ex studio clarius efficitur, intermissione vero fuscatur. Otiositas namque et fomes est vitii, et rubigo ingenii.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus [2].

Sanctus Isaias propheta, illos qui ingenium suum in vanis et curiosis rebus magis quam utilibus expendunt, his verbis reprehendit : « Quare appenditis argentum, etc. »

Argentum quia candidum est, et tangentem coinquinat, mundi hujus gloriam non inconvenienter designat; quæ quum sit visu pulchra, est tamen tactu sordida. Tangere namque eam, est caram illam habere; quod psalmista dehortatur dicens : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere [3]. »

Si quis amat Christum, mundum non diligit istum;
Hujus amor mundi putei parat ima profundi.

Per argentum, ut autumo, sæcularis gloria designatur, ubi dicitur : « Disperierunt omnes, etc. »

Argentum significat fragmenta poetarum, quæ ab eis inventa, cultu sermonis, colorata sunt et posita, ut aures mulcerent audientium. De hoc argento loquitur beatus Joannes in Apocalypsi ad Babylonem damnatam, dicens : « Auri tui, etc. »

Per argentum significantur martyres, qui moribus candidi, miraculis clari, prædicatione sonori, passione tunsi, perseverantia producti, per ignem tribulationum coram Deo probatiores efficiuntur; unde est illa vox eorum ad Dominum in psalmo : « Igne nos, etc. »

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in Genes., v. 1496-1505.

Vendiderunt eum viginti argenteis.

Vix [4] jejuna fames primam libaverat escam,
Præsens accessit advena turba loco.
Judas protulit hoc : « En nostro prospera voto
« Sors bene respondet : institor ecce novus.
« Parcatur puero, vendatur, serviat exsul. »
Parent : emptor adest; venditur ergo Joseph.
Venditur a Juda Joseph : a Juda quoque Christus,
Bis denis nummis iste : ter ille decem.
Quod Dominus nummo majore, minore moneta
Venditus est servus, res fuit æqua satis.

II.

In Passione Christi, v. 65-70.

Constituerunt ei triginta argenteos.

Procedens Scarioth ad Pontifices, ait : « Illum
« Si vobis tradam, quod mihi munus erit? »
Tamquam mancipium vendens vir avarus, ementis
Ponit in arbitrio quid dare velit emens.
Denarios statuunt ter denos : sic memoratur,
Ut quidam dicunt, venditus esse Joseph.

III.

Ibid., v. 431-442.

Retulit triginta argenteos.

Argentum referens, Judas tristatur et inquit :
« Sentio me Justi sanguinis esse reum. »
Respondent : « Quid hoc ad nos? tu videris. » Hoc est :
Vidisti quid tu feceris ore, dolo
Vel : tu de Domino graviter peccasse videbis,
Tormentis gravibus quum mala facta lues.
Ad nos acceptum pretium quid pertinet istud?
Respuimus : en fac inde quod ipse cupis.
Projicit in templo pretium, laqueum sibi nectit,
Peccati laqueo qui laqueatus erat.
Ut se declaret cœlo terræque perosum,
Aere suspendit se, crepuitque cadens.

(1) *Purissimum*. Prov. xxv, 4. — (2) *Cupidinis Estus*, dubia codic. scriptura. Vid. Ovid. *de Remed. amor.* v. 139. — (3) *Apponere*. Ps. lxi, 11. — (4) *Vix*. Cf. supra, p. 168, et Hildeberti, *Opp.* p. 1314.

VIII.

Pecunia, ministerium doctrinæ [1] : ÷ « Si comedi fructus terræ absque pecunia [2]. »
÷ In Evangelio : « Oportuit te ergo committere pecuniam meam nummulariis [3]. »

IX.

Thesaurus, cœleste desiderium [4] : ÷ « Et dabo tibi thesauros absconditos [5]. »
÷ In Evangelio : « Simile est regnum cœlorum homini qui invenit thesaurum in agro [6]. »

2. Sapientia, vel timor [7] : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientium [8]. »

÷ 3. *Thesaurizatio,* boni operis repositio in Dominum. In Evangelio : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo [9]. »

÷ 4. Et in malam partem, in Apostolo : « Thesaurizas tibi iram in die iræ [10]. »

X.

÷ Gazophylacium, corda sanctorum sapientium in Ezechiele.

Gazophylacia, corda doctorum, sapientiæ et scientiæ, divitis plena, ut ibi : « Eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide per circuitum in atrium [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 4, p. 423, 424.

Gregorius M. Pecunia, doctrina; unde Job : « Si comedi fructus terræ a. p. » Fructus terræ absque pecunia comedere, est de sumtibus Ecclesiæ vivere, et eidem Ecclesiæ præbere pretium.

Thesauri nomine cœleste desiderium designatur; ut in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum, etc. » Thesaurus namque cœleste desiderium est; ager vero in quo thesaurus absconditur, est disciplina studii cœlestis.

Rabanus. Thesaurus, præmium cœleste, ut : « Quasi effodientes thesauros [12]. » — Desiderium bonum, ut : « Thesauro abscondito in agro. » — Sancta loquutio : « Thesaurus desiderabilis, etc. » — Intentio bona, ut : « Bonus homo de bono thesauro, etc. » — Sancti viri, ut : « Qui producit ventos de thesauris [13]. » — Iniqui, ut : « Numquid ingressus es thesauros nivis [14]? » — Providentia Dei, ut : « Et signata in thesauris meis. »

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Gazophylacium, patria cœlestis, ut : « Aspiciebat quomodo turba jaciebat æs in gazophylacium [15]. » — Mens viri sancti, ut :

(1) *Verba divina.* B-G. — (2) *Absque pecunia.* Job XXXI, 39. — (3) *Nummulariis.* Matt. XXV, 27. — (4) *Christus, sive desiderium patriæ cœlestis* B-G. — (5) *Absconditos.* Is. XLV, 3. — (6) *Agro.* Matt. XIII, 44. — (7) *Corda sapientium, divitiis plena, in Ezechiele,* nec plura in B-G. — (8) *Sapientis.* Prov. XVI, 20. — (9) *Cœlo.* Matt. VI, 20. — (10) *Iræ.* Rom. II, 5. — (11) *Atrium.* Ezech. XL, 17. — 12 *Thesauros.* Job III, 21. — (13) *Suis.* Ps. CXXXIV, 7. — (14) *Nivis.* Job XXXVIII, 22. — (15) *Gazophylacium.* Marc. XII, 41.

« Reponent linea vestimenta in gazophylacio [1]. » — Prælati, ut : « Gazophylacia in circuitu pavimenti. »

Petrus Cantor. Thesaurus quandoque dicitur occulta creatura Dei, ut hic : « Qui producit v. d. t. s. » — Quandoque sapientia; unde : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, et vir insipiens deglutiet illum. » — Quandoque terrena abundantia; unde : « Sapientia occulta et thesaurus absconditus, quæ est utilitas in utrisque [2] ? » — Quandoque peccati aggravatio; unde Apostolus : « Juxta duritiam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et justi judicii Dei. »

Petrus Capuanus ad litt. ix, art. 94. Thesaurus supremus, medius et infimus.

Thesaurus supremus quintuplex : scilicet Christus. Psalmus : « Qui producit ventos, etc. », id est de se, qui est thesaurus incomparabilis. — Dona Spiritus sancti. Paulus : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [3]. » — Thesaurus quoque cœlestis, præmia vitæ æternæ. Hinc ait Laurentius : Nam facultates Ecclesiæ quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt [4]. — Thesaurus cœlestis, agnitio Trinitatis. Paulus : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus [5]. » — Thesaurus etiam cœlestis, secreta fidei nostræ. Evangelium : « Et intrantes domum, et apertis thesauris suis [6], etc. » Non enim debemus thesauros nostros et secreta in via, seu hostibus, pandere; sed præteritis hostibus, jam in domo, ex occultis cordium Deo offerre. Ezechias enim, quia thesauros regios ostendit nuntiis regis Babylonis, condemnatus est in posteris.

Thesaurus medius quadruplex : dicitur enim thesaurus sapientiæ. — Item, mysticus intellectus sacræ Scripturæ. — Item, cœleste desiderium. — Item, bona cordis intentio.

Thesaurus etiam infimus quadruplex : scilicet inexpleta cupiditas habendi. — Item, ira quæ debetur obduratis. — Item, diabolus. — Vel conventicula hæreticorum.

Thesaurus autem ad litteram solet occultari, maxime hostibus, et tuto loco reponi; solet etiam cum multa attentione et diligentia conservari, donec tempore necessitatis exponatur. Ergo et primus thesaurus supremus, id est Christus, occultatus fuit præcipue, quantum ad divinitatem quæ venit ad nos quasi calceata, et præsertim hostibus, id est dæmonibus, qui hoc præcipue explorabant, an esset Deus; sed eis semper fuit occultus. Paulus : « Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent [7]. » Occultus autem fuit quantum ad humanitatem. Evangelium : « Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis [8]. » Est etiam thesaurus iste tuto in loco repositus, scilicet empyreo. Paulus : « Sedet ad dexteram majestatis ejus in excelsis [9]. » Ipse etiam diligenter conservatur, donec tempore necessitatis in judicio exponatur et proferatur. Sapientia : « Abiit via longissima; sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam [10]. » Isaias : « Videbit omnis caro salutare Dei [11]. »

Sed et thesaurus supremus, id est præmia vitæ æternæ, occultus est. Isaias : « Oculus non vidit, nec auris audivit [12]. » Est etiam tuto in loco repositus, et cum diligentia multa et cautela est conservandus, donec tempore necessitatis proferatur et exponatur, quum scilicet dicetur : « Venite, benedicti Patris mei. »

Concionator Præmonstratensis, cap. ix, *de Charitate*. « Suadeo tibi a me emere aurum optimum. » Apocal. iii.

Nota quod inter omnia metalla aurum est optimum et carius : habet enim hanc proprietatem, quia ad minimam subtilitatem potest duci, et non frangitur sub malleo, nec potest uniri cum argento, quum interfuerit videlicet pulvis, ventus, aut aqua.

Spiritualiter. Charitas assimilatur auro; ratio est quia Aurum dicitur ab Aurora,

(1) *Gazophylacio*. Ezech. xlii, 14. — (2) *Utrisque*. Eccli. xli, 17. — (3) *Absconditi*. Coloss. ii, 3. — (4) *Deportaverunt*. In offic. S. Laurent. antiph. ad ii vesper., ex S. Ambr. — (5) *Fictilibus*. I Cor. iv, 7. — (6) *Suis*. Matt. ii, 11. — (7) *Crucifixissent*. I Cor. ii, 8. — (8) *Nescitis*. Joan. i, 26. — (9) *Excelsis*. Hebr. i, 3. — (10) *Suam*. Prov. vii, 20. — (11) *Dei*. Luc. iii, 6. — (12) *Audivit*. I Cor. ii, 9.

quasi Aurea hora. Nam in aurora aurum generatur : sic charitas, in fide quæ aurora dicitur. Nam tanta est copula fidei et charitatis, quod fides sine charitate mortua est. Etiam, sicut aurum sub malleo non frangitur, sic charitas in tribulatione retinet patientiam, et ducitur usque ad minimam subtilitatem paupertatis. Unde Augustinus : Tanta est virtus charitatis, quod cum illa dives est et pauper ; et omnino dives pauper est sine charitate [1]. Et non potest uniri cum argento, id est cum corde hominis, si ibi tria fuerint, videlicet pulvis terrenæ cupiditatis, ventus superbiæ, humiditas vel aqua luxuriæ.

Figura. Genes. II, ubi legitur quod terram Hevilath Phison fluvius, de paradiso egrediens, rigat. Igitur producit terra illa, mediante Phison, operatione scilicet aquæ, aurum optimum, quia splendet præ omni auro totius mundi, et tenet in virtute principatum.

Moraliter. Terra Hevilath est anima dolens pro peccatis, de qua nascitur aurum optimum, id est charitas, mediante Phison fluvio Paradisi, id est gratia divina. Et illa charitas quæ exit a corde pœnitente et innocente, mediante splendore divinitatis, optima est. Unde Jacobus : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum, de sursum est descendens, a Patre luminum [2]. »

Distinctionum monasticar. lib. V, *de Thesauro*. Thesaurus Dei sunt ejus electi ; unde Psalmista dicit quod Dominus ponit in thesauris abyssos, id est valde malos ponit in thesauris, id est inter electos suos, sicut Matthæum publicanum et Paulum persequutorem inter apostolos.—Est et thesaurus occultorum, sive secretorum Dei ; unde et Psalmista dicit quod Deus producit ventos de thesauris suis, id est animas humanas vel cæteros spiritus, de occultis causis et de absconditis peccatis hominum. Dicit Deus per Moysen : « Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis [3] ? » — Est thesaurus præmiorum ; unde Dominus : « Thesaurizate, etc. » Et beatus Laurentius ad Decium *ut supra*, p. 286]. Mira virtus eleemosynæ, quæ terrena et caduca cœlestia facit et perpetua.

Quas dederis, solas semper habebis opes [4].

—Est thesaurus sapientiæ et scientiæ ; unde : « In Christo sunt, etc. » —Est thesaurus virtutum ; unde : « Timor Domini ipse est thesaurus ejus. » Hic thesaurus virtutum significatur per thesauros majorum. Et Dominus in Evangelio : « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona [5]. » De hujusmodi thesauro ait quidam, exhortans socium suum ad virtutes :

Collige thesaurum qui gemmas vincit et aurum :
Quære bonos mores, thesauros interiores.
Gazas congestas mentis præcellit honestas.
Fige [6] cor in cœlum, ubi non elatio regnat,
Non rodit livor, non fit ab hoste dolus.

—Thesaurus significat animam humanam, ad imaginem Dei factam. Unde Apostolus : « Habemus thesaurum i. v. f., » id est, pretiosam animam in corporibus valde fragilibus, vel de virginitate carnis potest illud intelligi. — Est thesaurus vitiorum ; unde : « Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. » Et iterum : « Abscondi, tamquam aurum, peccata mea [7]. » — Est thesaurus pœnarum ; unde : « Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit : tu autem, secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram. » — Est thesaurus memoriæ ; unde quidam ait : Qui se removet a conspectu præsentiæ, de facili relegatur a thesauro memoriæ. — Item thesaurus hominis est quidquid ei charissimum est ; unde Dominus ait : « Ubi est thesaurus, etc. » Thesaurus ergo avari est pecunia, vel alia quam multum diligit terrena substantia. Thesaurus gulosi est ebrietas et crapula, ciborum et potuum deliciæ et abundantia. Thesaurus superbi et ambitiosi est sæcularis dignitas et potentia. Thesaurus libidinosi est visus et alloquium, contactus et oscula feminæ.

Est igitur thesaurus superior, præmio-

(1) *Charitate*. August. *Opp.* t. V, append., p. 2247. — (2) *Luminum*. Jac. I, 17. — 3) *Meis*. Deuter. XXXII, 34.—(4) *Opes*. Mart. *Epigr*. lib. V, ep. 43.—(5) *Bona*. Luc. VI, 45. — (6) *Fige*. Petrus de Riga in *Aurora*, ad Evangel., v. 1358-1359. Vid. p. 291.—(7) *Mea*. Job XXXI, 33.

rum; inferior, suppliciorum : interior, gratiarum; exterior, pecuniarum.

Anonymus Clarevallensis. Pecunia, substantia temporalis, ut : « Pecunia tua tecum sit in perditionem [1]. » — Scientia prædicandi, ut : « Filii Israel non dabunt fratribus suis pecuniam ad usuram [2]. » — Prædicatio, ut : « Si comedi fructum, etc. »

Petrus de Riga et Ægidius Parisiensis.

I.

Aurora, in Evangel., v. 2152-2159.

* Comparat hic Dominus regnum cœleste latenti
* Thesauro, seu qui conditus exstat agro.
* De quo contingit, quod homo qui repperit illum,
* Omnia quæ sua sunt vendit, emitque locum:
* Quæ vero quærenda latent sub cortice verbi,
* Hæc sunt illius significata rei.

Invenit hic in agro thesaurum, qui sua vendens,
In mundo Christum quærit, eumque tenet.

II. *Ibid.*, v. 2170-2185.

« Intellexistis hæc omnia? » dixerat. Aiunt
Illi quod sic. Et hoc ipse profatur eis :
« Idcirco profert, ait, omnis scriba peritus
« Seu nova thesauro, sive vetusta suo. »
Hoc ideo dicens, tamquam post præmia cœli,
Pœnas inferni se tetigisse notans.
Quod sonat in pœnis, vetus illud habeto; quod ante
Præmia commemorat, istud habeto novum.
Nam vetus in quibus est homo, nec deponitur illis;
Ignis inexstincti pœna paratur eis.
Sed requies merces æternaque vita bonorum est,
Inter quos hominis vivit imago boni.
* Qui nova, qui vetera de divite protulit arca,
* Est Christus leges qui dedit esse duas.
* Lex vetus est una, nova lex est altera; regnum
* Illa dat in terris, regna dat illa poli.

XI.

1. Æs, fortes Ecclesiæ [3] : « Lapis calore solutus in æs, vertitur. »

÷ 2. Item ibi pro Antichristo : « Reputabit ferrum ut paleas; et æs, ut lignum putridum [4]. »

3. Verba fortitudinis [5]. ÷ In Exodo : « Omnis qui percipit corde, afferat Domino aurum, argentum et æramentum [6]. »

4. Scriptura, Evangelium [7] : « Pro ære afferam aurum, et pro ferro argentum, et pro lignis æs [8]. » ÷ Et in Deuteronomio, propter terram repromissionis, quæ est in Ecclesia, « cujus lapides ferrum sunt, et de cujus montibus, » id est doctoribus, « æris metalla fodiuntur [9]. »

÷ 5. Christus : « Et ecce vir, cujus erat species quasi species æris [10]. »

÷ 6. Constantia longanimitatis : « Et scintillæ, quasi aspectus æris candentis [11]. »

÷ 7. Durum et insensatum cor : « Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea; nec caro mea ænea est [12]. »

÷ 8. Murmuratores in flagellis Dei. In propheta : « Omnes isti conversi sunt mihi in scoriam argenti, in medio fornacis, æs, stannum et plumbum [13]. »

÷ 9. Vanitas, vel inanitas fidei. In Apostolo : « Factus sum velut æs sonans [14]. »

(1) *Perditionem.* Act. viii, 20. — (2) *Usuram.* Levit. xxv, 37. — (3) *Ecclesiæ, patientiæ longanimitate rigidi, sicut in Job* B-G. *Vertitur.* Job xxviii, 2. — (4) *Putridum.* Job xli, 18. — (5) *Patientiæ fortitudo, vel sonus prædicationis, ut quidam volunt* B-G. In A de Scriptura afferuntur eadem quæ in dist. i. — (6) *Æramentum.* Exod. xxxv, 5. — (7) *Æs, Scripturæ divinæ, in Isaia* B-G. — (8) *Æs.* Is. lx, 17. — (9) *Fodiuntur.* Deuter. viii, 9. — (10) *Æris.* Ezech. xl, 3. — (11) *Candentis.* Ezech. i, 7. — (12) *Est.* Job. vi. 12. — (13) *Plumbum.* Ezech. xxii, 18. — (14) *Æs sonans.* I Cor. xiii, 1.

XII.

÷ Aurichalcum, apostoli, vel cæteri fortes, igne tribulationis probati. In Apocalypsi : « Pedes ejus sicut aurichalci, quasi in camino ardenti [1]. »

XIII.

÷ Ærugo, avaritia. In Evangelio : « Nolite thesaurizare thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 26; ed. II, col. 764 c, ad XI, 3, 9.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 10, p. 433.

Gregorius M. Æris nomine Christus exprimitur, cujus et caro facta est sine fine durabilis, et doctrina in toto orbe terrarum sacræ prædicationis sono narrabilis; unde Ezechiel : « Ecce, inquit, vir, etc. » — Vera fortitudo, ut in Job : « Et lapis, etc., » id est, cor durum, igne divini amoris affectum, ad nostram fortitudinem commutatur. — Constantia longanimitatis, ut de diabolo dicitur : « Reputabit ferrum, etc. » Tunc enim et acumina ferri et æris fortitudo deficient, dum per violentiam virtutis illius, et prædicationis sensus in nonnullis obtunditur, et patientiæ longanimitas dissipatur. — Sonora prædicatio evangelistarum, sicut de ipsis dicitur : « Et scintillæ q. æ. c. a. » Bene autem æs et candens dicitur, quia vitam prædicantium et prædicatione sonat et charitate flagrat. De ære scintillæ prodeunt, quum de eorum exhortationibus flammantia verba procedunt. — Obscura prædicatio veteris testamenti; unde paxilli ærei figi exterius per circuitum tabernaculi jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur [3]. Quia videlicet, ut sancta Ecclesia in fidei integritate consisteret, prædicationes veteris testamenti quasi exterius fixæ sunt, quia et ante tempus Ecclesiæ fuerunt, et verborum illorum funibus prædicatorum nostrorum mentes in soliditate constringuntur. — Duritia pravi cordis, unde Job : « Nec caro mea ænea est. » Quasi diceret : non ego quasi æs voce confessionis resono, et virtutem vocis ignoro. — Mens inter flagella murmurans, ut de quibusdam Dominus dicit : « Omnes isti... æs, stannum et plumbum. » Qui igitur in percussione positus, prorupit in vocem murmuris, quasi in æs vertitur in medio fornacis.

Rabanus. Æs, fortitudo angelorum, ut : « Solidissimi quasi ære fusi sunt [4]. » — Bona actio, ut : « Aurum, argentum et æs. » — Cor insensibile, ut : « Nec caro m. æ. e. » — Ærugo, superbia, ut : « Ærugo demolitur. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 14, col. 476.

Petrus Capuanus ad litt. V, art. ult. 43. Æri comparatur Christus propter æternitatem : « Ecce vir, etc. » Numeri : « Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo [5]. » — Æri comparantur angeli, propter fulgorem. Job : « Quasi solido æ. f. s. ; » id est angelica fortitudine et fulgore. — Æri comparantur sancti propter fortitudinem, qui dicunt in psalmo : « Posuisti ut arcum æreum brachia mea [6]. » Sancti enim sunt fortes in opere. Sed æs sanctorum reputabit Antichristus ut paleas, quia patientiam et virtutem eorum debilitabit. — Æri comparantur prædicatores, propter tinnitum et sonoritatem. Josue : « Septem sacerdotes, septem buccinis clangent ante

(1) *Ardenti*. Apoc. I, 5. — (2) *Demolitur*. Matt. VI, 19. — (3) *Tabernaculum teneretur*. Exod, XXXVIII, 20. — (4) *Sunt*. Job. XXXVII, 18. — (5) *Signo*. Num. XXI, 8. — (6) *Mea*. Ps. XVII, 35.

arcam fœderis [1]. » Job : « Ferrum et æs, » id est fortes et sonori, « sunt calceamentum ejus, [2] » id est munimentum prædicationis Ecclesiæ. — Duo testamenta æri comparantur, propter durabilitatem ; unde et vidua evangelica obtulit duo æra minuta in ecclesia. — Vana etiam eloquentia eorum qui dicunt et non faciunt, comparatur æri propter insensibilitatem ; quia æs, quum aliis sonet, sibi tamquam insensibile nihil confert. Paulus : « Factus sum, etc. » — Æri autem comparatur futurum judicium propter duritiam. Job : « Fugient arma fortia, et irruent in arcum æreum [3] (judicium durum). »

Ærugo autem est rubigo quæ colorem æris obscurat, et designat aliquando luxuriam, quæ hominem coinquinat. Psalmus : « Dedit ærugini fructus eorum [4]. » — Aliquando superbiam. Evangelium : « Ubi ærugo demolitur, » id est superbia.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS et BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Æs.

Christus. Prædicatio sancta. Fortitudo apostolorum. Bona actio. Robur incorruptionis. Constantia longanimitatis. Cor insensibile. Murmurans inter flagella.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Exod., v. 1449-1452.

Quod totum cingit altare notatur in ære,
Semper in ecclesiis nos jubilare Deo.
Vel notat æs resonans campanas, sive magistros :
Hæ sonitu populos, hi ratione movent.

II.

Ibid., v. 1463-1472.

Vasa sacri altaris sunt æris singula, nempe
Ecclesiæ laudes doctor ubique canit.
Vas ex electo Paulus fuit ære, resultans
Eloquio, resonans vocibus, ore tonans.
Qui pisces mundi dum Christo colligit, ejus
Sermo reticulum, sive sagena fuit.
Bis bini circli fiunt ex ære : Joannes,
Marce, Mathæe, Luca, vos notat illud opus.
Altaris medio crates prædicta resedit :
Salvus in Ecclesia, non foris, esse potes.

XIV.

STANNUM, simulatio sanctitatis : « In medio fornacis æs, stannum et plumbum [5]. »

XV.

1. PLUMBUM, pondus peccati : « Vidi iniquitatem super talentum plumbi [6]. »

÷ 2. Judæa : « Plumbi lamina vel celte sculpantur [7]. »

÷ 3. Peccatum avaritiæ : « Leva oculos tuos, et vide : omnes isti æs, et stannum et plumbum. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 26; edit. II, col. 764 c ad XV, 1.

GREGORIUS M. Plumbum, Judæa, ut ibi : « Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro, stylo ferreo et plumbi lamina, vel

(1) *Fœderis*. Jos. VI, 4.—(2) *Ejus*. Refer ad. *Deuteron*. XXXIII, 25.— (3) *Æreum*. Job XX, 24.—(4) *Eorum*. Ps. LXVII, 46. — (5) *Plumbum*. Ezech. XXII, 18.— (6) *Plumbi*. Zach. V, 7, 8.—(7) *Sculpantur*. Job XIX, 24.

celte sculpantur in silice [1]? » Non immerito per plumbi lamnam Judæa exprimitur, quia præcepta Dei et sine labore percepit, et per mollitiem suam celeriter perdidit. — Avaritia, seu quodlibet peccati pondus, ut ibi : « Omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 12, p. 137, 138.

Rabanus. Stannum, falsa doctrina : « Auferam omne stannum terræ [2]. »

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. 71. Plumbum dicitur Judæa, in qua Deus scripserat mandata sua primo; sed quia cito deleta sunt, scripsit postmodum ea in silice, id est in gentilitate. Job : « Quis mihi det, etc. » Nonne primum scripserat mandata sua in Judæa, quia « non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis [3]? » Nonne et ideo postmodum ea scripsit in gentilibus, quando dixerunt apostoli, « quia repulistis verbum Dei, et indignos vos fecistis, ecce convertimur ad gentes [4]? » — Plumbum etiam dicitur gravitas onerosi peccati. Sapientia : « Super plumbum gravabitur stercus [5]. » Nonne tamquam plumbum gravabant illum peccata, qui ait in psalmo : « Iniquitates superposuerunt caput meum [6]. »

Anonymus Clarevallensis. Plumbum, Synagoga, ut : « Plumbi lamina, etc. » — Pondus peccati, ut : « Talentum plumbi portabatur. » — Diabolus, ut : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus [7]. »

Hermanus werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 2080-2089.

Damnat et hypocritam hic sermo simili ratione,
Qui falsam vestem relligionis habet;
Qui magis hic graditur in simplicitatis amictu :
Illius interior fellea mens tamen est.
Hunc *Aurora* tibi pulchro sermone revelat,
Quam scribis nobis, o bone Petre Riga!
* Aurea facta foris simulans hypocrita fingit :
* Sed mala mens intus plumbea vota gerit.
Hic aliquem tangit qui relligionis amictu
Se tegit, ut citius possit honore frui.

XVI.

1. Ferrum, conversorum soliditas [8] : « Ferrum de terra tollitur [9]. » ÷ Et in Deuteronomio : « Cujus lapides ferrum sunt [10]. » Item ibi pro Ecclesia : « Ferrum et æs, calceamentum ejus [11]. »

2. Tribulatio præsens : « Ferrum pertransiit animam meam [12]. »

3. Sermo increpatorius : « Si quis abierit in sylvam ad lignum cædendum, et ferrum de manu ejus exibit, et amicum ejus occiderit [13]. »

÷ Fortitudo : « Sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem [14]. »

÷ 5. Jaculum prædicationis : « Reputabit ut paleas ferrum [15]. »

÷ 6. Pertinax malitia : « Omnes isti æs, et stannum, et ferrum. »

÷ 7. Insidiæ amici. In Salomone : « Sicut ferrum, æruginat malitia illius [16]. »

÷ 8. Acumen mentis. In Salomone : « Ferrum ferro exacuetur, et homo exacuet faciem amici sui [17]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 26; ed. II, col. 764 C ad 2.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 9, p. 429.

(1) *Silice.* Job XIX, 24. — (2) *Terræ.* Is. I, 25. — (3) *Eis.* Ps. CXLVII, 10. — (4) *Gentes.* Act. XIII, 46. — (5) *Stercus.* Eccli. XXI, 17. — (6) *Meum.* Ps. XXXVII, 5. Is. I, 25. — (7) *Vehementibus.* Exod. XV, 10. — (8) *Fortes quique in Ecclesia, ut in Job* B-G. — (9) *Tollitur.* Job XXVIII, 2. — (10) *Sunt.* Deuter. VIII, 9. — (11) *Ejus.* Deuter. XXXIII, 25. — (12) *Meam.* Ps. CIV, 118. *Tribulatio vitæ præsentis,* in psalmo B-G. — (13) *Occiderit.* Deuter. XIX, 5. *Sermo increpationis* B-G. — (14) *Civitatem.* Ezech. IV, 3. — (15) *Ferrum.* Job XLI, 18. — (16) *Illius.* Eccle. XII, 10. — (17) *Sui.* Prov. XXVII, 17.

Gregorius M. Ferrum, soliditas conversorum, ut in Job : « Ferrum de terra tollitur, » id est, fortitudo justi a terrenis actionibus, in quibus ante exstiterat, separatur. — Fortis zelus doctorum, ut ibi : « Sume tibi sartaginem ferream. » In sartagine siquidem, frixum ; in ferro, zeli fortitudo exprimitur ; quia necesse est ut fortitudo doctoris hic eligat zeli ardoribus frigi, ne alibi debeat gehennæ incendio cruciari. — Prædicationis jaculum, ut de diabolo dicitur : « Reputabit ut paleas ferrum ; » quia videlicet Antichristus prædicantium vires, velut arentes paleas, nequitiæ suæ igne consumet. — Ferrum, quilibet in malitia obduratus, ut ibi : « Omnes isti, etc. » Ferrum enim in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. — Ferramenta, minora flagella Dei ; unde . « Malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, quum ædificaretur [1]. » In cœlestis namque domus constructione ferramenta non perstrepunt, quia nec quælibet minima flagella sentiuntur.

Rabanus et Anonymus Clarevallens. Ferrum, donum intellectus, ut : « Natavitque ferrum [2]. » — Prædicatio, ut : « Reputabit q. p. f. » — Tribulatio, ut : « Ferrum pertransivit a. e. » — Consuetudo peccati, ut : « Vinctos in mendicitate et ferro [3]. » — Sermo durus, ut : « Ferrum lapsum proximum percusserit. » — Fortitudo spiritualis, ut : « Sume sartaginem ferream. » — Necessitas vitæ præsentis, ut : « Fugiet arma ferrea [4]. » — Nequitia pravorum, ut : « Cartilago velut lamina ferrea [5]. » — Obstinatus in malitia, ut : « Omnes hi stannum, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 18, col. 479.

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 69. Ferrum quandoque dicitur genus humanum ; unde in Regum dicitur quod ferrum perditum natavit ad lignum, scilicet genus humanum prius perditum, ad lignum crucis. Ex hoc ferro fecit sagittam, de qua legitur : « Posuit me quasi sagittam electam ; in pharetra sua abscondit me [6]. »

Item ferrum, inflexibilitas divinæ justitiæ. Psalmus : « Reges eos in virga ferrea [7], » justitia scilicet inflexibili. Ex hoc ferro fabrefactus ille gladius, ex utraque parte acutus, quem Joannes vidit procedentem ex ore illius, quem viderat inter candelabra aurea, similem Filio hominis.

Item ferrum, aliquando sancti, ut sanctus sit fortis, inflexibilis. Job : « Ferrum d. t. t. » Ex hoc ferro fuit gladius ille quo accinctus est ille, qui exsultavit ut gigas ad currendam viam, sicut dicitur ad eum : « Accingere super femur tuum, potentissime [8]. » Siquidem et humanitas Christi quæ iste gladius intelligitur, ex sanctis habuit originem.

Item ferrum, fortes et solidi. Sapientia [9] : « Ferrum et æs calceamenta ejus (munimentum Ecclesiæ). » Ex hoc ferro fuerunt gladii illi, quos tenebant illi sexaginta fortes, ex fortissimis Israel, qui ambiebant lectulum Salomonis. Si quidem et ex fortitudine parati sunt milites Christi ad pugnam contra hostes.

Item ferrum, aliquando munimentum sanctorum ipsorum. Ezechiel : « Sume sartaginem ferream, » id est firmum propositum patiendi, « et pones, etc. » Ex hoc ferro fit armatura illa qua Paulus docet nos muniri, inquiens : « Induite vos armaturam Dei ; [10] » si quidem et ipsæ virtutes sunt nobis ad firmissimum munimentum.

Item ferrum, acumen sapientiæ. Sapientia : « Ferrum ferro acuitur ; » id est, sapiens a sapiente instruitur. Ex hoc ferro est stylus ferreus de quo dicitur in Ezechiele : « Scribe in eo stylo ferreo [11]. »

Item ferrum, necessitas et inopia temporalis ... et flagella Domini. Regum : « Malleus et securis et omne ferramentum [12] non

(1) *Ædificaretur*. III Reg. VI, 7. — (2) *Ferrum*. IV Reg. VI, 6. — (3) *Ferro*. Ps. CVI, 10. — (4) *Ferrea*. Job XX, 24. — (5) *Ferrea*. Job XL, 15. — (6) *Me*. Is. XLIX, 2. — (7) *Ferrea*. Ps. II, 9. — (8) *Potentissime*. Ps. XLIV, 4. — (9) *Sapientia*. Corrige ut supra, n. 12. — (10) *Dei*. Ephes. VI, 11. — (11) *Ferreo* Forte Jerem. XVII, 1. — (12) *Ferramentum*. III Reg. VI, 7.

est auditum in ædificatione templi, « cœlestis scilicet. Ex hoc ferro fuit gladius ille de quo ait Simeon ad Virginem : Ut tuam ipsius animam pertransibit gladius [1]. » Grande siquidem flagellum fuit Virgini passio ipsius Christi.

Item ferrum, tentatio diaboli et omnis ejus oppressio. Deuteronomium : « Altare ædificabitis de lapidibus, in quibus non est injectum ferrum [2] (diabolicæ tentationis). » Ex hoc ferro sunt jacula illa de quibus ait Paulus : « Ut possitis ignea tela maligni exstinguere [3]. »

Item ferrum, duri et nequam, Job : « Cartilago ejus velut laminæ ferreæ [4]. »

Item ferrum, indissolubilis consuetudo peccandi. Psalmus : « Vinctos in mendicitate et ferro. » Psalmus : « Nobiles eorum in manicis ferreis [5]. »

Porta ferrea est durus exitus mortis. Actus apostolorum : « Venerunt ad portam ferream [6]. »

Distinctionum monasticar., lib. II, *de Ferro*.

Ferrum.

Ingenium et acumen intelligentiæ.
Dura tribulatio.
Crimen.
Dura peccandi consuetudo.

Unde de quibusdam legitur in psalmo, quod juncti erant in mendicitate et ferro, quia perstricti erant indigentia boni naturalis et dura consuetudine peccati mortalis.

Nisi viderer ponere in cœlum os meum, dicerem quod prælati nostri, præcipue episcopi et archidiaconi et eorum officiales, juncti sunt in mendicitate et ferro, id est in cupiditate et crudelitate : hæc namque vitia sese comitantur. Unde quidam versificator egregius ait :

Tradunt cuncta ne
Prædaque cupidine cæ
Obhiment Grae
Pectora clausa pre

[et]

Ferri nomine designatur occisio, ut ibi :

Quis furor, o cives, quæ tanta licentia ferri [7] ?

Biblia codic. Bellevall.

Ferrum.

Soliditas conversorum.
Fortis zelus doctorum.
Prædicationis jaculum.
Quilibet in malitia obduratus.

Laurentius Dunelmensis.

Hypomnesticon, in lib. IV.

Terruerat regem Babylonis imago, figuraus
Grande quid, in noctis visa quiete viro.
Mundum prorsus erat caput hujus imaginis aurum ;
Argentum scapulæ, brachia sive manus ;
Æs erat huic medium ; pars istius ultima, ferrum.
Dum videt ista, videt jure stupenda magis.
Nam lapis, absque manu de monte recisus, eamdem
Conterit, et crescens omnia regna replet.
Consultus Daniel : « Caput, inquit, imaginis aurum
Te, rex, et regnum noveris esse tuum.
Cuncta metalla præit pretiosius omnibus aurum :
Sic etiam regnum cætera regna tuum.
Illa superba tamen Babylon tua, deinde trophæis
Subdita Persarum, seu spoliata, ruet.
Et velut argentum, ferrum, sed et æra superstant,
Sic opibus Persæ regna futura tuis.
Græcis vero dehinc lunatam Persa tiaram
Flectit, eosque feros victor [8] habebit heros.
Æra notant Danaos : procul æs sonat, hique triumphis
Quam bellum potius regna remota petent.
Post et in Italiam subjectus confluet orbis,
Unaque cuncta domans, Urbs caput orbis erit. »
Ferrum cuncta domans notat hanc, quia cuncta domabit ;
Quidquid et Oceano clauditur, ejus erit.
Christus vero lapis ; mons, Virgo ; resectio facta
Absque manu, absque maris germine partus erit.
Verus et ipse deos Deus annihilabit inanes,
Ipsius et regnum terra vel æther erit.

XVII.

÷ 1. Fornax, calor tribulationis. In Salomone : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis [9]. »

(1) *Gladius*. Luc. II, 35. — (2) *Ferrum*. Deuter. XXVII, 5. — (3) *Exstinguere*. Eph. VI, 16. — (4) *Ferreæ*. Job XL, 13. — (5) *Ferreis*. Ps. CXLIX, 8. — (6) *Ferream*. Act. XII, 10. — (7) *Ferri*. Lucan. *Pharsal*. lib. I, v. 8. — (8) *Victus*. Cod. — (9) *Tribulationis*. Eccle. XXVII, 6.

÷ 2. Et alia parte, fornax, supplicia peccatorum.

XVIII.

÷ Scoria, populus Judæorum, vel reprobi omnes, a naturali metallo per vitium peccati separati ac projecti. In propheta : « Omnes isti conversi sunt in scoriam argenti [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 763 C, ad XVIII.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Fornax, Antichristus, ut : « Sicut fumus fornacis magnæ [2]. » — Tribulatio, ut : « Tamquam aurum in fornace probatum [3]. » — Ardor concupiscentiæ, ut : « Eduxisti nos de fornace ferrea [4]. »

Distinctionum monasticar. lib. II, *de Fornace*. Fornax tribulationem significat; unde : « Vasa figuli, etc. » Unde versificator :

Vincula consumsit fornax; tribulatio, culpas.

Fornax significat ardorem luxuriæ; unde : « Rex Babylonis jussit, ut qui nollet adorare statuam auream, mitteretur in fornacem ardentem. » Statua aurea significat gloriam hujus mundi, quæ habet rationis similitudinem, non veritatem. Qui non se dejicit, adorando statuam auream, id est vanam gloriam sectando, jubet rex confusionis, diabolus, suis satellitibus, ut projiciant eum in luxuriam.

Ibid. De Fumo. Fumus, quia lacrymas excitat, compunctionem significat, ut ibi : « Qui tangit montes, et fumigant [5]; » quia potentes et superbi, tacti divina inspiratione, fumigant salubri compunctione. Est autem salubris compunctio alia quam parit timor supplicii, alia quam facit desiderium regni. Nam sicut Beda dicit : Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Sed compunctio quam timor parit, est fumus holocaustorum et carnium oblatarum. Illa vero quam amor excitat est fumus aromatum [6].

Fumus, quia ascendendo evanescit, significat superbiam. Unde est illud propheticum : « Convolvetur superbia fumi [7]. » Et in psalmis, de superbis : « Deficientes quemadmodum fumus deficient [8]. » Quod alibi Psalmista exponit dicens : « Dejecisti eos, dum allevarentur [9]. »

Fumus, secundum quod suavis est, vel amarus, suum prodit ignem, id est virtutem, vel vitium. Fumus suavis est bona fama; fumus amarus, opinio mala. Sunt qui ignem celantes, ne veniant hospites, non de lignis, sed de carbonibus ignem sibi accendunt, ne per fumum prodatur ignis; per ignem, escarum præparatio. Unde Hugo, cognomento Primas [10], de quibusdam scholasticis ita jocatus est :

Filii Burgensium, filii crumenæ,
Quos a scholis revocat cantus Philomenæ.
Non de lignis faciunt ignem, immo de carbone,
Ideo ne, viso fumo, veniant tertiæ personæ.

Tertias personas vocavit Bidellos [11].

Per fumum significatur falsa doctrina philosophorum, quæ est inanis et inaniens, inflata et inflans, confusa et confundens, obscura et obscurans. De hac prava doctrina habes in Apocalypsi, quod de fumo putei exierunt locustæ, quia de fumosa doctrina philosophorum nati sunt hæretici. — Item

(1) *Argenti*. Ezech. XXII, 18. — (2) *Magnæ*. Apoc. IX, 12. — (3) *Probatum*. Sapient. III, 6. — (4) *Ferrea*. Jerem. XI, 4. — (5) *Fumigant*. Ps. CIII, 32. — (6) *Aromatum*. Cf. indic. Auct. — (7) *Fumi*. Is. IX, 18. — (8) *Deficient*. Ps. LXVII, 3 — (9) *Allevarentur*. Ps. LXXII, 18. — (10) *Primas*. De eo silent omnes scriptorum ecclesiasticorum commentatores, nisi idem fuerit cum Hugone Withe, Petroburgensi scriptore.— (11) *Bidellos*. Cf. Cangii *Glossar*. tum ad h. v., tum ad *Kidellum* : quidni ita legeris, et recte?

fumus significat tetram et horridam damnationem reproborum, qui in summa erunt cæcitate cordis et obscurissima et vehementissima pœna corporis. Unde in Apocalypsi scriptum est quod fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula, id est, nunquam deficiet horribilis pœna.

Ibid. De Flamma. Flamma significat eos qui vita vigent et doctrina. — Malum opus. Verba lites et contentiones moventia. — Manifestum periculum. — Pœnam gehennalem. — Est igitur flamma pastoralis perfectio, evidenter bona operatio, malæ titillationis vel suggestionis consensio, infernalis pœnæ ferox cruciatio.

Prefiguationum lib. III, v. 1754 sqq.

O vir sanctorum, Daniel, desideriorum,
Dum captivaris, regi regum famularis.
Nempe caves juvenum vinum potare venenum,
Pingue fugis semen, manducas vile legumen.
Qui sic se domitant, animas tibi, Christe, maritant...
Tri tres pueri non possunt igne camini
Inter tres quartus vadit : de Virgine partus,
Catholicos castos ita Christus salvat ab Orco.

XIX.

÷ 1. Fabri, prædicatores [1] : « Porro faber ferrarius non inveniebatur in Israel [2].»

÷ 2. Faber, Deus, eo quod omnem fabricam cœli et terræ operatus sit. In Evangelio : « Nonne hic est fabri filius [3] ? »

÷ 3. Fabri, reges [4] gentium, a quatuor mundi partibus populum Israel, vel cæteros humiles servitutis pondere deprimentes. In Zacharia : « Et ecce quatuor fabri [5].»

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Faber, diabolus, ut : « Ecce ego mittam fabrum sufflantem [6]. » — Obstinatus, ut : « Faber construit sculptile [7]. » — Adulator, ut : « Faber ferrarius lima operatus est [8]. » — Christus, ut : « Nonne hic e. f. f. »

Anonymus Clarevallensis. Faber habet fabricam, fornacem, ignem, carbones, incudem, malleum, martellum, martulum, forcipes, limam, folles.

Faber, Christus, ut : « Qui fabricavit auroram et solem. » — Diabolus, ut : « Ego creavi fabrum sufflantem. » — Ministri diaboli, ut : « Ostendit mihi Dominus quatuor fabros. » — Sanctus prædicator, ut : « Porro faber ferrarius non inveniebatur. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 21. Faber cœlestis, mundanus et tartareus. Cœlestis faber Deus. Evangelium. « Nonne h. e. f. filius? » et vere illius fabri, « qui fabricatus est auroram et solem [9]. »

Faber mundanus duplex : videlicet bonus, id est doctor spiritualis. Regum : « Faber ferrarius n. i. i. i. » Zacharias : « Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, id est quatuor evangelistas, vel quatuor virtutes. — Vel malus, sive adulator, sive hæreticus. Isaias : « Faber ferrarius lima operatus est [10], » id est, blande loquutus est.

Faber tartareus dicitur diabolus. Isaias : « Mittam fabrum sufflantem, » id est diabolum tentationes immittentem.

Cœlestis faber, in fornace tribulationis, conflat et probat monetam suam, id est electos, juxta hoc conflatorium ; sicut dicitur in Malachia : « Sedet faber ille conflans et emundans argentum, et purgavit filios Levi [11]. » Nonne in hac fornace probavit monetam, id est electos suos, quando, quum tres pueri socii Danielis, missi essent in fornacem ignis ardentis, nequaquam liquefacta est ibi hæc moneta, quia Angelus Do-

(1) *Sancti prædicatores in libro Regum* B-G. Præmittitur eo loci in B, C, titulus peculiaris : *De instrumentis bellicis et militia.* Insignior tantum littera rubricatur ab initio articuli in D. — (2) *Israel.* I Reg. XIII, 19. — (3) *Filius.* Matt. XIII, 55. — (4) *Regna gentium* B, C. — (5) *Fabri.* Zachar. I, 20. — (6) *Sufflantem.* Is. LIV, 16. — (7) *Sculptile.* Is. XL, 19. — (8) *Est.* Is. XLIV, 12. — (9) *Solem.* Ps. LXXIII, 16. — (10) *Est.* Is. XLIV, 12. — (11) *Filios. Levi.* Malach. III, 3.

mini descendit in fornacem, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem? Deinde ipsam monetam format imprimendo ei imaginem suam. Psalmus : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine [1]. » Nonne hanc monetam flatu suo formavit, quando insufflavit in discipulos, et dixit : « Accipite Spiritum sanctum [2] ? » An non monebat ne hanc formam deformaremus, quum ait : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo [3] ? » Interdum tamen in hac fornace format aliquod vas, unde postmodum propinat suis. Nonne in hac fornace tamquam purum vas et electum formavit Paulum, de quo ipse ait : « Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum ante reges et præsides [4] ? » Si tamen materia non sit vera, sed falsa, liquescit in hac fornace. Psalmus : « Sicut cera liquefacta, auferentur; supercecidit ignis, et non viderunt solem [5]. » An non et in ea liquescebant hi de quibus ait Jeremias : « Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt [6] ? »

Mundanus faber, seu spiritualis doctor, in fornace Scripturæ probat sententiam suam, et purgat verum a falso. — Malus vero faber, id est adulator, vel hæreticus, juxta fornacem falsæ doctrinæ conflat et inficit errorem suum. — Tartareus faber, id est diabolus, juxta fornacem tentationis semper accendit ignem concupiscentiæ. Exodus : « Eduxisti nos de fornace [7], » id est de duris incendiis carnalis concupiscentiæ.

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Exod. v. 1857-1864.

Beseleel sonat Umbra Dei, Christique figurat
Discipulos, quorum nos documenta tegunt,
Nostros istorum doctrina refrigerat æstus,
Et velut umbra Dei nos recreando levat.
Hos veluti proprios ex nomine, Christe, vocasti,
Per quos Ecclesiæ stat solidata domus,
Forma tabernacli, candelabri decus, aræ
Laus, mensæ species, singula scripta patent.

II. *Ibid.*, v. 2047-2054.

Beseleel sonat Umbra Dei; Protectio patris,
Ooliab: doctos signat uterque viros.
Doctor quippe, Patris summi protectus ab umbra,
Semper in Ecclesia verba sacrata docet.
De Juda trahit ille genus, de Dan trahit iste;
Nec res doctori dissonat ista bono.
Judas nempe sonat Confessio; Judicium, Dan :
Prædicat ista duo doctor ubique bonus.

XX.

1. Arma, protectio [8] Dei : « Apprehende arma et scutum [9]. »
2. Opera peccati, vel insidiæ diaboli : « Arma et scuta comburet igni [10]. »
÷ 3. Miracula : « In splendore fulgoris armorum tuorum [11]. »
÷ 4. Fraudes diaboli : « Audacter in occursum pergit armatis [12]. »
÷ 5. Necessitates vitæ præsentis : « Fugiet arma ferrea [13]. »
÷ 6. Membra corporis : « Descenderunt in infernum cum armis suis [14]. »
÷ 7. Opera justitiæ, adversus diaboli vitia [15]. In Apostolo: « Accipite armaturam Dei [16]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4 et 21; ed. II, col. 759 D, et 788 A ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 13, p. 439.

(1) *Domine.* Ps. IV, 7. — (2) *Sanctum.* Joan. XX, 23. — (3) *Deo.* Matt. XXII, 21. — (4) *Præsides.* Act. IX, 15. — (5) *Solem.* Ps. LVII, 9. — (6) *Sunt.* Matt. II, 18. — (7) *Fornace.* Deut. IV, 20. — (8) *Protectio divina et adjutorium ejus in sanctos, in psalmo* B-G. — (9) *Scutum.* Ps. XXXIV, 2. — (10) *Igni.* Ps. XLV, 10. — (11) *Tuorum.* Habac. III, 11 — (12) *Armatis.* Job XXXIX, 21. — (13) *Ferrea.* Job XX, 24. — (14) *Suis.* Ezech. XXXII, 27. — (15) *Adversus diaboli initia* B, C. — (16) *Dei.* Ephes. VI, 13.

Gregorius M. Arma, præsentis vitæ necessitates, ut ibi : « Fugiet arma ferrea, et tendet in arcum æreum. » — Membra corporis nostri, ut in Propheta : « Descenderunt, etc. » — Sanctorum miracula : « In lumine jaculi tua ibunt, et in splendore, etc. » Arma autem cum jaculis sunt miracula cum vocibus prædicationis. — Patrocinia humana, ut ibi : « Arcum conteret, et confringet arma; » id est erecta contra se patrocinia humana.

Rabanus. Arma, virtutes spirituales, ut : « Arma militiæ nostræ non carnalia [1]. » — Bona opera, ut : « Per arma justitiæ, a dextris et a sinistris [2]. » — Corpora reproborum ut : « Descenderunt, etc. » — Apertæ impugnationes, ut : « Confringet a. e. s. » — Nequitiæ diaboli, ut : « Omnia arma ejus auferet [3]. » — Necessitas vitæ hujus, ut : « Fugiet arma ferrea. »

Cf. *de Universo*, lib. xx, c. 5, col. 536.

Petrus Cantor. Arma Deus habet quibus nos impugnat : — Sagittas scilicet [*vid. infra*] et lanceas, id est amissiones terrarum, ut patet in transmarinis partibus, et in guerris, et pluviis quotidianis, et hujusmodi. — Habet gladium, seu ensem, id est æternam damnationem. Quandoque vero hoc gladio punit temporaliter, quandoque æternaliter. De hoc gladio dicitur : « Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes [4]. » Primo percutit sagittis, ad modum sagittarii; et, nisi cessemus, percutit lanceis; ad ultimum, ense. Hostes vero Dei sumus, qui peccando Deum offendimus, nec cessabit ipse, nec sui, nisi nos cessemus. Pugnat enim contra nos, quia nos prius contra ipsum pugnamus. Ipse vero pacem cupit, dicens : « Convertimini ad me, et ego ad vos convertar [5]. » Si pacem volumus, intercessores paratos habemus, ut beatam Mariam et omnes sanctos Dei. Et nos ipsi etiam dicimur arma Dei, quibus pugnat; unde : « Apprehende arma, » id est nosmet ipsos, « et scutum. » Scutum est protectio bonæ voluntatis Dei, et sic scutum Dei voluntas bona dicitur.

Sunt arma christianorum et maxime prælatorum, quibus se defendere debent et pugnare : quæ sunt, nisi virtutes et bona opera? Scutumque fidei et galea salutis, lorica charitatis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei? Lancea orationis, quæ sursum ad Deum erigitur, et in hostem dirigitur? Ocreæ, per diversorum locorum deambulationem? Arcus et sagittæ, per prædicationem? Frenum, per temperantiam? Calcaria, per vigilias et jejunia? In hac autem spirituali militia, est corpus equus; miles, spiritus. Quisquis vero supradictis armis armatus non est, miles Christi non est; quia sine ipsis miles Christi esse non potest. Et quisquis miles Christi non est, ejus hostis est; sicut ipse testatur, dicens : « Qui mecum non est, contra me est [6]. » Studeat quisquis istis armis armari. Studeant omnes cum Apostolo præliari, ut a Christo mereantur post victoriam coronari; et præcipue prælati, ut, superato armato forti, beatitudinis detur laurea triumphanti. Amen.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Armis*. Armorum nomine designari tam bona naturalia, quam instituta legalia, ex una sententia sancti Isaac comperimus, dicentis ad Esau : « Tolle arma tua, pharetram et arcum [7], etc. » Isaac figuram habet Dei Patris. Esau figurat populum Judæorum. Pharetra est memoria. Sagittæ sunt sententiæ vivaces et validæ. Arcus est lex mosaica, quæ ex præceptis cærimonialibus et moralibus, tamquam ex ligno constat et chorda. Venatio Esau sunt proselyti, qui de paganismo ad judaismum, studio et exhortatione doctorum, sunt conversi Synagogæ. Ex hac venatione vescebatur olim Isaac, quia nimirum placitum erat Deo ut pagani, derelicta idololatria, unius veri Dei cultui deservirent. — Arma alicubi sola cærimonialia legis mandata significant. Hæc sunt

(1) *Carnalia*. II Cor. x, 4. — (2) *Sinistris*. Ib. 4. — (3) *Auferet*. Luc. xi, 21. — (4) *Carnes*. Deuter. xxxii, 42. — (5) *Convertar*. Zachar. i, 3. — (6) *Est*. Luc. xi, 23. — (7) *Arcum*. Genes. xxvii, 3.

enim arma Saul, quæ sanctus David deposuit, pugnaturus contra Goliam. Noster enim David, id est Christus, qui est vere manu fortis et visu desiderabilis, qui legis Moysis se aliquando subdidit institutis. Unde in octavo a nativitate sua die est circumcisus; et quadragesimo cum hostiis in templo oblatus; instante pugna contra diabolum, hoc est pridie quam pateretur, panem et vinum in corpus et sanguinem suum transsubstantians, vetus sacrificium mutavit in novum, legem in Evangelium, figuram in veritatem.

Arma sunt virtutes; unde Apostolus : « Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo. » Miser ille homo, qui carnis mollitie delectatus, virtutes deserit, ut teneat voluptates. Ipse ille est qui

Arma sub adversa posuit radiantia quercu [1];

sub illa scilicet arbore, quæ fructu suo porcos pascit. Hæc est filia Babylonis misera, caro humana. — Arma sunt bona opera; unde Sulpicius : Bellator armis inclytus, Martinus actu nobilis [2]. De his puto dixisse Apostolum; « Per arma justitiæ, a dextris et a sinistris. » — Arma sunt quælibet sancta et honesta instituta et documenta, quibus contra diabolum, mundum et carnem munimur et instruimur; unde legimus quod ex turre David, quæ sanctos Ecclesiæ doctores significat, mille clypei dependent, omnis armatura fortium.—Sunt et arma partis adversæ calliditates diaboli, et mille nocendi artes, argumenta hæreticorum, veræ fidei, bonis vel malis moribus contraria, et nostra peccata. De his armis ait Dominus in Evangelio : « Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus in quibus confidebat, auferet, et spolia ejus distribuet [3]. » — Arma dicuntur ipsa corpora humana, vel corporum membra. De quibus ait Apostolus : « Non exhibeatis membra vestra iniquitatis peccato, sed exhibete ea arma justitiæ Deo [4]. » De his armis loquutus est propheta, in prophetia illa de damnatione reproborum : « Descenderunt in lacum cum armis suis. » Quod licet commemoretur in præteritum, tamen in generali judicio est complendum, quando impii ibunt in supplicium æternum, justi vero in vitam æternam.

Anonymus Trecensis. *Incarnatus fuit Filius, mediante Trinitate.* Notandum quod in hastiludiis sunt aliqui intra, et aliqui extra. Et ille exsistens intra, cujus scutum percutitur, debet exire ad pugnandum contra illum qui percutit scutum suum. Sic in Trinitate beata sunt tres personæ. Scutum Filii Dei fuit percussum peccato primorum parentum, scilicet sapientia quæ est appropriata Filio. Primi enim parentes peccaverunt apprehendendo sapientiam Dei, quando diabolus dixit ei : « Eritis sicut dii. » Ideo exit a Patre Filius, et venit in carnem, ad pugnandum contra diabolum. Similiter de Joseph, quem pater suus misit de Hebron, qui interpretatur Visio sempiterna, in Sichem, qui interpretatur Humerus, ad visitandum fratres suos, quos invenit in Dothain, id est, subjectos multis defectibus.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ

liber III *incipit*, v. 1-14.

Rex autem David, succedens inde Sauli,
In gestis verbisque suis te, Christe, figurat.
Quum sequeretur oves David puer, efficitur rex:
Judæos pavit primum Christus, modo gentes.
Sanat Davidicæ citharæ mulcedo Saulem:
Nempe figura crucis Christi Zabulum procul egit.
Quinque tulit lapides David, peraque reponit,
Non aliis armis munitus, it obvius hosti;
Hunc in fronte ferit, proprioque caput secat ense :
Quinque libros Moysi quum Christus notificavit.
Mundum possedit simul, et Satan superavit.
Dat præputia bis David centena Sauli,
Tunc demum nubit sibi Michol nata Saulis.
Credent Judæi post secta superflua mundi.
Quum citharizaret [p. 312], etc...

(1) *Quercu*. Virg. *Æneid.* VIII, 616. — (2) *Nobilis* Ex hymno veteri juxta Galland. *Bibl. Vet. PP.* t. VIII, p. 398. — (3) *Distribuet*. Luc. XI, 21. — (4) *Deo*. Rom. VI, 13.

XXI.

1. Scutum, protectio Dei [1] : ÷ « Scuto bonæ voluntatis tuæ protexisti me [2]. »
÷ In psalmo : « Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium [3]. »

2. Fides : « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi exstinguere [4]. »

3. Obduratio cordis, vel defensio peccati : « Dabis eis, Domine, scutum cordis, laborem tuum [5]. »

÷ 4. Veritas : « Scuto circumdabit te veritas ejus [6]. »

÷ 5. Humana repugnatio : « Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium [7]. »

XXII.

1. Clypei, testimonia Scripturarum : « Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium [8]. »

÷ 2. Virtutum munitio, ut supra.

÷ 3. Repugnatio diaboli : « Super ipsum sonabit pharetra; vibrabitur hasta et clypeus [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4; ed. II, col. 738 A ad XXI, 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 15, 16, p. 442, 443.

Gregorius M. Clypeus, repugnatio diaboli; sicut ad Job de sancto prædicatore dicitur : « Super ipsum sonabit pharetra, etc. » Nam, quum contra equum Dei pravorum consilia constrepunt, pharetra sonat; quum aperta pœna exquiritur, hasta vibratur; quum disputatione resistitur, clypeus antefertur. — Clypei, munimenta virtutum, ut ibi : « Collum tuum sicut turris David, quæ est excelsa cum propugnaculo, mille, etc. » In collo enim Ecclesiæ, id est in sacri eloquii prædicatione, quæ pro sua munitione et altitudine turri David similis dicitur, mille clypei pendent, quia quot illic præcepta, tot sunt præceptoris nostri munimina.

Rabanus. Scutum, protectio Dei, ut : « Scuto bonæ, etc. » — Judicium Dei, ut : « Da eis dolorem cordis, scutum tuum. » — Reprobi, ut : « Corpus illius, quasi scuta fusilia [10]. » — Excusationes, ut : « Et scuta comburet igni. » — Clypeus [*ut in sequenti*].

Cf. *de Universo*, lib. V, c. 12, col. 542.

Anonymus Clarevallensis. Clypeus est peditum, scutum equitum : dictum quod excutiat telorum ictus; ut enim telis resistatur, clypeus antefertur. Scutum latum est, rotundum, leve, volubile; protegit, munit; in sinistra geritur, per quoddam ligamentum tenetur; superius latum; inferius strictum.

Clypeus vexillum crucis, ut : « Leva clypeum, qui est in manu tua [11]. » — Superbia, ut : « Clypeus æreus tegebat humeros ejus [12]. » — Viri sancti, ut : « Refulsit sol in clypeos aureos [13]. » — Verbum excusatorium, ut : « Vibrabitur h. e. c. » — Virtutum munimina, ut : « Mille c. p. e. e. » — Virtus

(1) *Divina*, *in psalmo* B-G. — (2) *Me*. Ps. V, 13. — (3) *Adjutorium*. Ps. XXXIV, 2. — (4) *Exstinguere*. Ephes. VI, 16. — (5) *Tuum*. Thren. III, 65. — (6) *Ejus*. Ps. XC, 5. — (7) *Gladium*. Ps. LXXV, 14. — (8) *Fortium*. Cant. IV, 4. — (9) *Clypeus*. Job XXXIX, 23. — (10) *Fusilia*. Job XLI, 6. — (11) *Tua*. Josue V, 18. — (12) *Ejus*. I Reg. XVII, 6. — (13) *Aureos*. I Macch. VI, 39.

patientiæ, ut : « Surgite principes, arripite clypeum [1]. »

Distinctionum monasticar. lib. v, *de Scuto*. Scutum significat fidem ; unde Apostolus : « In omnibus, etc. » Tela ignea sunt acerrima dæmonum tentamenta, vel urentia hæreticorum dogmata, quæ per fidem a fidelibus exstinguuntur. « Sancti per fidem vicerunt regna [2], » id est reges terræ ; quia « hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra [3]. — « Reges tenebrarum, quia, sicut ait Apostolus, in scuto fidei possumus omnia tela diaboli ignea exstinguere. — Scutum significat gratuitam Dei voluntatem ; unde est illud : « Domine, ut scuto voluntatis tuæ coronasti nos. » Scutum enim dicitur a σκῦτος [4], quod est rotundum ; unde et scutella dicitur, quæ rotunda esse dignoscitur. Scutum itaque duo facit : corpus protegit, et caput coronat ; sic et gratuita voluntas Dei electos protegit, ne vincantur in hoc sæculo, et ipsa eos coronabit in futuro ; unde est illud : « Gratiam et gloriam dabit Dominus [5]. » — Scutum significat obstinatam et crassam culpæ excusationem ; unde est illa prophetia omni acceptione digna, dicens, quod Dominus « arcum conteret, » id est insidias, « et confringet arma, » id est apertam impugnationem, « et scuta comburet igni, » id est, falsas peccatorum excusationes consumet igne Spiritus sancti. Item de obstinatione Judæorum qui Christum Deum esse non potuerunt credere, quia hominem viderunt, prophetavit Jeremias dicens : « Domine, dabis eis scutum cordis, laborem tuum. » Dominus, secundum divinitatem suam quæ immobilis est et immutabilis, laborare non potest. Porro per humanitatem suam multum laboravit, tam prædicando quam ambulando ; unde et legimus eum fatigatum fuisse ex itinere. Præter illum magnum laborem, quem in passione sua sustinuit, hunc laborem dedit Dominus incredulis, id est, dari vel fieri permisit, « scutum cordis, » id est obdurationem in errore, ne prædicatorum subtilia quidem, sed tamen utilia tela reciperent ; ne essent vulnerati charitatis, sed integri iniquitatis. Non imiteris eos, lector, sed memorare quod meliora sunt vulnera amici, id est correptiones, quam oscula inimici, id est adulationes. — Scutum significat defensores bonos et malos, similiter et defensionem bonam et malam. Boni defensores designantur per scuta aurea quæ fecit Salomon ; mali defensores, per illos qui scuta vendunt in Jerusalem : qui cuilibet pro quæstu patrocinari parati sunt in Ecclesia, et indifferenter causam quamlibet defendere et tueri. Hi sunt qui justificant impium pro muneribus, et justitiam justi auferunt ab eo, quantum in illis est. Nec solum tales sunt judices injusti et pessimi patroni ; sed et perfidi advocati. Unde de talibus quidam ait :

Causidico reor esse fidem, neque dico quod hosti.
Pro modico fit amicus, et hostis amico.

In talibus factum propheticum illud poeticum :

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet [6].

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 522-535.

Sunt turres qui summa petunt, cœlos penetrantes,
Nil, præter Christum, variis in rebus hiantes.
Hæc turris David est, qui natus de patre Jesse
Creditur, et manibus fortis rex dicitur esse.
Ille notat Christum sine quo labor est sine messe
Linguæ doctoris, si Christum sentit abesse.
Muriculæ muri designant signa salutis,
Dum datur incessus claudis, vox integra mutis ;
Quæ sancti propter pravos homines operantur,
Dum pro servanda fidei virtute precantur,
Sed clypeos sumunt contra turbam vitiorum :
Et clypei tales signant exempla bonorum.
Perfectus numerus debet per mille notari,
Perfectisque viris solet omnis pugna domari.

(1) *Clypeum*. Is. xxi, 5. — (2) *Regna*. Hebr. xi, 33. — (3) *Nostra*. I Joan. v, 4. — (4) *Scuton* cod. a græco σκῦτος, *pellis, corium*, quia scutum ligneum intus esse, et corio contegi solebat. — (5) *Dominus*. Ps. lxxxiii, 12. — (6) *Sedet*. Eadem fere habet Cantor in *Verbo abbreviato*, p. 74, nisi quod incipiat : « Illud *Ecclesiæ*, etc. Uterque sua fecit, nec parce detorsit Ovidiana (*Trist.* vii, viii, 15) :

Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili, sub pedibusque jacet.

XXIII.

1. Gladius, verbum Dei [1] : « Et gladius egrediebatur de ore ejus [2]. Et gladius spiritus, quod est verbum Dei [3]. »

2. Duo testamenta : « Ecce gladii duo [4]. » ÷ « Ecce gladii ancipites [5]. »

3. Deceptio dæmonis [6] : « Qui liberasti David, servum tuum, de gladio maligno. »

4. Judicii dies [7] : « A facie [gladii] columbæ, unusquisque ad populum suum convertitur [8]. »

÷ 5. Vis amoris : « Non veni pacem mittere, sed gladium [9]. »

÷ 6. Persuasio iniquorum : « Salvum faciet de gladio oris eorum [10]. »

÷ 7. Tribulatio præsens : « Et gladius non transibit terminos vestros [11]. »

÷ 8. Detractio et maledictio : « Dentes eorum arma et sagittæ; lingua eorum gladius acutus [12]. »

÷ 9. Gladii in manibus sanctorum, testimonia Scripturæ divinæ ex utroque testamento, legis in examine producta. In psalmo : « Et gladii bis acuti in manibus ejus [13]. »

÷ 10 Hæreticorum prædicatio. In Salomone : « Quæ pro dentibus gladios habet. » Et in Evangelio : « Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur [14]. »

÷ 11. Damnatio sempiterna. In Job : « Si multiplicati fuerint filii ejus, » id est hæretici, « in gladio erunt [15]. »

÷ 12. Gladius, vindicta, vel sermo Dei. In Apostolo : « Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti [16]. »

÷ 13. *Romphæa*, idem quod et supra.

÷ 14. *Machæra*, sermo dolosus et insidiis plenus. In psalmo : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ; et lingua eorum, machæra acuta [17]. »

÷ 15. *Framea*, ultio divina, in impio. In psalmo : « Effunde framcam, et conclude adversus eos [18]. » Et in aliam partem : « Eripe a framea animam meam [19]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4 ; ed. II, col. 738 B, 763 B ad I, 12, 15.

Gregorius M. Gladius, verbum Dei, ut ibi : « Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. » Signanter autem non habentes, sed tenentes dixit, quia videlicet verbum Dei non est mirabile scire, sed facere. — Futuri judicii sententia, ut ibi : « Si multiplicati fuerint, etc.,» et alibi : « Gladius meus devorabit carnes,» id est, carnaliter sapientes occident. — Pœna damnationis æternæ, ut ibi : « Erues animam ejus de corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium. » — Vicina percussio, ut ibi : «Confregit cornua arcum, scutum, gladium et bellum.»—Temporalis tribulationis

(1) *Dei, et severitas legis atque prophetarum, in Apocalypsi* B-G. — (2) *Ejus.* Apoc. XIX, 15. *Ejus, id est verbum Domini* B. — (3) *Dei.* Ephes. VI, 17. — (4) *Gladii duo, duo testamenta legis, in Evangelio* (Luc. XXII, 38) B-G.—(5) *Ancipites.* Ps. CXLIX, 6. — (6) *Seductio diaboli, in psalmo* B-G. Ps. CXLIII, 10.—(7) *Judicium Dei, in Jeremia* B-G.—(8) *Convertitur.* Jerem. XLVI, 16.—(9) *Gladium.* Matt. X, 34. — (10) *Eorum.* Job V, 15. — (11) *Vestros.* Levitic. XXVI, 6. — (12) *Acutus.* Ps. LVI, 5. — (13) *Ejus.* Ps. CXLIX, 7. — (14) *Morietur.* Matt. XXVI, 52. — (15) *Erunt.* Job XXVII, 14. — (16) *Ancipiti.* Hebr. IV, 12. — (17) *Acuta.* Ps. LVI, 5. —(18) *Eos.* Ps. XXXIV, 3. — (19) *Meam.* Ps. XXI, 21.

dolor. — Ira, vel persuasio maligni hostis [*ut supra* 6, 7]. — Blanda suggestio iniquorum, ut ibi : « Salvum faciet de gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. » Gladius namque oris est iniquitas persuasionis; manus, violentis potestatis adversitas.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. viii, c. 17, p. 144.

Rabanus. Gladius, ira Dei, ut ibi : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit[1]. » — Prædicatio, ut : « Gladium spiritus assumite[2] q. e. v. d. » — Acutum ingenium, ut : « Penetrabilior o. g. a. » — Tribulatio temporalis, ut : « Tuam ipsius a. g. p. » — Repugnantia, ut : « Gladium evaginaverunt peccatores[3]. » — Separatio, ut : « Non veni p. m. s. g. » — Persequutio, ut : « Scutum g. e. b. » — Malitia diaboli, ut : « Qui fecit eum, applicuit gladium ejus[4]. » — Verbum correctionis, ut : « Gladius devorabit vos[5]. » — Sermo detractionis, ut : « Lingua eorum, gladius acutus. » — Persuasio prava, ut : « De gladio maligno e. m. » — Mors, ut : « Ipse portabat ignem[6] et gladium. » — Vindicta, ut : « Gladius meus devorabit carnes[7]. » — Peccatum, ut : « Si viderit gladium, et non sonuerit buccina[8]. » — Antichristus, ut : « Quum apprehenderit eum gladius[9]. » — Ultimum judicium, ut : « Si acuero ut fulgur gladium meum[10]. » — Æterna damnatio, ut : « Si multiplicati, etc. » — Verbum Dei, ut : « Gladii ancipites in manibus ejus. » — Omnes tenentes gladios[11].

Cf. *de Universo*, lib. xx, c. 6, col. 536.

Petrus Cantor. Gladius Dei dicitur : Quandoque in præsenti, quo dividuntur boni a malis, filii a parentibus; unde : « Non veni mittere pacem, » id est, tranquillitatem in bonis temporalibus, « sed gladium, » id est prædicationem, qua separentur boni a malis. — Quandoque judiciaria potestas in futuro, qua dividentur etiam loco; unde : « Gladii ancipites, » id est, ex utraque parte secantes, qui ipsi judicabunt impios damnari, et electos salvari; « in manibus eorum » sanctorum, qui cum Domino judicabunt. Inde est quod in Apocalypsi angelus habet in ore gladium bis acutum, propter duplicem potestatem. — Quandoque vindicta Dei, quæ punit temporaliter, vel æternaliter; unde : « Inebriatus est in sanguine gladius meus[12]. »

Vel sic distinguitur : est gladius prædicationis, judiciariæ potestatis, vel vindictæ temporalis, sive pœnæ vel damnationis æternæ; et est malus. — Et gladius spiritualis et materialis de quibus dicitur : « Ecce gladii duo hic, » et dictum est : « Sufficit. » Et inde est quod in Apocalypsi angelus habet in ore gladium bis acutum, propter duplicem potestatem, ut dictum est. Quod non dicitur de illis episcopis vel archiepiscopis, qui sunt comites vel vicecomites, quorum auctoritate latrones interficiuntur. Utrum peccant mortaliter, quum eis dicatur : « Non occides, » et « : Qui acceperit gladium, gladio peribit? » Respondetur quia judex non occidit, sed lex, ut ibi : « Oculum pro oculo, animam pro anima, etc. »

Gladius dicitur Christus, propter splendorem; unde : « Deus noster manifeste veniet. » — Propter terrorem; unde : « In circuitu ejus tempestas valida. » — Propter sectionem; unde in Apocalypsi : « Et de ore e. p. g. a. » — Propter compositionis similitudinem, quia parte altera tenetur, altera est intractabilis : ita Christus tenetur per humilitatem seu humanitatem, quasi per manubrium, qua scilicet humanitate tractabilis est; intractabilis vero per divinitatem.

Petrus Capuanus ad lit. vii, art. 21.

Gladius

Exterior.	*Superior.*
Verbum Dei.	Christus.

(1) *Vibrabit.* Ps. vii, 13. — (2) *Assumite.* Ephes. vi, 13. — (3) *Peccatores.* Ps. xxxvi, 14. — (4) *Ejus.* Job xl, 14. — (5) *Vos.* Is. i, 20. — (6) *Ignem.* Genes. xxii, 6. — (7) *Carnes.* Deuter. xxxii, 42. — (8) *Buccina.* Ezech. xxxiii, 3. — (9) *Gladius.* Job xli, 17. — (10) *Meum.* Deuter. xxxii, 41. — (11) *Gladios.* Nonnulla deesse putem, quæ non supplentur in *Allegoriis*, ubi tamen immensa parerga interpollantur. — (12) *Meus.* Is. xxxiv, 5. — (13) *Gladium.* Ezech. xxxiii, 6.

Potestas.
Temporalis pœna.

Interior.

Acumen ingenii.
Separatio virtutum a vitiis.
Intentio prava nocendi.

Potestas Christi.
Judicium futurum.

Inferior.

Lingua litigiosa vel detractoria,
Antichristus.
Pœna æterna.

Cœlestis autem gladius, id est Christus, fabricatus fuit in fornace uteri virginalis. Isaias : « Ecce Virgo concipiet [1]. » Nonne in hac fornace formabatur hic gladius, quando accinctus est gladio super femur suum potentissimus? Materia de qua fabrefactus est hic gladius fuit caro virginalis; de qua carnem voluit sumere ille qui, quum sit Verbum, caro tamen factum est. Faber hujus gladii fuit Deus Pater. Nonne hic est filius fabri? Illius scilicet qui fabricatus est auroram et solem. Manus qua fabricatus fuit, est operatio Spiritus sancti. Nonne hac manu ipsum credimus fabricatum, quando, juxta quod in Symbolo legitur, credimus ipsum natum ex Spiritu sancto et Maria virgine? In hac fornace uteri virginalis ardebat flamma intimi amoris. Nonne ardebat in ea flamma, quum dicebat : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo [2]? » Hæc flamma accendebatur in hac fornace flatu Spiritus sancti. Evangelium : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi [3]. » Hic gladius sic fabrefactus, productus est de hac fornace, quando « puer natus est nobis, et Filius datus est nobis [4]. » Sic productus ad similitudinem compositionis gladii, ex una parte poterat teneri, et ex altera erat intractabilis. Manubrium ergo quo tenebatur, fuit humanitas, qua potuit aliqua parte teneri, atque agnosci. Jeremias : « In terris visus est, et cum hominibus conversatus [5]. » Nonne per humanitatem quasi manubrio tenebatur, quando, « quum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege [6]? » Acumen vero quo erat intractabilis, fuit ejus divinitas, qua nullatenus teneri potuit, sive agnosci. Epistola canonica : « Deum nemo vidit umquam [7]. » Hoc tamen acumen volebat tenere et tractare Philippus, qui ait : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis [8]. » Hic gladius sic fabrefactus, primo latuit in vagina humilitatis. Nam, quia diabolus vidit eum esurientem post jejunum, dubitavit an ipse esset per quem destruendus erat ipse qui habebat mortis imperium. In hac vagina humilitatis et mortalitatis nostræ contraxit rubiginem multam, quia in ea multas angustias et dolores sustinuit : « Vere languores ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit [9]. » Omnem tamen hanc rubiginem deposuit in conflatorio et probatorio crucis, et ex hoc conflatorio emersit splendidus in resurrectione. Osee : « O mors, ero mors tua [10]. » Nonne omnem rubiginem deposuit in passione, et inde splendidus emersit, quando, Deus Pater concidit saccum suum in passione, et postea circumdedit eum lætitia? Quum Christus resurrexit, primitiæ dormientium? Et quia ad vesperum passionis demoratus est fletus, et ad matutinum resurrectionis fuit lætitia? Hic ergo gladius post resurrectionem splenduit discipulis, quando intravit ad eos, januis clausis. Propter hunc splendorem Magdalena non agnoscebat eum, sed æstimabat hortulanum. Nonne splendebat post resurrectionem, quando, quum discipuli hæsitarent, propter ejus splendorem, inquit eis : « Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere [11]? » Hic gladius quasi repositus manet modo, sed tandem vibrabit, et splendificabit eum Pater contra adversarium illum Antichristum, qui extolletur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus [12], quem Deus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui [13]. » Et tandem in ju-

(1) *Concipiet*. Is. VII, 14. — (2) *Meo*. Luc. I, 47. — (3) *Tibi*. Luc. I, 35. — (4) *Nobis*. Is. IX, 6. — (5) *Conversatus*. Baruch III, 38. — (6) *Lege*. Galat. IV, 4. — (7) *Umquam*. Joan. I, 18. — (8) *Nobis*. Joan. XII, 44. — (9) *Portavit*. Is. LIII, 4. — (10) *Tua*. Osee I, 14. — (11) *Habere*. Luc. XXIV, 39. — (12) *Deus*. II Thessal. II, 4. — (13) *Adventus sui*. II Thessal. II, 8.

dicio splendebit cunctis, et « videbit omnis caro salutare Dei [1]. »

Dicitur etiam Christus gladius :

Propter splendorem.

— penetrationem.

[*Ut supra in Petro Cantore.*]

Anonymus Clarevallensis. Gladius acutus est, splendidus ; utraque parte secat ; in parte tractabilis, in parte non ; in vagina reconditur ; ab hoste timetur ; sinistro latere pendet ; dextra tenetur.

Gladius.

Peccatum, ut : « Speculator si viderit gladium venientem [2]. »

Æterna damnatio. Separatio.
Ultimum judicium. Mors.
Tribulatio. Vindicta.

Petrus de Riga.

I.

Aurora, in I Reg. v. 322-329.

Hostis percussit frontem lapis, hic ubi Christi
Signum non habuit corporis ille locus.
Hoste David victo rapit huic gladium, caput ejus
Amputat : inde David noster et istud agit.
Immanem Satanam prostravit, quando tyranni
Illum despiciunt, suscipiuntque fidem.
Et dum verba tenent fidei, Satanamque repellunt,
Tunc hosti cervix scinditur ense suo.

II.

Ibid., v. 414-423.

Porro David petit Abimelech, qui rite sacerdos,
Officii sacri munus adeptus erat.
Accipit inde sacros panes, gladiumque Goliæ
Tollit ab Abimelech supplice voce David.
Ista sacerdoti res mortem fecit, et urbi
Excidium, postquam comperit ista Saul.
Sic egit Christus, qui dum declinat Hebræos,
Transit ad electos discipulosque suos.
Cum quibus ille cibum capit, ex quibus arma Goliæ
Tollit, dum Satanæ fortiter arma gerit.

XXIV.

1. Arcus, Scriptura [3] : ÷ « Arcum suum tetendit [4]. » ÷ In Genesi : « Sedit in forti arcus ejus [5], » id est Domini. Et in Apocalypsi : « Datus est ei arcus [6]. »

2. Judicium Dei [7] : ÷ « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus [8]. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum [9]. »

3. Insidiæ : ÷ « Intenderunt arcum rem amaram [10]. » ÷ In psalmo : « Arcum suum tetendit, et paravit illum. »

÷ 4. Intentio comminationis divinæ. In psalmo : « Intendit arcum suum, donec infirmentur [11]. »

÷ 5. Hæreticorum eloquia. In psalmo : « Quia ecce peccatores tetenderunt arcum suum [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4; ed. II, col. 738, ad 4.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 17, p. 447.

Gregorius M. Arcus, dies extremi judicii, ut ibi : « Dedisti metuentibus, etc., » quasi diceret : per præsentia flagella significas quomodo in extrema examinatione non parces. — Supremum judicium, ut ibi : « Fugiet arma, etc. » — Pravorum calliditas, ut ibi : « Intenderunt arcum, etc. » — Sacra Scriptura, ut ibi : « Arcum suum, etc. »

(1) *Dei.* Luc. III, 6. — (2) *Venientem.* Ezech. XXXIII, 6. — (3) *Evangelicus sermo* B-G. — (4) *Tetendit.* Ps. VII, 13. — (5) *Ejus.* Genes. XLIX, 24. — (6) *Arcus.* Apoc. VI, 22. — (7) *Judicium Dei.* Cf. quæ supra cap III, art. 31. Hæc enim velim referas ad *arcum* cœlestem. — (8) *Arcus.* Ps. LIX, 6. — (9) *Æreum.* Job XX, 24. — (10) *Amaram.* Ps. LXIV, 4. — (11) *Infirmentur.* Ps. LVII, 8. — (12) *Suum* Ps. X, 3.

Rabanus. Arcus, prædicatio, ut : « Filii Ephrem intenderunt arcum [1]. » — Humana fortitudo, ut : « Non enim in arcu meo sperabo [2]. » — Dolus, ut : « Peccatores intenderunt a. s. » — Evangelium, ut : « Posuisti arcum meum brachia mea [3]. » — Scriptura sacra, ut : « Arcum s. t. » — Comminatio judicii, ut : « Fugiant a facie arcus. » — Malitia occulta, ut : « Intenderunt a. s. r. a. » — Intentio, ut « Patres eorum conversi sunt in a. pr. » — Minæ, ut : « Intendit a. s. d. i. » — Patientiæ virtus, ut : « Sedes i. f. a. e. » — Insidiæ, ut ibi : « Confregit potentias arcuum [4]. »

Cf. *de Universo*, lib. XX, c. 9, col. 541.

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 52.

Arcus

Interior.	*Exterior*, Scriptura sacra.
Bona intentio.	*Inferior*, dolus et insidiæ malorum.
Robur mentis.	*Superior*, dies judicii.
Apostoli.	

Exterior tenditur a Deo, dum per chordam novi testamenti lignum veteris temperatur. Interior, per chordam boni operis, tenditur ab homine. Inferior, per chordas simulationis, tenditur a dæmone. Superior, per chordam suspensionis, tenditur a Christo Deo et homine. A primo emittuntur sagittæ prædicatorum; a secundo, sagittæ miraculorum; a tertio, sagittæ persequutionis; a quarto, sagittæ, id est sententiæ æternæ damnationis.

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Arcu*. Arcus est sacra Scriptura, quæ ex utroque testamento tamquam constat ligno et chorda. Nam chorda, quæ ligno brevior est et mollior, significat novum testamentum, quod veteri brevius est quantitate, et mollius miseratione; ita tamen validum, quod duritiam veteris flectit et domat et sibi coaptat. Hunc arcum intendimus, quum verba sacræ Scripturæ meditando pensamus. Sagittas emittimus, quum verba sacræ doctrinæ prædicamus. Quæ verba ideo sagittis comparantur, quia directe volant, cito perveniunt, acute penetrant, hostes fidei cruciant. De hoc arcu ait Eliseus propheta ad regem Israel : « Pone manum tuam super arcum [5]; » per hoc significans quod qui vult bona docere, debet et facere. Dixitque Eliseus regi : « Aperi fenestram orientalem; » quumque aperuisset, dixit Eliseus : « Jace sagittam. » Prius debet fenestra orientalis aperiri, et post sagitta jaci; quod prius debet homo sacræ Scripturæ scientia illustrari, et sic verba doctrinæ jaculari. — Arcus significat fortitudinem, ut ibi : « Non in arcu meo sperabo [6]. » — Arcus significat præsumtuosam intentionem, ut ibi : « Arcus fortium superatus est [7]. » — Quod Petrus Riga exponit [8] :

In se sperantis intentio dicitur arcus :
Sed Domini valida frangitur illa manu.

— Arcus significat insidias; unde : « Intenderunt arcum, etc. » — Arcus significat divinam comminationem, ut ibi : « Intendit arcum s. d. i. » O misericors comminatio, cujus causa est contemtoris correctio! — Arcus significat humanam comminationem, ut ibi :

Non semper feriet quodcumque minabitur arcus [9].

— Arcus significat perseverantiam et longanimitatem, ut ibi : « Posuisti ut arcum æreum brachia mea [10], » id est, fortes operarios meos infatigabiles fecisti. — Arcus significat diabolicam impugnationem, ut ibi : « Qui habitas in terra austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladii fugerunt, a facie arcus extenti, a facie gravis prœlii [11]. » Per gladium hic significatur persequutio humana. Per arcum extentum,

(1) *Arcum*. Ps. LXXVII, 9. — (2) *Sperabo*. Ps. XLIII, 7. — (3) *Mea*. Ps. XVII, 35. — (4) *Arcuum*. Ps. LXXV, — (5) *Arcum*. IV Reg. XIII, 15, 16. — (6) *Sperabo*. Ps. XLIII, 7. — (7) *Est*. I Reg. II, 4. — (8) *Exponit* in Aurora, ad I Reg. v. 60-64; qui ut versiculum absolvat : *Et infirmi accincti sunt robore*, addit :

Infirmi, qui sunt humiles, virtute fruuntur;
Hos Deus exaltat, corda superba premit.

— (9) *Arcus*. Horat. *Art. poet.* v. 350. — (10) *Mea*. Ps. XVII, 35. — (11) *Prœlii*. Is. XXI, 15.

diabolica; quia diabolus ad nocendum nobis semper est paratus. Per grave prælium, impugnatio quæ nobis ingeritur e carne nostra, quæ est omnium impugnationum gravissima; quia nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Hæc sententia largiente Deo plenius exponetur in distinctione *de Gladio* [1].

His tribus hostibus se prægravari sentiens quidam, ait :

Quid faciat lætum, quem non sinit esse quietum,
Spiritus immundus, cui se sociant caro, mundus?

—Arcus significat quamlibet culpam mortalem, ut ibi : « Arcum, scutum, gladium et bellum [2]. » — Arcus significat extremæ damnationis percussionem, ut ibi : « Dedisti metuentibus significationem, ut fugiant a facie arcus [3]. » Nam flagello justorum in hoc sæculo datur intelligere malum pœnæ, quod injusti patientur in futuro. Item de eodem in libro beati Job : « Vitabit arma ferrea, et incurret in arcum æreum [4]. » Nam qui pro justitia recusat sustinere transitoriam tribulationem hujus sæculi, incurret æternam futuri. Æs dicitur, quia valde durabile est; et quia rubigine non consumi potest, perpetuitatis habet figuram.

Liber Præfigurationum III, v. 24-31.

Quum juxta lapidem David latuisset in agro,
Mane venit Jonathan, binas jaciendo sagittas :
Collegit puer has, cur inscius hæc agerentur.
In mundo Christum quum littera legis haberet,
Et quasi mane novo fidei jubar exoriretur,
Tunc Pater omnipotens per legem, perque prophetas
Est attestatus Domini magnalia Christi.
Sed te, Christe, legens, populus non novit hebræus.

XXV.

÷ 1. Pharetra, occultum Dei consilium : « Pharetram suam aperuit, et afflixit me [5]. »

÷ 2. Pravorum machinatio : « Paraverunt sagittas suas in pharetra [6]. »

XXVI.

1. Sagittæ, sententiæ Scripturæ, vel verba prædicationis [7] : ÷ « Sagittas suas ardentibus effecit [8]. » ÷ In psalmo : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum [9], » hoc est apostolorum. Et alibi : « Misit sagittas suas, et dissipavit eos [10]. »

2. Sagitta, Christus [11] : « Sicut sagittam electam, abscondit me in pharetra sua [12]. »

3. Doli [13] : « Paraverunt sagittas suas. » ÷ In Jeremia : « Sagitta vulnerans lingua inimici [14]. »

÷ 4. Ultio : « Jace sagittam. Quo jaciente, ait : Percuties Syriam [15]. »

÷ 5. Inspirationes diaboli. In psalmo : « Sagittas suas a. e. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 4; ed. II, col. 738 A ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 19-20, p. 449, 450.

(1) *Gladio.* Quæ quidem omisimus, eadem fere cum præcedentibus, additis tantum quæ statim subdimus. — (2) *Bellum.* Osee II, 18. — (3) *Arcus.* Ps. LIX, 6. — (4) *Æreum.* Job XX, 24. — (5) *Me.* Job XXX, 11. — (6) *Pharetra.* Ps. X, 3. — (7) *Præcepta divina* B-G. — (8) *Effecit.* Ps. VII, 14. — (9) *Eorum.* Ps. LXIII, 8. — (10) *Eos.* Ps. XVII, 15. — (11) *Dominus Jesus Christus, corda electorum suorum salubriter vulnerans, in Isaia* B-G. — (12) *Sua.* Is. XLIX, 2. — (13) *Insidiæ inimici, sive sermo hæreticus* B-G. — (14) *Inimici.* Jerem. IX, 8. — (15) *Syriam.* IV Reg. XIII, 17, 18.

Gregorius M. Pharetra, occultum judicium, sicut per beatum Job dicitur : « Pharetram suam, etc., » id est, de occulto suo judicio protulit quod publica me percussione vulneravit. Pharetra, pravorum machinatio [*ut supra*]. Sagitta, percussio animadversionis. Sic Joas regi per Elysæum dicitur : « Jace sagittam, etc. » Hinc et Job dicit : « Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. » Sagittarum Domini indignatio spiritum hominis bibit, quum supernæ animadversionis duritia afflictam mentem ab elatione compescit. Pravorum insidiæ, ut ibi : « Paraverunt s. s., etc. »

Rabanus. Pharetra, occultum Dei judicium.—Pravorum machinatio [*ut supra*].— Consilium sanctorum, ut : « Super ipsum sonabit pharetra [1]. »

Sagitta, sermo Dei : « Sagitta Jonathæ numquam abiit retrorsum [2]. » — Animadversio Domini : « Sagitta salutis Domini contra Syriam. » —Persequutio aperta : « A sagitta volante in die [3]. » — Verba prædicationis : « Sagittæ potentis acutæ [4]. » — Vindicta Domini : « Sagittas meas complebo in eis [5]. » — Afflictio : « Dentes eorum, arma et sagittæ [6]. » — Præcepta Dei : « In luce sagittarum tuarum ibunt [7]. » —Comminatio : « Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi [8]. » —Insidiæ : « Sagittæ parvulorum, etc. » — Persequutiones Dei : « Sagittæ Domini in me sunt [9]. » — Cf. *de Universo*, lib. xx, c. 8, 9, col. 539, 540.

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 50.

Pharetra Dei, protectio divina. Pharetra Christi, caro ejus. Pharetra diaboli, dolus et machinatio hæreticorum. In prima reponuntur sancti. Isaias : « Posuit me sagittam electam [10]. » In secunda fuerunt repositæ sagittæ miraculorum. Has pharetras petit propheta emitti, quum ait : « Fulgura coruscationem, et dissipabis eos ; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos [11]. » E tertia pharetra emittunt hæretici, ut vulnerent et penetrent corda minorum, quando acuunt linguas suas sicut serpentes, eo quod venenum aspidum sit sub labiis eorum.

Ad litter. xviii, art. 64.

Sagitta

Exterior duplex.	*Inferior triplex.*
Sancti.	Impetus carnis.
Pœnæ a Deo inflictæ.	Tentatio { occulta. / manifesta.
Interior, prædicatio verbi.	Facta Judæorum in passione Christi.
Superior, Christus.	

In sagitta autem quinque principaliter attenduntur, scilicet ferrum, lignum vel hasta, pennæ, arcus, et subjectum. Ferrum penetrat et vulnerat ; lignum ferrum portat atque suffert ; pennæ sagittam ipsam in directum transmittunt. Attenditur etiam arcus, a quo transmittitur ipsa sagitta, et subjectum quod penetrat vel vulnerat. Hæc eadem et in sagitta nostra superiori, scilicet Christo, possumus invenire. In eo namque est ferrum divinæ inflexibilitatis. Psalmus : « Reges eos in virga ferrea [12]. » In eo fuit lignum humanitatis. Evangelium : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet [13] ? » Et hoc quidem lignum humanitatis ferrum divinitatis portabat et sufferebat, quia ipsa humanitas fuit equus quem divinitas ascendit. Genesis : « Mordens ungulam equi, ut cadat ascensor ejus retro [14]. » Nonne lignum humanitatis supportabat ferrum divinitatis, quando ipse qui erat lux vera, quem non videbit homo et vivet, per humanitatem in terris visus est, et cum hominibus conversatus? In eo etiam fuerunt pennæ virtutum. Malachias : « Sanitas in pennis ejus [15]. » Nonne in eo fuerunt pennæ virtutum, quando « requievit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spi-

(1) *Pharetra*. Job xxxix, 23. — (2) *Retrorsum*. II Reg. i, 22. — (3) *Die*. Ps. xc, 5. — (4) *Acutæ*. Ps. cxix, 4. — (5) *Eis*. Deuter. iii, 23. — (6) *Sagittæ*. Ps. lvi, 5. — (7) *Ibunt*. Habac. iii, 11. — (8) *Mihi*. Ps. xxxvii, 8. — (9) *Sunt*. Job vi, 4. — (10) *Electam*. Is. xlix, 2. — (11) *Eos*. Ps. cxliii, 6. — (12) *Ferrea*. Ps. ii, 9. — (13) *Fiet*. Luc. xiii, 31. — (14) *Retro*. Genes. xlix, 17. — (15) *Ejus*. Malach. iv, 2.

ritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini [1] ? » Hæ quidem pennæ hanc sagittam in directum dirigebant, quando hostes etiam dicebant ei : « Magister, scimus quia verax es, et non est tibi cura de aliquo ; non enim accipis personas hominum [2]. » Arcus a quo emissa est hæc sagitta, est sacra Scriptura, quæ ipsum prophetando et prædicendo, quasi ex se emisit. Subjectum quod hæc sagitta penetravit, fuit sancta Ecclesia, quam suæ charitatis jaculis penetravit. Canticum : « Vulnerata charitate ego sum [3]. » Nonne penetrabat et vulnerabat Ecclesiam, quum dicebat ei : « Pone me ut signaculum super brachium tuum [4] ? » Et hæc est fortassis Jonathæ sagitta quæ non rediit retrorsum, quia semper effectum habuit salutarem. Isaias : « Quomodo, quum descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertetur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit ; sic erit verbum quod procedit ex ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed prosperabitur in omnibus ad quæ misi illud [5]. »

Anonymus Clarevallensis. Sagitta directe procedit, quum dirigitur ; chordæ maritatur ; ligno compaginatur ; triplici pennarum ordine insignitur ; teres est ; plana et directa ; ferrum habet acutum. In sagitta est gracilitas, rectitudo, pennæ, filum, velocitas, expeditio. In pharetra absconditur ; incastraturam habet ; ab arcu emittitur ; rigida ; quum emittitur, stridet ; subito percutit et profunde.

Sagitta.

Sermo Dei.	Afflictio.	
Persequutio.	Præcepta	
Verba prædicationis.	Comminatio	Dei.
Vindicta Domini.	Persequutio	

Pharetra.

Obscura corda hæreticorum.	Sacra Scriptura.
Occultorum machinatio.	Littera legis.
Caro Christi.	Consilium Dei occultum.

Petrus de Riga et Ægidius Parisiensis.

Aurora, in Genes., v. 810 sqq.

Lamech venator jaculo pollebat et arcu,
Qui vivendo diu lumine pauper erat.
Hic pro deliciis, pecorum vel pellibus, arcum
Gestabat : carnis non erat usus adhuc.
Hujus erat ductor juvenis ; cujus documento
Vulnerat ille Cain, dum putat esse feram.
Rem Lamech discit, dolet, et transverberat arcu
Hunc juvenem, cujus livida membra facit.
* Læsus uterque cadit, juvenis cui pertulit arcus
* Livores, et quem fixit arundo Cain....
* Post Lamech, metuens incerta, vidensque quod esset
* Jure Cain pœnæ supplicioque datus :
* « De peccante Cain punitio septupla facta est ;
* « Per septem decies septupla pœna mei est... »
* Hoc Lamech canit et se nescit dicere verum ;
* Sed facit eventus resque sequuta fidem.
Septenæ decies animæ, septemque fuerunt
Ex hoc egressæ diluvioque datæ.

XXVII.

Funda, Ecclesia [6], vel anima : « In stipulam versi sunt ei omnes lapides fundæ [7]. » Et in Zacharia : « Subjiciant in lapidibus fundæ [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus et Anonymus Clarevallens. Funda, Ecclesia, ut : « In stipulam, etc. » — Scriptura sacra, ut : « David fundam manu tulit [9]. » — Instabilitas, ut : « Anima inimicorum David rotabitur in circuitu fundæ [10]. »

Cf. *de Universo*, lib. xx, c. 10, col. 541.

(1) *Domini.* Is. xi, 2. — (2) *Hominum.* Luc. xx, 21. — (3) *Sum.* Quæ in vulgata vers. non exstant ; sed Cf. *Veteres Biblior. Vers.* apud Sabaterium ad Cant. ii, 5 ; v, 8. — (4) *Tuum.* Cant. viii, 6. — (5) *Illud.* Is. lv, 11. — (6) *Ecclesia, sicut in Job pro Antichristo dicitur* B-G. — (7) *Fundæ.* Job xli, 19. — (8) *Fundæ.* Zach. ix, 15. — (9) *Tulit.* I Reg. xvii, 40. — (10) *Fundæ.* I Reg. xxv, 29.

Petrus Cantans ad litt. VI, art. 46. Funda dicitur Ecclesia. Zacharias : « Subjiciant ... l. f. » Ipsa enim in volubilitate hujus mundi lapides, id est sanctos, ex se contra malos emittit. Job : « In stipulam, etc. » —Funda, etiam Scriptura sacra, quæ ex sui volubilitate lapides auctoritatum emittit. Regum : « Prævaluit David adversus Philistæum in funda et lapide [1]. »

Prima funda contexitur ex lino, id est candore innocentiæ; unde et in Exodo dicitur quod in operimento tabernaculi erat cortina, quæ connexa erat ex decem cortinis, in figuram Ecclesiæ. Secunda funda contexitur ex lino, ad quod filandum digiti fortis mulieris apprehenderunt fusum. Ex prima funda emittuntur lapides, id est sancti. Ex secunda emittuntur petræ, id est auctoritates Scripturæ. Psalmus : « De medio petrarum dabunt voces suas[2]. » Ex prima percutiuntur hæretici, secundum quod ait Paulus : « Hæreticum hominem, post primam et secundam correctionem, devita [3]. » Ex secunda dejectus fuit Goliath, id est diabolus, quando David noster, id est Christus, sumtis lapidibus auctoritatis de torrente Scripturæ, in sua tentatione diabolum dejicit, inquiens : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei [4]. » Et item : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Et item : « Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. » Quibus dejectus abscessit ab eo, et accesserunt angeli, et ministrabant ei.

Petrus de Riga.

Aurora, in I Reg., v. 306-323.

Exiguus magnum vicit puer ille Goliam :
Nam virtus humilis colla superba domat [5].
Quinque tulit lapides de flumine; quinque videntur
Hi lapides Moysis quinque notare libros.
Denotat hunc mundum fluvius : nam quidquid habetur
In mundo, tanquam fluminis unda fluit.
Torpebant velut in fluvio lapides : in hebræa
Plebe, prius nihil lex utilitatis erat.
Sed lex ut prosit, accessit gratia legi
Per Christum, sine quo lex bona nulla facit.
Hic ubi mulgetur lac, collocat ille lapillos :
Inde figurari gratia lacte potest.
Dat gratis mater lac : quod si forsitan absit
Qui sugat, matri nascitur inde dolor.
Lac liquor est dulcis, quod matris ab ubere stillat;
Quæ datur a Christo, gratia dulce sapit.
Quinque ferens lapides, jacit unum : quinque fuerunt
Libri; sed Christi prævalet unus amor.

XXVIII.

÷ Hasta, persequutio : « Super ipsum sonabit pharetra, et hasta vibrabitur [6]. »

XXIX.

÷ Jaculum, prædicatio : « Quum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque jaculum, neque thorax [7]. »

XXX.

Lanceæ, tentationes : « Circumdedit me lanceis [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 21, 22, p. 451.

Gregorius M. Hasta, aperte sæviens persequutio, ut ibi, de sancto prædicatore, sub equi nomine, dicitur : « Super ipsum sonabit pharetra, vibrabitur hasta. » Nam post pharetræ sonitum, hasta vibrabitur, quando post terrores exhibitos e vicino,

(1) *Lapide*. I Reg. XVII, 49.—(2 *Suas*. Ps. CIII, 12. — (3) *Devita*. Tit. III, 10. — (4) *Dei*. Matt. IV, 4, 7, 10; Deuter. VIII, 3; VI, 16; VI, 13. — (5) *Corda* | *superba*, alias. — (6) *Vibrabitur*. Job XXXIX, 25. — (7) *Thorax*. Job XLI, 17. — (8) *Me lanceis*. Job XVI, 14.

jam feriens aperte pœna producitur. — Hasta jaculum prædicationis, ut ibi de Leviathan dicitur : « Quum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax; » quia videlicet, quum diabolum suus damnatus homo susceperit, tanta est ejus malitia, quod et prædicatorum virtutem frangat, et patientium munimen abrumpat[1].

Jacula, verba prædicantium, ut : « In lumine jacula tua ibunt; » quia videlicet verba Dei per ora prædicantium in aperto exeunt.

Lanceæ, jacula tentationis, ut ibi : « Circumdedit me l. s. » Ecclesia namque ab hoste suo lanceis circumdatur, quando ab eo jaculis tentationum impugnatur.

Rabanus. Hasta, Christus, ut : « In splendore fulgurantis hastæ[2]. » — Prædicatio, ut : « Subsistere non poterit hasta. » — Potestas regni, ut : « Tolle hastam quæ est ad caput ejus[3]. » — Persequutio, ut : « Super ipsum, etc. » — Doctrina hæreticorum, ut : « Ferrum hastæ ejus sexcentos cyclos[4]. » — Superbia, ut : « Quum esset in nemore, hastam in manu tenens[5]. »

Lanceæ, jacula tentationum : « Circumdederunt m. l. » — Fraudes præmeditatæ, ut : « Conflabunt lanceas in falces[6]. »

Cf. *de Universo*, lib. xx, c. 7, col. 539.

Anonymus Clarevallensis i. *His addit* : Aculeus prædicationis; ut : « Posuerunt terram Assur in gladio et in lanceis suis[7]. » — Potestas diaboli, ut : « Banaias habebat lanceam ut liciatorium[8]. »

Petrus Capuanus ad litt. ix, art. 38. Jacula prædicationis, adulationis et tentationis. Prima bona, secunda mala, tertia pessima. Prima penetrant usque ad cor. Sapientia : « Verba sapientis sunt quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi[9]. » Secunda penetrant aures. Evangelium : « Amant vocari ab hominibus Rabbi[10]. » Tertia penetrant carnem. Job : « Egressus Satan percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem[11]. » — Prima jacula excipiuntur et repelluntur scuto contumaciæ et inobedientiæ. Secunda, munimine constantiæ et contemtu sæcularium. Tertia, munimine orationum, virtutum et bonorum operum.

Distinctionum monasticar. lib. iii, *de Hasta*. Hasta Christum significat, propter rectitudinem justitiæ, propter planitiem innocentiæ, propter acumen sapientiæ. De hac hasta est illud propheticum : « In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore f. h. t. » Electi namque vadunt, qua itur ad Deum, in manifestatione divinorum eloquiorum; unde est illud Psalmistæ : « Lucerna pedibus meis verbum tuum[12]. » Sunt qui hoc exponunt de apostolis, qui in manifestatione verborum Dei per totum mundum profecti sunt... Recte propheta, postquam dixerat, « in luce sagittarum tuarum ibunt, » fontem luminis, a quo tota Ecclesia est illuminata, ostendit dicens : « In splendore f. h. t., » id est Christi, manifestis et maximis miraculis coruscantis. Vel per sagittas, quibus eminus pugnamus, sententiæ veteris testamenti designantur, quas nos allegorice in prædicando vel disputando oportet exponere. Per fulgurantem hastam doctrina sancti Evangelii, quæ pene ubique ad litteram servanda est, fulguratur. — Per hastam humanæ propriæ virtutis confidentia significatur; unde Saul legitur[13] quod incumbebat super hastam in monte Gelboe, ubi occisus est, quia qui in sua virtute confidunt, in montibus Gelboe, qui interpretantur Decursus, id est superbia, ad cadendum pronissima, a dæmonibus occiduntur. — Hasta verbum doctrinæ sanctæ significat; unde legimus[14] quod Abner, qui interpretatur Patris Lucerna, et sanctorum doctorum typum tenet, Asaelem, cursorem velocissimum, aversa hasta transfodit; quia sancti doctores iracundos, qui suo spiritu feruntur præcipites, non apertis et quasi in fronte obviantibus sententiis confutant,

(1) *Abrumpat*. Paulo liquidius, apud Gregorium : *quia constantium patientia disrupta penetratur*. Cs. *Moral*. xxxiv, 18. — (2) *Hastæ*. Habac. iii, 11. — (3) *Ejus*. I Reg. xxvii, 11. — (4) *Cyclos*. I Reg. xvii, 7. — (5) *Tenens*. I Reg. xxii, 6. — (6) *Falces*. Is. ii, 4. — (7) *Suis*. Mich. v, 6. — (8) *Liciatorium*. I Paral. xi, 25. — (9) *Defixi*. Eccle. xii, 11. — (10) *Rabbi*. Matt. xxiii, 7. — (11) *Verticem*. Job ii, 7. — (12) *Tuum*. Ps. cxviii, 115. — (13) *Legitur*. I Reg. xxxi, 1. — (14) *Legimus*. II Reg. xxiii, 26.

sed figuratis et quasi a latere venientibus, verbis et exemplis dejiciunt. — Per hastam videtur violenta percussio designari; unde est illud vetus et vulgo tritum proverbium :

Viribus hastarum non vertitur aura minarum.

Hastati sunt hodie prælati nostri, et Romulo, fratris sui interfectori, qui Quirinus, id est hastatus, cognominatus est, similes; vel Sauli, qui semper hastam in manu vel habebat ad manum. Hos percussores valde percutit illa sententia sapientis : Virtus est ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire. Sed nostri Sauliani in suis actibus confirmant illud Claudiani [1] :

Asperius nihil est humili, quum surgit in altum;
Cuncta terit, dum cuncta timet; desævit in omnes,
Ut se posse putent; nec bestia tetrior ulla
Quam servi rabies in libera terga furentis.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. III, v. 15-24.

Quum citharizaret David mulcendo Saulem,
Lancea Saul est nisus configere David;
David at illæso, paries fuit ictus ab illo :
Sic Evangelium docuit quum Christus Hebræos,
Auctorem vitæ nisi sunt mortificare.
Christus at exsurgit vivus, mundique salus fit,
Cor Hebræorum durum se perculit ipsum.
Inveniunt statuam quærentes perdere David :
Judæi famam Christi delere volentes,
Offendunt in eum; durescit ceu lapis illis.

XXXI.

Galea, spes salvationis : « Et galeam salutis assumite [2]. »

XXXII.

1. Lorica, opera justitiæ [3] : « Induti loricam justitiæ [4]. »
2. Opera nequitiæ [5] : « Omnes scutati et loricati [6]. »

XXXIII.

Thorax, patientia : « Subsistere non poterit neque hasta, neque thorax [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 23, p. 453.

Rabanus. Thorax, patientiæ virtus [*ut supra*].

Galea, spes bona, ut : « Galeam s. a. »

Cf. *de Universo*, lib. XX, c. 14, 15, col. 544.

Petrus Capuanus ad litt. XI, art. 30. Lorica aurea et lorica ferrea. Lorica aurea, munimentum patientiæ, temperantiæ et cæterarum virtutum. Loricæ ferreæ sunt dura et obstinata corda malorum. Apocalypsis : « Et habebant locustæ loricas ferreas [8]. » — Sive etiam obdurationem vitiorum. Regum : « Et lorica induebatur : porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum erat [9]. » Hac lorica Saul volebat induere David; sed David deposuit eam. Regum : « Et vestivit eum lorica. Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere, quia nec usum habeo. Et deposuit eam [10]. » Nonne hac lorica munitus erat Pharao, quando, licet tot videret signa et miracula, quæ quasi sagittæ et jacula divina mittebantur in ipsum, sed

(1) *Claudiani*. Vid. *In Eutrop.* I, v. 181-184. — (2) *Assumite*. Ephes. VI, 17. — (3) *Justitiæ adversus peccatum, in Apostolo* B-G. — (4) *Justitiæ*. Ephes. VI, 17. — (5) *Ut in malam partem, in Ezechiele adversus Gog* B-G. — (6) *Loricati*. Ezech. LVIII, 5. — (7) *Thoracæ*. Job XLI, 17. — (8) *Ferreas* Apoc. IX, 9. — (9) *Erat*. I Reg. XVII, 7. — (10) *Eam*. Ib. 38.

quia hac lorica indutus erat, ad cor ejus non poterant penetrare? Sed magis ac magis inter ipsa induratum est cor Pharaonis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Galea. { Sacramenta legalia. / Principes Synagogæ. / Spes bona.

PRÆFIGURATIONUM LIBER II, v. 602-615.

Cunctos ferre cruces suasisti, Christe, fideles :
Qui tibi paret in hoc, potietur et ipse triumpho.
Nam crux est omni thorax, ensisque fideli,
Turris, tutamen, corruptelæque levamen,
Robur, præsidium, ballista, phalarica, scutum,
Vitæ munimen crux est, vitæ quoque limen.
Crux frontes ornat, deformatasque retornat.
Crux scelus abstergit, crux omnia crimina mergit.
Crux rabiem frænat, crux mentis opaca serenat.
Crux odium frangit; crux effugat omne quod angit.
Crux latices mundat; crux mortis amara secundat.
Crux fovet atque linit, belli discrimina finit.
Crux Satanam punit; Christo pia corda counit.
Omne nefas sistit; datur omne bonum cruce Christi[1].

XXXIV.

1. SECURIS, tribulatio : « Securibus exciderunt januas ejus [2]. »

2. Christus : « Jam securis ad radicem arborum posita est [3]. »

3. Donum intellectus : « Heu! heu! Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam [4]. »

÷ 4. Districta sententia : « Malleus et securis, et omne ferramentum non est auditum [5]. »

÷ 5. Increpatio : « Si quis abierit in sylvam ad ligna cædenda, et securis fugerit manum [6]. »

XXXV.

ASCIA, pravorum persequutio : « In bipenni et ascia dejecerunt eam [7]. »

XXXVI.

÷ BIPENNIS, gemina afflictio, ubi et supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I. p. 25; ed. II, col. 763 B ad XXXV.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 25, p. 454.

GREGORIUS M. Securis, Redemtor noster, ut ibi : « Jam securis, etc. » — Donum intellectus, quod quidem in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. — Districtæ animadversionis sententia, quæ in spiritualis domus ædificio non auditur, quia receptus quis interius, nulla sententia foris ejicietur. — Increpatio, quæ in interitum proximi manum tendentis fugit, quum plus quam necesse est in asperitatem se protrahit.

RABANUS. Securis, Christus, ut : « Securis ad. r. p. e. » — Vir bonus, ut : « Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea [8] ? » — Correptio, ut : « Si securis fugerit, etc. » — Donum gratiæ, ut : « Ferrum securis in aquam caderet. » — Persequutio gravis, ut : « In securi et ascia, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Ascia, occulta et levis tentatio; unde : « In securi et ascia d. e. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in IV Reg., v. 286-295.

Quidam dum cædit, prope flumen, ligna, securis
A ligno ferrum prosilit, ima petit.
Ille notat Christum, qui præsens corpore mundo,
Terrebat duris ferrea corda minis;
Ac per Baptistæ linguam dicebat : « Adhærens

(1) *Christi.* Ecce tibi clamor et tuba militum cruce signatorum, qui, dum hæcce canerentur, tum primum in Orientem corruebant. — (2) *Sæculi hujus tribulatio, vel persequutio sactorum, in psalmo* B-G. *Ejus.* Ps. LXXIII, 5. — (3) *Est.* Luc. III, 9. — (4) *Acceperam.* IV Reg. VI, 7. — (5) *Auditum.* III Reg. VI, 7. — (6) *Manum.* Deuteron. XIX, 5. — (7) *Eam.* Ps. LXXIII, 5. Hic multa brevi solvuntur. — (8) *Ea.* Is. X, 15.

« Juxta radices, ecce securis adest. »
Prosilit a ligno ferrum, quum, carne relicta,
Christus in infernum, tempore mortis, abit
Sed ferrum redit ad lignum, quum, morte subacta,
Spiritus ad corpus victor ab hoste redit.
Posthaec ægrotans, etc.

XXXVII.

1. Uncinus, supplicium peccatorum [1] : « Quid tu vides, Amos? Uncinum pomorum [2]. »

2. Divina testimonia, peccatores sub spe retinentia [3]. In Exodo.

XXXVIII.

1. Clavus, acuta prædicatio [4] : « Verba sapientium, ut stimuli et quasi clavi in altum defixi [5]. »

2. Aculei timoris, vel compunctionis : « Confige timore tuo carnes meas [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 763 ad XXXVIII, 2. Gregorius M. Præcepta charitatis, ut : Affixerunt laminas clavis aureis [7]. » — Ratio et intellectus, ut : « Clavos tuos consolida [8]. » — Verba correptionis, ut : « Verba sapientis quasi stimuli. »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 62. Uncinus bonus est intentio sancta et pura bene operandi, et fixum propositum et studium in bonis operibus placendi Deo et proximo : quæ intentio apta sit suscipiendæ et retinendæ catenulæ, id est dilectioni Dei et proximi charitati, scilicet quæ per catenam auream designatur. Exodus : « Facies uncinos ex auro, et duas catenulas auri purissimi, quas inseres uncinis. » — Uncinus malus dicitur tempus breve et proximum captivitatis. Amos : « Quid tu vides, etc. » Primus uncinus carpit bona æterna. Secundus carpit bona temporalia, et aufert homini bona quæ habebat. Primo ergo utendum est; secundus præcavendus est.

Anonymus Clarevallensis. Uncinus, supplicium peccatorum, delictum deorsum trahentium; ut : « Uncinum pomorum ego video. » — Charitas, ut : « Uncinis conjunctæ erant cortinæ [9]. »

Clavus ligneus est, gubernaculum regit, manu tenetur, repellitur, retrahitur. Clavus, acumen crucis Christi; unde Jael tulit clavum de tabernaculo. — Præcepta charitatis. — Ratio. — Verba correptionis [*ut supra*].

Præfigurationum liber II, v. 556-563.

Tene tacebo Barac? Judæos ipse figuras.
Ad pugnam denis cum millibus ire juberis;
Exsuperare decem Sisaram non prævaluisti:
Nec Satanam potuit devincere littera legis.
Quem palo tutudit Jael, et clavo terebravit:
Ecclesiæ mos est crucis ut labaro necet hostes.
Pellibus obtexit Sisaram Jael exanimatum:
Cordibus in stultis Satanas requiescere suevit

XXXIX.

Forcipes, duo testamenta se complectentia [10] : « Et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari [11]. »

(1) *Peccatorum delicta deorsum trahens, in Amos* B, C, D, G deest art. in D. — (2) *Pomorum* Amos. VIII, 11. — (3) *Retinentia*. Exod. XXVIII, 15. — (4) *Sanctorum prædicatio, corda hominum transfigens, in Salomone* B, C. *Clavi..... transfigentes* D, E, G. — (5) *Defixi*. Eccle. XII, 11. — (6) *Meas*. Ps. CXVIII, 120. — (7) *Aureis*. III Reg. VI, 21. — (8) *Consolida* Is. LIV, 1. — (9) *Cortinæ*. Exod. XXVIII, 25. — (10) *Utrumque instrumentum legis, alterutrum se continens* B-G. — (11) *Altari*. Is. VI, 6.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Forceps, æqualitas Filii cum Patre, ut : « In manus ejus calculus, etc. » — Duo testamenta, ut : « Facies in usum altaris lebetes et forcipes [1]. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 22. Forcipes quandoque dicuntur concordia duorum testamentorum. Isaias : « In manu, etc. » — Quandoque doctores. Exodus : « Facies l. e. f. » Primi forcipes emungunt vitia. Paulus : « Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : « Non concupisces [2]. » Secundi forcipes præcidunt superflua ; unde egregius doctor Paulus inquit : « Habentes victum et vestitum, his contenti simus [3]. » Hoc idem nobis Joannes et habitu et victu proponit. Primi forcipes sunt duo testamenta : hi sunt nubes illa lucida, formata ante solem, et sol qui quarta die ex ea conditus est, quia scilicet ex veteri testamento processit novum...

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1455-1462.

Presbyter e flamma carbonem forcipe tollit,
Quum verbis mulcet anxia corda piis.
Fuscinula carnes stridenti subtrahit ollæ,
Quum dat opem miseris, carnea corda levans.
Carbones, carnes forceps vel fuscina tollit,
Si reprimens iras carnea fluxa domat.
Quosque receptores ignis reor esse fideles,
Qui pascunt inopes suscipiuntque vagos.

XL.

1. Falces, prædicatio sanctorum, superflua resecans, et necessaria concedens [1] : « Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces [5]. »

÷ 2. Succisio carnis [6] per mortem, vel ipsa divinitas, complectens omnia atque dijudicans. In Joel : « Mittite falces, et vindemiate vineam terræ, quia maturæ sunt uvæ [7]. » Et in Apocalypsi : « Et habebat in manu sua falcem acutam [8]. »

XLI.

÷ Vomeres et Ligones, prædicationes hominum terram exarantium [9]. In propheta : « Conflabunt gladios suos in vomeres. »

XLII.

÷ Sarculus, idem quod supra : « Omnes montes qui in sarculo sarrientur [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Vomer, acumen religionis, ut : « Percussit de vomere ejus. » — Prædicationes, ut : « Conflabunt gladios, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 62. Falce metitur fenum : quantum ad hoc officium, designat prædicationem, increpa-

(1) *Forcipes.* Exod. XXXVIII, 3. — (2) *Concupisces.* Rom. VII, 7. — (3) *Simus.* I Tim. VI, 8. — (4) *Relinquens, in Isaia* B, C. *Prædicationes ... auferentes* D, E, G. — (5) *Falces.* Is. II, 4. — (6) *Successio carnis* D. — (7) *Mitte* B, C, D. *Uvæ.* Joel III, 13. — (8) *Acutam.* Apoc. XIV, 14. — (9) *Hominum terræ exarandum* B, C. *Terra et exarandum* D. « In cod. collegii Soc. Jesu : *Prædicationis hominum terra et exarandum.* Locus ex Mesmiano restitutus, ut et alii innumeri. » Hæc Grabius (p. 55), quem fœda istiusmodi sphalmata videntur a suo nostra edendi voto liberasse. — (10) *Sarriantur.* Is. VII, 25.

tionem et omnem virtutem, quæ in nobis superflua resecat. Isaias : Conflabunt, etc. » Siquidem ex prædicatione carnalitatis vitia resecantur a nobis. Hanc falcem Joannes tenebat in ore, quum instanter dicebat Herodi : « Non licet tibi habere uxorem fratris tui [1]. » Nonne hac falce Joannes resecabat multum fenum, quum dicebat : « Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a ventura ira [2] ? » Nonne hæc est securis illa quam ipse ad radicem arboris positam esse clamat, inquiens : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur [3] ? »

Falce metuntur segetes : quantum ad hoc officium, designat potestatem prælatorum. Hinc in veteri testamento vetitum, ne quis in alterius segetem falcem mittat, quia non debet prælatus occupare quod suum non est, nec suæ potestati commissum. Hac falce Petrus, in ipso nascentis Ecclesiæ initio, Ananiam et Saphiram, quia zizania erant, in agro dominico resecavit. Hanc falcem manu tenebat Paulus, quum dicebat : « Vultis in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis [4] ? » Nonne hac ipse messuit fornicatorem illum Corinthium, quem tradidit Satanæ in interitum carnis; ita tamen ut spiritus salvus fieret in die Domini, ne scilicet modicum fermentum totam massam corrumperet?

Falx est sententia futuri judicii. Hac ipse Christus in futuro præcidet sarmenta inutilia a vinea sua. Evangelium : « Mittet angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala [5]. » Nonne hac præcidet sarmenta infructuosa, quum dicet : « Ite, maledicti ? »

Falx etiam dicitur mors temporalis. Apocalypsis : « Mitte falcem, etc. » Hac falce metuntur generaliter omnes, tam boni quam mali, postquam corpus per peccatum mortuum est, et in omnes homines mors pertransiit.

CONCIONATOR PRÆMONSTRATENSIS in cap. XLI. *Mors*, n. 2.

Mitte falces, quia maturæ sunt messes. Apoc. Nota quod prudens agricola non vult agrum suum persistere otiosum, dum est tempus seminis; ut inde valeat metere tempore messis : et ideo sollicitus est, quum messis venit, ut segetes colligat.

Spiritualiter. Præsentis vitæ ager mundus est, ex Christi testimonio; ideo quilibet nostrum fruges in hoc agro corporis debet seminare bonorum operum, ut ager suus non inveniatur otiosus. Unde Sapientia : « Transivi per agrum pigri, et ecce spinæ et tribuli cooperuerunt eum [6]. » Etiam videmus quod tempore messis, quum messor metit cum falce, non curat si una spica longior fuerit reliquis; etiam non curat si aliquæ spicæ in agro non sunt maturæ; de illis non exspectat : sed metit simul tam longas quam breves, tam maturas quam nondum maturas. Sic mors non curat de paupere vel de divite, de parato sive non parato. Igitur monet nos Salvator, dicens : « Estote parati, quia nescitis diem neque horam [7]. »

Figura. Apoc, XIV. ubi legitur quod Joannes vidit quomodo Dominus de cœlo præcepit uni angelo dicens : Mete, quia tempus est. Maturæ sunt regiones, et venit hora ut metatur, et misit falcem suam. Et messuit terram, et quidquid messuit, misit in horreum. Et his dictis, exivit alius habens falcem acutam, et messuit terram, et quidquid messuit, collegerunt ad comburendum. Et vindemiavit botros, et misit in lacum iræ Dei.

Moraliter. Per falcem acutam nota mortem humanam; quia duæ falces, ideo duplex probatur mors, secundum psalmum : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus [8]. » Item : « Mors peccatorum pessima. [9] » Quos autem metit mors sanctorum, vel justa mors, mittit in horreum Domini Dei; unde Sapientia : « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis [10]. » Sed quidquid metit mors malorum cum falce acuta, per amaram mortem mit-

(1) *Tui.* Marc. VI, 18. — (2) *Ira.* Luc. III, 7. — (3) *Mittetur.* Matt. III, 10. — (4) *Mansuetudinis.* I Cor. IV, 21. — (5) *Scandala.* Matt. XIII, 41. — (6) *Eum.* Prov. XXIV, 30. — (7) *Horam.* Matt. XXV, 13. — (8) *Ejus.* Ps. CXV, 5. — (9) *Pessima.* Ps. XXXIII, 22. — (10) *Mortis.* Sapient. III, 1.

tit in lacum iræ Dei, æternæ damnationis.

Augustinus. Illa est pœna justissima, ut amittat peccator quo bene uti noluit, quando bene potuisset; et modo amittit, quando libenter vellet et posset, quia temporis satis est sibi concessum, ut bene ageret. Ergo « malos male perdet, et locabit aliis agricolis agrum suum, qui reddant fructum in temporibus suis [1]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Falce vineta puto, meto sata, tondeo prata.

Falx, divinum judicium. — Mors, ut : « Mittet falcem, quoniam adest tempus [2]. »

Sarculus, verbum prædicationis, ut : « Omnes montes, etc. » — Doctrina prophetica, ut : « Unusquisque vomerem suum, ligonem, et sarculum exacuet [3]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Deut. v. 53, 54.

Tunc terram cordis alieni scindere linguæ
Vomere non debes, dum novus exstat adhuc.

XLIII.

1. MALLEUS, verbum Dei, vel comminationes [4] : « Nonne verba mea sicut malleus conterens petram [5] ? »

2. Diabolus [6] : « Quomodo contritus est et confractus malleus universæ terræ [7] ? »

3. Æterna flagellatio [8] : « Malleus et securis et omne ferramentum non audietur [9]. »

4. Flagellatio peccatorum [10] : ÷ « Facta sunt derisoribus judicia et mallei [11]. »

÷ In Salomone : « Mallei stultorum corpora percutientes. »

XLIV.

INCUS, obduratio diaboli : « Cor ejus indurabitur sicut lapis, et stringetur quasi malleatoris incus .[12] »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Malleus, diabolus, ut : « Comminutus est m. u. t. » — Percussio cœlestis : « Quasi stipulam æstimabit malleum [13]. »

Incus, cor diaboli, ut : « Cor ejus, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Malleus.
- Christus.
- Percussio cœlestis.
- Verbum Dei.
- Diabolus.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Judic., v. 75-82.

Excusante Barac se quod non iret in hostes,
Debbora ni præsens afforet, illa refert :
« Ibo quidem tecum, sed non tibi gloria cedet;
Feminei sexus iste triumphus erit. »
Ergo simul properant, hostilia prœlia frangunt.
Currum deseruit Sisara, terga dedit.
Hunc aliena Jael recipit, potat sitientem;
Sisara quærit aquam, femina lac dat ei.

(1) *Suis.* Matt. XXI, 33. — (2) *Tempus.* Apoc. XIV, 18. — (3) *Exacuet.* I Reg. XIII, 20. — (4) *Comminationes divinæ adversus peccatores* B-G. *In Jeremia* D-G. Locus Jeremiæ deest in B, C, E. Qui perperam afferunt locum Salomonis infra positum in dist. 4. — (5) *Petram.* Jerem. XXIII, 29. — (6) *Diabolus ab humano genere percutiendo, in Jeremia* B-G. — (7) *Terræ.* Jerem. L, 23. — (8) *Tribulatio vitæ futuræ, sicut in libro Regum, propter templum, quod in typo Ecclesiæ ædificatum est a Salomone dicitur.* — (9) *Non sunt audita in ea* B-G. III Reg. VI, 7. — (10) *Flagella peccatorum, in Salomone* D. In B, C, E ut supra notatur. — (11) *Mallei.* Prov. XIX, 29. — (12) *Incus.* Job XLI, 15. — (13) *Malleum.* Job XLI, 20.

Ille velut lassus et annus dormire, recumbit
In caput et somno dat sua membra gravi
Obserat illa fores clavumque caput, caput hostis
Pectorat, hunc operi malleus addit opem
Non tulit ergo Barac ex hostis morte triumphum;
Sed palmam merunt nobyta Palma Jael.
Hoc alienа Jael sonat, hic Ascensio; signant
Ecclesiam, quæ de gentibus orta manet
Hæc est scala Dei, jungens cœleste cacumen,
Per quam conscendit justus ad alta poli.
Ecce vides populum virtute carere priorem,
Ecclesiamque notas laudis habere decus
Malleus et clavus, ferrum, lignumque fuerunt
Mors hosti, laudis causa fuere Jael.
Sic crux, et roseo perfusi sanguine clavi,
Expulso Satana, nostra fuere salus.
Legis præcepto Satanam non vincit hebræus,
Sed superas ejus tela vigore crucis.

XLV.

¶ 1. Bella, vel pugnæ, certamen adversus nequitias spirituales, vel adversus vitia conflictus [1]. In Apostolo : « Sic pugno, non quasi aerem verberans [2]. »

¶ 2. Bella, certamen diaboli adversus sanctos. In Jeremia : « Et bellabunt adversus te, et non prævalebunt [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 32; ed. II, col. 769 B. Rabanus. Bellum, persequutio, ut : « Conversi sunt in die belli [4]. » — Adversitas sæculi, ut : « Eruet te de bello [5]. » — Pugna vitiorum, ut : « Procul odoratur bellum [6]. » — Tentatio diaboli, ut : « Obumbrasti super caput meum in die belli [7]. » — Resistens adversarius, ut : « Præcinxisti me virtute ad bellum [8]. » — Suggestio adversarii, ut : « Fortes fac in bello [9]. » — Spiritus malignus, ut : « Memento belli, quomodo addas loqui ultra [10]. » — Ultima damnatio, ut : « Pluet super illos bellum [11]. »

Petrus Cantor. Pugnantibus hæc sunt necessaria : ut sit armatus; unde Petrus : « Induite vos armaturam Dei [12]. » — Ut sit doctus; unde : « Qui docet manus meas ad prælium [13]. » — Ut sit robustus; unde : « Estote fortes in bello [14]. » — Ut sit audax; unde : « Nolite timere eos qui occidunt corpus [15]. » — Ut perseveret; unde : Finis, non pugna coronat. « Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit [16]. »

Bellum diaboli contra Deum est quadruplex : primum fuit in deserto paradisi, ad quod invitavit eum superbia; in quo pugnavit parificando se Deo, sed cecidit. Secundum in deserto eremi, ad quod invitavit eum ignorantia; in quo aggressus est per tentationem, sed succubuit. Tertium in deserto mundi, ad quod invitavit eum malitia; in quo invasit per passionem, sed periit. Quartum in deserto animi, ad quod invitavit eum invidia; in quo pugnat contra Christum in membris ejus, sed frequenter succumbit.

Bellum et insidias patimur a carne; unde : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam [17]. » — Ab amicis carnalibus; unde : « Si oculus tuus scandalizat te [18], etc. » — Ab inimicis visibilibus; unde : « Defuncti sunt qui quærebant animam pueri [19]. » — Ab inimicis invisibilibus; unde : « Adversarius noster diabolus, tamquam leo, circuit quærens quem devoret [20]. »

Petrus et Garnerius Lingonensis. Bellum est contra corpus proprium, quia premit corpus; de carne dicit Apostolus : « Caro concupiscit adversus spiritum, etc. » Item : « Carnis curam ne feceritis in desi-

(1) *Vitiorum conflictus* E-G. — (2) *Verberans*. I Cor. IX, 26. — (3) *Prævalebunt* Jerem. I, 19. — (4) *Belli*. Ps. LXXVII, 9. — (5) *Bello*. Job V, 20. — (6) *Bellum*. Job XXXIX, 28. — (7) *Belli* Ps. CXXXIX, 8. — (8) *Bellum*. Ps. XVII, 40. — (9) *Bello*. Hebr. XI, 34. — (10) *Ultra*. Job XL, 27. — (11) *Bellum*. Job XX, 2. — (12) *Dei*. Ephes. VI, 11. — (13) *Prælium*. Ps. XVII, 40. — (14) *Bello*. Antiph. ad Vesper. Apostolor. *Vel potius* I Machab II, 64, 51, etc. — (15) *Corpus*. Matt. X, 18. — (16) *Erit*. Matt. XXIV, 13. — (17) *Animam*. Sapient. IX, 15. — (18) *Te*. Matt. V, 29. — (19) *Pueri*. Matt. I, 20. — (20) *Devoret*. I Petr. V, 8.

deriis[1].» — Contra mundum, quia fremit mundus; unde ait Dominus in Evangelio : « Nolite mirari si odit vos mundus[2].» Si enim mundus odit Christum, sic et odit eos qui sunt Christi. Hunc vincunt sancti; unde : « Sancti per fidem vicerunt regna[3].» — Contra diabolum, quia insidiatur; unde in epistola canonica Petrus ait : « Quia ipse est leo, etc.» Bellum est contra carnem, quia suadet suavia; contra mundum, quia vana; contra diabolum, quia nequam. De his tribus dicitur :

Mundus, caro, dæmonia
Contra nos movent prœlia.

Hæc enim tria sola sunt, quæ nostræ salutis cursum impediunt.

Ubi non est pugna, non est victoria.
Ubi non est victoria, non est corona.
Ubi nec victoria, nec corona, non est patria.

Est bellum externum quod est inter hominem et diabolum, id est tentatio a diabolo ad hominem. — Est civile, inter hominem et uxorem, et parentes, et proximum. — Plusquam civile, vel intestinum inter carnem et animam. Bellum diaboli[4], etc.

Distinctionum monasticar. lib. I. Bellum per antiphrasin dicitur, quia minime bellum est; sicut lucus, quia minime lucet; parcæ, quia minime parcent. Bellum triplex est : alienum, civile, plusquam civile sive intestinum. Alienum est a dæmonibus, de quo Apostolus : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates[5], etc.» — Civile bellum est a falsis fratribus; unde in Canticis : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me[6].» — Plus quam civile, sive intestinum, a carne nostra; unde Apostolus : « Caro concupiscit, etc.» De his beatus Augustinus ait : Premit corpus, fremit mundus, insidiatur diabolus. Et beatus Hieronymus : Quocumque pergimus, nobiscum nostrum portamus inimicum. Contra hos tres inimicos triplici nos armatura munire curavit Apostolus, dicens : « Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo[7].» Sobrietate nos armat contra carnem nostram; justitia, contra proximum malum; pietate, contra diabolum.

Item contra diabolum debemus pugnare resistendo; contra malum proximum, patiendo; unde Apostolus : « Date locum iræ[8].» Et Chrysostomus : Melior est causa, quæ non defenditur, et probatur : Susanna tacuit, et vicit. Et Alexander Nequaquam[9], in *Passione sancti Albini.*

Omnimodis pœnis patientia pugnat inermis.
Plus tamen est armis omnia posse pati.

Contra carnem debemus pugnare, fugiendo, non illam, sed desideria ejus et vitia; unde Apostolus : « Fugite fornicationem[10].» Hinc et quidam de nostris illustrissime versificatus est, dicens :

Qua specie martis cedit victoria Parthis
Cypris eo marte, vel ea deluditur arte.

Hinc et beatus Cyprianus ait : Nemo satis tutus, periculo proximus[11].

Notandum quod legitimo bellatori quin-

(1) *Desideriis.* Rom. XIII, 14. — (2) *Mundus.* Joan. XV, 18. — (3) *Regna.* Hebr. XI, 33. — (4) *Diaboli.* Eadem quæ supra, brevius. — (5) *Potestates.* Ephes. VI, 12. — (6) *Me.* Cant. I, 5. — (7) *Sæculo.* Tit. II, 12. — (8) *Iræ.* Rom. XII, 9. — (9) *Nequaquam.* Non deerit qui putet hic esse explodendum insulsum sphalma, legendumque : *Alexander Nequam*, vel *Neckam.* At nullus ego dubito quin Noster, pro sua cavillandi consuetudine, refricare voluerit quod ubivis tum vel a mulierculis circumferebatur. Idem nempe Alexander, quum scholam Sancti-Albani instanter petiisset regendam, Guarino abbati breviter et jocose scribenti : « *Si bonus es, venias; si nequam, nequaquam.*» respondisse statim perhibetur : « *Si velis, veniam; sin autem, tu autem.*» Ac si diceret : « *Quid mihi refert?* Vel cum græculis : Εἰ; χόραξ;.» Dicteria illa qualiacumque legit Casim. Oudin in *Vita Guarini abbatis*, apud Matthæum Westmonasteriensem, in codicis margine, nec eum illa piguit describere. Id sane aut quid hujusmodi ita per ora hominum percrebuisse videtur, ut vel in ejusdem Alexandri epitaphio memoria joci insculpta fuerit, prout exstat apud Balæum :

Eclipsim patitur sapientia, sol sepelitur,
Cui si par unus, minus esset flebile funus;
Vir bene discretus, et in omni more facetus,
Dictus erat *Nequam*, vitam duxit *tame.N æquam.*

E diverticulo revertenti notanda duo supersunt : unum Alexandro certe in eo loco præluxisse Prudentianum :

Maxima virtutum patientia pugnat inermis,
Armatosque solet vincere sæpe viros.

Alterum a nemine quem sciam, ne a Bollandianis quidem, memorari, quam Noster in eo loco laudavit *Passionem metricam S. Albani*, auctore Alexandro Neckam. Cf. Oudin *Comment. de Scriptor. Eccl.* t. III, col. 4, 9. — (10) *Fornicationem.* I Cor. VI, 18. — (11) *Proximus.* Cyprian. *Epist.* LXII, p. 102 ed. Baluz.

que necessaria sunt : videlicet ut sit fortis, ut sit animosus, ut sit armatus, ut perseveret [1] ; unde :

Non sunt hæc timidis signa ferenda viris.

Præmia victorum pendent de fine laborum;
Ut Scriptura sonat : finis, non pugna coronat.

PETRUS CAPUANUS.

Bellum

Dei,	Mali,
Contra diabolum.	Contra bonos.
Boni,	Diaboli,
Contra vitia.	Contra justos.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Bellum.
- Persequutio.
- Pugna vitiorum.
- Tentatio diaboli.
- Resistens adversarius.
- Ultima damnatio.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in I Reg., v. 538-579.

De Morte Saulis et Jonathæ.

His ita completis, accingitur hostis in hostem :
Bella Philisthæus, Israel arma movet.
Intra vaginam torpescere mucro recusat;
Evomitur gladius ejus ab ore foras.
Fit satur hostilis hostili sanguine mucro;
Armorum pascit sanguinis unda sitim.
Regum sive ducum cristatur casside vertex,
Loricæ membris lora parantur equis.
Collocat in collo miles clypeum; latus ensi
Fœderat; astantes lanceat hasta viros.
Accendunt lites litui, clangorque tubarum
Turbarum turbans agmina, corda movet.
Hic tumet, ille timet; fugit hic, hostem fugat ille;
Hic premit, hic perimit; hic ferit, ille furit.
Prælia Thebarum, vel Trojæ bella novantur;
Militiæ florem demetit ensis ibi.
Parvus ibi Tydeus; ibi magnus obit Capaneus
Ille potens ferro; viribus ille ferox.
Turbidus hic Turnus; audax ibi corruit Ajax;
Hectore Troja caret; Argos, Achille suo.
Tota Philisthæis cedit victoria; victus
Israel occumbit, plebs gladiata cadit.
Sanguineo stillant turgentes flumine montes,
Sanguine rorantur, qui modo rore carent.
Se ferit ense Saul; sed ferro percutit illum
Armiger : Hebræus hunc ait esse Doeg [2].
Tres regis geniti, jaculorum vulnera passi,
Aminadab, Jonathan, Melchisueque [3] cadunt...
Flesse David Scriptura refert de morte Saulis,
De casu Jonathæ, quos tulit una dies.
Sicque suis Christus in membris plangit eorum
Casum, peccando qui cecidere Deo.
Gelboe siccantur montes pro morte Saulis,
Et fructum perdunt, et sine rore manent.
Gratia Judæos in Christi morte reliquit,
Et summum perdunt corda superba bonum.

XLVI.

÷ 1. PAX, Christus. In Apostolo : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum [4]. »

÷ 2. Carnis atque spiritus concordia, in bonum. In psalmo : « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem [5]. »

÷ 3. Et in aliam partem, pro Judæis et hæreticis. In Deuteronomio : « Non loqueris ei pacifica in omni tempore [6]. »

DAMASUS, Carm. VI, 5.
SYLVIUS, *de Epithetis Christi*, v. 9.
NICETAS, *Serm.* III, p. 331.
EUCHERIUS, ed. I, p. 32; ed. II, col. 769 B.

RABANUS. Pax, Christus : « Ipse est pax nostra, etc. » — Amor socialis : « Habete sal in vobis, et pacem inter vos [7]. » — Quies mentis : « Factus est in pace locus ejus. » — Contemplatio : « In pace, in id ipsum,

(1) *Perseveret*. Cantor expilatur ad verbum, paucis illis exceptis, quæ adeo non resecumus. — (2) *Dochet* alias. — (3) *Abminadab, Jonathas, Melchisua*, al. — (4) *Unum*. Ephes. II, 14. — (5) *Jerusalem*. Ps. CXXI, 6. — (6) *Tempore*. Ita codd 5, sed reipsa mendose, nisi me omnino locus fugerit. — (7) *Vos*. Marc. IX, 50.

dormiam et requiescam [1]. » — Redemtio nostra : « Pedes annuntiantis pacem [2]. » — Prædicatio : « Suscipiant montes pacem populo [3]. » — Pœnitentia : « Nuntiavit pacem his qui prope [4]. » — Quies futuræ vitæ : « Data est pax per omnes in circuitu nationes [5]. » — Carnalis consensus : « Non veni pacem mittere, sed gladium [6]. »

Pacificus, Christus : « Vinea fuit pacifico [7]. » — Sanctus ; unde : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus [8]. » — Prædicatores : « Mille tui pacifici [9]. » — Amatores concordiæ : « Beati pacifici [10]. »

Cf. *De Universo*, lib. xx, c. 1, col. 534.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Pax est temporis, de qua dicit propheta : « Da pacem, Domine, in diebus nostris [11]. » Et de hac pace dicitur : « Pax, pax; et non erat pax [12]; » et ideo falsa dicitur : Et hæc etiam imperfecta est. Hanc pacem semper cum conditione quærere debemus, ut nobis eam largiatur Deus, si nobis viderit expedire.

Pax est pectoris, de qua dicitur mystice : « Memento custodire diem sabbati [13], » quod etiam de pace temporis potest intelligi. Hac scilicet pace pectoris numquam carere debemus. Pax pectoris est tranquillitas bonæ conscientiæ, spe futuri, ut non turbetur homo de rebus sæculi. Sine hac pace, opera nostra nullatenus Deo placere possunt : « Pacem, inquit Paulus, sequimini, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum [14]. » Sanctimonia est perfectio bonorum operum, vel castitas mentis et corporis. Hanc pacem reliquit nobis Deus, super hanc daturus aliam, « quæ exsuperat omnem sensum [15], quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit [16], » scilicet pacem æternitatis. Hæc est pax super pacem, sabbatum super sabbatum.

Pax est æternitatis, et hæc dicitur pax consummata, pax immortalitatis. De hac dicitur : « Absterget Deus omnem lacrymam [17], etc. » Hinc est quod in missa pro defunctis non datur pax, quia defunctis non est necessaria pax pectoris, sed æternitatis : subditi enim non sunt humano judicio. Item de hac pace dicitur : « Corpora sanctorum in pace sepulta sunt [18], » id est in certissima spe æternæ pacis. Hanc pacem æternitatis quærere debemus, habentes pacem pectoris, et quia imminet nobis bellum contra carnem, contra mundum, contra diabolum ; quæ tria nos revocant ab illa pace æternitatis. Habeamus ergo pacem cum Deo, cum angelis, cum nobis ipsis, cum proximis. Cum Deo, ut reconciliemur ei per pœnitentiam ; cum angelis bonis, acquiescentes eorum consilio ; nobiscum, ut caro serviat spiritui ; cum proximo, sicut ait Apostolus : « Cum hominibus pacem habentes, quantum in vobis est [19]. » Et si hanc habuerimus in præsenti, pacem æternam habebimus in futuro, in illa Jerusalem, de qua dicitur : « Qui posuit fines suos pacem [20]. » Hæc est pax quæ exsuperat omnem sensum. Hæc est pax quam promittit Dominus dicens : « Pacem relinquo vobis [21], » id est pacis reliquias do vobis in præsenti ; sive pacem pectoris, quæ quia in via plene haberi non potest, ideo non addit « meam ». « Et pacem meam do vobis. » Et ponitur præsens pro futuro ; id est, in proximo dabo pacem, scilicet immortalitatis ; quasi dicat : pacem meam quæ mea est do, id est, dabo vobis in futuro. Et illam pacem habebunt, qui hic bene pugnaverunt. De pace pectoris, ut dictum est, dicit Christus ad discipulos : « Pacem relinquo vobis. » De pace æternitatis subjungit : « Pacem meam do vobis. » De utraque dicit Psalmista : « In pace, in id ipsum, dormiam et requiescam. » In pace, scilicet pectoris, dormiam in præsenti ; in id ipsum, in pace scilicet incommutabili, requiescam in futuro.

(1) *Requiescam.* Ps. iv, 9. — (2) *Pacem.* Is. lii, 7. — (3) *Populo.* Ps. lxxi, 3. — (4) *Prope.* Eph. ii, 17. — (5) *Nationes.* Jos. xxi, 42. — (6) *Gladium.* Matt. x, 34. — (7) *Pacifico.* Cant. viii, 11. — (8) *Pacificus.* Ps. cxix, 7. — (9) *Pacifici.* Cant. viii, 12. — (10) *Pacifici.* Matt. v, 9. — (11) *Nostris.* Is. xxvi, 12? — (12) *Pax.* Jer. vi, 14. — (13) *Sabbati.* Exod. xx, 8. — (14) *Deum.* Hebr. xii, 14. — (15) *Sensum.* Phil. iv, 7. — (16) *Ascendit.* I Cor. ii, 9. — (17) *Lacrymam.* Apoc. vii, 17. — (18) *Sunt*, Eccli. xliv, 14. — (19) *Est.* Rom. xii, 18. — (20) *Pacem.* Ps. cxlvii, 14. — (21) *Vobis.* Joan. xiv, 27.

Petrus Cantans. *Cur Christus dicatur Pax.* Pacificus est Christus, quia pacem fecit inter hominem et Deum. Isaias : « Pacem faciet mihi, faciet pacem mihi [1]. » — Inter homines et angelos, Paulus : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum [2]. » — Pacem inter Judæos detestantes idololatriam et gentiles exsecrantes cærimonias. Isaias : « Ecce pono in Sion lapidem angularem [3]. » — Pacem inter carnem et spiritum, quando carnem subjiciebat spiritui, dicens : « Si possibile est, transeat a me calix iste; non quod ego volo, sed quod tu vis [4]. »

Laurentius Dunelmensis.

Hypomnestici lib. VIII *incipit.*

Tempora temporibus primis postrema quieto
Respondere statu, pax operosa probat.
Pax viget, arma vacant, dum pacis nascitur auctor;
Dumque Deus fit homo, pace potitur homo.
Aspera depositis mitescunt sæcula bellis [5],
Ordine jam redeunt aurea sæcla novo.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto [6],
Rex, Pater imperium cui sine fine dedit [7].
Jam domus Assaraci devictis imperat Argis [8],
Gens alias gentes una togata regit [9].
Natus in orbe puer, Dominus tamen orbis et auctor,
Orbem romano subjugat imperio.
Hic puer imperium romani principis alto
Terminat Oceano [10], regnaque rex dat ei.
Rex, regum rex iste, volens de virgine nasci,
Uni cuncta viro regna subesse dedit.
Orbis in Urbis opes, in principis unius omnes
Obsequium certant. mittit et Indus ebur;
Sardius, argentum; Ser, vellera; Lydus et aurum;
Huic Epirus, equos; mittit et Arcas equas;
Persa, Libys, Cyprus gemmas, far, vina redonat;
Arma, rates, guttam, Gallus, Hibernus, Arabs;
Mel, palmas, eleon [11], Attis, Phœnix, Lacedæmon;
Parthus, Hebræus, Afer, tela, bitumen, aves.
Uni quæque suos offert provincia fructus:
Tota sub hoc uno terra quiescit hero.
Hanc pacem pax orta, quies hanc orta quietem,
Hancque salutis opem præbuit orta salus.
Terris inclinans cœlum, facturaque pacem
Cum superis homini, pax ea jam fit homo.
Una fit hinc per eam respublica terra vel æther,
Atque Deo per eam pacificatur homo.
Ergo jure Deus, et pacis amator et auctor,
Nascitur, effectus tempore pacis homo.

XLVII.

÷ Victoria, de diabolo vel adversariis triumphus. In Apostolo : « Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam [12]. »

XLVIII.

÷ Bravium, præmium meritorum consummatorum. In Apostolo : « Ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis [13]. »

XLIX.

÷ Corona, æterna gloria, pro justitia merces. In Apostolo : « De reliquo reposita est mihi justitiæ corona [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 32; edit. II, col. 769 B ad singula.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Corona est circulus simplex aureus, quo utuntur reges in minoribus solemnitatibus. Diadema, duplex corona, quum ipsi coronæ

(1) *Mihi.* Is. XXVII, 5. — (2) *Unum.* Ephes. II, 14. — (3) *Angularem.* Is. XXVIII, 16. — (4) *Vis.* Matt XXVI, 39. — (5) *Bellis.* Virgil. *Æneid.* I, v. 291. — (6) *Alto.* Id. *Pollio* 57. — (7) *Dedit.* Id. *Æneid.* I, 279. — (8) *Argis.* Ibid. v. 285. — (9) *Regit.* Ibid. v. 282. — (10) *Oceano.* Ib. v. 287. — (11) Ἔλαιον. In cod. *oleon.* — (12) *Victoriam.* I Cor. XV, 57. — (13) *Vocationis.* Phil. III, 4. — (14) *Corona.* II Tim. IV, 8.

quasi aureus circulus, gemmis circumpositis, supponitur, quo utuntur reges in majoribus solemnitatibus. Corona itaque bona naturalia animæ sunt, ut ingenium, memoria, ratio, intellectus, immortalitas. Gemmæ vero superadditæ, ut faciant diadema, bona gratuita sunt.

Corona triplex est, pœnæ, gratiæ, gloriæ. Pœnæ, de qua dicitur : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem[1], etc. » De primo quidem adventu sic exponitur : loquitur enim primitiva ecclesia de Judæis, ad novellam ecclesiam de gentibus ad fidem conversis, ut videant Christum in diademate suo, et est sensus : O filiæ Sion, id est, o fideles animæ, « egredimini » ab ignorantia infidelitatis, « et videte, » id est intelligite « regem Salomonem », id est Christum verum Deum, verum pacificum, pacificantem homines, « in diademate suo, » id est in corona, in carne, in humilitate sua, qua vicit diabolum ; quia nisi in carne Deus obumbraretur, diabolus eum non aggrederetur. — Vel « in diademate » id est in illa spinea corona « qua coronavit eum mater sua », id est infidelis Synagoga, « in die desponsationis illius, » id est annuntiationis, si referatur ad matrem ; si ad Filium, resurrectionis, quia præcipua fuit lætitia, quum solutum est genus humanum ; « et in die lætitiæ cordis ejus, » id est in tempore resurrectionis, quæ fuit lætitia cordis ejus.

Corona gratiæ ; unde : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ[2], » id est in curriculo, qui est ab adventu Christi usque in finem sæculi.

Gloriæ, de qua dicitur : « Egredimini, filiæ Sion, etc. » Secundum quod moraliter exponitur de secundo adventu ad judicium. Invitat enim et hortatur primitiva ecclesia novellam, et trahit cortina cortinam, ut videat tantæ rei sacramentum, miretur miraculum, veneretur mysterium, adoret Christum, suspiret præmium, cognoscat in diademate suo salvatorem suum. Ait enim : O filiæ Sion, id est speculationis, quæ nunc videtis per speculum in ænigmate, sed tunc facie ad faciem, egredimini. Sed unde? Vel ad quid? Ab involucris inutilium cogitationum, a latebris vitiorum, a vinculis carnalium desideriorum, a superbia, a concupiscentia alienæ rei. Et videte regem Salomonem, id est Christum, venientem ad judicium. Videte, inquit, ut pœnæ vos terreant, et præmia vos invitent. Christus bene dicitur rex, quia regit et gubernat omnia : « Dominus regnavit, decorem indutus est[3]. » Salomon interpretatur pacificus, quod bene convenit Christo, qui nobis pacem attulit, pacem pectoris et pacem cœli. Sequitur : « In diademate suo, » id est omnium sanctorum sacro collegio. Quid enim aliud nomine diadematis intelligitur, nisi una gloria, et una capitis corona et membrorum? Licet enim plures sint, una tantum reputatur, propter inseparabilem unitatem sponsi et sponsæ, Christi et Ecclesiæ.

Corona promittitur laborantibus, vigilantibus, non pigris, non somnolentis : « non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit[4]. » Corona animæ sic ordinatur : in fronte est timor ; quia « initium sapientiæ timor Domini[5]. » In occipite, spes ; quia est de futuris et de his quæ non videntur. A dextris, gaudium ; unde omne gaudium sit a Domino, qui ponet nos ad dexteram[6]. A sinistris est dolor ; pro excessibus enim est dolendum, qui sunt causa positionis hædorum ad sinistram. Corona fit diadema, si superponantur affectionibus quatuor principales virtutes, sic ordinatæ : justitia scilicet supponenda est timori ; quia qui timet Deum faciet bona et Deo reddit quod suum est et proximo ; unde justitia est constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens. Prudentia, spei ; nam sperandum est prudenter, ne quis justitiam Dei nimis attendens, dicat cum Cain : « Major est iniquitas mea[7], etc. » Vel attendens Dei misericordiam, præsumens dicat : Et si [mater] obliviscetur filii sui, mei tamen Deus non obliviscetur. Temperantia, gaudio ; semper

(1) *Regem*. Cant. III, 11. — (2) *Tuæ*. Ps. LXIV, 12. — (3) *Est*. Ps. XCII, 11. — (4) *Certaverit*. II Tim. II, 5. — (5) *Domini*. Ps. CX, 10. — (6) *Dexteram*. Cf. Apoc. 8, 17. — (7) *Mea*. Genes. IV, 13.

enim exsultandum est cum tremore : quod plane innuit Apostolus, qui quum dixisset : « Gaudete in Domino semper [1], » statim addit : « Modestia vestra nota sit. » Fortitudo, dolori; ne absorbeat nos profundum doloris. Et sic ornatur anima « per arma justitiæ a dextris et a sinistris [2]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 2.

Corona

Mortis.	*Vitæ.*
Voluptas temporalium illicita.	Victoria fidelis animæ.
Pœna æterna.	Vita æterna.

Prima est cadentium; secunda, morientium; tertia, pugnantium; quarta, triumphantium. Prima est plumbea; secunda, ferrea; tertia, argentea; quarta, aurea, etc.

ANONYMUS CLARAEVALLENSIS.

Corona.

Victoria.	Multitudo sanctorum.
Cœtus apostolicus.	Præmium regni.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 446-457.

Christi Judæa plebs, de nigredine sordis
Ad fidei lumen detergens lumina cordis,
Aspice portantem Christum diadema decoris,
Quod dedit huic mater sua, salvo flore pudoris.
Est diadema caro sacra, quam de Virgine matre
Assumsit Christus, sine peccato, sine Patre.
Ecclesiam sibi desponsat in ventre Mariæ,
Quam sibi conjunxit summæ natura Sophiæ;
Lætitiamque dedit mundo, quem carne redemit;
Tristitiam dedit Zabulo, quem morte peremit.
Vel mater Christi plebs est plus aspera justo,
Semper, quæ capiti dedit aspera facta venusto.

L.

÷ 1. CASTRA, conventus Ecclesiæ. In Deuteronomio : « Homo qui nocturno polluitur somnio, » hoc est cogitatione, « egredietur foras de castris [3]. »

÷ 2. Castra, Ecclesiæ protectio, vel fidelium erga suos custodia. In Cantico canticorum : « Pulchra ut luna; electa ut sol; terribilis ut castrorum acies ordinata [4]. »

LI.

MUNITIONES, virtutum defensio adversus diabolum, vel vitia. In Ezechiele : « Et pones in ea munitiones [5]. »

LII.

÷ AGGER, cumulus tentationum, ubi et supra : « Ordinabis adversus eam aggerem [6]. »

LIII.

÷ ARIETES, tentationum stimuli, vel persequutionis impetus, ubi et supra : « Et pones arietes in gyro. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Castra, angeli, ut : « Castra Dei sunt hæc [7]. » — Viri sancti, ut : « Sonus in multitudine atque castrorum [8]. » — Sancta Ecclesia, ut : « Terribilis ut castrorum acies

(1) *Semper*. Phil. IV, 4. — (2) *A sinistris*. II Corinth. VI, 7. — (3) *Castris*. Deuter. XXIII, 10. — (4) *Ordinata*. Cant. VI, 3. — (5) *Munitiones*. Ezech. IV, 2. — (6) *Et comportabit aggerem* Vulg. Ibid. — (7) *Hæc*. Genes. XXXII, 2. — (8) *Castrorum*. Ezech. I, 24.

ordinata. » — Virtutes, ut : « Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum [1] ? »

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 56. Castrum vel castellum exterius, interius, inferius et superius. Exterius castrum dicitur mundus; interius, fidelis anima; inferius, cœtus dæmonum et collectio persequutorum; — superius, societas angelorum. Hinc Jacob locum ubi apparuit ei multitudo angelorum Manaim appellavit, dicens : « Castra Dei sunt hæc. » —Et etiam collectio sanctorum, seu ipsa Ecclesia. Cantica : « Terribilis ut c. a. o. » In primo militant tam boni quam mali generaliter. In secundo militat animus. In tertio militant mali et damnati. In quarto militant soli boni, et triumphant soli beati. Primum fuit obsessum et captum ab apostolis; secundum obsidetur, sed non capitur, a dæmonibus et variis vitiis. Tertium fuit obsessum et captum a Christo, quum eduxit vinctos suos de lacu, ubi non erat aqua. Ita et quartum. Psalmus : « Elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ [2]. »

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Castello*. Castellum significat gloriosam Dei genitricem et virginem Mariam, ut ibi : « Intravit Jesus in quoddam castellum [3], etc. » Intravit enim per aurem Virginis Deus et homo, lux et vita, conditor mundi; unde Petrus Riga [4] :

Nam Gabrielis Ave totum Væ diluit Evæ
Dum sacra Virgo suum concipit aure Patrem.

« Et mulier Martha nomine excepit illum in domum suam, » id est caro Virginis, quæ, licet non haberet mollitiem voluptatis, vel alicujus iniquitatis, habuit tamen mollitiem infirmitatis, secundum illud Salvatoris : « Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma [5]. » Nam, licet per Martham et Mariam hic possimus, sicut et alibi, utramque vitam, id est activam et contemplativam, intelligere, quia in utraque vita sine dubio beata Dei genitrix fuit perfectissima; accommodatius tamen per has duas sorores hic puto intelligi carnem beatæ Virginis et animam. Et quia beata Virgo Maria non sola Christum suscepit in anima, ideo illud exprimit Scriptura, quod singulariter illi soli collatum est gratiæ donum; scilicet quod Deum corporaliter in uteri virginalis hospitio suscepit, id est, de spiritu Sancto concepit : ideo dicit sacra Scriptura, quod Martha suscepit eum in domum suam. Et bene designatur beata Virgo per castellum; quia castellum suis est ad munimen, adversariis ad repulsionem : sic beata Virgo omnibus ejus opem pie poscentibus est protectio tutissima, omnium eorum saluti adversantium dejectio validissima. Castellum hoc situm est super rupem altissimam; quia beata Virgo fundata est super humilitatem perfectissimam : quod ita clarum est, ut illud nemo possit abnuere. Qui enim hoc abnuit, dignitatem hominis perdit. Vide igitur humilitatem ipsius ex verbis ejus : nam, si certius de se quam suum testimonium quæris, infelix es. Ait igitur gloriosa, quum audisset ab archangelo se esse Dei matrem electam : « Ecce ancilla Domini [6]. » Et iterum cognatæ suæ Elizabeth : « Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ [7]. » Murus est virginitas carnis. Fundamentum muri, virginitas mentis. Turris ejus, invictissima charitas. Portam habet hoc castellum, quæ semper est clausa, quæ est ejus fecunda virginitas, quæ

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem nacta est, nec habere sequentem [8].

Castellum significat mundum, qui in maligno positus est, id est amatores mundi; de hoc castello ait Dominus discipulis suis : « Ite in castellum quod contra vos est. » Hujus castelli turris est temporalis potentia; murus, terrena sapientia; fundamentum muri, in caducis confidentia. Hæc est arena, super quam quidquid ædificatur, ruinæ patet.

(1) *Castrorum*. Cant. VI, 12. — (2) *Gloriæ*. Ps. XXIII, 7, 9. — (3) *Castellum*. Luc. X, 38. — (4) *Riga*. In *Auroræ* codd. quos bene multos habui ad manum, locum non inveniebam. — (5) *Infirma*. Matt. XXVI, 41. — (6) *Domini*. Luc. I, 38. — (7) *Suæ*. Ibid. 48. — (8) *Sequentem*. Sedulii versus notissimi.

Castellum significat hanc patriam terrestrem, de quo habes in Evangelio, quod quum Jesus intrasset in quoddam castellum, occurrerunt ei viri leprosi. Postquam enim Christus, Filius Dei vivi, patriam hanc terrestrem homo factus intravit, occurrerunt ei, tanquam ægri medico, multi multorum labe criminum infecti et labe polluti.

Castellum significat doctrinam philosophicam, quæ suis professoribus sublimis esse videtur et fortis. De hoc castello, ut mihi videtur, scriptum habes in Evangelio, ubi discipuli dicunt Domino sub specie errantium, ut populos jejunos et esurientes dimittat, ut eant in vicos et castella, ut emant sibi cibos. Vici enim sunt carmina poetarum; castella, dogmata philosophorum. Porta hujus castelli est grammatica; fossa, sophistica; mœnia, rhetorica; murus, dialectica; propugnacula, argumenta; turris, demonstrativa. Vel certe castella sunt scholæ philosophorum, ut Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, Epicureorum.

Castelli nomine magnum quid solet designari, ut patet ex his versibus Hugonis qui Primas cognominatus est :

Non peto castellum, nec opes, nec oves, nec agellum;
Sed peto mantellum, vel equum, vel equam, vel asellum.

Anonymus Clarevallensis *Rabani distinctionibus addit* : Castra, persequutores ; unde : « Si consistant adversum me castra [1]. »

Agger, terrenæ cogitationes vel vitia, ut : « Ædificabis munitiones et aggerem. » — Fastus hæreticorum, ut : « Siccabuntur rivi aggerum [2]. »

Arietes [*vide infra* Aries].

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 896-910.

Jerusalem notat Ecclesiam, quæ visio pacis
Dicitur, et mundi contemnit bella minacis.
Par erit huic merito fidei Synagoga rebellis,
Quando fidem servans, veteris vestigia pellis
Deponet, splendore novo jam nescia fellis.
Ordine procedens acies, strictim gradiendo
Hostibus immittit terrorem bella movendo :
Nam dum castra movet, concorditer agmine facto,
Hostes diffugiunt, animi conamine fracto.
Sic quos ordo ligat, pax et concordia nectit,
Nec fraus aut odium retro, nec discordia flectit,
Dæmonis insidias fidei radice revellunt,
Et fraudes ejus concordi pace repellunt.
Pax equidem mundat oculos a pulvere sordis,
Ut tangant cœlestem sponsum lumine cordis.

LIV.

1. Petra, Christus [3] : « Petra autem erat Christus [4]. Sugent mel de petra [5]. » ÷ « In petra exaltavit me [6]. Statuit super petram pedes meos [7]. Petra refugium herinaciis [8]. Attendite ad petram unde excisi estis [9]. Columba mea in foraminibus petræ [10]. Dominus robur meum, Dominus petra mea [11]. » ÷ Et alibi : « Percussit petram, et fluxerunt aquæ [12]. »

2. Firmamentum fidei : « Et statuit super petram pedes meos. » ÷ « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [13]. Est locus apud me, et stabis supra petram [14]. » ÷ Item in psalmo : « In petra exaltavit me. »

3. Auctoritates Scripturarum [15] : « De medio petrarum dabunt voces suas [16]. »

÷ 4. Duritia torporis : « Ingredere in petram ; abscondere fossa humo [17]. »

÷ 5. Duræ mentes : « Et petræ scissæ sunt [18]. In petris rivos excidit [19]. »

÷ 6. Sublimes cœli potestates : « Aquila in petris manet [20]. »

(1) *Castra*. Ps. xxvi,3. — (2) *Aggerum*. Is. xix, 6. — (3) *Christus ob firmitatem* B, C. *A firmitate* D-G. — (4) *Christus*. I Cor. x, 4. — (5) *Suxerunt* B-G. *De Petra*. Deuter. xxxii, 13. — (6) *Me*. Ps. xxvi, 6. — (7) *Meos*. Ps. xxxix, 3. — (8) *Herinaciis*. Ps. ciii, 18. — (9) *Estis*. Is. li, 1. — (10) *Petræ*. Cant. ii, 4. — (11) *Mea*. Ps. xvii, 3 ; II Reg. ii, 22. — (12) *Aquæ*. Ps. lxxvii, 20. — (13) *Meam*. Matt. xvi, 18. — (14) *Petram*. Exod. xxxiii, 21. — (15) *Petræ, testimonia Scripturarum* B-G. — (16) *Suas*. Ps. civ, 12. — (17) *Humo*. Is. ii, 50. — (18) *Sunt*. Matt. xxvii, 51. — (19) *Excidit*. Job xxviii, 10. — (20) *Manet*. Job xxxix, 28.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus in *Decreto Conc. Rom.*

Phœbadius, *Adv. Arian.*, p. 262 A.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 2 et 124.

Eucherius, ed. I, p. 8; ed. II, col. 743 A ad I.

Gregorius M. apud *Garnerium S. V.*, lib. I, c. 1, p. 487.

Isidorus, *de Etymol.*, lib. VII, c. 2, n. 38.

Rabanus. Petra, Christus, ut : « Percussit petram, e. f. a. » — Fides : « Est locus, etc. » — Confessio fidei : « Super hanc petram æ. e. m. » — Vir stabilis : « Viam colubri supra petram [1] : » — Fortitudo spiritualis : « In petra e. m. » — Angeli sancti : « De medio petrarum d. v. s. » — Exempla bona : « Nosti partus ibicum in petris [2] ? » — Contemplatio : « Super altissimas petras [3]. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 3, col. 462.

Notker, *Sequent.* XXXVI, v. 9.

Petrus Cantor. Petræ comparatur Christus, propter firmitatem; unde : « Posui faciem meam tamquam petram durissimam [4]. » Item : « Et super hanc petram, etc. » — Propter duritiam; quia durus apparebit reprobis in die judicii; unde : « Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem corruet, conteret eum [5]. » — Propter eminentiam et aptitudinem ædificii; unde : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli [6]. » — Propter asperitatem, quia aspere vitia reprehendit.

Garnerius Lingonensis [*ut supra in Rabano et Cantore*].

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. 69. Petra suprema, media et infima.

Petra suprema triplex, scilicet Christus. Paulus : « Petra autem erat Christus. » Qui scilicet fuit petra mollis vel infirma ante passionem. Psalmus : « Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ. « Numeri : « Numquid de petra hac poterimus vobis aquas elicere [7] ? » Petra vero firma et dura fuit post resurrectionem. Deuteronomium : « Suxerunt mel de petra, et oleum de petra dura. « Psalmus : « De petra melle saturavit eos [8]. » — Petra quoque suprema dicitur Ecclesia. Exodus : « Stabis in caverna petræ. » — Petra etiam suprema, Dei contemplatio. Job : « In petris aquila manet. Numquid nosti tempus partus ibicum? In petris nidificat super altissimam petram. »

Petra quoque media triplex, scilicet sancti. Sapientia : « Tria sunt investigabilia, et quartum penitus ignoro, scilicet via aquilæ in cœlo, via colubri super petram [9], etc. » Via colubri supra petram est suggestio diaboli supra virum sanctum, fortem et firmum : quæ quidem investigabilis est, quia non potest super hanc petram imprimere sua vestigia. — Petra quoque media, auctoritas Scripturæ. Psalmus : « De medio p. d. v. » — Petra etiam fortitudo et soliditas spiritualis. Psalmus : « In petra exaltavit me. Statuit supra p. p. m. »

Petra infima duplex, scilicet dura corda malorum. Evangelium : « Nam qui supra petram cecidit, etc. » — Et gentilitas. Isaias : « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion [10]. »

Dicitur autem Christus petra, tamquam sine cultura perveniens. Daniel : « Abscissus est lapis sine manibus [11]. » Nonne sine cultura pervenit, quando Virgo concepit, et peperit Filium suum primogenitum?

Dicitur petra propter firmitatem.

— Propter duritiam.

— Propter asperitatem.

— Propter eminentiam.

— Propter soliditatem. Nonne magnæ erat soliditatis, quando « venerunt flumina, et flaverunt venti, et non potuerunt diruere

(1) *Petram.* Prov. XXX, 19. — (2) *Petris.* Job XXXIX, 1. — (3) *Petras.* I Reg. XXIV, 3. — (4) *Durissimam.* Is. L, 7. — (5) *Eum.* Matt. XXI, 44. — (6) *Anguli,* Ps. CXVII, 22. — (7) *Elicere.* Numer. XX, 10. — (8) *Eos.* Ps. LXXX, 17. — (9) *Petram.* Prov. XXX, 19. — (10) *Sion.* Is. XVI, 1. — (11) *Manibus.* Dan. II, 34.

domum illam, quia fundata est supra firmam petram [1]. » — Propter constitutionem ædificii. Evangelium : « Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. » — Propter vivum fontem ex eo manantem. Evangelium : « Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ, salientis in vitam æternam [2]. » Psalmus : « Quoniam apud te est fons vitæ [3]. » Nonne ex hac petra fons emanabat, quando bibebant de consequenti eos petra? — Propter cavernam in eo, tamquam in petra, factam. Numeri : Quum elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ. Nonne caverna facta est in hac petra, quando « unus militum latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua [4]? » — Propter positionem in fundamentum. Paulus : « Fundamentum alius nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus [5]. » Nonne in fundamento posita fuit hæc petra, quando Zacharias vidit et educit lapidem primarium [6]? — Propter officium speculandi super ipsum. Isaias : « In montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion [7]. » Nonne super ipsum ante erant speculatores, quando « vox speculatorum suorum levavit voces suas [8]? »

Concionator Præmonstratensis, cap. vi, *Apostoli*, n. 2. *Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres gemmis ædificabuntur*, Apoc. xii.

Nota, quod inter alia quæ requiruntur ad ædificium fortiter erigendum, est ut lapides in fundamento bene ponantur, et ut alii lapides bene super illud fundamentum ordinentur; et ideo consueverunt latomi in murum extendere perpendiculum, ut ordo lapidum in ædificio sit ordinatus, ita quod nullus excedat alium, nisi de jure debeat.

Spiritualiter. Ecclesia est optime ædificata velut castrum fortissimum. Canticum : « Terribilis ut castrorum acies ordinata [9]. » Ideo artifex ejus, divina Sapientia, ordinavit ipsam in articulis fidei, quasi fundamentum primum. Quapropter unusquisque volens esse in ordine lapidum minorum murorum cœlestis Jerusalem, sit in ordine evangeliorum, et servet rectam regulam sanctæ Ecclesiæ.

Figura. Josue iv. Dixit Dominus ad Josue : « Elige duodecim viros per duodecim tribus, et præcipe illis ut tollant lapides de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, quum Jordanis fuerit reversus retrorsum; et filii Israel ambulabunt sicco pede; et illos lapides duodecim ponetis fundamento, ubi fixeritis tentoria [10]. »

Moraliter. Hæc verba sunt Dei Patris ad Filium, qui eligit duodecim viros in apostolos; et duodecim articuli sunt duodecim lapides. Unde Petrus posuit primum, et fixit tentorium, quum prædicavit, et hoc Romæ. Unde ait Petrus : « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. » Andreas : « Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, etc. » Et sic de aliis omnibus [11], si placet. Et illos lapides sumserunt de medio Jordanis, id est de medio profunditatis sacræ Scripturæ, ut homines fideles sint fortes ad pugnandum, quia ipsi primo pugnaverunt.

Unde Gregorius in quadam homilia [12] : Fortes facti sunt apostoli; terrena despiciunt, cœlestia appetunt, dæmonibus imperant, carnem domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant, mori possunt, flecti nesciunt.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. i, v. 532-543.

Post hæc longinquam Jacob aufugit in regionem,
Et lapidem capiti supponit nocte sequenti,
Et, quum dormiscit, scálam per somnia cernit.
Hæc innixa solo, tangebat vertice cœlos.
Scandunt hac superi descenduntque ministri.
Evigilans ergo lapidem Jacob ungit olivo.
Hic Jacob est somnum passus spontanee Christus;

(1) *Petram*. Matt. vii, 25. — (2) *Æternam*. Joan. iv, 14. — (3) *Vitæ*. Ps. xxxv, 10 — (4) *Aqua*. Joan. xix, 34 — (5) *Jesus*. II Cor. iii, 11. — (6) *Primarium*. Zachar. iv, 7.—(7) *Sion*. Is. xl, 9.—(8) *Suas*. Is. lii, 8. — (9) *Ordinata*. Cant. vi, 3. — (10) *Tentoria*. Jos. iv, 3. — (11) *Omnibus*. Ita antiquitus relatum; unde nonnullis in codicibus veterrimis occurrit symbolum apostolorum sic descriptum, ut apostolis singulis singulus ex ordine articulus affigatur.—(12) *Homilia*. Cf. *Homil.* 24 lib. ii, in Evangel. sub fin.

Hic lapis est unctus præ cunctis Christus inunctus;
Erectus lapis est Christus de morte resurgens,
Scala quidem Christus, qui nobis est via factus:
Hac scandunt sancti, fando præconia Verbi,
Per quam descendunt, dum fantur humillima Christi.
Rite Jacob pergens, Nachor pervenit ad urbem;
Vidit pastores adaquare greges venientes:
Judæis Christus legem dedit atque prophetas.
Extemplo lapidem putei Jacob ore removit:
Ut Christus venit, legis mox umbra recessit.

Lib. II, v. 77, 78.

Bis Moyses virga silicem ferit, et scatet unda:
In cruce suspensus, dat vitæ pocula Christus.

Ib., v. 128-132.

Lex datur in tabulis post hæc inscripta petrinis:
Signat Judæos dura cervice fuisse.
Sed qui venisti salvare reos, bone Christe,
In terra digito scribens, fructus operaris,
Morte triumphata, qui sanctum das ita Pneuma.

LV.

1. Lapis, Christus : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes [1]. Lapidem quem dedi coram Jesu, septem in eo oculi sunt [2]. » ÷ « Ecce pono in Sion lapidem angularem, pretiosum [3]. »

2. Sancti [4] : « Et ipsi, tamquam lapides vivi, superædificamini domus [5]. » ÷ « Ego sternam per ordinem lapides tuos [6]. »

3. Ordo præpositorum [7] : « Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum [8]. » ÷ « Et cum lapidibus regionum erit pavimentum tuum [9]. »

4. Judaicus populus [10] : « Tollite lapides, et redigite in acervos [11]. » ÷ « Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante [12]. »

5. Gentilis [13] : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ [14]. »

6. Obduratio diaboli, vel reprobi [15] : « Cor ejus indurabitur velut lapis. » ÷ « Lapis calore solutus, in æs vertitur [16]. »

÷ 7. Ecclesia : « Manus autem Moysis erant graves; sumentes igitur lapidem, posuerunt subter [17]. »

÷ 8. Verba Scripturæ : « Quatuor autem mensæ de lapidibus quadris exstructæ sunt [18]. »

÷ 9. Dura consuetudo : « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me [19]. Quis revolvet nobis lapidem [20] ? »

÷ 10. Gravitas, maturitas, auctoritatis pondus : « Et os putei grandi lapide claudebatur [21]. »

÷ 11. Duo lapides [*vid. infra* Jaspis].

÷ 12. Duodecim lapides [*vid. infra* Lapides pretiosi].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in *Decreto* et *Carm.* VI, v. 7.
Silvius, *de Cognomentis D. N.*, v. 11.
Phœbadius, *Advers. Arian.*, p. 262 A.
Orientius, *De nativ. Dom.*, v. 6 et 147.

(1) *Ædificantes.* Ps. CXVII, 32. — (2) *Sunt.* Zachar. III, 9. — (3) *Pretiosum.* Is. XXVIII, 16. — (4) *Sancti omnes, ob firmamentum fidei, in Apostolo* B-G. — (5) *Spiritualis* in G solo. *Domos* in D, E, F. II Petr. II, 5. — (6) *Tuos.* Is. LIV, 11. — (7) *Præpositorum in Ecclesia, de quibus Jeremias* B-G. — (8) *Platearum.* Thren. IV, 1. — (9) *Tuum.* Job V, 23. — (10) *Populus Judæorum, de quibus in propheta* B-G. — (11) *Acervos.* Jerem. L, 26. — (12) *Peregrinante.* Job XXVIII, 5. — (13) *Populus gentium, in Evangelio* B-G. — (14) *Abrahæ.* Matt. III, 9. — (15) *Vel hominis peccatoris* B, C, D. *Homines peccatores* B-G. Job XLI, 15.—(16) *Vertitur.* Job XXVIII, 2. — (17) *Subter.* Exod. XVII, 12. — (18) *Sunt.* Ezech. XL, 42. — (19) *Me.* Thren. III, 55.—(20) *Lapidem.* Matt. XVI, 3. — (21) *Claudebatur.* Genes. XXIX, 2.

Nicetas, in *Serm. III*, p. 331.

Ecbertus ed. I, p. 8; ed. II, col. 743 A, 763 C, ad 1 et 3.

Gregorius M. Lapis, cordis duritia, ut ibi : « Et lapis, etc.; » quia mens dura, superni amoris igne liquefacta, in veram fortitudinem commutatur. — Dura cogitatio mentis; unde sub specie Jerusalem perversæ animæ dicitur : « Non relinquetur in te lapis super lapidem, qui non destruatur [1]; » quia quum ad ultionem suam anima ducitur, omnis cogitationum suarum constructio dissipatur. — Ecclesia, ut ibi : « Sumentes lapidem, posuerunt, etc. » Sedet enim Moyses in lapide, quum lex quievit in Ecclesia. — Dura consuetudo peccandi, vel obstinata rebellio confitendi, ut ibi : « Lapsa est, etc. » — Virtus angelica [*vide infra*]. — Mentes fortium, quibus per Petrum dicitur : « Et vos tamquam, etc. » Et propheta : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris [2]. » — Dura corda gentilium, de quibus ait Joannes : « Potens est Deus, etc. » — Verba sacræ Scripturæ; unde Ezechiel : « Quatuor mensæ, etc. » Quadri enim lapides undique stant, siquidem verba Scripturæ sacræ ex nullo latere aliquid reprehensibile monstrant.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. X, c. 2, p. 489.

Rabanus. Lapis, Christus, ut : « In lapide uno, etc. » — Lex, ut : « Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum [3]. » — Diabolus, ut : « Descenderunt in profundum, quasi lapis [4]. » — Iniquus, ut : « Sustulit angelus lapidem magnum, quasi molarem [5]. » — Duritia cordis, ut : « Numquid lapidem dabit illi [6]? — Cœtus angelorum. — Stabilitas virtutum. — Apostoli [*vid. infra*]. — Prophetæ, ut : « Lapides grandes in fundamento templi [7]. » — Prædicatores, ut : « Sternam per o. l. t. » — Mentes sanctorum, ut : « Locus sapphiri, lapides ejus [8]. » — Religiosi, ut : « Dispersi sunt lapides sanctuarii. » — Gentiles, ut : « Potens est Dominus, etc. » — Pœnæ inferni, ut : Si quis hæc, vel illa fecerit, lapidabitur [9]. — Ecclesia, ut : « Sumentes lapidem imposuerunt, in quo sedit. — Mentes fidelium, ut : « Tamquam lapides vivi, superædificati. » — Rebellio confitendi, ut : « Posuerunt lapidem super me. »

Cf. *de Universo*, lib. XVII, c. 3, col. 462.

Notkerus, *Sequent.* XXXVII, v. 9.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Per lapidem intelligitur Christus, quia ipse est lapis angularis, qui fecit utraque unum, ut Evangelium ait : « Qui super lapidem ceciderit, istum, confringetur; super quem vero corruet, conteret eum. » Quando enim confringetur urna, de residuo potest aliquid fieri; quando vero conteritur, conculcantur testæ, et nullum modo habetur proficuum, quia nulli usui aptum est. Ita christiani qui sunt in mortali, in lapidem Christum confringentur; sed per pœnitentiam possunt resurgere. Super quem lapis ceciderit, id est Christus, id est, qui sine pœnitentia discesserit, in die judicii conteretur omnino, quia damnabitur. Cadit ergo in lapidem Christum in præsenti, qui mortaliter peccat; cadit in illum lapis in die judicii, et conteretur, cui dicetur : « Ite, maledicti. »

Distinctionum monasticar. lib. III, *de Lapide.*

Christus (A), et angelica virtus (B), Christi quoque sponsa (C),
Justus (D), justitia (E), carnalis sensus (F); et usus (G)
Pravus, peccatum grave (H), dæmon (I), falsus hebræus (K),
Verus gentilis (L) dicitur esse lapis.

A. *Lapidem quem — anguli.*

B. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* [10].

C. *Moyses sedit super lapidem*, quum lex requievit in Ecclesia.

D. *Et vos, tamquam — spiritualis.*

(1) *Destruatur.* Luc. XXI, 6. — (2) *Sapphiris.* Is. LIV, 11. — (3) *Tuum.* Ps. XC, 12. — (4) *Lapis.* Exod. XV, 5. — (5) *Molarem.* Apoc. XVIII, 21. — (6) *Illi.* Luc. IX, 11. — (7) *Templi.* Ezech. XXIII, 11. — (8) *Ejus.* Job XXVIII, 39. — (9) *Lapidabitur.* Levit. XX, XXIV. — (10) *Tuum.* Ezech. XXVIII, 13.

E. *Fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso* [1].

F. *Et os putei g. l. c. — Et quis r. n. l.*

G. *Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei; et dixit Jesus : Tollite lapidem* [2], *etc.*

H. *Congregaverunt super Absalon magnum acervum lapidum* [3], *etc.*

I. *Descenderunt in profundum, quasi lapis*, id est in desperationem, sicut diabolus.

K. *Lapidem caliginis — peregrinante.*

L. *Potens est — Abrahæ.*

Lapis dicitur Christus, quia firmus et fortis, et ad culpam omnem inflexibilis et insensibilis, licet flexibilis sit ad veniam, et passibilis fuit ad pœnam. De hoc lapide ait Zacharias : « In lapide uno septem oculi sunt [4], id est, in Christo est plenitudo gratiæ spiritualis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.—Vel per septem oculos in uno lapide significatur plena et perfecta in Christo rerum omnium sine exceptione cognitio.

Lapis significat Ecclesiam; unde beatus Gregorius : « Moyses sedit, etc. » Puto per lapidem significari Ecclesiam, propter fidei firmitatem et morum gravitatem, quæ eam ventis erronearum doctrinarum circumferri non sinit. Deus enim qui omnino immobilis est, in medio ejus est, et ideo non commovebitur ad tentationem diaboli, sed promovebitur ad imperium Dei.

Lapis significat carnalem intellectum legis, quod spiritualis ejus intelligentia claudebatur, donec ille removit lapidem, « qui claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit [5]. » Ipse est enim verus Jacob, validus luctator, et prudens supplantator; diabolum, non viribus tantum, sed arte dejiciens, secundum illud Fortunati [6] :

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris arte ut artem falleret.

Ipse de terra Chanaan in Mesopotamiam migrans, id est, de Judæis in Apostolis suis ac discipulis ad gentes transiens, lapidem amovit ab ore putei, id est, litteralem sensum amovit a lege veteri, sicut vir quidam, quondam magni nominis, ait :

Excitatur charitas in Jericho :
Facta est pluralitas in unico,
Jacob exsulat et pullulat in gentibus.
Lapis tollitur; fons oritur, potandis gregibus.

Lapides sanctuarii significant eos qui divinis obsequiis et spiritualibus officiis sunt specialiter deputati; sicut sunt clerici in sacris ordinibus positi, et viri religiosi, quorum perversionem sanctus Jeremias in Threnis deplorat, dicens : « Dispersi sunt, etc. » Caput omnium platearum est cupiditas, quæ est radix omnium malorum; in hac dispersi sunt lapides sanctuarii, quia ipsa facit nonnullos habitum religionis gestantes, et vitam professos, deserere quietem claustri, et implicari sæculi negotiis. Quod Jeremias censuit plorabile, quia doluit esse damnabile. « Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus [7]. » Quam verus sanctuarii lapis fuit sanctus martyr Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, in cujus laudibus vir quidam magnificus dixit, quod me dicere delectat [8] :

Lapis iste sex annis tunditur,
Sic politus, sic quadrus redditur,
Minus cedens, quo magis cæditur.

Item per lapides significantur omnes fideles, quia sicut lapides tunsionibus fiunt ædificio apti, ita fideles flagellis et tribulationibus aptantur ædificio cœlesti. Nam, sicut ait Apostolus, « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei [9]; » de his enim lapidibus ait beatus Petrus in epistola canonica : « Et vos tamquam lapides vivi, etc. »

Lapis significat potentiam, quia magna vis est in lapidibus, ut in psalmo : « Judicia Domini vera, justificata in semet ipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum

(1) *Pretioso.* Apoc. xxi, 19. — (2) *Lapidem.* Joan. xi, 39.— (3) *Lapidum.* II Reg. xviii, 17. — (4) *Sunt.* Zachar. iii, 9. — 5 *Claudit.* Apoc. iv, 7.— 6 *Fortunati,* lib. ii, 2. *Bibl. P. P.* x, col. 555 E. — (7) *Sæcularibus.* II Tim. ii, 4. — (8) *Delectat.* Eadem enim semel et iterum exhibet, quæ prostant supra p. 172. Sed ea soluto textu minus attente protulimus, quæ nunc jam metro suo alliganda sunt. — (9) *Dei.* Respicit ad sensum apostoli perpetuum, puta in II Cor. i, 4, 8; ii, 4; iv, 8, 17, etc.

multum, et dulciora super mel et favum [1]. » Per aurum significantur divitiæ; per lapidem, potentia; per mel et favum, corporales divitiæ : quibus omnibus Dei judicia recte proferuntur, quia bona temporalia spiritualibus et æternis æquari non possunt.

Vilius argentum est auro; virtutibus, aurum.

Lapis significat diabolum, propter insolubilem impœnitentiam, quia liberum arbitrium habet obstinatum. Unde est illud de reprobis : « Descenderunt, etc. »; id est in infernum, sicut diabolus, qui durus est per obstinationem, et ponderosus per iniquitatem.

Lapis significat Judaicum populum duræ cervicis, de quo scriptum est in libro beati Job : « Lapidem caliginis, etc. ; » quia Judaicum populum, obduratum et obcæcatum, et imitatorem diaboli, divisit gratia Spiritus sancti, subito et copiose die pentecostes apostolis collata, a christiano, qui hic peregrinum se recognoscit, dicens cum Apostolo : « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus [2]. »

Lapides dicuntur gentiles, propter sterilitatem; unde : « Dominus potens est, etc. »

Per lapidem significatur odium; unde Petrus Riga [3] :

Par lapis est, odio serpentem perfidus æquat,
Et si desperes, scorpio retro ferit.

Lapides dura et fortia peccata significant; nam per magnum acervum, qui super Absalonem congestus erat, intelligendus est tumulus peccatorum, quo infelix ejus anima obruta est et oppressa.

Lapis etiam, juxta etymologiam sui nominis, significat occasiones peccati, quia lapis dicitur quasi lædens pedem. Unde est illud : « Ejicite lapides de viis [4], » id est occasionem peccandi, de actionibus vestris.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Exod., v. 1027-1037.

Hic aqua deficiens ad murmura traxit Hebræos,
Et Mosis virga bis petra tacta fuit.
Non aliquos generat percussio prima liquores,
Ictus qui sequitur larga fluenta parit.
Christum petra notat : duplex est ictus, arundo
Primo caput tangens, post latus hasta forans.
Christum tangente non exit arundine sanguis;
Cuspide pungente, sanguis et unda fluit.
Vel duplex ictus sunt ligna crucis duo; clamans
Indicat hoc vidua : « Colligo ligna duo. »

II.

Ib., v. 1037 sqq.

Bella movens Amalech consurgit in Israel : obstat
Arma ciens Josue, Mose levante manus ...
Rupe sedet Moses, manuum gravitate laborans :
Sic et in Ecclesia lex residendo manet.
Ecclesiam, rupes; legem Moses ibi signat;
Designantque graves jussa severa manus.
Aaron qui Fortis Mons, Hur qui dicitur Ignis,
Petram supponunt alleviantque manus.
Christus, mons vitæ, cum sancti Pneumatis igne
Adveniens, legis triste removit onus.
Pneuma sacrum bene denotat Hur, quem dicimus ignem :
Nempe sacer flatus fulsit in igne datus.

LVI.

1. LAPIDES pretiosi [5], angeli : « Omnis lapis pretiosus, operimentum tuum : Sardius, Topazius, Jaspis, Chrysolithus [÷ Onyx [6]], Beryllus, Sapphirus, Carbunculus, Smaragdus [7]. ÷ Et post pauca. ÷ « Tu cherub extentus et protegens in

(1) *Favum*. Ps. XVIII, 11. — (2) *Inquirimus*. Heb. XIII, 14. — (3) *Riga*, in *Aurora*, ad Evangel. v. 1430-1441. Sed locum integrum recitare est :

Porrigiturne lapis, si quis petat a patre panem?
Si piscem poscat, an datur anguis ei?
Scorpius an dabitur, ovum si postulet iste?
Extremam lucem lucida verba sonant.
Sanctus amor, panis; ovum, species animalis.
Spem signat; debes pisce notare fidem.
Par lapis, etc. ... Si tu desperes, etc. ...
Quum vos ergo mali sitis, patresque malorum,
Si natis vestris nunc bona dona datis,
Qui semper bonus est, Pater ille petentibus ipsum
Supplicibusque suis tunc meliora dabit.

— (4) *Viis*. Is. L, 26. — (5) *Sancti angeli de quibus in Ezechiele* B-G ; *contra Zabulum dicitur* B, C ; *Zabulon* D ; *Diabolum* E, F, G. — (6) *Onyx* D, E, G, F. — (7) *Smaragdus*. Ezech. XXVIII, 13.

monte sancto Dei. » ÷ « In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus decore, a die conditionis tuæ [1]. »

÷ 2. Lapides pretiosi, apostoli, vel omnes sancti, de quibus in Apocalypsi civitas regis magni construitur : « Fundamentum civitatis omni lapide pretioso [2]. »

÷ 3. Duodecim lapides, in rationali quaterno ordine terni positi [3], fidem Trinitatis et evangelicum sermonem atque duodecim[4] apostolorum doctrinam in pectore sacerdotis semper inesse demonstrant [5], in Exodo.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Cf. Scriptores de lapidibus xii *ad calcem hujus capitis.*

Gregorius M. Lapides, Virtutes angelicæ; unde prophetа antiquo hosti improperat, dicens : « Omnis lapis, etc. » Et alibi : « In medio, etc.; » quia inter angelorum corda, charitatis igne succensa, clarus iste gloria conditionis exstitit.

Rabanus. Lapides, cœtus angelorum, ut : « Omnis lapis p. o. » — Stabilitas virtutum, ut : « Fundamentum e. o. l. p. »

Thomas cantipratanus, *de Naturis rerum incipit liber* xiv. Generaliter primo dicendum est de lapidibus pretiosis : quippe enim magna virtus eorum videtur esse et efficacia sanitatum. Unde autem hoc habeant, nisi a Deo, homini incompertum est. Et quidem hoc certius est, quod omnis virtus a Deo est, ut, sicut dicit Aristoteles, in libro *Meteororum*, vel etiam in herbis aut fructibus, mediante operatione naturæ : utpote res [6] quæ naturaliter calidæ aut frigidæ sunt, ideo competunt medicinæ; horum nullum in lapidibus est, ut excessus caloris aut frigiditatis in nullo lapidum denotetur. Constat ergo quia sine ullo medio lapidibus indidit virtutem Omnipotens, et eis voluntatis suæ gratiam tribuit pro ratione naturæ. Excepta autem gratia sanitatum, miracula multa et magna experiuntur in gemmis, utpote de magnete et adamante, qui sibi attractione ferri videntur inimica mutuari; de adamante, qui stellam maris demonstrat; de ostelano, qui hominem invisibilem reddit; de carbunculo, qui sine ignis amminiculo, tenebras noctis fugat; de multis quoque aliis præsens testatur liber. Horum igitur miraculorum ratio est omnipotentis Dei voluntas, qui in rebus humanis mirabilis prædicatur. De his quoque dicit beatus Augustinus [7], in libro *de Civitate Dei* xv : Alliciuntur dæmones et per creaturas quæ cujusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium et carminum. Unde et Salomon inclusisse legitur dæmones sub gemmis in annulis [8]. Legitur autem quod Evax [9], rex Arabiæ, scripsit Neroni Cæsari nomina, co-

(1) *Tuæ.* Ib. 75.—(2) *Pretioso.* Apoc. xxi, 19. — (3) *Quaterno opere dispositi* B, C ; *Ordine quaterni positi* D, E. — (4) *Et in ecclesiastico sermone duodecim* E.—(5) *Demonstrat, ubi et supera* E.—(6) *Res.* Abs re non erit ea cum similibus editis in Vincentii Bellovacensis Speculo naturali conferre. Sic igitur ille in lib. ix, c. 23, *De natura lapidum,* nostrum, ut solet, adducit tacito nomine ; sub illo titulo *Liber de natura rerum.* « Ut in medicina, quæ scilicet per contraria fit, horum autem nullum in lapidibus est; ut scilicet per excessus caliditatis aut frigiditatis in aliquo lapidum denotetur. » Et paulo post : « Voluntatis suæ virtutem et potentiam tribuit, pro ratione naturæ. De his autem dicit Augustinus, quod per has etiam dæmones alliciuntur. Unde Salomon dæmones sub gemmis in annulis inclusisse legitur. Sed sicut in peccato primi hominis omnis creatura corrupta est, sic etiam in ipsis virtutes, quæ post peccatum in eis remanserant, per attactum et usum immundorum et impiorum hominum, præcipui etiam lapides, corrumpuntur, sed sanctificatione consecrationis ad virtutum efficacias reparantur. » —(7) *Augustinus,* l. l. non xv, ut supra, sed xxi, c. vi, n. 1. ed. Bened. col. 624. —(8) *Annulis.* Joseph non eadem solum habet, sed et suis se vidisse vult oculis hujusmodi annuluos, dæmonum terriculamenta. *Archæol.* l. viii, c. 2, n. 5 (ed. Didot. p. 287).— (9) *Evax.* Nemini non obvium Marbodei Carmen *de Lapidum virtutibus* ex arabico Regis Evacis textu, ut circumfertur, exornatum. Vid. Hildeberti *Opp.* p. 1637 sqq. edit. Paris, 1708.

lores, virtutes, et differentias lapidum, et hoc scriptum postmodum per versus metricos exaratum est. Quorum versuum sensum simplici sermone digessimus, addentes etiam aliorum auctorum opiniones. In fine autem libri posuimus quasdam opiniones antiquorum [1] quas nec credendas per omnia credimus, nec per omnia refutandas. Et in hoc sequimur gloriosum Augustinum dicentem filios Israel sculpsisse quasdam gemmas in deserto, et maxime cornicolos, quarum sculpturæ tam subtilis acuminis comprobantur, ut nullus posteriorum hujus operis imitationem audeat attentare. Nec dubia res est quin, secundum efficacias virtutum, gemmarum figuræ et figurarum imagines sculperentur. Quod si verum est ut filii Israel gemmeos lapides diversis inter se sculpserint figuris, constat quia non sine intentione virtutis; utpote illi qui Spiritu Dei repleti, et spiritualiter docti ab illis quos Dominus præfecerat in ministerium omnis operis fabrilis, scilicet Beseleel et Ooliab. Quique spiritualiter docti in omnem artem gemmariam ad sculpendum et poliendum, rationale judicii et superhumerale in pectore et humeris Aaron opere mirabili perfecerunt; posueruntque in eis, secundum divinam responsionem, duodecim lapides pretiosos, et sculpserunt in eis nomina filiorum Israel. His quoque patet quod non inaniter scripturæ inveniuntur in gemmis; nec tamen per hoc credimus quod omnis scriptura virtutis signum et mysterialis sit.

Distinctionum monastic. lib. III. Lapides pretiosi figurative dicuntur angeli, propter virtutem et pulchritudinem; unde ad illum angelum magnum qui primus, id est maximus, creatus est, et ob superbiam suam dejectus, sub specie regis Tyri dicit propheta Ezechiel : « Omnis lapis, etc. » Ecce novem dixi nomina lapidum, quia profecto sunt novem ordines angelorum. — Lapides pretiosi, quia exterius habent decorem et intus virtutem, significant sanctos, qui in corpore habent castitatem, in corde charitatem. Nam per duodecim lapides, qui positi erant in rationali pontificis, figurati sunt duodecim apostoli, quorum vitam et doctrinam semper debet præsul gerere in pectore, id est in memoria et cogitatione, ut eorum imitetur sanctitatem, quorum tenet dignitatem; apostolis enim successerunt episcopi, in dignitate et officio, sicut Ecclesiæ dicitur in psalmo : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. » — Lapis pretiosus in corona est Ecclesia, de qua propheta loquitur ad Patrem in Christo dicens : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso; » nam, sicut beatus Gregorius ait : Moyses sedit super lapidem, quum lex requievit in Ecclesia. — Potest tamen exponi subtilius de conventu apostolorum, quia duodenarius, qui est numerus apostolicus, quinarium habet partium : qui numerus cyclicus est, quoniam sive per se, sive per quemque numerum imparem, superiorem se, multiplicetur, semper in se revertitur : verbi gratia, si multiplices V per V, habes XXV; si per IX, XLV; si per XI, LV; et sic deinceps. Conventus ergo apostolorum lapis est pretiosus, quem Deus Pater super caput Christi posuit, quia initium prædicationis ejus choro apostolico decoravit. — Lapides pretiosi virtutes significant, ut in illis verbis sancti Joannis in Apocalypsi : « Fundamenta, etc. » Civitas est Ecclesia; murus civitatis, prælati Ecclesiæ; fundamenta muri, Apostoli, qui omni genere virtutum erant decorati. Et de sancto patre nostro Bernardo canimus, quod ipse, quasi vas [2] auri solidum, fuit ornatum omni lapide pretioso. Vas aureum fuit, quia divina sapientia fulsit. Sed solidum fuit vas, quia humilis exstitit; alioquin non fuisset

1) *Antiquorum*. Quem Noster prædicto loco adducit libellum, persæpe invenimus singulari titulo inscriptum, qualem exhibet cod. Paris. 2454 : *In nomine Domini hic est pretiosus liber magnus et secretus sigillorum Cethel, quem fecerunt filii Israel in deserto*, post exitum de Ægypto, secundum motus et cursus siderum, etc. Idem apud Cantipratanum dicitur *liber Cethel*; quem quidem derivasse putem ex apocrypho Philonis syntagmate, de Octateucho, in quo, *ad librum Judicum* multa et mira de XII lapidibus fuisse, imperante quodam judice Zenec aut Cethel, cœlitus revelata enarrantur. Sed hæc hactenus. — (2) *Vas*, in *Brev.* Cisterc.

solidus, si fuisset inflatus. Fuit etiam ornatus omni lapide pretioso, quia nulla ei virtus vel gratia defuit, quæ ei necessaria fuit ad meritum, vel discipulis ad exemplum.

CONCIONATOR PRÆMONSTRATENSIS, *ibid.* n. 3. *Fortitudo et decor indumentum ejus*, PROV. XXXI.

Vegetius, *de Re militari*, ait quod inter alia quæ consueverunt contra hostes victoriam facere, est pulchritudo armorum [1]. Unde ait idem : Plurimum terrorem hostibus armorum splendor importat. Quis enim credit militem esse bellicosum, cujus arma rubigine fœdantur ?

Spiritualiter. Ecclesia, quæ semper est in pugna contra hostiles insidias, doctrinis sanctorum apostolorum fulget, pulchra ut sol et luna : nam quando fulget, tunc fugat undique principes tenebrarum.

Figura. Exod. XXVII, ubi legitur quod summus sacerdos, semel in anno intrans in sancta sanctorum, indutus omnibus vestibus sacerdotalibus, induebat vestem quadrangularem ; ita quod in quolibet angulo erant tres lapides pretiosi, et in toto erant duodecim ; et in quolibet angulo tres, in quibus erant sculpta duodecim nomina filiorum Israel ; et dicebatur rationale judicii, quia in his judicabant Deum placatum vel iratum : quum Deus erat eis placatus, tunc lapides splendebant ; sed quum iratus, tunc non.

Moraliter. Christus, summus sacerdos et pontifex, secundum Apostolum, semel intravit sancta sanctorum, indutus veste immortalitatis. Duodecim lapides, duodecim apostoli, qui indicant Deum esse placatum vel iratum, quia ipsi sunt advocati nostri. Unde ait Petrus ad Christum, in Evangelio : « Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis ? Respondit Christus : Quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel [2]. » Igitur unusquisque eligit unum illorum in advocatum, ut intercedat pro eo ; et illum præ aliis debet honorare.

Unde Basilius, *super Matthæum*, V : « Vos estis lux mundi [3], » judices filiorum hominum, qui habetis potestatem claudendi cœlum et aperiendi, et potestatem convertendi aquam in sanguinem.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 5199-5212.

Gemma gratissima, exspectatio præstolantis.

Hæc Evangelico pretiosa nitescit in agro
Gemmula, quæ signat splendida regna Dei.
Institor illius gemmæ, præclarus amator,
Hanc ut emat, quod habet destruit omne suum.
Sic sua vendat homo pia delectamina carnis,
Perpetuæ vitæ lumen ut illud emat.
Nec præstolantis est exspectatio gemmæ :
Hæc possessorem lætificatque suum.
Hanc quicumque cupit, animo periens sitienti,
Quo se cumque rapit, est sapientis ager.
Prospera non inflant, nequeunt adversa movere
Mentem quæ cupide te, bone Christe, sitit.
Sapphirus nostræ virtutis, Christe, decorus
Perpetuo vultus fulgeat ante tuos.

LVIII.

ACERVUS LAPIDUM, massa reproborum [4], vel peccatorum : « Tollite lapides de via, et redigite in acervos [5]. »

÷ Congregatio fidelium populorum in unam fidem convenientium, quorum figuram tumulus ille lapidum, quem Jacob in monte Galaad fieri præcepit, habuit.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, RABANUS [*cf. infra*, c. VII, art. 84.]

PETRUS CANTOR. Martyres dicuntur acervus testimonii, quia in primitiva Ecclesia

(1) *Armorum*. Veget. *De re milit.* lib. II, c. 14. — (2) *Israel*. Matt. XIX, 28. — (3) *Mundi*. Matt. V, 14. Cf. Basil. Opp. t. II, p. 11 (p. 863 E, ed. Gaum.). — (4) *Collectio reproborum* B.G. — (5) *Acervos*. Jerem. L, 26.

multi conversi sunt de Judæis. — Propter multitudinem ; unde : « Posuerunt mortícina servorum tuorum [1]. » — Et propter magnitudinem tormentorum ; unde : « Sancti ludibria et verbera experti sunt [2]. » — Et propter multiplex testimonium cordis et oris ; unde : « Corde creditur ad justitiam [3], etc. » — Et propter carnis maceratiónem ; unde Apostolus : « Castigo corpus meum [4], etc. » — Et propter exteriorem persecutionem ; unde : « Gravati sumus supra modum [5]. » — Et propter sanguinis effusionem ; unde : « Majorem charitatem nemo habet [6], etc. » — Et propter occultam inspiratiónem ; unde : « Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura [7], etc. » Quum itaque sit testimonium in confessoribus, acervus testimoniorum est, quia scilicet non solum corde et ore, sed et opere testati sunt. Martyres acervus sunt testimonii, sanguinem suum effundendo ; confessores, tumulus, confitendo Christum ; nos, vix atomus cumuli, tantummodo verbo tenus Christum credendo.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 72. *Acervus duobus modis in bono, duobus in malo.* Acervus tritici, testimonii, lapidum et Mercurii. Acervus tritici sunt incrementa virtutum. Canticum : « Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis [8] ; » quia sancti viri in Ecclesia virtutum percipiunt incrementa. — Acervus testimonii dicitur multitudo sanctorum. Genesis : « Dixit itaque Jacob fratribus suis : Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum ; quem vocavit Laban : Tumulum testimonii ; et Jacob : Acervum testimonii [9]. » — Acervus lapidum est sententia damnationis. Josue : « Congregaverunt super eum magnum acervum lapidum [10], » id est super reprobos sententiam damnationis. — Acervus Mercurii dicitur infidelitatis. Proverbia : « Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem [11], » quia scilicet qui fatuum facit prælátum, quasi infidelitatem committit.

Primus acervus congregatur in domo mentis, ubi congregantur varia incrementa virtutum. Secundus acervus congregatur in area Ecclesiæ. Tertius acervus congregabitur super reprobos, in judicio, quum singuli audient vocem illam : « Ite, maledicti, in ignem æternum [12]. » Quartus congregabatur apud gentiles in honorem deorum suorum, de quibus tamen Dominus inquit in psalmo : « Omnes dii gentium dæmonia [13]. »

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. III, v. 225. *De Absalone.*

Heu! vah! væ misero! retinetur ab arbore collo :
Exitus iste fuit specialis prævaricantis.
Quid tibi momenti facies formosa paravit,
Flavaque cæsaries, semel ipsa recisa quotannis ?
Quid te juverunt, quos amplexare solebas,
Oscula dans illis ut rex sibi præficereris ?
Linea regalis quid fert utriusque parentis ?
Tu sanctum David bellando necare parabas ;
Sed Deus ipse parat sapientibus alta gehennas.
David enim per te, dum nescis, purificatur :
At tu, jure tuo, sine fine cremaris averno.
Ne pereant velut hic, caveant hæc ambitiosi.
Absalon in foveam post mortem truditur altam ;
Est lapidum magnus super hunc aggestus acervus
Carnis post obitum nequam truduntur in Orcum
Duritiamque sui cordis Deus exprobrat illis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Josue, v. 99 sqq.

Consulitur Dominus, populum peccasse fatetur
Mittitur in populum sors ; lapidatur Achar.
Aureolam linguam furatur, dum male miscet
Schismaticus scriptis aurea verba sacris.
Sermonis rutili nitor aurea lingua notatur :
Sed refugit simplex splendida verba fides.
Scripta poetarum quæ sermo pictus inaurat,
Aurea dicuntur scripta, sed illa cave...
Fur exspirat Achar, lapidum depressus acervo,
Puniit et vilis aurea furta lapis.
Sic et schismatici punit vindicta reatum,
Peccatique sui pondere pressus obit.

(1) *Tuorum.* Ps. LXXVIII, 2. — (2) *Sunt.* Hebr. XI, 36. — (3) *Justitiam.* Rom. X, 10. — (4) *Meum.* I Cor. IX, 27. — (5) *Modum.* II Cor. I, 8. — (6) *Habet.* Joan. XIV, 13. — (7) *Futura.* Rom. VIII, 38. — (8) *Liliis.* Cant. VII, 2. — (9) *Testimonii.* Genes. XXXI, 47. — (10) *Lapidum.* Josue VII, 26. — (11) *Honorem.* Prov. XXVI, 8. — (12) *Æternum.* Matt. XXV, 41. — (13) *Dæmonia.* Ps. XCV, 5.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 8193-8202.

Acervus Mercurii.

Nam Κύριος Dominus græco sermone vocatur.
Ergo mercantum Mercurius deus est.
Vana superstitio mercantis in hujus acervum
Mittebat sortes, auguriando bonum
Schismaticum si quis sublimat honore docendi,
Est hostis fidei perfidus ipse simul.
Non minus hic peccat, quam si simulacra deorum,
Gentiles ritus vel venerando colat.
Hic mittit lapides in acervum Mercurianum,
Qui stolidum fidei spargere verba jubet.

LVIII, LIX.

÷ 1. JASPIS, viror interni desiderii : « Ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapidem sculptum [1]. »

÷ 2. Testimonia Scripturarum, ubi supra.

÷ 3. Duo lapides, id est Jaspis et SARDIUS[2], duorum judiciorum Dei, primi[3] per aquam diluvii, secundi per ignem, figuram habere dicuntur. In Apocalypsi : « Qui sedet[4] super thronum, similis est lapidi jaspidi et sardio[5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EPIPHANIUS[6], *de XII Lapidibus*, p. 225, 227.

MARBODIUS[7], *de Gemmis*, p. 1361 et 1637.

HUGO DE S. VICTORE[8], *de Bestiis*, lib. III, c. 58.

[*Vide ad calcem alios physiologos.*]

GREGORIUS M. apud *Garnerium S. V.*, lib. x, c. 4, p. 494.

RABANUS. Jaspis, fides, ut : « Ponam jaspidem, etc. »

Cf. *de Universo*, l. XXII, c. 7, col. 475.

HERRADIS ABBATISSA, in *Horto deliciar.*, fol. 262.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, c. 84. Sardonyx autem lapis designat aliquando ipsum Christum. Apocalypsis : « Et qui sedebat, similis erat aspectui jaspidis et sardinis. » Sardonyx enim rubei coloris est, et designat cruorem humanitatis Christi. Jaspis etiam lapis est quidam viridis, guttatus quibusdam guttis rubeis. Et rubeæ itaque fuerunt guttæ in carne Christi, quando « factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram [9]. » Nonne tamquam sardonyx totus erat rubei coloris, quando rubrum factum est indumentum suum, quasi calcantium in torculari? — Sardonyx etiam interdum designat sanctorum humilitatem. Job : « Nec lapidi sardonico pretioso, nec sapphiro [10], » scilicet comparabitur Christus. Nec angelo, nec homini potest comparari, eo quod « astra non sunt munda in conspectu ejus, et in angelis reperit pravitatem [11]. »

Cf. in secunda parte, peculiarem ejusdem *de XII Lapidibus* tractatum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Confortativæ virtutis Jaspis habetur,
Tristitiamque fugat, et vanas suspiciones.
Sed quodcumque genus collo suspendere possis,
Vel digito portes, terras securus adibis,
Nec tibi pestiferæ regionis causa nocebit;
Sed magis hospitibus censebere dignus honore.

Jaspis, fides, ut : « Ponam jaspidem p. t. »

(1) *Sculptum.* Is. LIV, 12. — (2) *Sardinus* D-G. — (3) *Primum, secundum* D. — (4) *Sedebat* E, F, G. — (5) *Sardino* B, C, *lapidis Jaspidis et Sardii* E, F. Apoc. IV, 3. — (6) *Epiphanius.* Ex edit. Petav., Paris. 1682. Hæc semel moneantur. — (7) *Marbodius.* Inter Hildeberti opera, Paris. 1708. — (8) *Hugo. S. V.*, t. III, p. 452 edit. Paris. 1648. De dubio laudati operis auctore cf. C. Oudin. t. II, p. 1144. — (9) *Terram.* Luc. XXII, 44. — (10) *Sapphiro.* Job XXVIII, 16. — (11) *Pravitatem.* Job IV, 18.

LX, LXI.

1. Sapphirus sancti cœlestia appetentes, vel spes regni cœlorum : « Ecce ego sternam per ordinem lapides, et fundabo te in sapphiris [1]. »

2. Angelica natura. Job, de pretio sapientiæ : « Non confertur lapidi Sardonico pretiosissimo, vel sapphiro. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Epiphanius, cap. v, p. 247.

Gregorius M. Sapphirus, angelica natura; Sardonicus, humana, eo quod ille aeris speciem, iste vero terræ rubeæ retinet qualitatem; unde per beatum Job de sapientia dicitur : « Non confertur, etc.; » quia nimirum tanta excellentia omnibus præeminet, ut ei nec angeli, nec homines coæquentur. — Sapphiri, sancti cœlestibus inhærentes; unde : « Ecce Dominus pollicetur : fundabo t. i. s. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. x, c. 3, p. 493.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Sapphirus, claritas angelorum, ut : « Nec lapidi s. v. s. p. » — Contemplatio, ut : « Sapphiro pulchriores [2]. » — Miracula Christi, ut : « Venter tuus eburneus, distinctus sapphiris [3]. »

Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 84, *de Sapphiro et Sardonico*. Sapphirus duplex, scilicet sapphirus gratiæ, et sapphirus operationis fulgidæ. Sapphirus gratiæ sunt sancti, fundati in sapphiro, id est in sancta Ecclesia. Jeremias : « Sapphiro pulchriores. » — Sapphirus operationis fulgidæ dicuntur miracula. Canticum : « Venter tuus eburneus, distinctus sapphiris, » id est casta humanitas, scilicet ornata miraculis. Sapphirus enim et cœlestem habet colorem et resplendet : quantum ad hoc quod cœlestem habet colorem, designat sanctos, qui cœlestem vitam ducunt. Paulus : « Primus homo de terra, terrenus; secundus de cœlo, cœlestis [4]. » Qui non solum cœlestes, sed cœli dicuntur. Isaias : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum [5]. » Quantum ad hoc quod splendet, designat miracula. Psalmus : « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; vidit, et commota est terra [6]. »

Biblia Codic. Bellevall.

Sapphirus, angelica natura.
Sardonicus, humana.
Sapphiri, sancti cœlestibus inhiantes.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar. de Muliere forti, litt. ix. *Theth.*

Hic Evangelii thesaurus fulget in agro,
Et bona gemma Dei quæ bonus emtor habet.
Gustavit sponsa quam suavia sint juga Christi,
Et quam perpetui sit bona gemma boni.
Hanc ut emat, dispergit opes virtutis in omnes
Subjectos, tribuens his pietatis opus.
Hæc bona mercantur nos dogmata sancta docentes
Doctores, mulier quos parit ista Deo.

Thetque bonum sonat, aut exclusio : sic homo vivas,
Excludat ne te gratia larga Dei.

(1) *Sapphiris.* Is. liv, 11. — (2) *Pulchriores.* Thren. iv, 7. — (3) *Sapphiris.* Cant. v, 14. — (4) *Cœlestis.* I Cor. xv, 47. — (5) *Meorum.* Is. lxvi, 1. — (6) *Terra.* Ps. lxxvi, 19.

LXII.

÷ Topazius, virtutibus plenus : « Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia[1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Epiphanius, ib., c. II, p. 226.

Gregorius M. Topazii nomine multis virtutibus plenus designatur, sicut de sapientia per beatum Job dicitur : « Non adæquabitur ei, etc. » Quid enim Æthiopiam, nisi præsentem mundum accipimus, quæ coloris nigredine designat peccatorem populum, fœditate meritorum? Dum vero in Deum conversa gentilitas credidit, ex ea multi sunt in dono spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed, ne acceptis virtutibus quisquam extollatur, a sancto viro nunc dicitur : « Non adæquabitur ei t. d. æ. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. x, c. 5, p. 494.

Rabanus. Topazius, viri sancti, ut : « Non adæquabitur, etc. » — Pretiosa sæculi, ut : « Super aurum et topazion[2]. »

Cf. *de Universo*, l. I.

Petrus Capuanus ad litt. XIX, art. 99, *de Topazio*. Topazius unus est de XII lapidibus pretiosis. Designat autem quandoque temporales divitias. Psalmus : « Ideo dilexi mandata tua, super a. e. t. » Quod et alibi dicitur : « Super lapidem pretiosum multum[3], » quia scilicet topazius lapis est multum pretiosus. — Quandoque designat sanctos : « Non adæquabitur ei t. d. æ. » — Quandoque notat virtutes sanctorum. Exodus : « Fecit et rationale, opere polymito, etc. »

Alanus. Topazius est lapis pretiosus, qui invenitur in insula Ægypti quæ dicitur Topazion. Hic habet duos colores, unum purissimum sicut aurum, et alterum quasi cœlum : est enim serenum, et excellit claritates omnium gemmarum, et nulla res est pulchrior ad videndum; et si politus fuerit, fit obscurus; et si aliquis vult ibi videre imaginem suam, sicut in speculo fieri solet, semper imago speculantis videtur inversa, ac si respiciat cœlestia. Significat sanctum virtutibus ornatum, qui, purgatis sordibus hujus sæculi, est purus sicut aurum, et semper in cœlestibus intendit; et qui hanc virtutem habet est clarior et mirabilior omnibus aliis. Unde Joannes loquens in Apocalypsi ait de fundamentis cœlestis Jerusalem : « Nonus, topazius. » — Divitiæ terrenæ, vel honor terrenus, unde in psalmo : « Super aurum et topazion. »

Anonymus Clarevallensis.

Topazius.

Viri sancti.	Unus ordo angelorum.
Pretiosa sæculi.	

Fertur hæmorroicis idem lapis auxiliari ;
Quodque magis mirum, lunam sentire putatur ;
Ferventes etiam compescere dicitur undas.

LXIII.

1. Crystallum, baptismus : « Flumen aquæ vivæ tamquam crystallum[4]. »

2. Duritia peccatorum : « Qui emittit crystallum sicut frustum panis[5]. »

÷ 3. Virgo Mater, vel angelicæ naturæ fortitudo : « Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis et extensi super capita eorum desuper[6]. »

(1) *Æthiopia*. Job XXVIII, 19. — (2) *Topazion*. Ps. XVIII, 117. — (3) *Multum*. Ps. XVIII, 11. — (4) *Crystallum*. Apoc. XXI, 22. — (5) *Panis*. Ps. CXLVII, 17 — (6) *Desuper*. Ezech. I, 22.

LXIV.

Vitrum, baptismus : « Et ante sedem, tamquam mare vitreum pellucidum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Crystallus, naturæ angelicæ fortitudo, ut ibi : « Et similitudo super, etc. ; « quia crystallum', forte quidem, sed aqua solidatum, naturam angelicam exprimit, quæ ex mutabilitate liberi arbitrii ita per gratiam facta est immutabilis, ut, quasi crystallum, durities ex aqua facta videatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. x, c. 6, p. 495.

Rabanus. Crystallus, duritia cordis, ut : « Mittit e. s. sicut buccellas. » — Angelica natura, ut : « Quasi aspectus crystalli horribilis. »

Vitrum, status cœlestium civium, ut : « Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum [2]. » — Blanditiæ sæculi, ut : « Quum splenduerit in vitro color ejus [3]. »

Vitrum.

Status cœlestium civium.	Blanditiæ sæculi.
	Puritas conscientiæ.

Isidorus et Anonymus Clarevallensis. Crystallus dicitur hic oppositus radiis solis; adeo rapit flammam, ut aridis fungis vel foliis ignem præbeat; usus ejus ad pocula destinatur; nihil enim quam frigidum pati potest.

Crystallum.

Induratus in peccato.	Gloria sanctorum.
Angeli confirmati.	Angelus.
Spiritualis intelligentia.	

Igne micat; quidam tritum cum melle propinant Matribus, infantes quibus assignantur alendi, Quo potu repleri credunt ubera lacte.

LXV.

÷ Adamas, æternitas : « Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo, in ungue adamantino [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Epiphanius, ibid., p. 230.

Gregorius M. Adamantis nomine insolubilis duritia vel pœnæ, vel culpæ intelligitur, ut ibi : « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino. » Sicut enim adamas alterius rei collisione non scinditur, ita peccatum illud nulla contritione temporalis pœnitentiæ relaxatur. — Adamantis nomine inflexibilis constantia sinceræ mentis exprimitur, sicut dicit Dominus ad prophetam : « Ut adamantem et ut silicem dedi te [5]. » Notandum tamen quod adamas hircino sanguine scinditur, quia nulla est animi fortitudo, quæ influente carnis libidine non solvatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. v, c. 60, p. 322; et lib. x, c. 7, p. 496.

Rabanus. Adamas, duritia pœnæ, vel culpæ, ut : « Peccatum Judæ, etc. » — Constantia mentis, ut : « Sicut adamantem et silicem dedi te. »

Cf. *de Universo*, lib. xvii, c. 9, col. 473.

(1) *Pellucidum.* Apoc. xxi, 21. — (2) *Vitrum.* Job xxviii, 17. — (3) *Color ejus.* Prov. xxiii, 31. — (4) *Adamantino.* Jerem. xvii, 1. — (5) *Te.* Ezech. ix, 3.

LXVI.

÷ Margarita, Dominus Jesus Christus. In Evangelio : « Inventa una pretiosa margarita [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Phœbadius, c. VI, p. 261 C.

Eucherius ed. I, p. 26; ed. II, col. 704 A.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Margarita, desiderium cœleste, ut : « Inventa una p. m. » — Sacramenta spiritualia, ut : « Ne mittatis margaritas ante porcos [2]. » — Homines justi, ut : « Duodecim portæ, duodecim margaritæ. » — Deliciæ terrenæ, ut : « Mulier ornata erat margaritis [3]. »

Petrus Capuanus, ad litt. XIII, art. 46. Margarita cœli, margarita mundi et inferni. Margarita cœli est fides Ecclesiæ. Evangelium : « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, etc. » — Margarita mundi duplex, scilicet verbum Dei. Evangelium : « Nolite sanctum dare canibus, nec m. m. a. p. » Et margaritæ mundi dicuntur ipsi apostoli. Apocalypsis : « Civitatis duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. » — Margaritæ inferni sunt deliciæ et voluptates mundanæ. Apocalypsis : « Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, auro, et lapide pretioso, et margaritis. » Prima margarita est suprema; secunda, media; tertia, infima.

Proprietas margaritæ adaptatur fidei, verbo divino et apostolis. Margarita autem candida est, et ponitur ad ornatum ; contrita etiam ponitur in medicinis, ut proficiat ad sanitatem. Sic ergo prima margarita, id est fides Ecclesiæ, candida est et munda, usque adeo ut et alios mundet. Paulus : « Fide mundans corda eorum [4]. » Ipsa enim est ad ornatum Ecclesiæ. Psalmus : « Omnis gloria filiæ regis ab intus [5]. » Medicina est etiam ad sanitatem. Habacuc : « Justus meus ex fide vivit [6]. »

Sed et secunda margarita, id est verbum Dei, candida est et munda. Psalmus : « Præceptum Domini lucidum; eloquia Domini, eloquia casta [7]. » Ipsa est ad ornatum sponsæ. Canticum : « Murenulas aureas (divini eloquii) faciemus tibi, vermiculatas argento [8]. » Est etiam medicina ad salutem. Paulus : « Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi [9]. »

Apostoli quoque candidi fuerunt per innocentiam. Jeremias : « Candidi facti sunt Nazaræi ejus [10]. » Fuerunt etiam ad ornatum ipsius Christi. Evangelium : « Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, sequentibus signis [11]. »

Tertia autem margarita, id est mundanæ deliciæ, ad ornatum quidem est voluptatis illicitæ. Psalmus : « Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi [12]. » Sed hæc margarita non ad sanitatem, sed potius proficit ad damnationem. Job : « Infantes eorum exsultant lusibus, tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, sed in puncto ad inferna descendunt [13]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2160-2169.

De margarita sermonem, deque sagena
Subjungit Dominus pro ratione pari.
Cur bona quærenda sit gemma, vel ad quid habendum
In mare piscari missa sagena, notat.
Ecclesiæ typus est quæ pisces littore sistit ;
Inde bonos retinet, ejicit inde malos.
Nunc sinus Ecclesiæ mixtim nos colligit omnes ;
Quos velut ad littus hora suprema feret.
Tum vero fiet divisio : nam malus omnis
A quocumque bono dissociandus erit.

(1) *Margarita*. Matt. XIII, 46. — (2) *Porcos*. Matt. VII, 6. — (3) *Margaritis*. Apoc. XVII, 4. — (4) *Eorum*. Act. XV, 9. — (5) *Intus*. Ps. XLIV, 14. — (6) *Vivit*. Habac. II, 4, secundum Apostolum. — (7) *Casta*. Ps. XVIII, 6. — (8) *Argento*. Cant. I, 10. — (9) *Christi*. Rom. X, 17. — (10) *Ejus*. Thren. IV, 7. — (11) *Signis*. Matt. XVI, 20 — (12) *Templi*. Ps. CXLIII, 5. — (13) *Descendunt*. Job XXI, 12.

LXVII.

1. Sal, sapientiæ condimentum : « Vos estis sal terræ [1]. Habete sal in vobis [2]. » ÷ « Sermo vester semper sit sale conditus [3]. »

÷ 2. Infatuata scientia Judæorum. In Levitico [4] : « Pluam super terram illam pulverem et sal. »

LXVIII.

1. Salsugo, compunctio amaritudinis : « Tabernaculum ejus in terram salsuginis [5]. »

÷ 2. Salsugo, infidelitas Judæorum [6], etc.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius edit. I, p. 22; ed. II, col. 760 B ad LXVII, 1.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Sal, intellectus spiritualis, ut : « Aut potest comedi insulsum, quod non est sale conditum [7] ? » — Sapientia, ut : « Afferte vas mundum, et mittite sal [8]. » — Discretio, ut : « In omni oblatione offeres sal [9]. » — Apostoli, ut : « Vos estis sal terræ [10], » id est sapor Ecclesiæ. — Admonitio, vel exemplum, ut : Versa est in statuam salis [11]. » Cf. *de Universo*, lib. XXII, c. 2, col. 460.

Rabanus et Garnerius Lingonensis [*supra*, p. 146].

Garnerius Lingonensis et Petrus Cantor [*item*, p. 146, 147]. Sal quatuor habet in se : sincerat carnem, curat putredinem, vermes occidit, condimentum parat. Sic doctrina spiritualis sincerat carnem per pœnitentiam, putredinem curat vitiorum, occidit cogitationes malas, condit cor per sapientiam.

Petrus Capuanus ad litt. XVIII, ex art. 88. Sal sapientiæ dicitur sapientia. Job : « Quomodo potest comedi insulsum, etc.? » Hinc in pabulo salis hac forma generaliter utitur Ecclesia : Accipe sal sapientiæ. Hinc in Levitico in omni sacrificio sal jubetur apponi ; quia scilicet omnia opera nostra sale discretionis sunt condienda. Leviticus : « Quidquid sacrificii obtuleris, sale condies. » — Sal doctrinæ sunt apostoli et prædicatores, qui sunt sal terræ, ei terram Ecclesiæ sale doctrinæ et conversationis bonæ debent condire. Evangelium : « Vos estis sal terræ. » — Sal justitiæ sunt exempla sanctorum, quoniam justa conversatione sua nos condiunt et admonent atque conservant, ne in peccatorum corruptione labamur. Hinc uxor Loth versa est in statuam salis, quæ nobis exempli præbuit condimentum ; eo quod « qui miserit manum ad aratrum, et aspexerit retro, non est aptus regno Dei [12]. » Genesis : « Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. » — Sal pœnitentiæ dicitur anima compuncta et caro pœnitens. Job : « Tabernacula ejus in terram salsuginis. » — Sal nequitiæ, infatuatum ac reprobum, est prædicator male vivens, vel anima tribulationibus cedens. Evangelium : « Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur fo-

(1) *Terræ*. Matt. v, 13. — (2) *Vobis*. Marc. IX, 49. — (3) *Conditus*. Coloss. IV, 6. — (4) *Evangelio* A, B, C. *Levitico* E, F, G. Legendum *in Deuteronomio* ; quippe innui putem c. XXIX, 23 ; ubi quidem vulgo legitur : *Terram... afflixit Dominus, sulfure et salis ardore comburens* ; veteres vero interpretes usque adeo ac supra ab editione vulgata recedunt. — (5) *Salsuginis*. Job XIX, 6. — (6) *Judæorum*. Videantur variæ codicum lectiones supra p. 146. — (7) *Conditum*. Job VI, 6. — (8) *Sal*. IV Reg. II, 20. — (9) *Sal*. Levit. V, 13. — (10) *Terræ*. Matt. V, 13. — (11) *Salis*. Genes. XIX, 26. — (12) *Dei*. Luc. IX, 62.

ras et conculcetur ab hominibus [1]. » — Sal etiam nequitiæ est ariditas mentis, vel infidelitas Judæorum. Psalmus : « Terram fructiferam in salsuginem [2]. »

Sal autem ad litteram est quasi lapis, qui fit ex substantia aquæ calore solis desiccata; sal etiam condimentum est, et quasi sapor omnium ciborum; sal carnes conservat, ne vermescant, vermes arcet et necat; sal naturalem odorem in statu suo corroborat; sal lambentia animalia meliorat; sal quoque sterilem terram reddit; unde antiqui victores, quum terram volebant reddere perpetuo desolatam, salem in ea spargebant, ne scilicet iterum fructificaret.

Hæc autem omnia in sale sapientiæ sollicite perquiramus. Sal est quasi lapis qui fit ex substantia aquæ, calore solis desiccata : et sal sapientiæ in justo solidatur ex aqua baptismi et calore Spiritus. Hic autem calor ex illo sole procedit, de quo reprobi dicunt in libro Sapientiæ : « Sol justitiæ non ortus est nobis [3]. » Hic sal solidatur in justo, ex aqua baptismi et igne persequutionis. Sic nimirum Paulus ex aqua baptismi, qua baptizatus est ab Anania, et igne persequutionis solidatus est. Actus : « Vas electionis mihi est iste [4], etc. »

Sal est condimentum et quasi sapor omnium ciborum : et sapientia est condimentum actuum nostrorum. Sapientia : « Omnia fac cum consilio [5]. » Hinc insipiens, quia sine condimento salis sapientiæ est, « dixit in corde suo : Non est Deus [6]. » Hinc Roboam, filius Salomonis, quia responso suo non apposuit condimentum ex consilio seniorum, decem tribus amisit.

Sal carnes conservat ne vermescant : et sapientia, animam, ne scateat vermibus vitiorum. De horum vermium corruptione ait Paulus : « Sed timeo ne sicut serpens seduxit Evam, ita corrumpantur sensus vestri [7]. » Hæc corruptio sale sapientiæ evitatur. Sic nimirum docebat Jacob patriarcha, dum sapientiæ sale conditus, inquit in Genesi : « Simeon et Levi, vasa iniquitatis; in consilium eorum non veniat anima mea [8]. »

Sal vermes removet et necat : et sapientia vitiorum vermes a nobis arcet et removet, dum ait : « Usquequo, parvuli, diligatis infantiam? et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupiunt [9]? »

Sal naturalem odorem in statu suo corroborat : et sapientia hominem in statu suæ integritatis conservat. Sic nimirum Salomon, dum sale sapientiæ fuit conditus, statum suæ rectitudinis custodivit, et usque adeo odorem suæ famæ respersit, quod etiam regina Austri venit ab ultimis finibus audire sapientiam ejus. At ubi sale sapientiæ condiri desiit, factus est sal reprobatum, infatuatum, dum scilicet maculam posuit in gloria sua.

Sal lambentia animalia meliorat : et sapientia suos possessores efficit meliores : « Sapientia melior est cunctis opibus [10]. » Sic nimirum apostoli de piscatoribus facti sunt apostoli, quando in omnem terram exivit sonus eorum.

Sal etiam sterilem terram reddit : et sapientia terram carnis nostræ vel etiam mentis facit sterilem, ne nobis spinas vel tribulos valeat pullulare. Paulus : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar [11]. »

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 7994-8006.

Nitrum de pluvia salis lapidescit ad instar;
Dat nobis istud Nitria terra decus.
Hoc nitrum solis calido radio solidatur,
Solvitur hoc etiam calcis ad instar aquæ.
Duritiam signat hominis nitrum vitiosi,
Cui cor perfidiæ frigida siccat hiems.
Sicut acetatum nitrum fervendo liquescit,
Sic perversorum murmure corda crepant.
Nam mala corda nihil monitu dulci, vel amaro,
Fructificant, immo deteriora manent.

(1) *Hominibus*. Matt. v, 14. — (2) *Salsuginem*. Ps. CVI, 34. — (3) *Nobis*. Sap. VI, 6. — (4) *Iste*. Act. IX, 15. — (5) *Consilio*. Prov. XIII, 16. — (6) *Deus*. Ps. XIII, 1. — (7) *Vestri*. II Cor. XI, 3. — (8) *Mea*. Genes. XLIX, 5. — (9) *Cupiunt*. Prov. I, 22. — (10) *Opibus*. Prov. III, 15. — (11) *Efficiar*. I Cor. IX, 27.

Quid juvat, ad surdas si cantet simius aures?
Quod miserum Thamyram picta tabella juvat[1]?
Sic qui doctrinæ modulatur carmina sanctæ,
Perverso cordi proficit inde nihil.

PETRUS DE RIGA.

I.

Aurora, in Leviticum, v. 366-371.

Quidquid obtuleris, sale condies.

Omne quod attuleris Domino sacrum, sale condi,
Nec sal divini fœderis auferei.
In sale signatur prudens discretio justi,
Ut sit discretus semper ad omne bonum.
Fœdere signatur Domini lex utraque, sensus
Ut discretus homo condiat inde suos.

II.

Ib., in Evang., v. 1135-1150.

Vos estis terræ sal, lux mundi, Jesus inquit
Discipulis; fratres, ista notate duo.
Conficiunt terræ sal humor aquæ, calor ignis:
Est aqua baptismus; est sacer ignis amor.
Discipuli mentes istis condire duobus
Noverunt, verbis dum tonuere suis.
Sal carnes siccat, vermesque repellit: et isti
Vermes peccati per sua verba fugant.
Quod si sal penitus evanescat, quid agetur?
Nulli proficiet amplius ejus opus.
Sic doctor qui castigat, si peccet, habetur
Vilis et abjectus, nec metuendus erit.
Sit sal, vivendo sapienter; lux, tenebricosis
Infundendo jubar Ecclesiæque fidem.
Est bona vita prius; sequitur doctrina fidelis:
Perfectum faciunt quælibet ista duo.

APPENDIX AD CAPUT VI.

ΦΥΣΙΟΛΟΓΟΙ DE LAPIDIBUS.

I.

INTER VETERES ETHNICOS.

I.	APION PLISTONICES [2].	XI.	HORUS [12].
II.	ARCHELAUS [3].	XII.	ISMENIAS [13], *Olympicus.*
III.	ASARUBAS [4].	XIII.	JUBA [14], *rex Mauritaniæ.*
IV.	CORNELIUS BOCCHUS [5].	XIV.	MAGI [15].
V.	CALLIAS, *Atheniensis* [6].	XV.	METRODORUS [16], *Scepsius.*
VI.	CALLISTRATUS [7].	XVI.	MNASEAS [17].
VII.	CHARES [8].	XVII.	MUCIANUS [18].
VIII.	DEMOCRITUS [9].	XVIII.	NICIAS [19].
IX.	DEMOSTRATUS [10].	XIX.	ORPHEUS [20].
X.	DIOCLES [11].	XX.	PLINIUS [21].

(1) *Juvat.* Ovid. *Amor.* III; 7, v. 62. — (2) *Plistonices.* Plin. *Hist. natur.* lib. XXXVII, 29. Primo loco forte aliquis præmiserit *Ajacem* quemdam *Plistonicem*, quem Braunius *de Veste sacerdot.* lib. II, c. 8, p. 628, meminit; prætereaque nemo. Timendum ne Ajax ille totus e cerebro male feriati Braunii exsilierit. — (3) *Archelaus. Ib.* VIII, p. 76; XVIII, 5; XXVIII, 6; XXXV, 36; XXXVII, 25, 30, 32. — (4) *Asdrubas forte.* Plin. XXXVII, 11. ed. Littré. — (5) *Bocchus. Ib.* XVI, 79; XXXVII, 9, 25. — (6) *Atheniensis. Ib.* XXXIII, 37. Theophrast. edit. Hill. ut infra. — (7) *Callistratus.* Plin. *ib.* XXXVII, 12, 25. — (8) *Chares. Ib.* XI. — (9) *Democritus. Ib.* passim, et XXXVII, 18, 54, 55, 58, 70. — (10) *Demostratus. Ib.* XXXVII, 11, 23. Nisi me mea fallit opinio, locus ejusdem ineditus penes me græce exstat, huic *Spicilegio* inserendus. — (11) *Diocles.* Passim *ibid.* et lib. XXXVII, 13. — (12) *Horus. Ib.* XXX, 51; XXXVII, 52. — (13) *Ismenias. Ib.* XXXVII, 3, 4, 23. — (14) *Juba. Ib.* Inter multa in lib. XXXVII, 9, 18, 52, 53. — (15) *Magi. Ib.* XXXVII, 54. — (16) *Metrodorus.* Præcipue XXXVII, 15. — (17) *Mnaseas. Ib.* 11. — (18) *Mucianus. Ib.* XXXVI, 29, et alias sæpe. — (19) *Nicias. Ib.* XXXVII, 11. — 20 *Orpheus.* Cf. Fabric., *Bibl. gr.*, t. I, p. 140. — (21) *Plinius. Ib.* lib. XXXVII per totum. Vide indicem scriptor. qui in *Hist. nat.* citantur, apud Fabric. Bibl. lat. t. II, p. 209.

XXI. Praxilaus [1].
XXII. Ptolemæus [2].
XXIII. Satyrus [3].
XXIV. Sotacus [4].
XXV. Sudines [5].
XXVI. Theochrestus [6].
XXVII. Theomenes [7].
XXVIII. Theophrastus [8].
XXIX. Xenocrates [9], *Ephesius.*
XXX. Xenocrates [10], *junior.*
XXXI. Zachalias [11], *Babylonius.*
XXXII. Zoroastres [12].

II.

INTER JUDÆOS ET ORIENTALES.

I. Salomon [13].
II. Philo [14].
III. Cetel aut Zenec [15].
IV. Rabbi Benjamin [16].
V. Ahmet Teifascites [17].
VI. Mohammed F. Mansur.

III.

IN ECCLESIA CHRISTIANA.

I. S. Epiphanius.

1° Περὶ τῶν ιβ΄ λίθων, τῶν ὄντων ἐν τοῖς στολισμοῖς τοῦ Ἀαρὼν, βιβλίον [18].

2° *De* XII *gemmis, ex antiqua versione nunc primum edita* [19].

II. Anastasius Sinaita [20].

Περὶ τῶν ιβ΄ λίθων, τῶν ἐν τῷ λογίῳ τοῦ ἱερέως ἐμπεπηγμένων.

III. Michael Psellus [21].

Περὶ λίθων δυνάμεων.

IV. Marbodius Redonensis [22].

1° *Carmen de lapidibus* LX.

2° *Idem*, cum variorum glossis [23].

3° *Liber de lapidum pretiosorum virtutibus*, ex Marbodæo, Evace, rege Arabum, Isidoro, etc. confectus, partim prosaice, partim metrice [24].

4° *Brevis expositio* XII *lapidum.*

5° *Carmina de virtutibus* XVI *lapidum.*

(1) *Praxilus.* Apud Theophrast. *de Lapidib.* — (2) *Ptolemæus.* Occurrit mihi Ptolemæi, qualiscumque sit, *liber de impressionibus imaginum in gemmis,* inter codd. Paris. — (3) *Satyrus.* Plin. *H. nat.* XXXVII, 24, 25. — (4) *Sotacus.* « E vetustissimis auctoribus, » inquit Plinius *ib.* XXXVII, 38. Cf. *ib.* 25; XXXVII, 11, 25, 24, 51, 57. — (5) *Sudines. Ib.* XXXVII, 11, 24, 35, 50, et in aliis libris.— (6) *Theochrestus. Ib.* XXXVII, 11. — (7) *Theomenes. Ib.* 11. — (8) *Theophrastus* Περὶ λίθων, græce et anglice. cur. Hill. Lond. 1746 et 1774; gallice, Paris. 1754 8°. germanice, Norimberg. 1770 8°. — (9) *Xenocrates.* Plin. XXXIV, 19, 33; XXXV, 36. — (10) *Junior.* « Qui de iis nuperrime scripsit, vivitque adhuc. » Hæc Plinius, *ib.* XXXVII, 11, 65. — (11) *Zachalias*, alias, mendose forte, *Zacharias. Ib.* XXXVII, 60.— (12) *Zoroastres*, cui multa ascribuntur tum de lapidibus pretiosis, tum de plantis et animalibus. Cf. Suidas ad h. v. Plin. *ib.* XXXVII, 49, 55, 57, 58. Quin autumant nonnulli illum eumdem esse cum Evace Arabum rege, quem ad Neronem de gemmis scripsisse Marbodius cecinit, neque omissum a Plinio vult Fabricius, *Bib. lat.* III, 222. — (13) *Salomon.* Ἐφυσιολόγησε δὲ Σολωμὼν καὶ περὶ λίθων. Michael Glycas in *Annal.* p. II, p. 183, ex Michaele Psello. Cf. Fabric. *Bibl. gr.* edit. vet. t. XIV, p. 388.— (14) *Philo.* Cf. not. 1, p. 334.—(15) *Zenec.* Cf. *ib.* — (16) *Benjamin. De lapidibus pretiosis pectoralis,* in Bibl. Leyd. cod. 25 Varnerian. Cs Catal. vet. p. 406.— (17) *Teifaschi.* Addimus duos ejusdem generis scriptores, sæc. XII et XIII, præ cæteris inter orientales celeberrimos, de quibus cs. cl. V. Raynaud (*Monum. arab., etc., du cabinet de M de Blancas*, t. I, p. 3, 21), de Hammer (*Mines d'Orient*, t. VI, p. 122).—(18) Βιβλίον, inter Epiph. *Opp.* t. II, interprete Iola Hierotarantino, p. 225 ed. Petav. Paris. 1682.—(19) *Edita.* Ad calcem operis Cl. V. Foggini, *de S. Petri romano itinere.* — (20) *Sinaita.* Ejusdem quippe est epitome quæ ad Epiphanium in edit. Petav. accessit, p. 235, eadem scilicet verbo tenus cum illa quæ inseritur in Anastasii *Quæst. anagogica* XL, et passim occurrit in codd. quorum nonnullos, data opera, excussi, scilicet Paris. 1650, 1782, 2047, 2098, 2426, 2509, 2610, 2872, 3025. — (21) *Psellus.* Ad manum habebam editionem Bernard. Lugd. Batav. 1745, 8°.— (22) *Redonensis.* Quæ sequuntur n. 1, 4, 5, exstant in edit. Beaugendre p. 1679 sqq. Sed cs. ed. Beckmann Goett. 1789. — (23) *Glossis.* Cf. codd. Paris. 2621, 2887, 3764, 5009, 6514, 8421, 8454, 8817, Sorbon. 1378, etc. — (24) *Metrice.* Codex. coll. Corp. Christi, Oxon. sub n° 221.

V. Hildebertus.

Carmen de XII *patriarchis* [1].

VI. Nilus, Rhodiorum metropolitanus.

De XII *lapidibus* [2].

VII. Amatus Cassinensis aut Burdigalensis.

Brevis expositio XII *lapidum* [3].

VIII. Michael Glycas.

Epistola, quomodo Christus lapis et margarita dicitur [4].

IX. Richardus de S. Victore.

Super XII *lapides de Jordane sumtos a filiis Israel* [5].

X. Hugo de S. Victore aut de Folieto.

De XII *lapidibus pretiosis* [6].

XI. Herradis Abbatissa.

Hortus [7] *deliciar.*, fol. 262.

XII. Alexander Neckham [8].

Tetrastichon de XII *lapidibus.*

XIII. Joannes Nider [9].

De XII *lapidibus.*

XIV et XV. Pierre des Bonifaces et J. de Mandeville.

Le lapidaire français [10].

XVI-XXV. Anonymi.

De lapidibus et gemmis [11], sæc. IX.

Item, sæc. X.

De duodecim lapidibus, Saxonice [12], s. XI.

De plantis et lapidibus [13], sæc. XII.

Rhythmus de XII *lapidibus*, sæc. XII.

Homilia de XII *lapidibus*, in cod. s. XII.

Nomina XII *lapidum et* XII *patriarcharum*, græce, sæc. XIII.

Nomina XII *lapidum, cum interpretatione brevi* [14], sæc. XII.

De XII *lapidibus* [15].

B. V. Mariæ corona [16].

IV.

INTER RECENTIORES,

OMISSIS CHEMICORUM ET PHYSICORUM LIBRIS [17].

I. Andreas Baccius.

Liber de XII *lapidibus pretiosis qui in summi pontificis sacra veste nitebant, et qui memorantur in Apocalypsi* [18].

II. Paschasius Balduinus.

Epistola de hebraicis gemmarum nominibus et viribus [19].

III. Joannes Braunius.

Vestitus sacerdotum [20] *hebræorum, seu commentarius amplissimus in Exod.* XXVIII, XXIX.

IV. Fogginius.

Dissertatio de antiqua versione latina Epiphanii, super XII *lapides* [21].

V. Matthæus Hiller.

Tractatus de XII *gemmis in pectorali pontificis Hebræorum* [22].

VI. Julius Mancinellus S. J.

De gemmis, unionibus et similibus ex sacra Scriptura [23].

VII. Didacus Martinez S. P.

Tractatus de sacris lapidibus [24].

(1) *Patriarchis. Opp.* col. 1561. — (2) *Lapidibus.* Cod. Taurin. 275. — (3) *Lapidum.* August. *Opp.* t. VI, app. col. 301. — (4) *Dicitur.* Cod. Paris. 228. Epist. XXVIII. — (5) *Israel.* Inter *Opp.* ed. Rothomag. — (6) *Pretiosis.* In Bestiarii lib. III, c. 58. *Opp.* t. II, p. 452. — (7) *Hortus.* Eadem omnino, paucis exceptis, sive metrica, sive soluto scripta sermone refert quæ in Marbodianis. — (8) *Neckham.* Cf. Fabricii, *Bibl. med. et inf. latin.* ad h. a. — (9) *Nider. Ib.* — (10) *Français.* Cf. *Mss. français de la Biblioth. imp.* n° 7925, 5. — (11) *Gemmis.* In schedis meis, uti et sequens, uterque infra edendus. — (12) *Saxonice.* Cod. Cott. Tib. III. — (13) *Lapidibus.* In parte altera operis præsentis cum sequentibus 4 opusculis edendus pariter. — (14) *Brevi.* Cod. LI, coll. Jesu Oxon. — (15) *Lapidibus.* Cod. Bruxellens. — (16) *Corona.* Libellus S. Hildefonso falso ascriptus, in *Patrol.* t. XCVI, p. 284. — (17) *Libris.* Nullus enim esset nec finis, nec modus recitandi vel per jejunos titulos hujuscemodi elucubrationes, maxime quæ cum re et insania veteris alchimiæ, ejusque philosophici lapidis ratione miserrime faciunt. Quos salutasse nimis erit uno hoc libro, e recentioribus raptim appellato : *Sympathia* VII *metallorum ac* VII *selectorum lapidum ad planetas*, auctore Petro Arlensi de Scudalupis, Paris. 1610, in-8°. Nec plura. — (18) *Apocalypsi*, in-8°, Romæ, 1587. — (19) *Viribus.* Cf. Swertium apud Lelong, *Bibl. sacra*, p. 623. — (20) *Sacerdotum.* Cf. lib. II, c. 8. Amstelod. 1680, in-4°, 2ª editio auctior; *ibid.* in-4°, cum insignis picturis æré cælatis. — (21) *Lapides.* Romæ, 1745, 4°. — (22) *Hebræorum.* Tubingæ, 1698, in-4°. — (23) *Scriptura.* Sotuel apud Lelong, p. 844. — (24) *Lapidibus.* Sotuel ib. p. 850. Demum videsis recentissimas diatribas L. Stephani *de antiquis Lapidariis.* Lips. Voss. 1851; et cl. Felicit. d'Ayzac *de Re symbolica in lapidibus* (Ann. archéol. t. V, 216.)

CAPUT VII.

DE LIGNIS ET FLORIBUS [1].

I.

1. Lignum, Christus [2] : « Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum [3]. » ÷ « Lignum vitæ in medio ejus [4]. » ÷ Et in Evangelio : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet [5]? »

2. Crux [6] : « Benedictum lignum, per quod fit justitia [7]. » ÷ « Maledictus omnis qui pendet in ligno [8]. Colligo duo ligna [9]. » ÷ Et in Psalmo : « Dominus regnavit a ligno [10]. »

3. Angeli [11] : « Omne lignum paradisi non assimilatum ei [12]. » ÷ Et post pauca : « Cedri non fuerunt altiores illo. »

4. Injusti [13] : ÷ « Ergo Dominus humiliavit lignum sublime, et exaltavit lignum humile [14]. » ÷ In Salomone : « Qui scindit ligna, periclitabitur in eis [15]. »

5. Homo [16] : « Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem [17], ubicumque ceciderit, ibi erit [18]. »

6. Sententiæ Scripturarum [19] : « Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies [20]. » ÷ Huic testimonio Salomnis sententia congruit, in qua ait : « Qui addit scientiam, addit et laborem [21]. »

÷ 7. Sapientia Dei : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam [22]. »

÷ 8. Justi : « Fac tibi arcam de ligno [23]. Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant [24]. »

÷ 9. Opera : « Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum [25]. »

÷ 10. Insensibilitas cordis, de abstinentia præsumentis : « Adhæsit cutis eorum ossibus; aruit, et facta est quasi lignum [26]. »

÷ 11. Propria voluntas : « De ligno autem scientiæ boni et mali non comedes [27]. »

(1) *De lignis infructuosis* B, C, E, G; titulus deest in A, D. Quonam vero ordine totum illud caput in codicibus posterioris classis digeratur, non est quod hic ægre et obscure aggrediar describere, quum eorumdem codicum ratio, in altera hujus operis parte, sub oculis ponatur. — (2) *Christus, sive sanctus* B-D. *Sive sancti* E, G. — (3) *Aquarum.* Ps. I, 3. — (4) *Ejus.* Genes. II, 8. — (5) *Faciet* B, C. Luc. XXIII, 31. — (6) *Christi crux* B, C, D. *Christi in cruce* E. *Crux Christi* G. *In libro Sapientiæ* B-G. — (7) *Justitia.* Sapient. XIV, 7. — (8) *Ligno.* Deuter. XXI, 23. — (9) *Ligna.* III Reg. XVII, 12. — (10) *Ligno.* Ps. XCV, 10. — (11) *Angeli, ut quidam putant, sicut in Ezechiele propheta, pro Zabulo dicitur* B-G. — (12) *Ei.* Ezech. XXXI, 8. — (13) *Peccatores, igni deputandi,* B-G. — (14) *Humile.* Ezech. XVII, 14. — (15) *In eis.* Eccle. X, 9. — (16) *Homo, vel anima* A. *Homo, in Ecclesiaste* B-G. — (17) *Aquilonem, id est in bonam, vel in malam partem* B-G. — (18) *Erit.* Eccle. XI, 3. — (19) *Vel exempla Patrum* A. *Testimonia Scripturarum, in Levitico.* — (20) *Dies.* Levit. VI, 12. — (21) *Laborem.* Eccle. I, 18. — (22) *Eam.* Prov. III, 18. — (23) *Ligno.* Genes. VI, 14. — (24) *Pullulant.* Job XIV, 8. — (25) *Eorum.* Levitic. XIX, 23. — (26) *Lignum.* Job XXIV, 20. — (27) *Comedes.* Genes. II, 17.

12. Peccata : « Si quis abierit cum proximo in silvam ad ligna cædenda [1]. »

13. Gentes. In psalmo : « Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Ecclesius, ed. I, p. 10 ad 4; ed. II, col. 744 A ad 1, 2, 4, 8.

Gregorius M. Lignum, Dei sapientia incarnata, ut ibi : « Lignum vitæ, etc. » — Insensibilitas, vel cordis elatio, sicut in Regum volumine legitur, quia quum filii prophetarum ligna cæderent, securis ex manubrio cecidit. Ferrum quippe in manubrio est donum intellectus in animo. Ferrum vero in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. — Vir justus, ut ibi : « Lignum habet, etc.; » quia quum morte passionis pro veritate justus afficitur, in æternæ vitæ viriditate reparatur. — Exemplo Patrum, seu divinæ Scripturæ sententiæ, ut ibi : « Ignis in altari, etc. » Hoc enim primo loco quisque fidelium cogitare debet, ut qui in se jam jamque quasi deficit, quibus valet auctoritatibus et exemplis, in altari corde ignem nutriat charitatis. — Fortes mentes sanctorum; unde Salomon de lignis Libani ferculum fecit.—Opera, ut ibi : « Quum plantaveris, etc. » Præputia lignorum auferimus, quum de ipsa infirmitate nostra suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 1, p. 456.

Rabanus. Lignum, Christus, ut : « De ligno vitæ quod est in medio paradisi. » — Crux, ut : « Mittamus lignum in panem ejus [3]. » — Sapientia incarnata, ut : « Lignum vitæ his, etc.» — Justus, ut : « Lignum habet spem. » — Elatus, ut : « Humiliavit lignum sublime. » — Humilis, ut : « Exaltavit lignum humile. » — Cor hominis, ut : « Præcidit lignum, natavitque ferrum [4]. » — Deliciæ spirituales, ut : « Ex omni ligno paradisi. » — Angeli, ut : « Omne lignum pretiosum, etc. » — Viri sancti, ut : « Cum universis lignis Libani [5]. » — Gentiles, ut : « Saturabuntur ligna campi [6]. » — Pœnitentes, ut : « Exsultabunt o. l. s. » — Virtutes spirituales, ut : « Plantabis in ea ligna pomorum. » — Vitia, ut : « In succisione lignorum, si securis fugerit. » — Cogitationes mundæ, ut : « Populus obtulit lignum setim [7]. » — Operationes bonæ, ut : « Si quis superædificat aurum, argentum, lignum [8]. » — Iniqui, ut : « Ferunt ligna, ut ungerent super se regem [9]. » — Exempla, ut : « Ecce ignis et ligna [10]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. 5, col. 510.

Petrus Cantor. Lignum est vitæ, de quo in Genesi et Salomone [*ut supra*]. — Scientiæ, de quo in Genesi : « De ligno autem boni, etc. » — Redemtionis; unde Salomon : « Benedictum lignum, etc. » — Prædicationis; unde Osee : « Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei [11]. »

Petrus Capuanus ad litt. XII, ex art. 38,

Lignum

Cœli.	Christus.
	Crux Christi.
	Angelus.
Mundi.	Humana natura.
	Sancti viri.
	Virtutes et spirituales deliciæ.
	Quicumque homo.
Inferni.	Elati, vel quicumque mali.
	Majora peccata venialia.
	Idola, vel hæreses.

Primum lignum paradisi, scilicet Christus, plantatum est in Ecclesia. Hoc plantavit

1. *Cædenda*. Deuter. XIX, 5. — 2. *Sylvarum*. Ps. XCV, 12. — 3) *Ejus*. Jerem. XI, 29.— 4 *Ferrum*. IV Reg. VI, 6.— 5, *Libani*. Cant. IX, 14.— 6 *Campi*. Ps. CIII, 16. — (7 *Setim*. Exod. XXXV, 24. — (8) *Lignum*. I Cor. III, 12. — (9) *Regem*. Judic. IX, 8. — (10) *Ligna*. Genes. XXII, 7. — (11) *Ei*. Osee IV, 12.

Deus pater. Genesis : « Produxit Dominus de humo omne lignum pulchrum visu, lignum etiam vitæ, in medio paradisi. » Secundum lignum cœli, scilicet crucis lignum, defixum fuit et plantatum in loco Calvariæ. Hoc lignum præparavit ad plantandum mulier illa Sareptana, scilicet sancta Ecclesia, quæ ait : « En colligo duo ligna. » In hoc ligno misit Eliseus noster lignum quod præciderat, ad quod ferrum natavit de profundo, genus humanum scilicet de profundo iniquitatis in quo jacebat, quum scilicet de profundis clamavit ad Dominum. Tertium lignum cœli, scilicet angelus, plantatum fuit in paradiso cœlesti. Ezechiel : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, quam plantavit Dominus, quando in principio creavit Deus cœlum et terram [1]. »

Primum lignum mundi, scilicet, humana natura fuit plantata in mundo ; quam Deus plantavit, dum hominem constituit dominum universorum. Secundum lignum mundi, id est vir sanctus, plantatur in charitate, dum in ea firmiter radicatur. Hæc sunt ligna setim, de quibus tam arca, quam altare fabricatur : hæc utique ligna imputribilia sunt, et de his sancta Ecclesia fabricatur, scilicet quos putredo vitiorum non corrumpit. Tertium lignum mundi, id est virtutes, plantatur in mentibus sanctorum. Quartum lignum mundi, scilicet gentiles, plantati fuerunt super radicem Judæorum. Paulus : « Non tu radicem portas ; sed radix, te [2]. »

Primum lignum inferni, scilicet elati, sine radice sunt, et ideo non possunt alicubi radicari. Psalmus : « Impii tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ [3]. » Secundum, peccatum mortale, plantatum fuit et radicatum in mente Cain, qui ait : « Major est iniquitas mea, quam ut merear veniam [4] ; » et Judæ, qui, projectis argenteis, laqueo se suspendit. Tertium, scilicet peccatum veniale, plantatum est et radicatum in sensualitate, vel carne. Genesis : « Spinas et tribulos germinabit tibi terra [5] ; » propter quod et David non potuit expellere Jebusæum de Jerusalem. Semper enim Jebusæus, id est, primus motus habitat in terra carnis nostræ, quæ nobis spinas et tribulos non desinit germinare. Quartum, id est idololatria, vel hæresis, radicatum fuit et plantatum olim in gentibus ; sed inde jam præcisum est et eversum. Psalmus : « Populus quem non cognovi, servivit mihi [6]. »

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de Ligno*. Lignum vitæ Christus est, de quo dictum est sancto Joanni in Apocalypsi : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei [7]. » Sed nonne qui pugnat, etiam ante victoriam, edit de ligno vitæ, quum constet quod in militanti Ecclesia fideles edunt corpus Christi ? Sed aliter a militantibus editur in paradiso necessitatis, id est in præsenti Ecclesia, quæ est tabernaculum peregrinorum ; aliter a triumphantibus in paradiso felicitatis, id est in firma et æterna mansione beatorum. Et hic quidem, et illic se nobis dat Christus ad vescendum ; sed aliter hic, aliter illic.

Illic, rem puram ; hic remque reique figuram.

Hic sumitur Christus sub forma panis et vini ; ibi, sicuti est, in nuda veritate, sine omni interpositione velaminis.

Lignum scientiæ boni et mali, est propriæ voluntatis : de quo quicumque contra Dei mandatum suam paverit concupiscentiam, morte morietur. — Item lignum scientiæ boni et mali, is esse videtur qui est bonus clericus et malus homo, cujus fructum quisquis comederit, id est, exempla ejus imitatus fuerit, mortem animæ incurrit. De talibus ait Veritas : « Quæ dicunt, facite ; quæ autem faciunt, facere nolite [8]. » — Item notandum quod est lignum scientiæ boni et mali, lignum scientiæ mali et boni, lignum scientiæ boni et boni, lignum

(1) *Terram*. Ezech. xli, 8. — (2) *Te*. Rom. xi, 18. — (3) *Terræ*. Ps. i, 6. — (4) *Veniam*. Genes. iv, 13. — (5) *Terra*. Genes. iii, 18. — (6) *Mihi*. Ps. xvii, 45. — (7) *Mei*. Apoc. ii, 7. — (8) *Nolite*. Matt. xxiii, 2.

scientiæ mali et mali. Lignum scientiæ boni et mali est luxuria, quæ dulcis videtur in facto, sed est nimis amara in merito. Nam voluptas habet pœnam. Lignum scientiæ mali et boni est pœnitentia, quæ amara est in facto, sed dulcis in merito. Nam « beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur [1]. » Lignum scientiæ boni et boni est benevolentia, quia et hic habet hilaritatem cordis, et in futuro sæculo gloriam immortalitatis. Lignum scientiæ mali et mali est invidia, quia hic facit hominem tabescere ex malitia, et in futuro facit eum torqueri in gehenna.

Lignum antonomastice dicitur crux Christi; unde est illud propheticum, ex persona Judæorum conspirantium in nece Christi : « Mittamus lignum i. p. e.; » id est, cruci affigamus corpus ejus, quod ipse notavit panem, dicens : « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita [2]. »

Lignum viride significat hominem justum, qui vivit vita gratiæ; et lignum aridum dicitur peccator, qui est sine charitate. Unde Dominus : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet [3]? » Hoc est, si justus hæc patitur, peccator quid patietur?

Ligna quadrata et lævigata, ex quibus facta est arca Noe, et ligna setim imputribilia, ex quibus constructa est arca testamenti, significant justos, ex quibus constat Ecclesia. Unde Petrus Riga [4] :

Per lignum, per aquam fit securus Noe : salvos
Per baptisma, crucem, nos, pie Christe, facis.
De lignis cedri, quæ non putredine lædi
Noverunt, arcam construit ille suam.
De justis qui sunt stabiles viventque per ævum,
Construit Ecclesiam vera Sophia Patris.

Ligna quibus nutritur ignis semper in altari, sunt bona opera quibus nutritur charitas, quam fas non est exstingui in corde christiani.

Ligna significant mala opera, dicta et cogitata, quæ ignem pascunt vitiorum : hæc significantur per ligna quæ, sicut legimus in Exodo, quidam de castris Hebræorum exiens, collegit in sabbato. Unde Petrus Riga [5] :

Sabbata contemnens homo, ligna legens, notat illos
Qui mala multiplicant, et sine pace manent.

Ego per hominem illum puto significari omnes falsos contemplativos, qui quieti sunt corpore, et inquieti vaga vel turbulenta cogitatione. Talis animæ miseriam deplorat Jeremias, dicens : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. »

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Lignum.

Dei sapientia.	Insensibilitas mentis.
Vir justus.	Exempla Patrum.
Fortes mentes.	Opera.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Judic., v. 195-236.

Problema Joathan.

Ut faciant regem sibi, ligna loquuntur olivæ :
« Mitis oliva, veni! nos dominando rege. »
Inquit oliva : « Gero pacem, lumen, medicinam :
« Pro regno tantis nolo carere bonis. »
Ligna subinde petunt ficum, pulsando, precando :
Ut veniat, regnet, et dominetur eis.
Ficus ait : « Fructus dulcissimus est mihi : causa
« Regni dulcorem perdere nolo meum. »
Post hæc ad vitem festinant ligna, petendo
Ut super illa velit regis honore frui.
Vitis ait : « Cunctis jucundum profero fructum :
« Imperii regno præfero dona meri. »
Ad rhamnum tamdem concurrunt ligna; loquuntur
Rhamno de regno, rector ut esse velit.
Rhamnus ait : « Si me regali vertice vultis
« Extolli, fruticis vos tegat umbra mei.
« Quod si non vultis, de rhamno prodeat ignis,
« Et cedros Libani devoret ardor edax ... »

Allegoria problematis.

Unctio sancta sacri Flatus signatur oliva :
Ungit oliva foris; Spiritus intus alit.
Ficus, in hebraica plantata propagine, legem
Signat fructiferam, si sacra verba notes.
Est Christus vitis, vitæ pigmenta ministrans,
Imbribus irrorans arida corda sacris.
Rhamnus qui pungit, lacerat, discerpit, adurit [6],

(1) *Consolabuntur*. Matt. v, 5. — (2) *Vita*. Joan. vi, 52. — (3) *Fiet*. Luc. xiii, 31. — (4) *Riga*, in *Aurora*, ad Genes., v. 888-893. — (5) *Riga*, ibid., ad Numer., v. 243, 244. — (6) *Laniat, disrumpit, aduncat*. al.

Est Antichristus, quem replet omne malum.
Ex rhamno nascens vorat ignis ligna : malignos
Ex Antichristo crimina nata cremant.
Ligna notant homines silvestres, igne perenni
Dignos, et reprobos, ac ratione vagos.
Nam rhamnus pungens; sed oliva virens, sed odora
Ficus, sed lenis vitis abhorret eos.
Antichristus enim regit hos; nam Spiritus almus,
Nam lex, nam Christus non dominatur eis.
Horum dona trium reprobæ mentes, alienæ
A fidei cultu, non meruere sibi.

II.

1. Silva, Scriptura[1] : « Ecce audivimus illum in Ephrata; invenimus eum in campis silvæ [2]. Deus de Libano veniet, et sanctus de monte opaco [3]. »

2. Gentilitas[4] : « Exterminavit eum aper de silva, et singularis ferus depastus est eam [5]. »

÷ 3. Vita humana : « Si quis abierit cum proximo suo in silvam [6]. »

4. *Saltus*, populi gentium[7] : « Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus[8]. »

÷ 5. *Saltus agri meridiani*, populus Judæorum. In Ezechiele propheta : « Ad saltum agri meridiani : Ecce ego succendam ignem in te, et devorabit omne lignum viride, et omne lignum aridum.[9] »

÷ 6. *Nemus*, multitudo fidelium, vel tenebrosa cogitatio : « Plantavit Abraham nemus in Bersabee [10]. »

÷ 7. *Condensa*, opaca Scripturæ divinæ. In psalmo : « Revelavit Dominus condensa [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10; ed. II, col. 743 ad I.

Rabanus. Silva, mundus, ut : « Exterminavit eam aper de silva. » — Mens humana, ut : « Cum amico simpliciter ad silvam. » — Scriptura, ut : « Tollant singuli de silva materias [12]. »

Nemus, vita pravorum, ut : « Gedeon destruxit aram Baal, et succendit nemus [13]. » — Ecclesia, ut : « Abraham plantavit n. i. b. » — Nitor eloquentiæ, ut : « Nemus non plantetur in domo Dei [14]. »

Petrus Capuanus ad litt. XIII', art. 20. Nemus gratiæ, nemus eloquentiæ et nemus malitiæ. Nemus gratiæ est sancta Ecclesia. Genesis : « Abraham plantavit n. i. b. » — Nemus eloquentiæ est infructuosa loquacitas et ornatus verborum inutilis. Hinc in veteri testamento nemus circa templum Dei plantari prohibetur, quia infructuosa loquacitas a divinis verbis est resecanda. Paulus : « Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi [15]. » — Nemus malitiæ est vita pravorum judicum. Regum : « Saul quum esset in nemore, quod est in Rama, hastam in manu tenens, ait ad servos suos : Numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros [16], etc. ? »

In primo nemore sunt arbores fructuosæ. Evangelium : « Unaquæque arbor ex fructu suo cognoscetur [17]. » Evangelium : « Non potest arbor bona fructus malos facere [18]. »

(1) *Sacra Scriptura, allegoricis testimoniis adumbrata; unde in psalmo, pro Salvatore dicitur* B-G. *Obumbrata* D.—(2) *Silvæ*. Ps. CXXXI, 6.—(3) *Opaco*. Habac. III, 3.—(4) *Gentes, in psalmo* B-G.—(5) *Eam*. Ps. LXXIX, 14. —(6) *Silvam*. Deuter. XIX, 5.— (7) *Populus Ecclesiæ, in propheta* B-G. — (8) *Saltibus*. Ezech. XXXIV, 25. — (9) *Aridum*. Ezech. XX, 67. — (10) *Bersabee*. Genes. XXI, 33. — (11) *Condensa*. Ps. XXVIII, 9. *Condensa, id est obscuritas opaca scripturarum, in psalmo* E.—(12) *Materias*. IV Reg. VI, 2.— (13) *Nemus*. Jud. VI, 30. — (14) *Dei*. Deuter. XVI, 21. —(15) *Christi*. I Cor. I, 17. — (16) *Agros*. II Reg. XXII, 6. — (17) *Cognoscetur*. Luc. VI, 44. — (18) *Facere*. Matt. VII, 17.

Nonne fructuosæ arbores sunt in hoc nemore? illi quibus ipse Dominus ait : « Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat [1]. » In secundo nemore sunt arbores infructuosæ, quia folia sine fructu habent hæretici. Epistola canonica : « Arbores autumnales, et nebulæ turbinibus agitatæ [2]. » Nonne infructuosa erat in hoc nemore ficulnea illa (Synagoga), in qua, quum Dominus fructum quæreret, et non nisi folia inveniret, maledixit ei, et statim est arefacta? In tertio nemore sunt arbores spinosæ et perniciosæ. Evangelium : « Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud [3]. » Nonne in hoc nemore plantata fuerat rhamnus illa de qua dicitur Judicum : « Egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani [4]? »

IDEM ad litt. XVIII, art. 74.

Silva.

Ecclesia.	Arbores bonorum operum pomis onustæ.
Scriptura.	Arbores Scripturarum, oneratæ fructibus diversarum sententiarum.
Infidelium collectio.	Arbores infructuosæ quibus Dominus maledixit.
Congeries vitiorum.	Arbor scientiæ boni et mali.

HERMANNUS WERDINENSIS.

I.

Hort. deliciar., lib. I, v. 1030-1039.

Dicitur et merito lignum vitæ Deus esse,
Qui crucis in ligno nos redimendo cibat.
Ut vitæ lignum fuit in medio Paradisi,
Ecclesiæ Christus sic mediator erat.
Carne sua satiat nos hic et sanguinis haustu,
In patria vultu nos cibat ipse suo.
Hæc ut possimus felici fine mereri,
Hæc intellectus sanctus amorque dabunt :
Hoc lignum vitæ justos cibat in Paradiso.
Felix hoc fructu qui satiatur homo!

II.

Lib. II, v. 2960-2967.

Hoc lignum vitæ, Deus, es, animas quia pascis,
Et satias vultus lumine, Christe, tuo ;
Vel quia nos redimens, in ligno vita pependit.
Fructum gustavit, unde redemtus homo est.
Vel vitæ lignum, cœlestis pascua mensæ,
Carne sua satians nosque cruore Deus.
Hoc lignum vitæ velit omnis justus avere,
Ut veniendo sibi vita sit atque salus.

III.

1. ARBOR, homo, vel voluntas [5] : « Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum [6]. » Et in malam partem : « Aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. »

2. Arbor, Christus, vel fides : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod factum est in arborem magnam [7]. »

3. Genus humanum : « Jam securis ad radicem arboris posita est [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 10 ad 1; ed. II, col. 745 ad 1, 2.

GREGORIUS *apud Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 2, p. 460.

GREGORIUS M. Arbor, Christus, ut de grano sinapis legitur, quod crevit, et factum est in arborem magnam. Christus enim est granum, per humilitatem carnis; arbor, per

(1) *Maneat.* Joan. XV, 16. — (2) *Agitatæ.* Jud. 12. — (3) *Illud.* Matt. XIII, 7. — (4) *Libani.* Jud. IX, 15. — (5) *Homo, a fructu operum in Evangelio* B, C, E, G. *Ad fructum operum* D. Et post distinctionem : *Quidam in hoc testimonio arborem hanc voluntatem hominis, magis quam ipsam arborem accipiendam putant* B-G. — (6) *Bonum.* Matt. VII, 18. — (7) *Magnam.* Luc. XIII, 19. — (8) *Est.* Matt. III, 10.

excellentiam majestatis. — Humani generis altitudo, ut ibi : « Jam securis ad radicem arboris posita est. » — Arbores, sacri codices, ut in Job : « Mandebant radices herbarum, et arborum cortices [1]. » Hæretici enim quasi arborum radices mandunt, quum mentes suas ex sola librorum superficie nutriunt.

Rabanus. Arbor, Christus, ut : « Sicut malus inter ligna silvarum [2]. » — Crux, ut : « Sub arbore malo suscitavi te [3]. » — Scientia Dei humilis, ut : « Zachæus ascendit in arborem sycomorum [4]. » — Fides robusta, ut : « Granum sinapis crevit in arborem. » — Bona voluntas, ut : « Arbor bona facit fructum bonum. » — Mala voluntas, ut : « Non est arbor bona, quæ non facit bonum fructum. » — Massa reproborum, ut : « Securis ad radicem arborum posita est. » — Mundus, ut : « Quum produxerit arbor ex se fructum [5]. » — Profectus in fide, ut : « Ne lædant omnem arborem [6]. » — Humana natura, ut : « Arborem fici quidam plantavit [7]. » — Reprobus, ut : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum. » — Hæretici, ut : « Arbores autumnales [8]. » — Sacri codices, ut : « Mandebant arborum codices. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. 5, col. 509.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 78.

Arbor

Materialis.	*Animalis.*
Arbor scientiæ boni et mali.	Homo malus.
Arbor crucis.	— bonus.
Spiritualis.	*Infernalis.*
Voluntas bona et mala.	Diabolus.
Scientia Christi.	*Cœlestis.*
	Christus.

De arbore ex qua Christus processit.

Est etiam quædam specialis arbor Christi, cujus radix Jesse fuit. Isaias : « Ut radix David, et qui exsurget regere gentes [9]. » Truncus fuit David et Abraham. Cortex, sancti. Canticum : « Sicut cortex mali punici, genæ tuæ [10], » id est sancti, qui se affligunt ad similitudinem Christi. Rami quos protulit ille truncus, Salomon et sequentes Patres usque ad Christum. Virgula ex his ramis prodiens, beata Virgo. Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse. » Et flos ex hac virgula progrediens, ipse Christus. Isaias : « Et flos de radice ejus ascendet. » Folia adornantia hunc florem, doctrina Christi. Psalmus : « Et folium ejus non defluet [11]. » Fructus ex flore proveniens, salus hominum et vita æterna. Evangelium : « Ego enim veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant [12]. »

In radice fuit amaritudo, quia radix fuit sub lege, quæ amara erat. In trunco fuit humor spiritualis dulcedinis. Nonne erat humor spiritualis dulcedinis in trunco, quando directus est spiritus Domini in David a die illa et deinceps? In cortice, durities. Nonne erat in cortice durities et perseverantia, quando sancti lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, et tamen ipsi per fidem vicerunt regna? A trunco humor gratiæ ascendit ad ramos. Regum : « Propter David, servum meum, non faciam hoc in diebus tuis [13], » dictum est Salomoni. In ramis attenditur expansio, quia quadraginta duo personæ numerantur in ipsa genealogia secundum Matthæum, et secundum Lucam septuaginta duo. In virga, munditia; quia virgo ante partum, in partu, post partum. In flore, pulchritudo. Nonne fuit in flore pulchritudo, quando formosus apparuit in stola sua, ipse in quem angeli desiderant prospicere? In foliis, utilitas; illi enim « profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis [14]. » In fructu, abundantia. Evangelium : « Mensuram bonam, et con-

(1) *Cortices.* Job XXX, 4.—(2) *Silvarum.* Cant. II, 3. (3) *Te.* Cant. VIII, 5. — (4) *Sycomorum.* Luc. XIX, 4. — (5) *Fructum.* Luc. XXI, 30. — (6) *Arborem.* Deuter. XX, 19. — (7) *Plantavit.* Luc. XIII, 6.— (8) *Autumnales.* Jud. 18.—(9) *Gentes.* Is. XI, 1.—(10) *Tuæ.* Cantic. VI, 6.—(11) *Defluet.* Ps. I, 4.—(12) *Habeant.* Joann. X, 10.—(13) *Tuis.* IV Reg. VIII, 19.—(14) *Signis.* Marc. XVI, 20.

fertam, et coagitatam, etc. dabunt in sinum vestrum [1]. »

Hæc arbor fuit plantata in Judæa; et fuerunt tunc ei inserti ramusculi gentilis oleastri, ut Raab et Ruth. Sed tempore gratiæ, transplantata fuit ad gentes. Psalmus : « Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum [2]. »

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Arbore*. Arbor significat hominem et recte : nam homo, græco vocabulo ἄνθρωπος dicitur, quod interpretatur arbor versa [3]. Homo namque os habet sursum ; arbor, deorsum.

In Evangelio dicit Dominus quod ex fructu arbor cognoscitur ; cujus sententiæ sensus est, quod ex operibus homo dinoscitur. Et versificator quidam ait [4] :

Sunt tria signa trium, cum fructu, floseulus, arbor :
Arbor, homo ; flos est mens pia ; fructus, opus.

De iisdem alter aliter ait :

Arbor, flos, fructus tria sunt, totidemque figurant :
His signantur homo, credulitas et opus.

Arbor significat Christum ; unde in Leritico, de solemnitate scenopegiæ, inter cætera scripta sunt hæc : « Die prima, sumetis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente [5]. » Arbor pulcherrima est homo pulcherrimus, Christus scilicet, qui est « speciosus forma præ filiis hominum », de quo sponsa dicit in Canticis : « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus [6]. » Hujus fructus omnes electi, sed excellenter hic fructus ejus dicuntur apostoli, qui sunt inter discipulos ejus primi et præcipui. Spatulæ palmarum exempla vel passiones sunt martyrum, qui significantur per palmas, quia martyr de omnibus hostibus suis simul et semel plenam assequitur victoriam. Martyr enim pro Christo moriens, in uno eodemque momento superat dæmones, malos homines et propriam carnem ; his namque tribus hostibus omnis fidelis impugnatur. Unde quidam ait [7] :

Mundus, caro, dæmonia
Diversa movent prælia.

Et beatus Augustinus : « Fremit mundus, premit corpus, insidiatur diabolus [8]. »

Et versificator egregius :

Me vexant triplici certamine tres inimici :
Serpens antiquus, caro lubrica, mundus iniquus.

Huc accedit quod martyr post mortem non sentit purgatorium ignem. Unde licet orare pro confessore [9], et non licet orare pro martyre. Nam, sicut dicit Auctoritas, « Qui pro martyre orat, ipse ei facit injuriam [10]. » Lignum densarum frondium significat ordinem confessorum, propter multitudinem eorum ; et licet multi sunt martyres, plures tamen sunt confessores. Salices de torrente sunt virgines sanctæ quæ, non habentes carnis fecunditatem, vivacissimam habent spiritus viriditatem. Qui talium virtutes versant in memoria et imitantur in vita, digne celebrant festivitatem Scenopegiæ, quia cœlestibus bonis inhærent ex amore, terrenis utuntur ex necessitate, secundum illud Apostoli : « Habentes victum et vestitum, his contenti simus [11]. »

Arbor significat intentionem ; unde : « Non potest arbor, etc. » — Arbor significat sanctam crucem, de qua Fortunatus episcopus in hymno ait [12] :

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis.

Versus :

Nans homo, velificans navis, volucresque volantes
Formam noscuntur effigiare crucis.
Tu quoque vel barathrum vitare, vel alta polorum
Scandere, quidquid agas, non potes absque cruce.

(1) *Vestrum*. Luc. VI, 38. — (2) *Aquarum*. Ps. I, 2. — (3) *Versa*. Si Nostrum ita insanire libuit, ecce eadem hac vesania desipuere Isidorus (*Etymol.* lib. XI, c. 1, n. 5), Lactantius (*Institut.* lib. II, c. 1), et alii bene multi. — (4) *Ait*. Hildeberti videntur aut Petri de Riga. — (5) *Torrente*. Levit. XXIII, 40. — (6) *Millibus*. Cant. V, 10. — (7) *Ait*. Cf. supra, p. 349. — (8) *Diabolus*. August. cf. supra, p. 349. — (9) *Confessore*, qui nondum scilicet publicis et legitimis Ecclesiæ honoribus est in sanctorum album relatus ; eo quippe sensu in Ecclesia ab omni antiquitate canitur :

Tu vincis in martyribus,
Parcendo confessoribus :
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.

— (10) *Injuriam*. Aug. *Opp.* t. V, c. 1106 c, ed. Gaum. (11) *Simus*. I Tim. VI, 8. — (12) *Ait*, in lib. II, 2. Ibidem quæ paulo infra sequuntur : *Dulce lignum*.

Hæc est arbor sycomorus, in qua Zachæus ascendit ut inde videret transeuntem Jesum. Sycomorus est interpretatus ficus fatua, et crux Christi credentibus est ficus, illis scilicet qui ex sententia canunt :

Dulce lignum, dulces clavos,
Dulcia ferens pondera.

Ipsi enim per ostium apertum in latere templi intrant interiora velaminis, immo in ipsam arcam testamenti, id est in pectus Domini Jesu, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [1]. » Ibi gustant et vident quam suavis est Dominus, et de abundantia interiori eructant, dicentes : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam absconditi timentibus te [2] ! » Ficus ergo crux Christi fidelibus; fatua vero infidelibus, quoniam « verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est [3]. »

Arbor significat Synagogam; hæc est enim arbor fici, in qua Dominus vineæ in qua ficus illa plantata erat, fructum quæsivit per tres annos, et non invenit, quia maxima pars Synagogæ, et tempore circumcisionis, et tempore legis, et tempore justificationis et gratiæ, sterilis fuit ab operibus bonis. Habuit enim folia, et non fructus; id est verba, et non opera; secundum illud Dominicum de Scribis et Pharisæis : « Dicunt, et non faciunt [4]. »

Arbor significat doctrinam evangelicam, quæ prius similis fuit grano sinapis, id est despecta videbatur, et modica, et postea crevit in arborem magnam, ita ut venirent volucres cœli, et requiescerent in ramis ejus. Doctrina namque evangelica arbori magnæ comparabilis est : quia jam omnibus aliis doctrinis altior, fortior, fructuosior et firmior esse dinoscitur. Volucres cœli sunt subtiles et acuti inquisitores et contemplatores mysteriorum cœlestium, quales fuerunt Justinus philosophus, Pamphilus martyr, Clemens Alexandrinus, magnus Aurelius Augustinus, et plures alii, qui in ramis hujus arboris, id est in sensibus et sententiis sancti Evangelii gratam requiem repererunt.

Arbor significat perfectos, vel tutius dixerim, robustos in fide. Unde legitur in Apocalypsi malos angelos, id est Antichristi discipulos, esse prohibitos ne læderent omne fenum et omne viride, neque ullam arborem, id est nec incipientes bene agere, nec in bono proficientes, nec in virtutum exercitiis fortes. Timeat ergo etiam fortis; et qui stat, videat ne cadat.

Res hominum [atque homines] levis alea versat in horas,
Et venit a summo summa ruina gradu [5].

Arbor significat massam reproborum; unde : « Jam securis, etc. » Non ad ramos, sed ad radicem arboris securis posita dicitur, ut mali non ex parte, sed omnino excidi intelligantur. Unde est illa terribilis sententia judicis : « Discedite a me, omnes operarii iniquitatis [6]. » Hæc arbor in Apocalypsi tertia pars arborum dicta est, quæ cremata esse memoratur, quia in duobus generibus hominum omnes boni continentur, id est in activis et contemplativis. Tertia pars est eorum qui neque sunt activi, neque contemplativi, qui sine dubio damnabuntur, quia « omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur [7]. »

Arbor scientiæ boni et mali est proprie voluntatis arbitrium, de quo qui contra Dei præceptum comederit, morietur. Per arborem morum significatur diabolus, quia, sicut fructus mori florens albet, formatus rutilat, maturans nigrescit : sic diabolus, naturæ angelicæ dignitate florens, potestate rutilans, prævaricando tetro colore inhorruit. Qui color albus erat, nunc est contrarius albo; et ille qui fuit albus, nunc niger est : et fortasse nigrior esse potest; sed nequior esse nequit, quantum ad malam voluntatem; quod tamen non assero, sed puto, quia liberum arbitrium habet obstinatum.

Anonymus Clarevallens. Arbor, quanto

(1) *Absconditi.* Coloss. II, 3. — (2) *Te.* Ps. XXX, 20. — (3) *Est.* I Cor. I, 18. — (4) *Faciunt.* Matt. VII, 17. — (5) *Gradu.* Ita apud Hildebert. p. 1345. — (6) *Iniquitatis.* Luc. XIII, 27. — (7) *Mittetur.* Matt. III, 10.

altius radicem figit, tanto firmius hæret et uberius fructum facit. Umbram facit, floret, fructificat; in radice aspera; in ramis speciosa. In radice nudata, arescit; terræ hæret; superfluis abscissis, magis pullulat; in æstate viret; in hyeme marcescit; avulsa, nisi cito plantetur, arescit. Dat fructum, qui ab ea portatur, dependet, et sumitur.

Arbor.

Christus, i. e. crux.	Humana natura.
Scientia Dei humilis.	Reprobus.
Fides robusti.	Hæretici.
Bona voluntas.	Sacri codices.
Perfectus in fide.	Mundus.

HERRADIS ABBATISSA.

Hortus deliciar., fol. 81.

Germinat radix sterilis,
Virgula virginitatis,
Pastoribus interpositis,
Ex Abraham primogenitis.

Liquet cunctis certissime
Turbam gentis Judaicæ
Ex Abraham processisse,
Ut arborem de radice.

Cujus est stipes arboris
Isaac, natus sterilis;
Et Jacob, ejus filius,
Multis natis ramifluus.

Unde nati patriarchæ,
Reges, duces et prophetæ;
Nobiles nobiliori
Patres virginum Virgini.

Magna nimis arbor ista,
Cujus est radix in terra;
Vertex est virgo Maria,
Penetrans cœli sidera.

Talis arboris dignitas
Est radicis sterilitas;
Feta, jubente Domino,
Negante carnis senio.

Ultra mensuram sublimis,
Summitas hujus arboris
Est candida virginitas,
Quam fecundat sancta Trinitas;

Ut Dei Patris Filium,
Spiritu Sancto conceptum
Gignens Deum et hominem,
Virgo maneat perpetim.

IV.

1. CEDRUS, Christus [1] : « Sicut cedrus exaltata sum in Libano [2]. »

2. Fides, vel Ecclesia : « Cedri Libani quas plantasti : illic passeres nidificabunt [3]. »

3. Sancti : « ÷ Prophetæ, sive apostoli, sicut in psalmo : « Cedri Libani [4] [*ut supra*].

4. Superbia [5] : « Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani [6]. » ÷ Et in Isaia : « Et super cedros Libani erectus [7]. »

÷ 5. Celsitudo cœlestis [gloriæ] : « Justus sicut cedrus Libani multiplicabitur [8]. »

÷ 6. Spes : « Cum hyssopo, ligno cedrino, et cocco bis tincto [9]. »

÷ 7. Regnum Judææ : « Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum et tulit medullam cedri. [10] »

÷ 8. Angeli : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei [11]. »

(1) *Christus, sive sancta Ecclesia, in Ecclesiastico : Sicut cedrus*, etc. B-G. — (2) *Libano*. Eccli. XXIV, 17. — (3) *Nidificabunt*. Ps. CIII, 16. Addunt B-G. *Hoc est viri spirituales*. — (4) *Et cedros Libani quas plantasti* B-G. — (5) *Superbia sæcularium et religiosorum* A. *Superbi, hæretici, philosophi, vel dæmones, in psalmo : Vox* B-G. Ad hæc refer quæ iidem habent infra : *Cedri, divites fideles in Ecclesia ; in psalmo : « Et cedros Libani*, etc. » — (6) *Libani*. Ps. XXVIII, 5. — (7) *Erectus* Is. I, 13. — (8) *Multiplicabitur*. Ps. XCI, 13. — (9) *Tincto*. Levit. XIV, 6. — (10) *Cedri*. Ezech. XVII, 13. — (11) *Dei*. Ezech. XXXI, 8.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10; ad II, col. 745, 746 ad 4.

Gregorius M. Cedrus, celsitudo cœlestis gloriæ [*ut supra*, n. 5].—Spes æternorum; unde apud Moysen, quum in sacrificio vacca mactatur, cum ligno cedrino offerri præcipitur. Vaccam enim cum hyssopo et cocco lignoque cedrino offerimus, dum in maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. — Regni Judaici altitudo, ut ibi : « Aquila grandis,... tulit medullam cedri ; » id est, abstulit nobilitatem Judaici regni. — Quilibet sanctus, in timore Dei incorruptibiliter solidatus, ut ibi : « Dabo in solitudine cedrum [1]. » Talis erat Apostolus, quum dicebat : « Christi bonus odor sumus Deo, in omni loco [2]. » — Virtutes angelicæ ; unde de apostata angelo scriptum est : « Cedri non fuerunt, etc. » — Vires et potentia superborum, ut ibi : « Vox Domini confringentis cedros. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 3, p. 462.

Rabanus. Cedrus, Divinitas, ut : « A cedro usque ad hyssopum disputavit [3]. » — Christus, ut : « Electi vero cedri [4]. » — Lignum crucis, ut : « Dabo in solitudine cedrum. »—Celsitudo sanctorum, ut : « Sicut cedrus l. m. » — Fides Christi, ut : « Quasi cedrus exaltata s. i. l. » — Angeli, ut : « Cedri n. f. a. i. » — Gentiles, ut : « Vox Domini c. c. » — Judæi, ut : « Confringet, etc. » — Superbi, ut : « Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani [5]. » — Potentes sæculi, ut : « Cedros Libani quas plantavit. » — Spes æternorum, ut : « Lignum cedrinum cum hyssopo. » — Altitudo regni Judaici, ut : « Aquila magna, etc. »

Cf. *de Universo*, lib. XXII, cap. 6, col. 517.

Petrus Capuanus, ad litt. III, art. 71.

Cedrus

Suprema.	*Media.*	*Infima.*
Christus.	Ecclesia.	Judææ reges.
Angeli.	Sanctus.	Superbi.

Suprema cedrus radicata est in cœlo : « Sedet ad dexteram majestatis in excelsis [6]. » Sed ramos expandit ad terram, quia pro terrenis salvandis opera fecit. Nonne ramos expandit ad terram, quando expansis in cruce manibus, oravit et pro inimicis, dicens : « Pater, ignosce illis [7] ? » — Media, ens in terra, radicata est in Christo, sed ramos extollit in cœlum, id est, pro cœlestibus operatur. Nonne ramos extendit ad cœlum, quando « manum suam misit ad fortia, palmas suas extendit ad pauperes [8] ? » et, quasi stellio reptans manibus, nititur ut moretur in ædibus æterni regis [9] ?—Infima radicata est in terra, id est in amore terrenorum ; sed ramos reprimit in abyssum, quia per mala opera tendit ad tartara. Comparatur autem cedro malus, quia cedrus est arbor alta, sterilis, et profundas habens radices : sic et mali sunt alti per superbiam. Nonne alta erat superbia prima ex his cedris, quum dicebat : « In cœlum ascendam? » Sunt steriles ad bona opera. Exodus : « Maledicta sterilis, quæ non parit, et quæ non reliquerit semen super terram [10]. » Et in terrenis profundam habent radicem impii, qui quum veniunt in profundum vitiorum, contemnunt.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Cedro*. Cedrus est arbor alta, imputribilis, fortis, speciosa, odorifera, et odore suo, si fuerit incensa vel accensa, serpentes fugat. Ex hac arbore emanat [lacryma] gummi seu gutta, quæ Cedria dicitur, qua libri peruncti a vermibus perseverant illæsi.

Per cedrum divinitas Christi designatur,

(1) *Cedrum*. Is. XLI, 19. — (2) *Loco*. II Cor. I, 15. — (3) *Disputavit*. III Reg. IV, 33. — (4) *Cedri*. Cant. V, 15. — (5) *Libani*. Ps. XXXVI, 35. — (6) *Excelsis*. Hebr. I, 3. — (7) *Illis*. Luc. XXIII, 34. — (8) *Pauperes*. Prov. XXXI, 20. — (9) *Regis*. Prov. XXX, 18. — (10) *Terram*. Deut. VII, 14, ut videtur, vel Is. IV, 1.

sicut quidam in quadam sequentia sublimiter docuit, dicens [1] :

Cedrus alta Libani
Conformatur hyssopo,
Valle nostra.

Verbum eus Altissimi
Corporari passum est,
Carne sumta.

Cedrus Paradisi
Pro nobis facta est
Virgula fumi.

Hujus odor cedri sunt omnes doctores sancti, quorum eximius ait : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. » Iste odor fugat serpentes, id est dæmones, peccata, hæreses.

Cedri nomine designata est gloriosa Dei genitrix et Virgo Maria; unde in ejus laudibus legimus et canimus illud Sapientiæ, in Ecclesia : « Quasi cedrus exaltata sum in Libano. » Per cedrum signatur beata Maria, propter fortitudinem, propter rectitudinem, propter celsitudinem, et multa alia. Fortitudo ejus attenditur in humilitate, quia in natura rationalis creaturæ, nihil forte est nisi sit humile. Fragilis enim est, sicut dicit beatus Ambrosius, omnis superbia.

... frangit Deus omne superbum.

Unde est illud Dominicum : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur [2]. »

Si te deponis, te supra sidera ponis ;
Si te sublimas, partes te trudis in imas.

Rectitudo in intentione; unde et virginitatem suam Deo vovit sub conditione, id est, si ei placeret.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes [3].

Pulchritudo attenditur in castitate; unde : « O quam pulchra est casta generatio [4], etc. » Celsitudo ejus attenditur in fecunditate; nam quidquid de ea dixeris, numquam de ea altius dicere poteris, nec tu, nec angelus de cœlo, sed nec ipse Deus, quantum quod mater est Dei.

— Hujus odor cedri datur incarnatio Verbi,

quæ fugat serpentes, id est hæreticos, qui linguas habent virosas. Merito tibi, Domina, canitur ab Ecclesia :

Gaude, Maria virgo!
Cunctas hæreses sola interemisti,
Quæ Gabrielis archangeli dictis credidisti,
Dum virgo Deum et hominem genuisti, etc.

Rectissime etiam huic Virgini attribuitur imputribilitas, in qua tam corporis quam cordis semper integra permansit et illæsa virginitas. Hujus cedri resina Christus est, qui recte interpretatur Unctus, quia « unxit eum Deus oleo lætitiæ præ participibus suis [5]. » Hujus doctrina, vita et sanguine liber sacræ Scripturæ perunctus, ab hæresium vermibus tutus manet et munitus.

Cedrus significat viros sanctitate conspicuos, scilicet sanctos doctores Ecclesiæ, qui sunt recti vivendo, docendo, judicando; fortes, tam prospera quam adversa, sine elatione et pusillanimitate, transeundo : imputribiles, in recta fide et bono opere perseverando; pulchri etiam, in actu, in fatu, in gestu honestatem præferendo. De hujusmodi cedris dictum est in Canticis : « Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina. » Tigna sunt majora et fortiora quam laquearia, sed tamen pauciora. Cedri quoque altiores, fortiores et odoratiores cypressis. Ideoque per tigna cedrina recte figurantur sancti doctores Ecclesiæ; per laquearia cypressina, plebes subjectæ.

Cedrus designat mundi hujus fastigium, vel potentiam; unde Dominus de Beemoth ait ad beatum Job : « Qui stringit caudam suam quasi cedrum [6]. » Cauda diaboli Antichristus dicitur, quia in illo diaboli malitia consummabitur. Qui Antichristus cedro comparatur, quia, sicut cedrus cunctis cæteris arboribus, quæ sunt in Libano, est celsior, ita Antichristus omnibus hominibus,

(1) *Diens*. In prosa de Nativ. Dom. *Lætabundus*, etc. — (2) *Exaltabitur*. Luc. XIV, 11. — (3) *Omnes*. Plura supra p. 202. — (4) *Generatio*. Sapient. IV, 1. — (5) *Suis*. Ps. XLIV, 8. — (6) *Cedrum*. Job XL, 12.

qui erunt in illo tempore, et sæculi potestate, et signorum novitate apparebit eminentior. In verbo Stringendi pertinacia ejus, crudelitas et finalis impœnitentia innuitur.

Cedrus significat elatos tam ex Judæis, quam ex gentibus, sicut habes in illo versu Davidico : « Vox Domini confringentis cedros, etc. » Cedrus nisi succisa fuerit, fructum utilem non facit. Sic nec Judæus, nisi succisus fuerit a carnali legis observantia et intelligentia; nec paganus, nisi fuerit succisus ab idololatria, fructum animæ salubrem et vitæ æternæ meritorium facere potest. Sine fide enim christiana impossibile est placere Deo.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Cedrus.

Divinitas.	Fides Christi.
Lignum crucis.	Angeli.
Celsitudo Sanctorum.	Superbi.
	Spes æternorum.

PETRUS DE RIGA,

Aurora, in Numer., v. 307-318.

His cedrum flammis, hysopum, coccumque sacerdos
Tradit : virtutum sunt tria forma trium.
Nam quisquis recolit Christi mortem, crucis ignem,
Munera virtutum debet habere trium.
Una fides, alia spes est, amor ultima virtus :
Hos hysopus, cedrus, coccus ubique notant.
Pectoris humores hysopi decoctio mundat :
Nosque fides mundat mundaque corda facit.
Alta petit cedrus, putrescere nescia : cœli
Præmia spes spondet, quæ sine fine manet.
Quæ rubet in cocco gemini tinctura coloris,
Est fraternus amor et deitatis honor.

Ibid., in Cantic., v. 862-867.

Consitus arboribus quas gratia ditat odoris,
Est Libanus, qui nomen habet solemne decoris.
Nam Libanus candor sonat : et baptismatis unda
Nos Christus mundat, ut sit mens et caro munda.
Alta petens cedrus Christum notat alta petentem,
Et decus et speciem totius odoris habentem.

V.

1. CYPRESSUS, Christus, vel Ecclesia : « Sicut cedrus exaltata sum, et sicut cypressus in montibus Hermon [1]. »

÷ 2. *Cypressi*, prophetæ, vel patriarchæ : « Laquearia nostra cypressina [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Cypressus, Christus, ut : « Quasi cypressus in monte Sion. »

Cf. *de Universo*, lib. XXII, c. 6, col. 518.

MORALITATUM[3], lib. VI, *de Cypresso et* IX *conditionibus ejus*, cap. 25. — I. Ut dicit Isidorus [4], græce dicitur cyparissus, eo quod caput ejus a rotunditate in cacumen erigitur[5], etc. : significat hæc contemplationem et ejus formam, sive modum et etiam effectum. Nam incipit a mentis dilatatione et expansione, et elevatur ad summi Dei intellectualem cognitionem. Richardus de Sancto Victore [6] : Cognitio serpit; meditatio incedit; contemplatio omnia circumvolat, et, quum vult, in summis se librat. — II. Ut dicit idem [7], sua imputribili soliditate homini numquam cedit, et semper in prima remanet firmitate : significat prælatorum constantiam et mentis æquanimitatem. Bernardus [8] : Pastores tales sint qui utique

(1) *Hermon*. Eccli. XXIV, 17. *In monte Sion* E, G. — (2) *Cypressina*. Cant. I, 16. — (3) *Moralitatum*. Primus liber cum ampliori titulo supra adducitur, p. 119. Placuit hunc afferre e recentioribus rei symbolicæ interpretibus, et eum tam in hocce quam in sequenti capite frequenter deflorare. Utinam ipse per se lectori manifestus evadat et gratus! id nunc vovere nobis satis erit, dum plura dixerimus in *Proleg.* — (4) *Isidorus*. [*Etymolog.*] lib. XVII [c. VI, n. 34]. Ita solet codex, operosius quidem quam accuratius, auctorum nomina et libros describere, quæ in notis rejiciemus, et ea plerumque emendenda. — (5) *Erigitur*. Integrum Isidori locum satis longum piguit recitare; hæc et similia deinceps a primis quam paucissimis verbis excerpere statuimus. — (6) *Victore*, *de Arca contemplationis*, lib. I, cap. 3, ed. Rothom. 1650. — (7) *Idem*, Isidorus scilicet, ibid. — (8) *Bernardus*. IV *lib. de Consideratione*, *Opp.* t. I, p. 1, p. 1064 ed. Gaum.

regibus Joannem exhibeant, Egyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Elham idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. — III. Ut dicit idem, est suavissimi odoris : significat bonæ famæ odorem, suaveolentem de sancto viro, et maxime contemplationi cœlesti dedito. Scribitur de S. Nicolao [1] : Crescebat quotidie fama bonitatis ejus, qui ubique laudem ferebat Nicolai. — IV. Ut dicit Dioscorides [2], est arbor calida in primo gradu, sicca in secundo : significat hominem contemplativum, inflammatum principaliter divino amore, denudatumque consequenter terrenorum cupiditate et possessione. Chrysostomus [3] : Paulus, ut carbo, ignitus totus erat, Christi amore succensus, et pecunias velut fila telarum aranearum existimabat. — V. Ut dicit Platearius [4], hujus arboris poma, lignum et folia competunt medicinæ : significat exempla et documenta contemplativi hominis valere ædificationi infirmorum Ecclesiæ membrorum. Scribit beatus Gregorius de sancto Benedicto [5] sic : Vix ipsa et communis ejus loquutio a virtutis erat pondere vacua; quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. — VI. Ut dicit Dioscorides, est arbor multæ et magnæ efficaciæ, etc. Significant hæc quod vir sanctus, sive perfectæ contemplationi deditus, omnibus infirmis Ecclesiæ membris proportionaliter, tam orando quam exhortando, satisfacit. De talibus erat beatus Ambrosius, quando dicit Augustinus [6] : Infirmitatibus hominum serviebat, et circa hoc quasi totum tempus impendebat. — VII. Ut dicit Plinius [7], est arbor ramosa, et ejus umbra plurimum gratiosa : significat expansionem desideriorum in Deum, seu affectuum dilatationem, secundum gratiæ motum; vel certe expansionem manuum ad eleemosynam, et pietatis in pauperes affectuosam ostensionem. Scribitur de quodam rege Angliæ [8], et bonæ memoriæ Bonaventura ponit in postillis super Lucam, quod erat tantus pater pauperum, quod omnes recipiebat et fovebat sub umbra pietatis suæ. Quum autem quadam die, manducante secum quodam sancto episcopo, scutellam argenteam porrigeret pauperi, simpliciter eleemosynam postulanti, dixit episcopus : Numquam tale brachium desiccabitur. Sicque factum est quod et usque hodie brachium illud dextrum perseverat incorruptum et integrum. — VIII. Ut dicit idem, est arbor aspectu pulcherrima : significat conversationem viri contemplativi omnibus pulchriformiter gratiosam. Scribitur de beato Bernardo, quod ab infantia quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, moribus angelicis refulgebat in populo [9]?—IX. Ut dicit idem, hujus arboris duæ sunt species, masculus scilicet et femina; femina sterilis est, verum ad speculationem decora, cujus rami invicem sunt convoluti; masculi vero rami sunt magis sparsi; quod si fuerint præcisi, regerminant : significant vitam contemplativam et activam; quarum prima, etsi sterilis ab occupationibus mundialibus, Deo tamen et angelis est gratiosa; secunda vero est officiis misericordiæ et pietatis intenta, et sollicitationibus occupata et sparsa; cujus tamen actiones rependentur et germinabunt in gloria. Quæ duæ vitæ habentur in Maria et Martha. Augustinus [10] : Duas itaque vitas sibi prædicatas divinitus novit Ecclesia.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Cypressus.
- Sancti virtute eminentes.
- Altitudo perfectionis.
- Fama boni operis.

(1) *Nicolao*, in *Legenda aurea* ad diem VI Decembr. — (2) *Dioscorides*, cod. ut plerique veteres libri. Quæ Noster sua fecit, ea accepit verbo tenus e Vincentii Bellovacens. *Speculo naturali*, lib. XIII. — (3) *Chrysostomus, in Laudibus Pauli, Homil.* III, p. 586 D. — (4) *Platearius*, in *Simplicibus*; eumdem vide apud Vincentium Bellovac. l. l. — (5) *Benedicto*. Lib. II, *Dial.* c. XVIII. — (6) *Augustinus*, in libro *Confessionum*, VII, c. 5. — (7) *Plinius*, lib. XII, cap. 26, cod. nunc lib. XVI, cap. 60, ed. Littré. — (8) *Angliæ*. Cf. *Postillæ super Lucam*, quæ exstant in ejusdem *Opp.* t. II. — (9) *Populo*. Cf. supra p. 334. — (10) *Augustinus*. *Super Joannem*. *Opp.* t. III, col. 1046, ed. Paris. nova., 1841.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 156-165.

Sunt cedrina boni doctores tigna domorum ;
Suntque cypressina laquearia grex populorum.
Tigna vigore suo sustentant culmina tecti,
Dum sapiens doctor, et mens bene conscia recti,
Sacram Scripturam portans in corde vel ore,
Prædicat in populis, cœlestis regis amore.
Ut domus Ecclesiæ, munita per ora docentis,
Non timeat pluvias et dæmonis arma furentis,
Cedrus, cypressus, putrescere nescia, durant,
Electosque notant qui semper cœlica curant.

VI.

1. PLATANUS, angelicæ Virtutes : « Platani non fuerunt altiores illo [1]. »

÷ 2. Sancti, sermone prædicationis, tamquam in foliis, dilatati, in Ezechiel : « Platani non fuerunt æquæ frondibus illius. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 8, p. 467.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALL. Platani, viri sancti, ut : « Tollens Jacob virgas ex platanis [2]. » — Angeli, ut : « Platani non fuerunt æquæ f. i. » — Contemplativus, ut : « Sicut platanus exaltata sum [3]. »

MORALITATUM lib. VI, *de Platano*, art. 119. Significat hæc arbor, in universis suis [4] conditionibus, prædicationem evangelicam, cujus sonus in omnem terram exivit, cujusque efficacia ad omnes mundi partes pervenit, et omnium spiritualibus languoribus succurrit. Ecclesiastici XXIV : « Quasi p. e. s. juxta aquas. » Glossa continua : Per donum scientiæ. Gregorius : Aquarum nomine intelliguntur populi [5].

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. I, v. 562-570.

Tollit Jacob virgas ex platanis [6].

Pro mercede Jacob sibi sumsit oves variatas ;
Gentes diversas credendo Christus adunat.
Tres Jacob alveolis ponit sine cortice virgas,
Quarum contuitu variatus grex sibi cessit.
Trinum quippe Deum dum Christus pandit et unum,
Mundus et id credit, neque prorsus abhinc dubitavit ;
Id meditatur, amat, colit, ornat, alumnat, honorat.
In quovis habitu degens, quocumque locorum,
Fiet ovis Christi, salvatus munere Christi.

VII.

1. ABIES, virtutum sublimes [7] : « Abies, et buxus, et pinus [8]. »

÷ 2. Item in malam partem, in Zacharia : « Ulula, abies, quia cecidit cedrus [9]. »

VIII.

BUXUS, lenes [10] : « Abies, et buxus, et pinus. »

IX.

÷ PINUS, lenes in Ecclesia, ad omne opus bonum parati, ubi et supra.

(1) *Illo.* Ezech. XXXI, 8. — (2) *Platanis.* Genes. XXX, 37. — (3) *Sum.* Eccli. XXIV, 19. — (4) *Suis præ-libatis*, scilicet ex Dioscoride, quas omisimus. — (5) *Populi.* Cf. supra p. 148.—(6) *Platanis.* Cf. quæ supra de eodem themate Petrus de Riga exposuit, p. 170. — (7) *Abietes, viri spirituales, celsitudine virtutum ad alta tendentes, in Isaia* B-G. — (8) *Pinus.* Is. LX, 13. — (9) *Cedrus.* Zachar. XI, 2. — (10) *Lenes in Ecclesia, qui, licet fructus spirituales minime habeant, tamen perpetuæ fidei confessione virent, in Isaia : Abies et Buxus* D, E, G. Omnia desiderantur in B, C.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Abietis nomine vir contemplativus exprimitur, ut in Isaia : « Ponam in deserto abietem [1] ; » id est, dabo in Ecclesia gentium virum cœlestia contemplantem. — Abietis nomine gratia contemplationis accipitur, ut in eodem : « Pro salmunca ascendet abies [2] ; » quia in sanctorum corde, dum sterilitas inutilis contemplationis abjicitur, ipsa necesse est supremæ contemplationis virtus oriatur. — Abietum nomine cœlestes Virtutes accipimus, sicut per prophetam de Satana : « Abietes non adæquant summitatem ejus [3]. »

Buxus, fidei sinceræ viriditas, ut : « Imponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul. » Quæ, etsi per infirmitatis humilitatem in operum altitudinem non consurgit, aridas tamen infidelium mentes rectæ fidei viriditate confundit.

Rabanus. Abies, altitudo contemplationis, ut : « Ponam in deserto abietem. » — Potentes sæculi, ut : « Abies et buxus simul. » — Angeli sancti, ut : « Abietes non adæquaverunt summitatem ejus. »

Buxus, viriditas fidei [*ut supra*].

Pinus, veritas fidei, ut : « Ad te venient buxus et pinus. »

Anonymus Clarevallensis. Abies, de qua Virgilius :

> ... et casus abies visura marinos,

quia ex ea naves fiunt. Hanc quidam albam vocant, propter candorem. Est autem sine nodo, alta, coma pulcherrima; infecunda, levis, odorifera; malus inde fit.

Abies, angeli; unde : « Abietes non a. s. e. » — Sanctus virtutibus plenus; unde : « Conquievit, et siluit omnis terra [4]. » — Abietes quoque virtutes; unde : « Texit Salomon pavimentum domus lignis abiegnis [5]. » — Superbus dives; unde : « De abietibus de Sanir exstruxerunt te [6]. »

Buxus in altum non proficit; fructum non habet, viriditatem vero continuam; arbor fortis et dura, et diuturna; mancis et arcubus apta. — Buxus, sancti; unde : « Ponam, etc. » — Elati et divites; unde : « Abies et buxus »

Pinus, divites et fortes sæculi, ut : « Misit Hiram ligna cedrina et pinea. » Item : « Gloria Libani ad te veniet, abies, b. e. p. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 5, p. 165-168.

Moralitatum lib. VI, *de Abiete et* VII *conditionibus ejus*, c. 4. I. Ut dicit Isidorus [7], abies dicitur ab eundo, eo quod plus cæteris arboribus a terra in altum altius se expandit : significat religiosos et contemplativos plus cæteris ad Deum ascendentes, et divinis se supernaturaliter expandentes. Dionysius [8] : Mobile Seraphicorum spirituum semper circa divina fertur. — II. Ut dicit idem, arbor hæc expers est terreni humoris, et ideo habilis atque levis : significat pauperes rebus, voluntaria devotione agiles. — III. Ut dicit Aristoteles [9], calor ejus naturalis a solis calore fortificatus, illam humiditatem elevat de facili, et per sursum nutrit et mittit; et sic ipsam in arboris substantiam convertens, arborem ipsam facit altam : significat in viro bono humilitatem esse viam ad amorem Dei et celsitudinem meriti. — IV. Ut dicit idem, est arbor miræ rectitudinis, et quasi nihil habens tortuositatis : significat amatores veritatis et justitiæ, pro cœlesti intentione. — V. Ut dicit idem, quamvis hæc arbor procreetur ex humore levi et subtili, tamen humoris superfluitatem reficit : significat bonos viros facientes sibi de necessitate virtutem, et omnia etiam fragilia sapienter ordinantes. — VI. Ut dicit idem, propter suam caliditatem igni apposita facillime inflammatur : significat homines charitativos citius affici ad aspectum afflictorum. Legitur de

(1) *Abietem*. Is. XLI, 19. — (2) *Abies*. Is. LV, 13. — (3) *Ejus*. Ezech. XXXI, 8. — (4) *Terra*. Is. XIV, 7. — (5) *Abiegnis*. III Reg. VI, 30. — (6) *Te*. Ezech. XXVII, 5. — (7) *Isidorus*, *Etymol.* lib. XVII, c. 6, n. 32; e quo plura excerpsit Clarevallensis. — (8) *Dionysius*, *de Angelica Hierarchia*, c. VII. Cf. p. 68, edit. Corderii, Paris. 1644. — (9) *Aristoteles*. Ex lib. II Περὶ φυτῶν Aristoteli falso ascriptis.

beato Francisco quod liquescebat animus ejus ad pauperes, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum.—VII. Ut dicit idem, variis ædificationum structuris hæc arbor accommodatur et maxime propter suam rectam altitudinem et formam pyramidalem, navibus utiliter adaptatur : significat utilitatem variam et multiformem, quam faciunt religiones in Ecclesia Dei animabus diversis, sive populis, propter suorum meritorum celsitudinem evidentem.

Art. 21, *de Buxo et* XII *ejus conditionibus*.—I. Ut dicit Isidorus[1], est arbor semper virens : significat jugem viriditatem fidei in anima. Gregorius [2] : Ad hoc enim buxus in Ecclesia ponitur, ut in omnibus esse viriditas fidei ostendatur, et ex hoc infidelis erubescat. — II. Ut dicit idem, per lenitatem mire litterarum formandis apicibus est apta ; nam tabula buxea bene polita colorem recipit album, in quo de facili figuræ et litterarum characteres inscribuntur : significat quod munda conscientia est apta ad cœlestem sapientiam. Scribitur de beato Bernardo et cantatur [3] : Bernardus a pueritia requisivit auctorem vitæ, et animum dedit ad eloquia Dei : in disciplina morum, et profectu virtutum, super omnes docentes se in brevi enituit, unctione magistra. — III. Ut dicit Alvredus [4], est arbor, multum solidæ materiæ et compactæ : significat et firmitatem et constantiam in viro justo. Scribitur de beato Dominico in vita ipsius : Tantam autem servabat in his quæ secundum Deum rationabiliter fieri concepisset, mentis constantiam, ut vix aut numquam semel emissum cum digna deliberatione sermonem acquievisset immutare.—IV. Ut dicit idem Alvredus, lignum ejus est ponderosum, ita quod missum in aquam statim petit fundum : significat quod quis quanto est perfectior, tanto est humilior. Cantatur [5] de beata Elizabeth, filia regis Hungariæ : Quanto sese deprimebat humilis nobilitas, tanto magis elucebat nobilis humilitas. — V. Ut dicit idem, multa habet folia minuta et spissa, sed modicum habet fructum, sive nullum : significat eos qui habent plurima verba, et pauca, aut nulla fructuosa opera. — VI. Ut dicit idem, folia ejus, quia semper sunt virentia, de facili non cadunt, nisi paulatim, quando, uno cadente, aliud succedit : significat verba justorum non esse cassa aut frivola. — VII. Ut dicit Dioscorides, arboris rasura, etc. : significat quod exempla sanctorum refrænant in malo, et informant in bonum.—VIII. Ut dicit Plinius[6], sapor est amarus, sed odor suavis, etc. : significat pœnitentiæ opera esse corporum afflictiva, sed animarum delectabiliter recreativa. — IX. Ut ponit Alvredus, quum omni tempore suum conservet virorem, maxime tamen in æstate. In hieme vero, quamvis ejus folia aliquantulum expallescunt, non tamen cadunt : significat constantiam justorum, quæ non deficit, quamvis deficere videatur, maxime in adversitate. — X. Ut dicit idem, buxus crescit in locis petrosis et nudis, et ideo est plurimæ duritiei et nodosæ soliditatis : significat bonos homines proficere inter pauperes et austeros sibi esse. — XI. Ut dicit idem, lignum interius lene est, et ad copulandum summe aptum [7], incisuras et figuras in se factas diu tenet : significat mentes bonas ad sanctam disciplinam aptas retinere bene impressa sibi divina impressione, vel etiam sancta eruditione. Scribitur de beato Bernardo [8] : Ab infantia spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis et amabilis valde.—XII. Ut dicit idem, fiunt de ipso pixides ad conservationem musci et aliorum aromatum : significat corpora justorum esse idonea virtutum et meritorum receptacula. I Cor. « Habemus [9] thesaurum

(1) *Isidorus*, l. I. n. 53. — (2) *Gregorius*. Inde explanantur quæ jam modo ex eodem recitavimus. Cf. *Homil.* XX in Evangel. — (3) *Cantatur* in *Breviar. Cisterc.* — (4) *Alvredus*. Forte Alfredus anglus, *de naturis rerum* (Oudin. II, 490), aut celeberrimus Albertus. Collato tamen posteriori *tractatu de Vegetalibus* cum variis hujusce Alvredi locis, mirum quantum alter ab altero differat. — (5) *Cantatur*, scilicet in *Breviar.* Franciscanorum. — (6) *Plinius*, *Hist. Nat.* lib. XVII, cod. XVI, 28 edit. laud.—(7) *Aptum*, topiariæ scilicet arti, ut habet Plinius, qua voce designat artem arbores in varias efformandi figuras ex ramis inter se compaginatis. — (8) *Bernardo*. Cf. p. 334 et 360. — (9) *Habemus*. I Cor. IV, 7.

istum in vasis fictilibus. » Cantatur de beato Dominico : Corpus sacrum, quod fuerat apotheca charismatum, universam exuberat fragrantiam aromatum. Et iterum : Glebam sancti corporis odor propalavit, quam neglecti temporis cursus occultavit.

X.

1. Quercus, sancti [1] robusti : « Et erit in ostensione sicut terebinthus, et sicut quercus quæ expandit ramos suos [2]. »

2. Item in aliam partem : « Et super omnes quercus Basan [3]. »

XI.

1. Terebinthus, sancti, ut supra [4].

2. Item in aliam partem, in Osee : « Subtus populum et terebinthum, quia bona erat umbra ejus. [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Quercus, desperatio : « Caput ejus adhæsit quercui[6]. »—Sterilitas mentis, ut : « Quum fuerimus velut quercus, defluentibus foliis [7]. » — Luxuriosi : « Super o. q. b. »

Petrus Capuanus ad litt. xvi, art. 9. Quercus, arbor dura et solida, designat fidei soliditatem. Juxta hanc quercum habitabat Abraham, quando tres vidit, et unum adoravit. — Aliquando designat elatos et superbos. Isaias : « Super o. q. b. »—Interdum designat desperationem. Regum : « Adhæsit c. e. q. » — Aliquando etiam designat sterilitatem, sive fecunditatem bonorum operum. Isaias : « Quum fuerimus, etc. »

Idem ad litter. xix, art. 85. Est terebinthus mundi et terebinthus cœli. Terebinthus mundi, sancta Ecclesia : « Ego quasi t. e. r. m. » Terebinthus cœli duplex, scilicet crux Christi, et ipse Christus.

Prima terebinthus, id est sancta Ecclesia, expandit ramos suos usque ad terminos terræ. Hæc expansio facta est, quando dilatavit Ecclesia locum tentorii sui, et longum funem fecit suum. Secunda terebinthus, id est crux, umbraculum nobis procurat et refrigerium contra incendia vitiorum et persequutionum. Umbraculum facit nobis Dominus per crucem, quotiens facit nobiscum signum crucis in bonum, ut videant qui illud oderunt et confundantur. Nam ex quo in cruce dedicavit trophæum victoriæ suæ, dedit metuentibus se significationem ut ad umbraculum hoc fugiant a facie arcus, ut liberentur electi sui [8]. Tertia terebinthus, id est Christus, liquorem medicinalem et sanativum ex se emisit, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua, sanguis scilicet redemtionis et aqua regenerationis. His enim liquoribus nos mundamur atque sanamur. Hunc liquorem sanationis nostræ emisit hic terebinthus, quando percussit Moyses virga silicem, et egressæ sunt aquæ in abundantia, eoque fideles bibebant « de consequente eos petra; petra autem erat Christus [9]. »

Anonymus Clarevallensis. Terebinthus, crux Christi, ut : « Jacob abscondit

(1) *Sancti, fide atque virtutibus* I. *In Isaia* B G.— (2 *Extendit* E, G. *Suos.* Is. VI, 13. — (3) *Basan.* Is. II, 13. — (4) *In Isaia : Et erit in ostensione sicut terebinthus* B-G. — (5) *Ejus.* Osee IV, 17. — (6 *Quercui.* II Reg. XVIII, 9. — (7) *Foliis.* Is. I, 30.—(8) *Sui.* Ps. LIX, 6. — (9) *Christus.* I Cor. X, 4.

idola subter terebinthum [1]. » — Doctrina Judæorum et hæreticorum, ut : « Subtus populum et quercum et terebinthum sacrificabat [2]. » — Luxuriosus infructuosus, ut : « Erit in ostensione, etc. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes., v. 1144-1151.

Tres juvenes vidit stans inde sub Ilice Mambre,
Uni, non aliis, supplicat ille tamen.
Sanctorum pronus Abraham gerit ecce figuram,
Non Salvatoris gestat ubique vicem.
Signantur tribus his Moyses, Salvator, Elias;
Hæc in lege nova visio facta fuit.
Dignus adorari non est Moyses, nec Elias,
Hæc Salvatori gloria sola datur.
Hinc Salvator ait : « Abrahæ patuit mea quondam
Gloria, meque videns lætior inde fuit. »
Deinde viros Abraham reficit, Dominumque loquentem.

XII.

1. SALICES, fideles [3] : « Germinabunt inter herbas, quasi salices juxta fluentes aquas [4]. »

2. Infructuosi : « Circumdabunt eum salices torrentis [5]. » ÷ « In salicibus in medio ejus [6]. Ad torrentem salicum deducunt eos [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Salicis perpetua viriditate electorum mentes exprimuntur, ut ibi : « Germinabunt inter, etc. » — Pro sterilitate vita peccantium, ut ibi : « In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 7, p. 466.

RABANUS. Salices, viri sancti, ut : « Germinabunt, etc. » — Steriles in bono opere, ut : « Circumdabunt e. s. t. » — Superbi, ut : « In salicibus, i. m. e. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 76. Salices arbores sunt quæ semper virent, sed amaræ; sunt quoque steriles et infructuosæ. Ergo propter viriditatem significant sanctos. Hoc virore Spiritus semper virescunt sancti, maxime quum hiems vitæ transiit, imber vitiorum abiit et recessit. — Propter amaritudinem significant eos qui sunt domus exasperans, et ad iracundiam provocant. Psalmus : « In salicibus, etc. » Talibus enim non est prædicandum, qui scilicet parati sunt oblatrare et obculcare margaritas divini verbi. — Propter sterilitatem designant infructuosos : hi sunt qui in mundo quidem florent copia temporalium, sed a fructu operis steriles sunt et vacui. Job : « Salices, t. c. e. » Nonne absque fructu in temporalibus vivebat dives ille, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, nec tamen Lazaro in aliquo superveniebat? propter quod sepultus est in inferno.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Salix.
Steriles et reprobi.
Viriditas boni.
Sterilitas mali.

RHYTHMI SUPER PSALMOS.

Ps. CXXXVI.

Super flumina sedere
Babylonis, et lugere,
Recordando præterita,
Debeo; etiam silere
Debent organa vere :
Quum tempora sint perdita
Quibus debui merita,
Omni cura sollicita,
Comparare et augere.
Sed ecce exinanita
Sunt omnia et irrita;
Nihil feci : restat flere.

(1) *Terebinthum.* Genes. XXXV, 4. — (2) *Sacrificabat.* III Reg. XIII, 14. — (3) *Fideles in Ecclesia, juxta fluenta divinæ gratiæ prædicationis radicati, in Isaia* B-G. — (4) *Aquas.* Is. XLIV, 4. — (5) *Torrentis.* Job XL, 17. *Hoc est Zabulum* B-G. — (6) *Ejus.* Ps. CXXXVI, 2. — (7) *Eos.* Is. XV, 7.

XIII.

Ilex, mysterium crucis Christi [1] « Habitavit Abraham ad ilicem Mambre [2]. »

XIV.

1. Myrtus, compassio [3] : « Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum [4]. »

2. Angeli vel gentiles [5] : « Vidi per noctem : et ecce vir [6] in equo rufo, stabat inter myrteta, quæ erant in profundum [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Myrtus, temperies cogitationis, ut : « Pro urtica crescet myrtus [8]. — Compassio, ut : « Myrtum et lignum olivæ. »

Petrus Capuanus ad litt. xii, art. 39. Myrtus compassionis. Isaias : « Myrtum et lignum olivæ. » — Myrtus refrigerii et temperamenti. Isaias : « Pro urtica crescit myrtus [9] ; » id est pro labore et tribulatione, refrigerium et temperamentum. — Myrtus etiam dicitur angelus. Zacharias : « Respondit vir, etc.; » id est Christus inter angelos. Myrtus enim parva arbor est et odorifera, et refrigerium præstat, et numquam siccatur, sed semper tam hieme quam æstate viret. Ergo prima myrtus, id est compassio, odorem dat proximo. Nonne hæc myrtus multum excreverat in pectore Pauli, quum dicebat : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror [10]? » Secunda myrtus, id est temperamentum tribulationum, præstat refrigerium contra fatigationem. Nonne hæc myrtus pullulavit in beato Job, quando, post tot tentationes et tribulationes, sibi divina gratia omnia duplicavit? Tertia virtus semper viret, quia semper astat suo conditori. Evangelium : « Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est [11]. » Nonne valde virebat hæc myrtus in Gabriele, ubi ad ejus annuntiationem virga Aaron prius arida floruit? quando intumuit uterus virginalis, et florem illius pullulavit, qui de se inquit in Canticis : « Ego flos campi, et lilium convallium [12]. »

Moralitatum lib. vi, art. 83. Ilex [13] significat prælatos et magistros in Ecclesia, sive etiam veteris testamenti, nec non et prædicatores novæ gratiæ, habentes spiritualiter correspondentes proprietates ad fructum proprium et animarum zelum. De talibus fuerunt apostoli et discipuli in Ecclesia primitiva; sicut habetur in Actibus apostolorum per totum et in Historia ecclesiastica; Joanes etiam Chrysostomus scribit plenarie in libro *de laudibus Pauli;* similiter et Clemens in *Itinerario* [14].

Anonymus Clarevallensis.

Myrtus.
- Angelica natura.
- Consolatores Ecclesiæ.
- Animarum medici.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar. lib. 1, v. 115-120.

Non nudat foliis laurus sua robora lapsis,
Sæva nec huic hiemis ira nocere potest.

(1) *Christi, ut quidam putant, in Genesi.* — (2) *Mambre.* Genes. xiii, 18. — (3) *Compassio fraternæ necessitatis; in Isaia* B-G. — (4) *Myrtum.* Is. xli, 19. — (5) *Populus gentium, ut quidam volunt, in Zacharia* B-G. — (6) *Vir, id est Christus,* ib. — (7) *Profundum.* Zachar. x, 11. — (8) *Myrtus.* Is. lv, 13. — (9) *Myrtus.* Is. xv, 13. — (10) *Uror.* II Cor. xi, 29. — (11) *Est.* Matt. xviii, 10. — (12) *Convallium.* Cant. ii, 1. — (13) *Ilex.* Hæc et quæ supra *de Ilice,* inde ad art. x satius esset reponere; codicum tamen servavi ordinem. — (14) *Itinerario.* Nemo non agnoverit hic Clementis *Recognitiones,* et supra Eusebium.

Hi sunt quos rerum numquam tribulatio mutat,
Nec Christi constans mens ab amore fluit.

Hæc typicat Christum sanctorum pulchra corona,
Æternique boni qui dator esse solet.

XV.

÷ 1. Sycomorus, stultitia mundi : « Ascendit in arborem sycomorum [1]. »

÷ 2. Cupiditas : « Non sum propheta, nec filius prophetæ, sed puer ego sum, vellicans sycomoros [2]. »

÷ 3. Item in bonam partem : « Ascendit in arborem sycomorum. »

÷ 4. Vana scientia. In Jeremia : « Habitabunt dracones, » hoc est dæmones, « cum fatuis ficulneis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Sycomorus, mundi stultitia. Est enim ficus fatua, in qua Zachæus subiit et Deum vidit; quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 12, p. 466.

Rabanus. Sycomorus, crux Christi, ut : « Ascendit i. a. s. » — Judæi increduli, ut : « Sycomoros succidunt; sed cedros immutabimus [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. XVII, art. 76. Sycomorus dicitur ficus fatua, arbor scilicet in foliis ficui, in fructu moro similis, et significat crucem. Evangelium : « Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret illum, quia inde erat transiturus. « Et bene ipsa crux ficus fatua dicitur, quia a reprobis prædicatio crucis fatuitas reputatur. Paulus : « Prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam [5]. » Quæ etiam in foliis similis est ficui : nam primi parentes, post peccatum, de foliis ficuum fecerunt sibi perizomata [6], quibus operiant verenda sua : et nostra pudenda, sive peccata, per virtutem crucis operta sunt et sepulta. Epistola canonica : « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum [7]. » Bene etiam est in fructu moro similis; fructus enim mori purpureus est, et ex eo quasi sanguis exprimitur : fructus autem crucis Christus, quem hæc arbor produxit, et ex cujus gustu homo revixit. Canticum : « Sub arbore malo suscitavi te, amica mea [8]. » Et ipse Christus purpureus erat, quando circumdederunt eum vestimentum purpureum. Ex ipso etiam sanguis est expressus, quando factus est sudor ejus guttæ sanguinis decurrentis in terram, et quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua [9]. Hanc arborem ascendens Zachæus, laudabilem stultitiam amplectitur, et stultitiam hujus mundi calcat. Est enim laudabilis fatuitas, divitias non curare, omnia in hoc mundo patienter tolerare. — Sycomorus etiam quandoque designat Judæos. Isaias : « Sycomorus succiditur. »

Anonymus Clarevallensis.

Sycomorus.

Exemplum Christi Judæi increduli.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2609, 2610.

Hunc, Zachæe, notas qui pravos deserit actus,
Cui lignum crucis est gloria, vita, salus.

(1) *Sycomorum*. Luc. XIX, 4. — (2) *Sycomoros*. Amos VII, 14. — (3) *Ficariis* D. Jerem. L, 39. — (4) *Immutabimus*. Is. IX, 10.— (5) *Stultitiam*. 1 Cor. I, 23.— (6) *Perizomata*. Genes. III, 7.— (7) *Lignum*. I Petr. II, 24. —(8) *Mea*. Cant. VIII, 5. — (9) *Aqua*. Luc. XXII, 44.

XVI.

1. Spina, sollicitudo sæculi et divitiarum [1] : « Aliud cecidit inter spinas [2]. »

÷ 2. Vir spiritualis : « Dabo in solitudine cedrum et spinam [3]. »

÷ 3. Aculei timoris vel compunctionis : « Sepiam vias tuas spinis [4]. »

÷ 4. Conscientia peccati : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina [5]. »

÷ 5. Punctio ultionis : « Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina [6]. »

÷ 6. Stimuli carnis : « Quum operatus fueris terram, spinas et tribulos germinabit tibi [7]. »

÷ 7. Aculei tentationum : « Super humum populi mei spinæ et vepres ascendunt [8]. »

XVII.

÷ Vepres, obligatio peccatorum, in Isaia : « Omnes montes qui sarculo sarrientur, non veniet illuc terror veprium et spinarum [9]. »

XVIII.

1. Tribuli, aculei vitiorum, vel tentationum : « Peccatum Israel, lappa et tribulus [10]. »

÷ 2. Punctio doloris : « Pro frumento oriatur mihi tribulus [11]. »

XIX.

Paliurus, defensio peccati, vel impuritas mentis [12] : « Qui optimus est in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe [13]. Et paliurus in munitionibus ejus. Orientur in domibus ejus spinæ, urticæ et paliurus [14]. »

XX.

÷ Rhamnus spina est, quæ prius mollis nascitur, postea vero in magnis aculeis erumpit. In psalmo : « Priusquam producant spinæ vestræ rhamnum [15]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. II ad XVI, 1; XVIII, 1.—Ed. II, col. 746 ad XVI, 1, 4; XVIII, 1; XIX, XX.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 13. p. 470.

Gregorius M. Paliurus, quilibet in ma-

(1) *Noxiæ curæ, in Evangelio* B-G. — (2) *Spinas.* Marc. IV, 7. — (3) *Spinam.* Is. XLI, 19. — (4) *Spinis.* Osee II, 6. — (5) *Spina.* Ps. XXXI, 4.—(6) *Spina.* Job XXXI, 40. — (7) *Tibi.* Genes. III, 18.—(8) *Ascendunt.* Is. XXXI, 13. — (9) *Spinarum.* Is. VII, 25.—(10) *Tribulus.* Osee X, 8. — (11) *Tribulus.* Job XXXI, 40. — (12) *Qui alios in malo defendunt* A loco 2°. *In Isaia* B-G. — (13) *Sepe.* Legendum *Michææ* VII, 4. — (14) *Paliurus.* Is. XXXIV, 13. — (15) *Rhamnum.* Ps. LVII, 10.

titia durus, ut ibi : « Orientur in domibus illius spinæ, et paliurus in munitionibus ejus ; » quia videlicet mala quæ intus debiliores iniqui faciunt, nequiores extra tuentur.

Rabanus. Spinæ, superbia, ut : « Dum confringetur spina. » — Malitia cordis, ut : « Orientur, i. d. e. s. » — Suspiciones formidinis, ut : « Iter impiorum, quasi sepes spinarum [1]. » — Peccatores, ut : « Sicut lilium inter spinas [2]. » — Divitiæ, ut : « Simul exortæ spinæ suffocaverunt verbum. » — Hæretici, ut : « Numquid colligunt de spinis uvas [3]. » — Prædicator, ut : « Dabo, etc. » — Punitio vitiorum, ut : « Et pro hordeo, spina [4]. »

Vepres, punctiones vitiorum, ut : « Super humum populi mei vepres. » — Judæi persequentes, ut : « Inter vepres hærentem cornibus. »

Tribulus, punctio doloris, ut : « Pro frumento oriatur mihi tribulus. » — Hæreticus, ut : « Aut de tribulis ficus. » — Pravæ delectationes, ut : « Spinas et tribulos germinabit tibi. » — Paliurus, excusatio, ut : « Paliurus in munitionibus. » — Ramnus, Antichristus, ut : « Egrediatur ignis de rhamno. » — Delectatio peccati, ut : « Priusquam intelligant spinæ vestræ rhamnum. »

Petrus capuanus ad litt. xvii, art. 77.

Spinæ

Ad punctionem :	*Ad suffocationem :*
Timor divinus.	Sollicitudines divitiarum.
Aculei adversitatum vel correctionum.	Curæ et implicamenta sæculi.
Ad munitionem :	Motus illiciti carnis.
Sollicitudo et cautela, qua vir sanctus munit hortum virtutum suarum contra vitia.	*Ad peremptionem :*
Exempla sanctorum.	Peccata blasphema Judæorum.
	Hæretici.

Idem ad litt. xx, art. 173. Vepres vitæ sunt spinæ illæ ex quibus complexa est corona spinea, qua Christus coronatus est in passione. Genesis : « Levavit Abraham oculos, viditque post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio [5]. » — Vepres mortis sunt desideria carnis, spinæ vitiorum et peccatorum. — Vepres combustionis, iniqui et reprobi, qui apti sunt exustioni et persequutioni. Psalmus : « Inter spinas et inter vepres erunt [6]. »

Idem ad litt. xix, art. 87.

Tribuli.
- Asperæ correctiones.
- Peccata.
- Dolor et tristitia mentis.

Distinctionum monasticarum lib. v, *de Spinis*. Spinæ significant punctiones vitiorum ; unde dictum est homini post peccatum : « Terra tua, etc.; » quia carnis desideria pungunt animam. — Spinæ significant molestias infortuniorum, vel, si melius dicitur, asperitates adversitatum. Unde Dominus animæ peccatrici, electæ tamen, quasi mulieri meretrici per Osee minando loquitur, dicens : « Ecce ego sepiam viam tuam spinis, » id est, propositum tuum adversitatibus impediam. O quam misericors est illa comminatio ! Nam dicit beatus Augustinus, in Epistola ad Marcellinum [7] : Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur, quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. Huic sententiæ concordat illud Boethii : Multo infeliciores injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. — Spinæ significant confœderationes malorum. Unde est illud propheticum : « Quasi spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium [8]. » Cui concordat illud satyricon :

... magna inter molles concordia [9].

(1) *Spinarum*. Prov. xx, 19. — (2) *Spinas*. Cant. ii, 2. — (3) *Uvas*. Matt. xiii, 17. — (4) *Spina*. Job xxxi, 40. — (5) *Filio*. Genes. xxii, 13. — (6) *Erunt*. Lege, Isaiæ vii, 23. — (7) *Marcellinum*. *Epist*. v, cod. nunc cxxxviii, (t. ii, p. 525). — (8) *Potantium*. Nahum i, 10. — (9) *Concordia*. Juvenal. *Sat*. ii, v. 47.

— Spinæ significant aspera verba prædicatorum, unde : « Dabo in deserto cedrum et spinam ; » id est, in Ecclesia, collecta de gentibus, dabo sanctos prædicatores, vita sublimes, fide fortes, sancta opinione coram hominibus et devotione coram Deo suaviter redolentes, perseverantia imputribiles, vitia pungentes ; unde illud : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi [1]. » — Spinæ significant curas cupidorum ; unde : « Semen quod cecidit inter spinas, simul exortæ spinæ suffocaverunt. » — Spinæ significant asperos mores malorum ; unde : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea. » — Spinæ significant aculeos timoris Domini ; unde : « Sepi aures tuas spinis, ne audias linguam nequam [2]. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ *lib.* II, v. 654.

Ligare quum regem voluissent ligna super se,
Venerunt pariter et dixerunt ad olivam :
Nobis imperites, te poscimus atque rogamus. »
Illa refert « Oleo pro regno nolo carere.
« Quis sapiens regnis non præferat unguen olivi? »
Ad ficum dicunt « Tu nos super accipe regnum.
« Non, inquit, dulces fructus ob regna relinquam. »
Haud secus ad vitem postremo ligna loquuntur.
« Lætitiæ vinum, respondet, præfero regno. »
Ad rhamnum tandem veniunt, eademque loquuntur :
Procedens ignis de rhamno ligna voravit.
Significant reprobos homines silvestria ligna,
A quibus abscedit quum gratia Pneumatis almi,
Tum sacræ legis meditatio spiritualis.
Nec Christus vitis mater est hisce labruscis,
Quos Antichristus premet ; at rhamnus, rubus asper,
Exuret, perdet, cum queis in tartara sedet.

XXI.

1. RUBUS [3], Virgo Maria : « Vadam, et videbo visionem hanc, quare non comburatur rubus. » ÷ In Exodo : « Apparuitque ei Dominus in flamma ignis [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. II, col. 746, 747.

RABANUS. Rubus, virgo Maria : « Quod rubus ardeat, et non comburatur. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. VI, col. 513 C.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVII, art 32.

Rubus. { Scriptura. / Virgo Maria. / Nostra natura.

Apparuit ergo Deus in rubo, qui videbatur ardere, sed non comburebatur, id est in Scriptura veteris et novi testamenti. Apparuit in rubo, id est in Virgine, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Apparuit in rubo, id est in nostra natura spinis peccatorum circumdata, quando peccata pertulit in corpore suo super lignum.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Rubo.* Rubus a rubore nomen accepit, et bene congruit pudori virginali ; unde per rubum, quem Moyses ardere vidit et non comburi, beatæ Mariæ, matris Dei, fecunda integritas et integra figuratur fecunditas. Unde est illud : Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem : Dei genitrix, intercede pro nobis [5]. Unde quidam sublimiter ait :

Sicut igne carens rubus exstitit ignis odore,
Sic fit Virgo parens cum virginitatis honore.

— Item rubus ardens, sed non combustus, potest aperte signare Ecclesiam, quæ persequutionis igne non consumitur, sed ornatur, et clarior efficitur.

(1) *Defixi.* Eccle. XII, 13. — (2) *Nequam.* Eccli. XXVIII, 28. — (3) *Rubus, ut quidam putant* [*opinantur* D, E, G], *sanctæ Mariæ Virginis præfiguratio, eo quod quasi de humani corporis rubo. Salvatorem tamquam rosam emiserit, aut quod vim divini fulgoris sine sui adustione protulerit; in Exodo* B-G. Eucherius eadem, cum alia clausula : *Sine viri assumtione pertulerit.* Vix aliter Rabanus, l. l. — (4) *Ignis.* Exod. III, 3, 2. — (5) *Nobis.* Antiph. 3 ad laud. Circumcision. Græce exstat apud J. Damasc. t. I, p. 688.

Quod fornax auro, quod ferro luna, flagellum
Granis, est justis asperitatis onus.

— Item per rubum dicunt quidam doctores significari populum Judæorum, qui legis flammam accepit, quæ ejus peccata non consumsit. — Item potest per rubum languor ille naturæ nostræ, qui appellatur ab Apostolo lex membrorum, et lex carnis, et lex peccati, habitans in carne, et est fomes peccati, sed non peccatum, designari. Hanc legem carnis, vel primos ejus motus, qui per rubi designantur aculeos, nullus disciplinæ vel studii fervor, seu cujuslibet exercitii corporalis vel spiritualis calor, quamdiu sumus in hac carne mortali, potest absumere. Lex ista certe dicitur lex peccati, quia peccatum eam nobis imposuit; lex molesta et gravis, quia quocumque pergimus, nostrum portamus inimicum.

Anonymus Clarevallensis. Rubus [1], beata Maria, ut : « Vidit Moyses rubum ardentem. » — Peccator, ut : « Neque de rubo vindemiant uvam [2]. »

Anonymus Trecensis [3]. *Ignis in rubo significat incarnationem Christi,* quia sicut rubus videbatur ardere, et non comburebatur, sic beata Virgo in conceptione Filii Dei fuit calefacta igne charitatis, et concepit sine læsione virginitatis. Exemplum : pellis Salamandræ projecta in igne, licet calefiat, non comburitur; immo, si in ea est aliqua macula, in igne purgatur : sic beata Virgo in conceptione Filii Dei fuit purgata Spiritu sancto; quia, licet ante potuisset peccare venialiter, secundum Augustinum [4], immo fuit purgata a peccato originali virtute Spiritus sancti in utero materno.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 73-86.

Forte gregem soceri Moyses dum pasceret, intrat
Desertum; patet huic visio mira Dei.
Stat rubus, igne micans, ardore carens : stupet ignis
Viribus in dumo se caruisse suis.
Virgo parens rubus est : rubus e spinis trahit ortum;
Hæc de Judæis, ut rosa, nata fuit.
Lucet et ignescit, sed non rubus igne calescit :
Virgo parit, sed flos non periendo parit.
Igne nitet dumus, non est tamen ardor in illo,
Absque calore, nitor est : sine labe, pudor.
Ad nova visa suum prohibens accedere servum,
Vox ex igne volans grande figurat opus :
Nempe sacri partus arcanum nobile numquam
Scrutari debes, qui penetrare nequis.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. II, v. 9-14.

Attamen ille rubus, qui non est igne perustus,
Virginis et matris partum, puto, significavit :
Aut quia [5] per legem non sunt peccata remissa,
Aut per sævitiam non Ecclesia peritura.
Depositis caligis Moyses Domino propiavit :
Immunis cunctis vitiis te, Christe, videbit.

XXII.

1. Ficus, prisca lex : « Homo quidam pastinavit vineam [6], et in ea plantavit ficum [7]. »

(1) *Rubus.* Quas iste commentarius solet singulis articulis præmittere descriptiones, plerumque omisimus, utpote desumtas ipsis verbis sive ab Isidoro, sive ab Hugone de S. Victore (t. II, p. 461). Sed multa de suo ipse persæpe addidit, quæ patriam auctoris significant, qualia nunc de Rubo : *Rubus, spina, sentis, genus ligni spinosi, vel quod gallice dicitur :* Bussun. Ita hodiedum multis in Burgundiæ locis idem plebeio sermone vocitatur, qui gallice est omnibus : *Buisson.* — (2) *Uvam.* Luc VI, 44. — (3) *Trecensis.* Quo insignis allegoria illa magis illustretur, quæ ad manum sunt huc libenter congessimus, ne Trecensi quidem excepto, quem vix semel atque iterum adduximus, vid. supra p. 89. — (4) *Augustinum.* Quod rectius et præclarius exponere videtur Herradis abbatissa in *Horto deliciar.* fol. 83 : « Nostra fides et S. Augustinus hoc testatur, quod Spiritus sanctus præservavit beatam Virginem Mariam ab omni peccato tam originali quam actuali. » Nemo sanus despiciet doctissimæ abbatissæ sæc. XII hoc luculentum de conceptione immaculata B. M. V. testimonium; eo majoris momenti quod in ipsomet Bernardi sæculo, palam tentari jam videatur, immo, si dicere fas est, palam asseritur hac de re decretum juxta communem fidelium et Patrum sententiam, *nostram*, ut ait, et *Augustini fidem.* — (5) *Quia.* Nonnulla forte desunt, juxta Eucherium, qui Judæos in rubo docet significari. — (6) *Vineam, hoc est plebem* B-G. — (7) *Ficum.* Marc. XII, 1.

2. Infructuosi, vel Judæi [1] : « Et arefacta est continuo ficulnea [2]. » ÷ In Evangelio : « Ab arbore fici discite parabolam [3]. » Et in Habacuc : « Ficus non affert cibum [4]. »

÷ 3. Humana natura : « Arborem fici habebat quidam, plantatam in vinea sua [5]. »

÷ 4. Mens : « Posuit vineam meam in desertum, ficum meam decorticavit [6]. »

5. *Folia ficus*, ÷ mendacia, ÷ asperitas legis, vel prurigo nuptiarum. In Genesi : « Et sumserunt [7] folia ficus, et fecerunt sibi campestria [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. II, col. 746 ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. P.*, lib. IX, c. 14, p. 473.

Gregorius M. Ficus, mens humana, ut ibi : « Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua; et quærens in illa, fructum non invenit. » Natura enim humana, ad peccatum ex voluntate corruens, dum in sua dignitate non perstitit, id ad quod plantata fuerat, servare contemsit. Item de hac ficu legitur : « Ficum meam excorticavit; » quia nimirum diaboli malitia, seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem protrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat, quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur.

Rabanus. Ficus, suavitas mentis, ut : « Corrumpam vineam, et ficum ejus [9]. » — Genus humanum, ut : « Arborem fici, etc. » — Ecclesia, ut : « Ficus protulit grossos suos [10]. » — Populus Judaicus, ut : « Ficus enim non florebit [11]. » — Umbra legis, ut : « Quum esses sub ficu, vidi te [12]. » — Mens humana, ut : « Decorticavit ficum meam. » — Charitas, ut : « Aut de tribulis ficus. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 51.

Ficus

Corporea.	*Incorporea.*
Genus humanum.	Mens humana.
Synagoga.	Charitas.
Ecclesia.	Lex divina.
Ficus cœlestis, ficus æternitatis.	*Ficus tartarea*, apostatæ.

Distinctionum monasticarum lib. II, *de Ficu*. Ficus nomen est tam arboris quam fructus [13]. De arbore habemus in Genesi, ubi legitur quod primi parentes nostri, post peccatum, consuerunt folia ficus. De fructu ait [14] Martialis ad Cæcilianum :

Quum dixi : ficus, rides quasi barbara verba;
Et dici : ficos, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci;
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Ficus, quia in se naturalem habet pruritum, significat legem peccati, quæ est in membris nostris, quam taxiamus [15] a primis parentibus. In cujus rei designationem primi parentes, post peccatum, velaverunt membra sua genitalia de foliis ficus.

Sentit adhuc proles quod commisere parentes.

Ficus, in qua Dominus non invenit nisi

(1) *Populus judæorum, in Evangelio* B-G ; deinde paulo post iidem : *Homo infructuosus sive plebs judaica.* — (2) *Ficulnea.* Matt XXI, 19. — (3) *Parabolam.* Matt. XXIV, 32. — (4) *Cibum* D, G, E. *Non afferet fructum* B, C. Habac. III, 17. — (5) *Sua* Luc. XIII, 6. — (6) *Decorticavit.* Joel I, 7. — (7) *Consuerunt* E. — (8) *Campestria.* Ita B, C, D. *Perizomata* E, G. *Hoc est succinctoria genitalium* B-G. Genes. III, 7. — (9) *Ejus.* Osee II, 12. — (10) *Suos.* Cant. II, 13. — (11) *Florebit.* Habac. III, 17. — (12) *Te.* Joan. I, 48. — (13) *Fructus, in utroque sensu feminini generis et quartæ declinationis,* addit grammaticus noster. — (14) *Ait.* Lib. I, Ep. 76. — (15) *Taxiamus.* Ita apertissime lego in codice, auctorisne scriptura, an amanuensis errore, inscius. Nullam lucem affert Cangius, ubi de *Taxa.* et *Taxia* agit.

folia tantum, significat Synagogam incredulam, verba legis habentem, sine operibus; de qua quidam satis eleganter ait, in quodam rhythmo de conversione gentium, vel obduratione Judæorum :

Novus cultor creditus est vineæ,
Oleaster insitus est oleæ.
Ficus sterilis, immobilis, in legis area,
Manna rejicit, nec elicit granum de palea.

—Ficus significat morum dulcedinem; unde Dominus in Evangelio ait, ut mihi videtur, de hæreticis : « Numquid colligunt de spinis uvas, aut d. t. f. » Neque enim possumus de hæresiarchis colligere spiritualem, neque de eorum sequacibus, veram morum dulcedinem. Hæresiarchæ enim, quia amplius nocent quam sequaces sui, figurantur per spinas; sequaces vero eorum, per tribulos.

Ficus significat partem Synagogæ conversam ad Christum; unde est illud in Canticis : « Vox turturis audita est in terra nostra; ficus p. g. s. » Prædicante enim Christo in Judæa, pars Synagogæ electa inutilem legis observantiam abjecit.

PETRUS et ÆGIDIUS.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 293 sqq.

* Hic illos fidei testes intelligo vere,
* Quos prius Ecclesia, seu grossos ficus, habere
* Cœpit, qui sacrum Domino fundendo cruorem,
* Susceperе prius regni cœlestis honorem.
Vinea dat flores, et ab his sparguntur odores,
Quum recipit sacrum puerorum turba lavacrum;
Qui bene credentes, aliis sacra verba serentes,
Dant exempla boni, summi spiramine doni.

II. *Ibid.*, in Evangelio, v. 1452-1463.

Cognosces illos a fructu : nam rubus uvam
Non parit, et ficum promere spina nequit.
Spina, rubus sunt schismatici, qui falsa loquuntur :
Ore favos promunt, mente venena fovent.
Ex istis nullus fructus dulcedinis exit,
Sed pia simplicium fallere corda sciunt.
Vel rubus et spinæ mala sunt pungentia mentes;
Virtutes animæ ficus et uva notant.
Ficus dulce sapit, fideique figurat odorem;
Quod nos lætificat, parturit uva merum.
Hic est præclarus potus quem sumit in ara
Presbyter ore sacrans, presbyter ore bibens.

III, ibid., v. 2487-2498.

Ut ficum[1] plantavit homo, Christus Synagogam :
Non aliquos, etc.

XXIII.

÷ MALA, perfectæ animæ, vel opera : « Stipate me malis[2]. »

XXIV.

1. MALOGRANATA, ÷ unitas fidei et concordia, ÷ vel Ecclesia, ob cujus figuram Israelitici exploratores, in libro Numeri, de terra repromissionis, mala punica, cum botru pariter et ficu, reportarunt[3]. In Exodo, in ornamento sacerdotis, mala punica tintinnabulis aureis conjungi præcipiuntur[4].

2. *Mustum malogranatorum*, sanguis martyrum : « Ibi dabo tibi mustum meorum malogranatorum[5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 11 ad XXIV, 1; ed. II, col. 746 D, ad XXIII, XXIV, 1.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 25, p. 485.

GREGORIUS M. Mala, animæ perfectorum, ut ibi : « Fulcite me floribus, s. m. m. quia amore langueo. » Anima sancta, amore languida, floribus et malis fulciri se expetit, ut

(1) *Ficum*. Eadem supra, p. 140; minus sana exinde jam corrige. — (2) *Malis*. Cantic. II, 5. — (3) *Reportarunt*. Num. XIII, 24. — (4) *Præcipiuntur*. Exod. XXVIII, 33. — (5) *Malogranatorum*. Cant. VIII, 2.

respiret in odore, et requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. — Mala punica, fidei unitas, ut in veste sacerdotali mala punica tinnabulis conjunguntur, ut per omne quod prædicando dicitur, unitas fidei cauta observantia teneatur.

Rabanus. Malogranata, agmina electorum, ut : « Malogranata ducenti ordines fiant [1]. » — Virtutes, ut : « Mustum malogranatorum meorum.

Petrus Capuanus ad litt. VII, art. 57. Malus est arbor fructifera, quæ cum fructu suo omnia ligna silvestria antecedit in multis, scilicet umbra, quantitate, pulchritudine, flore, foliis, fructu, visu, odore, colore et gustu. Significat autem vel Christum. Canticum : « Sicut malus [2] inter ligna silvestria, » sic scilicet dilectus inter prophetas et apostolos est major. — Vel lignum crucis. Canticum : « Sub arbore malo suscitavi te, amica mea [3]. »

Sic autem et natura malus spiritualis, scilicet ipse Christus, in omnibus præmissis alios antecedit, scilicet in umbra. Nonne arbor ista magna est, subter quam et in cujus umbra, secundum Danielis visionem, habitabant animalia, et in ramis ejus volucres cœli conversabantur? Antecedit quantitate. Nonne magnum considerabat eum Job, quum dicebat : « Nec magnitudinis suæ moles me premat? » Antecedit pulchritudine. Nonne ejus pulchritudinem extollebat sponsa, quum dicebat : « Species ejus ut Libani; electus ejus ut cedri [4] ? » Antecedit flore. Nazareth etiam interpretatur Flos, a quo dictus est floridus et Nazarenus. Antecedit foliis. Ezechiel : « Erit fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam [5]. » Antecedit fructu. Sapientia : « Flores mei, fructus honestatis et honoris. » Antecedit visu sive aspectu. Nonne « resplenduit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix [6] ? » Antecedit odore. Nonne, fracto alabastro corporis sui, domus mundi impleta est ex odore unguenti? cujus odoris fragrantia etiam usque ad inferos penetravit. Antecedit colore. Canticum : « Dilectus meus candidus (in virginibus), et rubicundus [7] (in martyribus). » Isaias : « Quis est iste qui venit de Idom, tinctis vestibus, de Bosra [8] ? » Nonne rubrum factum est vestimentum suum, quasi calcantium in torculari? Antecedit etiam gustu, sive sapore. Evangelium : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus [9]. » Sapientia : « Panem de cœlo dedisti eis, habentem in se omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem [10]. »

Mala, sive mala punica, vel mala granata, sunt fructus hujus arboris, scilicet mali, et significant

Quandoque ipsum Christum.	Quandoque corpus ejus sive Ecclesiam.
— martyres.	— electos in Ecclesia.
— bona opera.	

Anonymus Clarevallensis.

Malus, Christus, ut : « Sic malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » Mala punica et malogranata, sanguis Christi, ut : « Sicut cortex mali punici [11]. » — Operationes sanctæ, ut : « Mala punica facies ex auro. » — Unam fidem tenentes, ut : « Paradisus malorum punicorum [12]. » — Martyres, ut : « Si floruissent mala punica [13]. » — Animæ sanctorum, ut : « Fulcite me malis. » — Agmina electorum, ut : « Malorum granatorum c. c. o. e. » — Virtutes, ut : « Mustum malogranatorum. »

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 172-181.

Emittunt fructum silvestria ligna malignum;
Sed fructus dignos fert mali nobile lignum.
Est Christus lignum vitæ, de Virgine nascens,
Nos verbis, nos exemplis, nos nectare pascens.
In silvæ lignis nihil est quod non sit amarum :
In solo Christo stat vera salus animarum.
Illius umbra decens virtus est Pneumatis almi,
Quo renovatur humus, ut profert littera psalmi [14] :
Pneuma sacrum cor obumbrat enim, carnisque calorem
Temperat, infundens in casto corpore rorem.

(1) *Fiant*. III Reg. VII, 20. — (2) *Malus*. Cantic. II, 3. — (3) *Mea*. Ib. VIII, 5. — (4) *Cedri*. Ib. V, 15. — 5) *Medicinam*. Ezech. XLVII, 12. — (6) *Nix*. Matt. XXVIII, 3. — (7) *Rubicundus*. Cant. V. 10. — (8) *Bosra*. Is. LXIII, 1. — (9) *Potus*. Joan. VI, 59. — (10) *Suavitatem*. Sap. XVI, 20. — (11) *Punici*. Cant. IV, 3. — (12) *Punicorum*. Ib. IV, 13. — (13) *Mala punica*. Ib. VII, 12. — (14) *Psalmi*. CIII, 30.

II. *Ib.*, v. 967-972.

Qui sprevere mala sunt tamquam punica mala,
Qui morum flore, miroque replentur odore,
Qui sunt perfecti, per quos via lucida recti
Plebi monstratur, ut ad astra potenter eatur.
Hæc Synagoga videns, extremo tempore credet,
In Dominum fidens, et ab omni fraude recedet.

III. *Ib.*, v. 1157-1160.

Vinum conditum matris tunc porriget ori,
Legis verba novæ legi sociando priori.
Mustum malorum tribuet, quia facta virorum
Fortia proponet, ut Hebræos inde coronet.

XXV.

1. Poma, Scriptura, vel operum fructus [1] : « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi [2]. »

2. Dulcedo peccati : « Quid tu vides, Amos? Et dixit : Uncinum pomorum [3]. »

÷ 3. Odoriferus adventus Domini, vel sensus allegoricus : « Dies mei velociores pertransierunt, quasi naves poma portantes [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10; ed. II, col. 715 B ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 14, p. 485.

Rabanus. Poma, prophetæ : « Quasi naves poma portantes. » — Opera bona : « Cum pomorum fructibus [5]. » — Præcepta utriusque testamenti : « Omnia poma n. e. v. » — Insignia humilitatis : « Viderem poma convallium [6]. » — Viri sancti : « Comedat fructus pomorum [7]. »

Moralitatum lib. VI, c. 96. Malus arbor has habet conditiones sive proprietates : nam, ut dicit Isidorus, est pomifera; in se quidem magna, sed respectu lignorum nemoris, modica et submissa; ligno sólida; rugosa cortice et nodosa; frondium densitate umbrosa; florum varietate decora; fructuum suavitate jucunda, etc. Significat hæc arbor malus, quoad septem conditiones suas primas, Christi, sive cujuslibet viri justi, conversationis conditiones spirituales, laudabiles et ædificantes; sicut per singulas considerando et adducendo advertere potest prudens lector exemplo similium moralitatum. Quod autem ex eis arboribus quædam ferunt fructum ponticum, durum et acetosum, quædam mellifluum et jucundum, significat diversas gratias in Ecclesia, sive diversos status gratiæ; cujus cœlestis humor mirificus et vivificus et sapientificus alios reddit amaros pœnitentia et compassione et passionis Christi transformatione, alios reddit suavificos cœlica exsultatione et Spiritus sancti consolatione, jucundosque faciei ex hilaritate in Deum, et divina, sancta et gratifica repræsentatione et ad æterna exhortatione. De primis ultimæ hujus considerationis exempla habemus in Manasse, in Magdalena, et aliis multis, tam in divina Scriptura, quam ecclesiastica historia; de secundis habemus exemplum in David, Paulo et Joanne evangelista, et aliis, tam ex Scriptura quam vitis sanctorum Patrum multorum.

Anonymus Clarevallensis. Pomum sphæricum, visu pulchrum, gustu suave, odoriferum, in palea maturescit, maturum pallescit [8].

Incumbens terræ pomum putrescit; adhærens
Ramo, conservat quem dat natura virorem.

(1) *Sancti, sive sacra Scriptura, in Cantic.* B-G. — (2) *Tibi.* Cant. VII, 13. — (3) *Pomorum, hoc est supplicia peccatorum* B-G Amos VIII, 1. — (4) *Portantes.* Job IX, 26. — (5) *Fructibus.* Cantic. IV, 13. — (6) *Convallium.* Cant. VI, 21. — (7) *Pomorum.* Cant. V, 1. — (8) *Pallescit.* Cf. Hugo *S. V.* t. II, p. 473.

Poma.

Prophetæ. Præcepta V. et N. testamenti.
Opera bona. Humilitatis signa.

Anonymus Trecensis. Nota quod multum deberet homo timere peccatum, quando pro uno solo morsu pomi, ita fuit vir sagittis vulneratus; unde versus :

Mors, morbus, calor, frigus, sitis, esuriesque,
Lassitudo quoque sunt in me, crede, sagittæ

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 613-620.

Punica mala tenent sub cortice grana rubenti ;
Pomorum fructus est blanda refectio denti.
Illos puniceo signari credo rubore,
Qui tinxere suo tortoris tela cruore ;
Dulcis pomorum fructus cor signat eorum
Qui sine martyrio præbent exempla bonorum.
Tales Ecclesia transmittit ad æthera flores,
Qui varios spargunt, tamquam paradisus, odores.

II. *Ibid.*, v. 963-964.

Hi qui sunt humiles convallis poma vocantur,
Hosque videt sponsus, et ab ipso semper amantur

III. *Ibid.*, v. 1135-1140.

Sponsa suo sponso nova poma simulque vetusta
Servat, dum Moysis libros Christique venusta
Verba pie recipit, veterem cum lege novella
Associans, cum felle sciens adjungere mella :
Hac in lege nova Christum sibi gaudet adesse,
Quem prius in veteri venturum noverat esse.

IV. *Ibid.*, v. 1173-1174. *Sub arbore mali.*

Suscitat Ecclesiam sibi subjectam mediator,
In cruce dum pendes, Deus, o mundi reparator.

XXVI.

1. Palma, justus : « Justus ut palma florebit [1]. »

2. Perfectio, vel victoria : « Et palmæ in manibus eorum [2]. » ÷ « Ascendam in palmam [3]. Debora sedebat subter palma [4]. »

÷ 3. Ecclesia, vel anima : « Et sicut palma, multiplicabo dies tuos. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10; ed. II, p. 745 ad 2.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 4, p. 464.

Gregorius M. Palma, quilibet justus. Unde : « Justus ut palma florebit. » — Ecclesia, in cujus persona beatus Job dicit : « Et sicut palma, multiplicabo dies [5]. » Sicut palma enim multiplicat dies, quæ etsi tarde proficit, semper tamen in sua viriditate perdurat. — Crux Christi, quæ rigida quidem et hispida videtur in ostensione corticis, sed dulcissimos fructus habet in exhibitione salutis ; unde Spiritus in Cantico dicit : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. »

Rabanus. Palma, Ecclesia : « Sicut palma m. d. » — Vita antiquorum : « Justus ut p. f. » — Crux Christi : « Ascendam in palmam, etc. » — Intentio recta : « Statura tua assimilata est palmæ [6]. » — Victoriæ spirituales : « Fecit cherubim et palmas [7]. — Præmia æterna : « Palmæ in manibus eorum. »

Petrus Capuanus et Garnerius Lingonensis. Processiones duas celebravit Dominus, et celebrandas nobis reliquit : scilicet illam, quam in ramis palmarum recolimus, et illam quæ in die Ascensionis celebratur : utraque de monte Oliveti in Jerusalem. Salvator enim noster cum magna gloria et processione solemni primo venit Hierosolymam ; secundo, de monte Oliveti in cœlum, quibus processionibus significantur duæ processiones spirituales [*vid. infra*, *cap.* X, *in* Cithara].

(1) *Florebit*. Ps. XCI, 13. — (2) *Eorum*. Apoc. VII, 9 — (3) *Palmam*. Cant. VII, 8. — (4) *Palma*. Jud. IV, 5. — (5) *Dies*. Job XXIX, 18. — (6) *Palmæ*. Cant VII, 7. — (7) *Palmas*. III Reg. VI, 19.

PETRUS CAPLANUS.

Palma

Mundi.	*Cœli.*
Sancta Ecclesia.	Crux Christi.
Justus.	Remuneratio æterna.

IDEM et AUCTOR *Distinctionum monast.*

Dicuntur sancti palma propter

Proceritatem.	Exaltationem ex oppressione.
Comarum multitudinem.	Foliorum conservationem.
Corticis ariditatem.	Fructuum dulcedinem.
Radicis asperitatem.	

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Palma.*

Ramos palmarum gestat victor vitiorum;
Gestat olivarum consolator miserorum;
Perfectus quisque ramis ornatur utrisque.

Palma significat Christum. Palma enim conservat folia sua sine successione: Christus firmat verba sua immobili veritate; unde ipse dicit: « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt[1]. » De ipso enim scriptum est in Psalmo: « Justus ut p. f. » Attribuitur tamen membris ejus, sicut et multa alia, quæ de eo scripta sunt.

Palma significat sanctam crucem, cujus pars creditur fuisse palma. Unde quidam ait:

In cruce sunt palma, cedrus, cypressus, oliva.

Prima syllaba[2], etc. De sancta cruce est illud sponsi in Canticis: « Ascendam in palmam, et a. f. e. » Sunt autem, ut mihi videtur, fructus ejus omnes electi. Vel fructus ejus sunt resurrectio, et ascensio in cœlum, et salus mundi. O fructus dulces! o dulce lignum! quod

Arbore de dulci nascuntur dulcia poma.

Hanc significari credo per illam palmam, sub qua sedit Debbora, judicans populum Israel[3]. Debbora enim quæ interpretatur Apis, prælatorum gerit figuram. Apis enim mel habet in ore et aculeum in cauda. Sic et prælati ecclesiastici habent dulcedinem misericordiæ et severitatem justitiæ. Sed cuilibet judicando prius offerunt, qui boni sunt, lenitatis dulcedinem; postea contemtoribus et se non corrigentibus, justitiæ rigorem; unde et baculus prælati ex superiori parte attrahit, et ex inferiori pungit. Sed necesse est ut sedes judicis sub palma sit crucis: videlicet ut, quando proximum judicat, crucifixum in memoria habeat, ne injuste eum judicet, et plus quam oportet, affligat eum pro quo Christus crucifixus est, qui judicat universos. Præterea sedes judicis sub cruce debet esse, non sub deliciis, ne prælatus libertate a Deo sibi data utatur in occasionem carnis, et audiat aliquando cum divite illo, qui epulabatur quotidie splendide: « Recepisti bona in vita tua[4]. » Nota, lector, quod justus comparatur palmæ propter radicis asperitatem; propter exaltationem ex oppressione procedentem; propter corticis ariditatem; propter proceritatem; propter foliorum conservationem; propter comæ pulchritudinem; propter fructuum dulcedinem.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Palma

Respicit in cœlum foliis, quæ marcida numquam
Spernunt successum, formasque gerunt gladiorum;
Grossescit sursum; tenuis, gracilisque deorsum,
Ad terram velli nequeunt a stipite rami,
Sed sursum; fructus dulcis, sed succus amarus;
Pondere plus crescit; fert centenaria fructum.

Palma.

Ecclesia.	Victoria spiritualis.
Vita antiquorum patrum.	Præmia æterna.
	Discipuli Domini.
Crux Christi.	Fidem specie tenus habens.
Intentio recta.	

(1) *Transibunt.* Matt. XXIV, 35. — (2) *Prima syllaba hujus vocis* cypressus *naturaliter brevis est: sed producitur propter mutam, et liquidam, quæ sequuntur, secundum illud:*

Syllaba quæ brevis est, muta liquidaque sequente
Longa potest fieri, sed longa nequit breviari.

Hactenus noster, eo loco, uti multoties, grammaticum se prodens et verborum quadam prurigine laborans: ea decuit in notis seponere. — (3) *Israel.* Jud. IV, 5. — (4) *Tua.* Luc. XVI, 25.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 1075-1090.

Subtus stricta manet, dum palmam crescere cernis;
Sed se dilatat in ramis illa superius.
Sic velut in primis pia mens ascendit ab imis,
Donec mandatum possit contingere latum . . .
Debet et hac palma crux Christi dulcis et alma
Recte signari, dignissima semper amari,
Dans dulces fructus et gaudia nescia luctus
Expellens væ! væ! quia fructus contulit Evæ
In cruce conscendit, ubi brachia sancta tetendit
Christus pro nobis, et ibi caro sancta pependit
Fructus inventos in sponsæ porrigit ore,
Dum sacra pro nostro mysteria complet amore.
De cruce surrexit; conscendit ad alta, resedit
Ad Patris dextram, qui numquam a Patre recedit.

XXVII.

1. NUCIS, incarnatio [1] : « Et Virga germinavit nuces [2]. »

2. Canon veteris testamenti. In Salomone : « Descendam ad hortum nucum, ut inspiciam poma convallis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Nuces, sancti viri, ut : « Descendi in hortum nucum. »

ALANUS. Nux, martyr; unde in Cantico : « Descendam in hortum nucum. » Nux tria habet in se : putamen exterius, testam, nucleum. Similiter martyr habet tria : defectus carnis, quasi putamen; carnem, quasi testam; animam, quasi nucleum. In fractura autem nucis projicitur putamen, testa frangitur, nuclei dulcedo gustatur : sic per martyrium, defectus humani desinunt esse in martyre; caro, quasi testa, quodammodo frangitur; et tunc in anima sanctus dulcedine æternæ beatitudinis delectatur. — Nux etiam solet dici Christus, quia in Christo fuit corpus, quasi putamen, exterius; anima, quasi testa; divinitas, quasi nucleus. Quamdiu Christus mansit in mundo, divinitas non apparuit in eo; sed, corpore separato ab anima per mortem, quasi fracta testa, homo sensit in nuclei dulcedine, quia liberatus est per divinitatis potestatem.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIII, art. 23. Nuces intelliguntur vel sancti, vel Scripturæ sacræ, vel etiam ipse Christus. In nuce autem tria principaliter attenduntur : cortex exterior, amarus; testa media, dura; nucleus interior, dulcis. Itaque in nuce prima, etc. [*vid. supra* : Nux, martyr, etc. *apud Alanum* [4]]. — Sed et in nuce Scripturæ eadem tria sunt manifesta : nam cortex exterior amarus in hac nuce est littera, quæ in multis locis amarum profert sensum. Nonne amara erat, ubi dicebat ut qui colligeret ligna in sabbato, lapidaretur? Testa dura est allegoria, quæ dura est et profunda ad intelligendum. Nonne dura fuit testa allegoriæ, ubi David qui commisit adulterium et homicidium, designavit Christum; et Urias, qui in facto illo etiam laudabilis fuit, diabolum significavit? Nucleus autem dulcis in hac nuce est moralitas, quæ cordis palato magis sapit et plus delectat. Nonne dulcis erat hic nucleus in hac nuce, quando per hoc quod in arca testamenti erat (virga Aaron, quæ fronduerat, et urna aurea, plena manna), designatum est quod in arca et corde prælati semper duo illa debent esse conjuncta : virga scilicet districtionis et manus dulcedinis? Sed et in nuce Christo sunt eadem [*vide supra Alanum*].

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Sacra Scriptura, vel fides, vel virtutes, ut : « Virga Aaron floruit, et nuces protulit. » — Per-

(1) *Incarnatio Salvatoris, sive mysterium Trinitatis, ut quidam putant, sicut in libro Numeri de virga Aaron dicitur* B-G. — (2) *Nuces*. Num. XVII, 8. — (3) *Descendi* E. *Convallium* A. Cantic. VI, 8. — (4) *Alanum*. Quæ quidem collatio, ut fontes utriusque indicat, ita causa est cur ad Alanum obiter redeamus.

fectio Ecclesiæ, ut : « Tres scyphi procedebant de candelabro in modum nucis. » — Anima, ut : « Descendi, etc. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 957-962.

Nux designat eos qui sunt extra patientes,
Gustum divinæ dulcedinis intus habentes.
Deforis apparent viles in carnis amictu ;
Sed refovent intus sancto sua pectora victu.
Justi mens nucis est hortus ; sponsus subit istam,
Quum dulcedo Dei facit hanc cognoscere Christum.
Hi qui sunt humiles convallis poma vocantur :
Hosque videt sponsus, et ab ipso semper amantur.

XXVIII.

AMYGDALUM, ecclesia primitiva[1] ÷ quæ ex Judæis credidit, ÷ vel fides eorum, quia prius floret omnibus arboribus : « Florebit amygdalus[2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, C. VI.

GREGORIUS M. Amygdali nomine primitiva designatur ecclesia, ut ibi : « Florebit amygdalus. » Primitiva enim ecclesia flores emisit, et mox locusta, id est gentilitas, gratiæ adipe impinguata, in odore illorum florum cucurrit.

PETRUS CAPUANUS ad litter. I, art. 80. *Quomodo Ecclesia dicatur amygdalus.* « Florebit, etc. » Hæc amygdalus plantata fuit ab Abel, qui fuit caput Ecclesiæ. Nonne jam plantabatur, quando respexit Deus ad Abel et munera ejus? Ramos protulit in patriarchis. Nonne ramos proferebat et expandit, quando Abraham genuit Isaac, et Isaac genuit Jacob, etc.? Folia, in Judæis, qui fructu operum carebant. Evangelium : « Non invenit in ea nisi folia. » Flores, in prophetis, qui nobis fructum promittebant, quando Isaias (sicut et cæteri prophetæ), tamquam flos fructum, Christum promittebat, inquiens : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium. » Fructum in Apostolis. Nonne fructum multiplicavit in Apostolis, quum dictum est eis : « Et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat[3]? »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Amygdala, scientia Scripturæ et sanctorum ; unde : « Tulit Jacob virgas populeas et amygdaleas[4]. » — Gloria corporum in resurrectione ; unde : « Virga Aaron portavit amygdalas. » — Labor continentiæ ; unde : « Virga vigiliarum[5]. » Alii interpretes : « Amygdalina. »

MORALITATUM liber VI, art. 3.

Amygdalus.

A pueritia Deo servientes.	Contritio.
Cura animæ in senectute.	Devotus et misericors.
	Cura pauperum.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Numer., v. 257-274.

Virga Levi viruit, inter virgas duodenas
Florens ; quæ remanent, absque virore manent
Sic Christi corpus, de mortis pulvere surgens,
Ad vitæ florem, morte stupente, redit.
Sed vice virgarum, quæ non habuere virorem,
Arida post mortem corpora nostra jacent.
Et veluti virga jucundis floribus, Aaron
Enituit merito presbyterique gradu ;
Florida sic Christi surrectio denotat ipsum
Esse sacerdotem, qui rogat ante Patrem.
Aaron virga, Dei Virgo peperisse feruntur,
Arida virga nuces, integra Virgo Deum.
Fert sine radice | Profert sine seminis usu
Arboris illa nuces, | Ætheris ista Deum.
Christum hominem, Christumque Deum pariente puella
Nux, favus, electrum prodit, imago trium :
Sicut enim ceræ mel, testæ nucleus, auro
Jungitur argentum, sic caro juncta Deo.

(1) *Ecclesiæ primitiæ, quæ ex Judæis credidit, in Salomone* B-G. — (2) *Amygdalus.* Eccle. XII, 5. — (3) *Maneat.* Joan. XV, 16. — (4) *Amygdaleas.* Genes. XXX, 37. — (5) *Vigiliarum.* Jerem. I, 11.

XXIX.

1. Oliva, Christus, vel Ecclesia : « Ego autem sicut oliva fructifera [1]. ÷ Et in Ecclesiastico : « Sicut oliva speciosa, fructifera, vocavit Dominus nomen tuum [2].» Et post pauca : « Exarsit ignis in ea. »

2. *Oleaster*, gentilis, vel peccator [3] : « Si autem tu ex naturali abscisus es oleastro [4]. »

÷ 3. *Olivæ*, misericordes : « Dabo in solitudine cedrum et lignum olivæ [5]. »

XXX.

1. Oleum, gratia Spiritus sancti : « Mel de petra, et oleum de firmissima petra [6]. Petra mihi fundebat rivos olei [7]. Computrescat jugum a facie olei [8]. » ÷ « Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ [9].

2. Opera misericordiæ : « Et caro mea immutata est propter oleum [10]. »

3. Testimonium conscientiæ bonæ : « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis [11]. »

4. Subtilis et blanda deceptio hæreticorum [12] : « Nitidius oleo guttur ejus [13]. » ÷ Et in Osee : « Et oleum in Ægypto ferebant [14]. »

÷ 5. Jesus : « Oleum effusum nomen tuum [15]. »

÷ 6. Fermentum blanditiæ in prædicatione : « Et appropians alligavit vulnera ejus, et infundens vinum et oleum [16]. »

÷ 7. Hilaritas mentis. In Evangelio : « Quum jejunas, unge caput tuum [17]. » Et in psalmo : « Ut exhilaret faciem ejus in oleo [18]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, edit. I, p. 10; ed. II, col. 746 A, ad XXX, 1, 6.

Gregorius M, ut supra XXIX, 1, et apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 9, p. 467.

Rabanus. Oliva, misericordia, ut : « Myrtum et lignum olivæ. » — Spiritus sanctus, ut : « Dixerunt olivæ : Impera nobis [19]. » — Persona justorum, ut : « Ego autem sicut oliva fructifera. » — Hypocrita, ut : « Quasi oliva projiciens florem suum [20]. » — Populus Judæorum, ut : « Mentietur opus olivæ [21]. »

Oleum, Spiritus sanctus, ut : « Computrescit j. a. f. o. » — Interna gratia, ut : « Petra mihi, etc. » — Devotio mentis, ut : « Afferant tibi oleum de arboribus [22]. » — Charitas, ut : « Oleum de capite tuo non deficiat [23]. » — Cordis testimonium, ut : « Acceperunt oleum in vasis. » — Consolatio, ut : « Infundens o. e. v. » — Fama divinæ laudis, ut : « Oleum e. n. t. » — Activus quilibet, ut :

(1) *Fructifera.* Ps. LI, 10. — (2) *Tuum.* Immo quære in Jerem. XI, 16, et cf. Græca LXX. — (3) *Peccator, homo sine fructu* B-G. — (4) *Oleastro.* Rom. XI, 24. — (5) *Olivæ.* Is. XLI, 19. — (6) *Petra.* Deuter. XXXII, 13. — (7) *Olei.* Job XXIX, 6. — — (8) *Olei.* Is. X, 27. — (9) *Lætitiæ.* Ps. XLIV, 8. (10) *Oleum.* Ps. CVIII, 24. — (11) *Suis.* Matt. XXV, 4. *Sumserunt* D-G. — (12) *Hæreticorum, sicut in Salomone de eadem prava doctrina dicitur* B-G. — (13) *Ejus.* Prov. V, 3. — (14) *Ferebant, hoc est ad sæcularium mentes decipiendas* B-G. Additur in D : *Oleum, sermo deceptoris. In psalmo : « Oleum autem peccatorum non impinguet caput meum* (Ps. CXL, 5). » — (15) *Tuum.* Cant. I, 1. — (16) *Oleum.* Luc. X, 34. — (17) *Tuum.* Matt. VI, 17. — (18) *Oleo.* Ps. CIII, 15. — (19) *Nobis.* Jud. IX, 8. — (20) *Suum.* Job XV, 33. — (21) *Olivæ.* Habac. III, 17. — (22) *Arboribus.* Exod. XXVII, 20. — (23) *Deficiat.* Eccle. IX, 8.

« Oleum et vinum ne læseris. [1]. » — Adulatio, ut : « Oleum peccatoris non impinguet caput meum [2]. »

Petrus Cantor. Olei natura est, ut inter omnes liquores superiorem locum semper teneat. Sic gratia Spiritus sancti excellentior est omnibus donis [*vid. supra* p. 7].

Oleum est necessitatis; unde : « A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt [3]. » — Bonæ conscientiæ, quæ est necessaria nobis ipsis ; unde : « Quinque autem prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis. » — Adulationis; unde : « Oleum autem p. n. i. c. m. » — Bonæ famæ, vel opinionis, quæ est necessaria proximo; unde : « Oleum e. n. t. » — Charitas, unde : « Propter hoc unxit te d. t. o. l. »

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de Olea*.

Esuries Nini
Fructus te poscat oli
Vivens sic vi
Quod tollat vita tibi
} ve.

Olea, vel oliva est arbor; oleum, vel olivum, liquor; bacca, fructus. Accipe exempla de singulis. Flaccus, in *Epistolis* [4] :

Ne percuncteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ.

Virgilius, in *Georgicis* [5] :

Seu quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus.

Et quidam, in rhythmo de vocatione gentium, immo conversione ad fidem :

Novus cultor creditus est vineæ ;
Oleaster insitus est oleæ.

Sanctus Ambrosius, de sancto Joanne apostolo, in hymno [6] :

Vinctus tamen ab impiis,
Calente olivo dicitur
Tersisse mundi pulverem, etc.

In Canticis sponsa de sponso : « Oleum e. n. t. » Oleum multa significat in sacra Scriptura, quia multæ sunt ejus proprietates, quæ notantur his versibus :

Est oleum pingue, calidum, nitidumque, suave;
Mitigat, et reficit, lucet, superenatat, ungit.

Hæc omnia spiritualiter invenies in Christo. Pinguis enim est, quia omni gratia plenissimus; unde in Isaia : « Panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis [7]. » Et in Genesi : « Aser, pinguis panis ejus [8], etc. » Calidus est, quia ignem venit mittere in terram, quid vult nisi ut ardeat? Et nitidus ipse est, quia « ipse est pulchritudo justitiæ, mons sanctus [9]. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum [10], et in illum desiderant angeli prospicere [11]. » Suavis est, quia « suavis Dominus universis [12], etc. » Mitigat ipse, quum dicit : « Discite a me quia mitis sum [13], etc. » Reficit, quia ipse est refectio nostra, qui dicit : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos [14]. » Lucet, secundum quod ipse dicit : « Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi [15]. » Superenatat, quia qui de cœlo venit, super omnes est [16]. Ungit, quia « unctio ejus docet de omnibus quos vult [17]. » Item oleum dicitur ab ἔλεος [18] græco nomine, quod interpretatur Misericordia ; unde oleum misericordiam significat. Est enim oleum misericordiæ et pietatis, quod Samaritanus infudit in vulneribus saucii. Unde Petrus Riga [19] :

Est oleum pietas; vinum compunctio culpæ :
Cuilibet ista duo sunt medicina reo.

Subintellige : pie pœnitenti. — Est oleum bonæ opinionis; unde secundum sensum moralem : « Oleum e. n. t. » — Est oleum charitatis; unde : « Oleum de capite t. n. d.; » id est, charitas de mente tua. — Est oleum serenæ conscientiæ ; unde : « Prudentes virgines, etc. » — Oleum significat gratiam doctrinæ; unde mulier Sareptana ex modico oleo multa vasa replevit, quia sancta doctrina ex paucis verbis in bonorum audito-

(1) *Læseris*. Apocal. vi, 6. — (2) *Meum*. Ps. cxl, 5. — (3) *Sunt*. Ps. iv, 8. — (4) *Epistolis*, lib. i, 16, v. 1, 2. — (5) *Georgicis*. Næ, idem Flaccus est, I Ep. i, 6. — (6) *Hymno*, in edit. Migne, t. iv, col. 1210. — (7) *Pinguis*. Is. xxx, 23. — (8) *Ejus*. Genes. xlix, 20. — (9) *Sanctus*. Jerem. xxxi, 23. — (10) *Hominum*. Ps. xliii, 12. — (11) *Prospicere*. I Petr. i, 12. — (12) *Universis*. Ps. xxxiii, 9. — (13) *Sum*. Matt. xi, 29. — (14) *Vos*. Matt. xi, 28. — (15) *Mundi*. Joan. ix, 5. — (16) *Est*. Joan iii, 31. — (17) *Vult*. I Joan. ii, 27. — (18) *Oleos*. Cod. Cf. Gregorii *Homil.* xv in Evangel. — (19) *Riga. Aurora*, in Evang., v. 2746, 2747.

rum mentibus multas generat virtutes. — Oleum significat infusionem gratiæ; unde : «Computruit j. a. f. o.; «quia captivitas nostra soluta est per gratiam Spiritus sancti. — Est oleum interioris lætitiæ; unde : « Unxit te Deus oleo lætitiæ[1]. » Hoc oleum est gaudium in Spiritu sancto. De hoc oleo est illud Psalmistæ : « Ut exhilaret faciem in oleo. »

Indicat exterius facies quod mens habet intus,
Est facies hominis lingua secunda sui[2];

quia mens gaudens faciem faciet jucundam; unde poeta :

Est cum lætitia pulchrior omnis homo.

— Est et oleum deitatis, quæ supereminet universis; unde est illa vox Christi : « Caro mea immutata est propter oleum[3]; » id est impassibilis, immortalis et incorruptibilis, sine corruptione præcedente, propter deitatis consortium. — Est oleum adulationis; unde : « Oleum peccatoris n. i. c. m. » Impinguat enim caput oleum peccatoris, ait beatus Gregorius, quum demulcet mentem favor adulantis[4]. Ergo adulator peccator est; ergo prælatis nostris placent peccatores, quia dubium non est quod eis placeant adulatores. Testis est ille qui ait : Potentum gratiam dat adulatio. Profecto, lector, scire te cupio, quod si modis aliis potentum gratia non acquiratur, odisse præstat : plus nocet horum amor. Si bonus sis, malis displicebis; non enim mentitur Scriptura quæ dicit : « Abominantur justi virum impium; et impii, eos qui in recta sunt via[5].»—Item Spiritus sanctus ad modum olei illuminat cæcos, pascit famelicos, penetrat duros, sanat ægrotos. — Oleum etiam, quia immiscibile est, significat deitatem.

Anonymus Clarevallensis. Oliva arbor pacis est; oleum dat; speciosa est; campos ornat; fructuosa est hieme; æstate viret; radicem habet amaram, stipitem erectam et decoram, virorem perpetuum, frondes flexibiles, fructum dulcem et utilem. Circa olivam, octo sunt notanda : locus, radix, robur, cortex, ramorum densitas, viror perpetuus, flos et fructus. Versus :

Campus, stips, robur, cortex, rami, viror et flos
Septem sunt, istis succedit fructus olivæ.
Campus, mens justi; stips est compassio; robur
Constans velle; pati, cortex; rami varii sunt
Effectus; hilaris animus viror est; miserendi
Signum est flos; fructus designat opus pietatis.
Semper oliva viret; arbor pacis, et amara
Germine; fecunda fructu, facilisque moveri.
In ramos tria dat, medicinam, pabula, lumen.

Oliva.

Misericordia. Hypocrita.
Spiritus sanctus. Populus Judæorum.
Persona justorum.

Oleaster, populus gentilis. Oleum, succus est olivæ, unde et ductum oleum. Pingue, suave, immiscibilis naturæ; de amaritudine procedit radicis, in pabulum luminis, in medicamentum vulneris, et in refectionem esurientis; et in cacumine crescit.

Irradiat, pascit, lenit, superenatat, ustos
Et fessos relevat, et pacem signat oliva.
Est oleum pingue, calidum, nitidum, penetransque.
Mitigat[6], etc.

Oleum

Spiritualis lætitia. tionis et doctrinæ.
Gloria conscientiæ. Ubertas divitiarum.
Misericordia. Puritas conscientiæ
Munda vita sanctorum. et plenitudo gratiæ.
Devotio mentis. Apertio divinæ Scripturæ.
Consolatio prædica- Ficta laus adulatoris.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1505-1518.

Aaron cum pueris summos notat ordinis alti
Pontifices, et eos qui sacra summa tenent[7].
Congruit his olei liquor, splendorque lucernæ,
Et bene mitratos illud et illa notant.
Est olei natura triplex : lucet, cibat, ungit;
Hæc tria mitratum debet[8] habere caput.
Lux cæcis, cibus est egenis, unctio morbis;
His jubar infundit, hos cibat, hosque fovet:

(1) *Lætitiæ*. Ps. xliv, 6. — (2) *Sui*. Crambe recocta, cf. et corr. p. 211, 218. — (3) *Oleum*. Ps. cviii, 24.—(4) *Adulantis*. Homil. xii, in Evangel. col. 1478 B. — (5) *Via*. Prov. xxix, 27. — (6) *Mitigat*. Eadem exstant supra, p. 381. — (7) *Sacrant* al. — (8) *Constat* al.

Lux est exemplo; cibus, dum pascit egenos;
Unctio, dum populis dulcia verba serit.
Igne lucerna micans tria dat : splendet, calet, urit;
Hæc tria præsul habet sub ratione trium :
Vita splendorem demonstrat; amore, calorem;
Et quia peccantes arguit, urit eos.

XXXI.

÷ 1. Unguentum, nomen Salvatoris. In Salomone : « Unguentum effusum nomen tuum [1]. »

÷ 2. Gratia Spiritus sancti. In Salomone : « Muscæ nocituræ [2], » id est Dæmones, « exterminant unguentum suavitatis [3]. »

÷ 3. Chrismatis unctio. In psalmo, ut quidam volunt : « A tempore [4] frumenti, vini et olei [5] sui multiplicati sunt [6]. » Et in Exodo plurima de hoc narrantur.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 29; ed. II, col. 767 C, ad 1.

Rabanus. Unguentum, pœnitentia, ut : « Attulit alabastrum unguenti [7]. » — Conversatio sancta, ut : « Domus impleta est ex odore unguenti. » — Dona sancti Spiritus, ut : « Fragrantia unguentis optimis [8]. » — Virtutes, ut : « Curremus in odore unguentorum tuorum [9]. » — Delectatio carnis, ut : « Vino pretioso et unguento impleamus nos [10]. »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 69.

Unguentum

Exterius.	*Interius.*
Bona fama.	Dona Spiritus sancti.
Salubria consilia.	Plaustrum contritionis, pœnitentiæ et satisfactionis.
Superius.	*Inferius.*
Plenitudo Spiritus sancti quæ fuit in Christo, ex diversis donis et aromatibus spiritualibus, quibus ipse a Patre unctus est visibiliter.	Exhibitio bonorum terrestrium, quæ exhibetur pauperibus.
Suprema glorificatio.	Oblectamenta illicitæ delectationis.

Quod quasi triplici unguento unxit Deus genus humanum triplici lege. Primo unxit nos Deus et genus humanum oleo legis naturalis, quæ designatur per oleum infirmorum. Hoc unguentum confectum fuit, quasi de herbis agrestibus, quia agrestes et rudes erant homines adhuc ante legem datam. In hac unguenti confectione duæ præcipuæ species sunt appositæ : una expulsiva, et alia consolidativa. Expulsiva mali est illud mandatum naturæ negativum, quod datur in Tobia : « Quod ab alio tibi oderis fieri, vides tu ne aliquando alteri facias [11]. » Hoc tamen etiam ab initio inditum fuit naturæ humanæ, per vim irascibilem, quæ est homini naturalis. Altera species consolidativa, est illud mandatum naturæ affirmativum, quod traditur in Evangelio : « Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos ea faciatis [12]. » Hoc tamen etiam ab initio inditum fuit naturæ humanæ per vim concupiscibilem, quæ concupiscit bonum, et est naturalis potentia animæ.

Secundo unxit Deus genus humanum oleo bonæ vitæ et legis scriptæ, et hoc est pretiosius unguentum, quod significatur per oleum sanctum quo inunguntur baptizandi. Hoc unguentum confectum fuit de speciebus divinorum mandatorum. De quibus specie-

(1) *Tuum.* Cant. I, 2. — (2) *Morituræ* D. — (3) *Suavitatis.* Eccle. X, 1. — (4) *A fructu* E. — (5) *Et olei.* Deest in B, C. — (6) *Sunt.* Ps. IV, 8. — (7) *Unguenti.* Marc. XIV, 3. — (8) *Optimis.* Cant. I, 2. — (9) *Tuorum.* Cant. I, 4. — (10) *Nos.* Sapient. II, 7. — (11) *Facias.* Tob. IV, 16 — (12) *Faciatis.* Matt. VII, 12.

bus aliquas determinat Deus quærenti in Evangelio : « Diliges Dominum Deum tuum. » Et addit : « Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum [1]. » Et quod hæ sint præcipuæ species in confectione hujus unguenti, insinuat dicens : « Ex his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. » Hæ species repositæ fuerunt in vase lapideo, scilicet in vase duarum tabularum, quas ibi reposuit etiam digitus Dei. Exodus : « Dedit Moysi, « completis hujusmodi sermonibus, « duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei [2]. » Scripsit in tabulis verba fœderis Christi. « Quumque descendisset Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, etc. »

Tertio unxit Deus genus humanum unguento pretiosissimo, quod fit de nardo, spica et speciebus aromaticis pretiosissimis; hoc est unguentum gratiæ donorum Spiritus sancti, quo unxit et perunxit ipse Deus genus humanum, die pentecostes, quando « factus est repente de cœlo sonus [3], etc. » Hoc unguentum per chrisma conficitur ex septem pretiosissimis speciebus, ex septem donis Spiritus sancti. Isaias : « Flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus [4], etc. » Plenitudo donorum fuit in Christo, et ex hac plenitudine repletus est mundus, maxime post resurrectionem. « Fracto enim alabastro » corporis Christi, in passione ejus, « ex odore » et fama ejus « repleta est domus » hujus mundi. Unguentum namque in vase, potest intelligi Deus in homine, vel Christus in lege, vel virtus et gratia Spiritus in mente justi. Frangitur alabastrum : patitur Christus, aperitur lex, moritur justus; et tamen in quolibet istorum, et maxime in morte Christi, domus impletur ex odore unguenti. Ante passionem namque unguentum erat clausum in vase, quia « nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuisset, ipsum solum mansisset; sed postquam mortuum fuit, attulit multum fructum [5]. » Hinc etiam post resurrectionem ait in Evangelio : « Nunc data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra [6]. »

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Exod., v. 1833-1852.

Præcipitur Moysi quod aromata sumat, inungat
Inde sacerdotes, sanctificetque Deo.
Ut fiat justus, fortis, prudens, moderatus
Præsul, vel major, vel minor, ista docent.
His oleum jungas, quod sanctum Pneuma figurat.
Ad plenum sancto Pneumate sanctus eris.
Hoc oleo, testante David, Christus fuit unctus,
Unguine lætitiæ quum Pater unxit eum.
Non ungentur eo carnes hominis, quia sancti
Flaminis unguentum carnea corda fugit.
Lege jubente, sacerdotes regesque dicabat
Unctio legalis; lex nova complet idem.
Non ungentur eo qui culpam Simonis æquant,
Qui vendunt, vel emunt, non sacra gratis habent.
Exsulat hic de plebe Dei qui peccat in istis :
Tales excludit Christus ab æde sacra.
Verba novæ legis species et aromata signant,
Ex quibus Ecclesiæ spirat amœnus odor.
Paulus in his sapiens fuit unguentarius, æque
Singula dispensans, et bene scripta tenens.

II. *Ibid.*, in II Reg., v. 242-255.

Hos populus non ferre valens sibi poscit inungi
Regem, par aliis gentibus esse volens.
Eligit ergo Deus ad regni sceptra Saulem :
Ungitur hic olei rore, jubente Deo.
Hac in parte quod est unctus, signare videtur
Christum, cui nomen unctio sancta dedit.
Omnem præcellens populum persona Saulis
Mirantesque oculos, attonitosque facit.
Exprimiturque per hunc Christus, qui præterit omnes,
Qui caput est nostrum; nos sua membra sumus
Hac in parte quod est reprobatus et expulit illum
Rex David, Hebrææ gentis imago fuit.
Namque sub adventu Christi nascentis, honorem
Regni regalis perdit Hebræa tribus.

III. *Ibid.*, V. 282-289.

Hinc Samuel Isai petit, in Regem David ungens,
Ex olei sacro rore, jubente Deo.
Iste notat Christum, quia Christus dicitur unctus :
Chrisma facit Christum; balsama chrisma creant.
Dux ovium fit rex hominum : sic a Synagoga
Transiit ad gentes Christus, easque regit.
Namque Jesus noster nunc est ablatus Hebræis;
Nunc gentes pascit, et dominatur eis.

(1) *Te ipsum*. Matt. XXII, 37, 39. — (2) *Dei*. Exod. XXXI, 18. — (3) *Sonus*. Act. II, 2. — (4) *Spiritus*. Is. XI, 2. — (5) *Fructum*. Joan. XII, 24. — (6) *Terra*. Matt. XXVIII, 18.

XXXII.

÷ 1. Radix, incarnatio : « Radix mea aperta est secus aquas [1]. »

÷ 2. Prædicatio : « Si senuerit in terra radix ejus [2]. »

÷ 3. Natura humana : « Lignum habet radices [3]. »

÷ 4. Occulta cogitatio : « Nec mittet in terra radicem ejus [4]. »

÷ 5. Origo. In Apostolo : « Quod si radix sancta, et rami [5]. »

÷ 6. Et in aliam partem, in psalmo : « Evellet radicem tuam de terra viventium [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10, ed II, col. 744 D.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 16, p. 475.

Gregorius M. Radix, incarnatio Dominica, unde Job : « Radix mea, etc. » Radix Ecclesiæ secus aquas nostræ mortalitatis aperitur, quum per assumtam humanitatem visibiliter nobis Deus majestatis ostenditur. — Radix, sancta prædicatio, ut de viro justo sub appellatione ligni beatus Job dicit : « Si senuerit i. t. r. e. » Justi enim radix in terra senescit, quum sancta prædicatio apud corda pravorum despicitur et vilescit. —Vel per radicem ipsa natura humanitatis exprimitur, quæ in terra senescit, quum, redacta in pulverem, deficit. — Radix, occulta cogitatio, sicut per Eliphaz de iniquo divite dicitur : « Non perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam. » Iniquus certe radicem suam in terram non mittit, quia numquam in æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem figit.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. — Radix, Christus, ut : « Radix Jesse, qui stat in signum populorum [7]. » — Incarnatio Christi, ut : « Radix mea aperta est secus aquas. » — Prædicatio, ut : « Si senuerit radix ejus. » — Anima hominis, ut : « Et radicem t. d. t. v. » — Progenies pravorum, ut : « Securis ad radicem arborum posita est [8]. » — Intentio, ut : « Mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum [9]. » — Suggestio hostis, ut : « De radice colubri egressus est regulus [10]. » — Fideles, ut : « Plantasti radices ejus, et implevit terram [11]. » — Cogitationes bonæ, ut : « Deorsum radices ejus siccentur [12], etc. »

Petrus Capuanus ad litt. XVII, art. 31. Radix Christi, Jesse. — Ecclesiæ, Christus. — Sanctorum, Ecclesia, vel firmitas et perseverantia bonorum operum. — Bonorum operum, voluntas bona, intentio pura et fides non ficta.—Fidei, prædicatio. — Futuræ gloriæ, fides et bona opera. — Omnium malorum, cupiditas, suggestio diabolica, vel cogitatio prava, et perniciosa obstinatio.

Omnia quæ in radice inveniuntur, Christum esse, si diligenter attendimus, possumus invenire. Radix enim provenit ex germine : et ipse Christus de radice Virginis processit, de quo Isaias [13] : « Suscitabo David germen justum, et regnabit rex. » Radix in corde terræ profundius infigitur, non in superficie : et Christus non in facie hominum fixit radices gloriæ suæ. Evangelium : « Ego gloriam meam non quæro [14]. »

(1) *Aquas.* Job XXIX, 19.— (2) *Ejus.* Job XIV, 8.— (3) *Radices.* Respicitur, nec fallor, ad Job XIV, 7. *Lignum habet spem ; si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant*, etc., ut supra.— (4) *Ejus.* Job XV, 29. — (5) *Rami.* Rom. XI, 16. — (6) *Viventium.* Ps. LI, 17. — (7) *Populorum.* Is. IX, 10. — (8) *Est.* Matt. III, 10. — (9) *Sursum.* IV Reg. XIX, 30. — (10) *Regulus.* Is. XIV, 29. — (11) *Terram.* Ps. LXXIX, 10. — (12) *Siccentur.* Job XVIII, 16. — (13) *Isaias.* Rectius Jerem. XXIII, 5. — (14) *Quæro.* Joan. VIII, 5.

Sed quanto profundius in corde terræ mittuntur radices, tanto altius ascendit arbor, quæ provenit ex ipsis : nam postquam posuerunt eum in monumento novo, crevit in « altum, et quia factus est Patri obediens usque ad mortem, ideo » et Deus Pater exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen [1]. » Radix origo est arboris : et ex radice Christo arbor illa magna quæ est Ecclesia, suberevit. Paulus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus [2]. » Radix etiam solet esse amara : et Christus amaritudinem mortalitatis nostræ gustavit. Nonne amara valde erat hæc radix, quum dicebat : « Tristis est anima mea usque ad mortem [3] ? » Et : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. » Et quando dederunt ei in escam suam fel, et bibere myrrhatum vinum.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Radix. { Incarnatio dominica. / Sancta prædicatio. / Aperta cogitatio.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 2454-2457.

Justo cultori qui flens modo semina spargit,
Lætitiæ surget centuplicata seges.
Flos Christum pascens erit in viridi paradiso :
Nam pascunt opera te, bone Christe, bona.

XXXIII.

÷ 1. BACULUS, disciplina legis : « Et ponens baculum super faciem pueri [4]. »

÷ 2. Consolationis sustentatio : « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt [5]. »

÷ 3. Cura pastoralis : « Renes vestros accingetis, et baculos habebitis [6]. »

÷ 4. Flagellum : « Contrivit dominus baculum impiorum [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 5 ad 1; ed. II, col. 738 c ad 1, 2, 3.

GREGORIUS M. Baculus, disciplina legis, quæ mortuum suscitare non valuit, donec ille venit, qui vitam in se credentibus dedit. —Sustentatio divinæ consolationis [*ut supra*]. — Cura pastoralis, ut ibi : « Renes vestros, etc. » Baculum namque in manu tenere, est pastoralem diligentiam operum exhibitione monstrare.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 17, p. 478.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. — Baculus, misericordia Dei, ut : « Virga tua, etc. » — Potestas regiminis, ut : « Judas Thamar baculum dedit [8]. » — Sustentaculum, ut : « Baculum senectutis meæ [9]. » — Lex, ut ad Giezi Eliseus : « Tolle baculum meum [10]. » — Diabolus, ut : « Contrivit Dominus baculum impiorum. » — Justitia, ut : « In baculo meo transivi Jordanem istum [11]. » —Crux, ut : « David contra Goliath venit cum baculo. » — Cura pastoralis, ut : « Tenentes baculos in manu. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Baculo*. Baculus multiplex est, et multa significat. Est baculus vindicans iniquitatem, id est mosaica lex, vel severior disciplina. Lex Moysis, baculus Elisei, mortem prodens, non vitam præbens. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnis ex lege esset justitia; sed « conclusit Scriptura

(1) *Nomen*, Phil. II. 9.— (2) *Jesus*. I Cor. III, 11. — (3) *Mortem*. Matt. XXVI, 38.— (4) *Pueri*. IV Reg. IV, 29.— (5) *Sunt*. Ps. XXII, 4. — (6) *Habebitis*. Exod. XII, 11.—(7) *Impiorum*. Is. XIV, 5.—(8) *Dedit*. Gen. XXXVIII, 18.— (9) *Mex*. Tob. V, 25. — (10) *Meum*. IV Reg. IV, 29. — (11) *Istum*. Gen. XXXII, 10.

omnia sub præcepto, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus [1]. » Severior disciplina baculus est, de quo ait Psalmista : « Virga tua, etc.; » id est minus flagellum et majus me consolantur, quia flagellat omnem filium quem recipit.

Bennoni ni fueris, Benjamin esse nequis.

Est baculus sustentans infirmitatem ; unde Anna, uxor Tobiæ majoris : « Heu ! mi fili, ut quid te misimus peregrinari, baculum senectutis nostræ. »

Est baculus simulans æquitatem ; iste est baculus arundineus, Pharao scilicet, rex Ægypti, id est discordiæ inventor et incentor, diabolus rex tenebrarum, qui transfigurans se in angelum lucis, in se confidentes decipit.

Est baculus indicans pastoralis officii dignitatem et potestatem. Si iste baculus supponatur mortuo in peccatis, credo quod non erit ei vox, neque sensus, id est neque vox prædicationis, neque sensus compunctionis vel compassionis ; sed magis accommodum est quod de baculo prælationis dicitur in Exodo ad eos qui agnum paschalem erant esuri : « Renes, ait, vestros, etc.; » quia antequam obtineat quis baculum prælationis, justum est ut sit corpore castus, quod figuratur per renum accinctionem ; et divina lege eruditus, quod figuratur per pedum calceationem. Hujus baculi tres partes tria significant prælato necessaria : prima pars significat misericordiam parcentem ; secunda, misericordiam subvenientem ; tertia, quæ infima est, justitiam punientem. Ecce in baculo prælati duo suavia contra unum severum posita sunt ; nec mirum : quum bubulcus contra unicum stimulum et cantum habet et sibilum. Ex forma igitur baculi sui docetur prælatus misericordiam superexaltandam esse judicio. De his tribus partibus baculi pastoralis, vel potius earum significatis, exstant hi versus inscripti baculo pontificis Parisiacensis [2] :

Attrahe per primum, medio rege, punge per imum ;
Attrahe, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.

Minus sufficienter de pastorali baculo quidam Lincolniensis versificatus est ita :

Curva trahit dociles, pars pungit acuta rebelles.
Per baculi formam, prælati discito normam.

Est baculus significans peregrinationem qui totus rectus, inferiorem partem ferro solet habere armatam : rectitudo baculi significat rectitudinem actionis ; fortitudo ferri, tolerantiam laboris, quæ peregrinanti necessariæ sunt. Iste significatus est per baculum Jacob fugientis Esau.

Est baculus brevis valde quem solent gestare quidam publice pœnitentes, quibus ob enormia scelera arctissima est indicta pœnitentia. Iste significat pœnitentiæ perfectionem, quæ rerum etiam necessariarum indicit parcitatem.

Est baculus pugilis certæ quantitatis et formæ ex utraque parte, id est superiori et inferiori, ad vulnerandum aptatus, legum sæcularium significans severitatem, quæ delinquentibus pœnam statutam sine retractatione irrogat.

Est baculus gigantum qui vulgo clava dicitur, inferiori parte tuberosus, significans violentam dominationem, vel immoderatam austeritatem. Hunc baculum moderni prælati plerumque tenent in manibus, subjectos suos non crocea pungentes, sed clava prosternentes. « Nolite timere, pusillus grex... »

... dabit Deus his quoque finem.

Veniet, veniet dies quando erunt primi novissimi, et novissimi primi.

(1) *Credentibus*. Galat. III, 22. — (2) *Parisiacensis*. Facilis suspicio erat eadem repertum iri apud Cantorem, videlicet in *Verbo abbreviato* (p. 169), sed nonnullis præmissis et additis, quæ forte curioso lectori repetita non displicebunt : « Prælatus habet regere, portare, et sustentare, exemplo sanctæ conversationis, verbo prædicationis, beneficio temporalis consolationis, suffragio obsequii et devotæ orationis ; qui ut auriga Ecclesiæ, sibilum et cantum et alia lenimenta habere debet, quibus demulceat et consoletur eam. Unicum etiam aculeum in manu, ut boves, id est carnem, quum recalcitrant, stimulet et flagellet ; ut composito gradu vehat sessorem suum, id est Spiritum sanctum, quod et in baculo pastorali notatur. Nunc autem bubulci nostri plures habent stimulos et causas pungendi, et nullum lenimen. Unde quidam :

Pastor, oves cura, sicut docet ista figura ;
Attrahe, etc. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in IV Reg., v. 268-275.

Dans famulo baculum, tardas, Elisæe; ministro
Nil agitur; surgit, te vemente, puer
Ille tuit baculus Moses; lex, nuntius ille;
Ille propheta, Jesus; nos sumus ille puer.
Nil confert puero baculi præmissio; vitam
Reddidit adventus huic, Elisæe, tuus.
Non hominem salvat præmissæ littera legis;
Corpimus adventu vivere, Christe, tuo.

XXXIV.

1. VIRGA, rigor disciplinæ [1] : « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt [2]. »

2. Sceptrum regiæ potestatis [3] : « Adoravit fastigium virgæ ejus [4]. »

3. Crux [5] : « Percuties petram virga, et dabit aquas [6]. »

4. Virtus et sapientia Patris. ÷ Alii vero virgam Sapientiam Patris intelligi volunt; quæ virga in serpentem conversa, magorum deglutivit serpentes [7], quia Sapientia Patris, per mortem carnis, occidit mortem.

5. Ecclesia [8] : « Redemisti virgam hæreditatis tuæ [9]. »

÷ 6. Virgo Maria : « Exiet virga de radice Jesse [10]. »

÷ 7. Virga, rectitudo : « Reges eos in virga ferrea [11]. »

÷ 8. Percussio : « Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian [12]. »

÷ 9. Disciplina monastica : « Quid est quod tenes in manibus? Virgam vigilantem [13]. »

÷ 10. Aliter virga, vigilantia legis et severitas [14] disciplinæ : « Percuties aquas virga, et convertentur in sanguinem [15]. »

÷ 11. *Virgæ tuæ*, plebs Judæorum et gentium. In Zacharia propheta : « Et assumsit mihi duas [16] virgas, unam vocavi Virorem, et aliam vocavi Funiculum [17]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 5; ed. II, col. 738 B ad 1, 7.

GREGORIUS M. Virga, rectitudo, sicut per Psalmistam Domino dicitur : « Reges eos in virga ferrea. » In virga nos Dominus conterit, dum dispensationis suæ forti rectitudine interius reficit, et exterius reficit; unde Apostolus hoc regimen exprimens ait : « Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem [18]. » — Virgæ percussio, sicut Domino gentilitatem liberanti per Isaiam dicitur : « Jugum oneris, etc. » Eripiens gentilitatem superavit jugum oneris ejus, quum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit et virgam humeri ejus, quum percussionem illius, quem ex perverso opere, graviter deprimebat, ab humano genere redemto compescuit. — Rigor disciplinæ, ut ibi : « Virga tua, etc. » Virga percutimur a Domino, [quando] districtio ejus disciplinæ nos coarctat ad pœnitentiam,

(1) *Correptio divina in psalmo* B-G. — (2) *Sunt.* Ps. XXII, 4. — (3) *Divinæ potestatis insigne, in Genesi* B, C; *insignia* D, E, G. Sed mendose citatur Genesis. — (4) *Ejus.* Hebr. XI, 21. — (5) *Aliter virga mysterium crucis, ubi et supra* B-G. — (6) *Aquas.* Numer. XX, 8. — (7) *Serpentes.* Exod. VII, 12. — (8) *Populus fidelis, in psalmo* B-G. — (9) *Tuæ.* Ps. LXXIII, 2. — (10) *Jesse.* Is. XI, 1. — (11) *Ferrea.* Ps. II, 9. (12) *Madian.* Is. IX, 14. — (13) *Vigilantem.* Jerem. I, 11. — (14) *Securitas* E. — (15) *Sanguinem.* Exod. VII, 20. — (16) *Assumsi duas* E. — (17) *Funiculum.* Zachar. XI, 7. — (18) *Diem.* II Cor. IV, 16.

et baculo, id est consolatione ejus, sustentamur, quum infusione gratiæ ducimur ad salutem.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 18, p. 479.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Virga, Verbum manens, ut : « Tenuit Moyses caudam, quæ versa est in virgam [1]. » —Humanitas Christi, ut : « Et virgam Aaron, quæ fronduerat [2]. » — Potestas Christi, ut : « Virgam virtutis tuæ emittit Deus ex Sion [3]. » —Vexillum crucis, ut : « Tulit Aaron virga coram Pharaone [4]. » — Mater Christi, ut : « Egredietur virga de radice Jesse. » —Fides, ut : « Virgam tolles in manu tua, in qua facies signa. » — Operatio, ut : « Virgam hæreditatis tuæ. » —Castigatio divina, ut : « Virgam vigilantem ego video. » —Terror legis, ut : « Auferat a me virgam suam [5]. » — Divina percussio, ut : « Virgam indignationis ejus [6]. » — Sententia judicis, ut : « Percutiet terram virga oris ejus [7]. »

Petrus Cantor. Virga Dei dicitur quandoque Virgo Maria, unde Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse, » id est de stirpe David. —Quandoque flagellum; unde : « Virga tua et baculus, etc. » —Quandoque regni stabilitas; unde : « Redemisti virgam h. t. » Item : « Virga directionis, virga regni tui [8]. » — Quandoque ipsa Divinitas, sive Christus; unde Jeremias : « Virgam vigiliarum ego video. »

Distinctionum monast. lib. V, *de Virga*.

Hæc tibi sit cara distinctio, lector, ut ara.

Virga, quæ est potestatis insigne, significat Christum, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra. Et vide quam recte : virga enim recta est, flexibilis, levis ad portandum, habilis ad feriendum [9]. Et Christus rectus est in judicando; unde reddet unicuique juxta opera sua. Flexibilis pœnitentibus, peccata remittendo, quia patiens et multum misericors est. Levis est ad portandum, gravia non imperando; unde Joannes in epistola canonica : « Mandata ejus non sunt gravia [10]. »

Ardua nulla bonis, spe sidereæ regionis.

Habilis ad feriendum, quantumcumque voluerit vindicare valendo, quia ei subest, quum voluerit, posse [11]. De hac virga intelligimus dictum esse illud propheticum : « Quid tu vides, Jeremia? Virgam vigilantem. » Vigilavit enim in resurrectione Christus, qui dormivit in morte, secundum quod dicit in psalmo : « Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi [12]. »

Per virgam designata est gloriosa Dei genitrix et Virgo Maria, secundum illud Isaiæ : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini. » Quod quidam versificator decenter exposuit, dicens :

Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem :
Et super hunc florem requiescit Spiritus almus.
Virgo, Dei genitrix, virga est; flos, Filius ejus [13].
—Pande mihi, quæso, quod quæro, summa Sophia :
Cur designetur per virgam Virgo Maria.
— Flexibilem, rectam, gracilem quoque respice virgam :
Sicque piam, justam, recoles, humilemque Mariam.

Est virga æquitatis et mensuræ : hæc est virga quæ dulcificat aquas Marath, id est mentes humanas instabiles et amaras. Ubi enim æqualitas tenetur, ibi pax habetur, et consequenter dulcedo; unde de monasterio, in quo habitavit Zozimas, pulchre ait Hildebertus [14] :

Par cibus et cultus procul abstulit inde tumultus.

Est virga correptionis et disciplinæ : hæc est virga quæ petram convertit in aquam, id est, duros et indisciplinatos mites facit et obedientes. Aqua ductile est elementum; quocumque duxeris sequitur : talis est plene obediens. Nota quod bis percussus est silex, antequam aquas funderet, quia

(1) *Virgam*. Exod. IV, 4. In *Alleg.* editis ita exponitur : « Quod electi in uno eodemque Christo Deum et hominem credunt. » — (2) *Fronduerat*. Hebr. IX, 4. — (3) *Sion*. Ps. CIX, 2. — (4) *Pharaone*. Exod. VII, 10. — (5) *Suam*. Job IX, 34. — (6) *Ejus*. Thren. III, 1. — (7) *Ejus*. Cant. III, 6. — (8) *Tui*. Ps. XLIV, 7. — (9) *Feriendum*. Eadem apud Hugon. S. V. *De proprietatibus et epithetis rerum*, t. II, p. 477. — (10) *Gravia*. I Joann. V, 3. — (11) *Posse*. Sap. XII, 18. — (12) *Exsurrexi*. Ps. III, 6. — (13) *Ejus*. Huc usque desumta ex antiquis liturgiis gallicanis, vel e responsorio Yvoni Carnotensi ascripto, quod etiam nunc cantatur apud Carmelitas. — (14) *Hildebertus*. Inter *Opp.* exstat ad *vitam S. Mariæ Ægypt.* cant. 1, v. 98, col. 1263.

gemina est virga disciplinæ, verberum scilicet et verborum. De virga verberum est illud : « Percute filium tuum virga [1], etc. » De virga verborum aut Isaias propheta de Christo : « Percutiet terram virga oris sui [2]. »

Est virga pietatis et clementiæ; hæc est virga aurea quam extendit rex Assuerus reginæ Esther.

Est virga humilitatis et obedientiæ; unde: « Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » Hæc sententia exposita est in distinctione *de Pulvere* [3].

Est virga catholicæ veritatis et divinæ sapientiæ; hæc est virga Moysis quæ devorat virgas magorum, quia sapientia Christi destruit sapientiam hæreticorum.

Est virga confractionis et vindictæ; unde: « Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos. »

Virgæ etiam typice appellantur subtiles sententiæ sacræ Scripturæ; unde legimus in Genesi, quod Jacob posuit in canalibus virgas populeas et amygdalinas et ex platanis [4]. Jacob typum tenet Christi; canales sunt sacri libri, sanctive doctores, quia per utrosque ad nos aqua sapientiæ salutaris transmittitur. In his canalibus posuit Christus virgas, id est rectas subtilesque sententias. Virga populea est : « Sint lumbi vestri præcincti [5]. » Populus enim arbor est frigidæ naturæ; et ideo significat castitatem, quæ carnis immunditiam cohibendo refrigerat. Virga vero amygdalina est : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde [6]. » Amygdalus enim arbor est temperatæ naturæ, lacteæ dulcedinis, fructus ferens; unde per amygdalum lenitas mansuetudinis figuratur. Virga ex platano est : « Diligite inimicos vestros [7], etc. » Platanus enim, quæ propter filiorum latitudinem dicitur a πλάτος, quod est latum, charitatem significat, quæ tam lata est, quod etiam ad inimicos extenditur. Et nota quod charitas triplici ratione lata dicitur : scilicet propter extensionem ad minimos, et propter comprehensionem mandatorum; unde omnis lex in uno sermone completur : « Diliges proximum tuum, sicut te ipsum [8]. » Unde sanctus Augustinus : Charitas est summum bonum, amplum donum, ex qua pendet omnis ordo præceptorum [9]. — Propter magnitudinem meriti et præmii, quia penes charitatem est omne meritum. Nam « et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest [10]. » Quæso te, lector, ut hunc amorem, quia charitas amor est spiritualis, humili precum postules instantia ab illo qui « dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo [11], » quatenus ipso largiente, possis ex sententia et finaliter dicere :

Sæpe tepent alii juvenes : ego semper amavi [12].

Et :

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori

Vive, vale, vigila, et ora pro me.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. II, v. 38-47.

I.

Quum dubitaret adhuc Moyses, dixit Deus illi :
« Quam gestas virgam, jace. » Jecit, et est draco facta.
Expavit Moyses. « Caudam, Deus, arripe, » dixit.
Arripit, et fit item quæ jam fuerat draco, virga.
Christum virga sonat, factum moriendo draconem,
Tolleret ut mortem, quam suaserat ante chelydrus.
Quod pavet atque fugit Moyses, fuga discipulorum.
Virga fit, appensa cauda, draco : Christe, resurgis.
Aut finem mundi serpentis cauda figurat.
Quis neget Ecclesiam per lubrica tempora volvi?
Decedentibus his, alii nascendo sequuntur.
Nam per serpentem mors emanavit in orbem.
Ceu cauda, sæcli reparamur fine supremo.
Ut Moysis virgæ cedunt obstantia quæque,
Sic pereunt vanæ Christi cruce philosophiæ...

(1) *Virga*. Prov. XXIII, 13. — (2) *Sui*. Is. XI, 4. — (3) *Pulvere*. Vide infra in altera parte. — (4) *Platanis*. Genes. XXX, 37. — (5) *Præcincti*. Luc XII, 35. — (6) *Corde*. Matt. XI, 29. — (7) *Vestros*. Matt. V, 44. — (8) *Ipsum*. Matt. XXII, 39. — (9) *Præceptorum*. Nihil apud Augustinum simile huic loco, Cisterciensibus et Cluniacensibus notissimo; apud illos enim in Responsorio dicto *Mandatum* celebratur. — (10) *Prodest*. I Cor. XIII, 12. — (11) *Suo*. Apoc. I, 5. — (12) *Amavi*. Ovid. *de Remed. am.* v. 7.

II. v. 63, 64.

Virga quidem Moysis fontes dulcorat amaros :
Dulcescit legis sapor insipidus cruce Christi

III. v. 151, 152.

Arida virga viret; frondes, florem quoque profert :
Virgo Maria parit, de qua Verbum caro prodit.

XXXV.

Sepes, fides [÷ vel ordo religiosus] : « Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber [1]. » ÷ Et in Isaia : « Et vocaberis ædificator sepium [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. « Sepes, angelica custodia : « Sepem circumdedit ei [3]. » — Præcepta bona : « Vocaberis æ. s. » — Populi gentiles : « Exi in vias et sepes, et compelle intrare [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 78.

Sepes

Suprema.	*Media.*	*Infima.*
Divina protectio. Angelorum custodia.	Fides. Doctrina.	Verba vitæ præsentis. Gentiles.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 600-607.

Sicut odor thuris. — Hortus conclusus.

Hortus conclusus, quem pingit gloria florum,
Exprimit Ecclesiam, quam ditat gratia morum :
Clauditur hinc hortus vallo fidei, vel amoris,
Ne reprobi valeant irrumpere claustra decoris.
Novit in altari pia mens incendere thura,
Quæ cœlos penetrat : thus est oratio pura.
Ergo vestis odor quasi thus redolere videtur,
Si sociando preces operi, mens sancta precetur.

XXXVI.

÷ 1. Rami, prædicatores : « Volucres cœli requieverunt in ramis ejus [5]. Albi facti sunt rami ejus [6]. »

÷ 2. Opera : « Alii cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via [7]. »

÷ 3. Desideria : « Montes Israel, ramos vestros germinetis [8]. »

÷ 4. *Rami*, vel *frondes arborum*, verba, vel sententiæ prophetarum : « Alii cædebant, etc. »

÷ 5. Successio. In Apostolo : « Si radix sancta, et rami [9]. »

÷ 6. Et in malam partem. In Salomone : « Et confringentur rami inconsummati [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Fucherius, ed. i, p. 10, ad 5, 6 ; ed. ii, col. 747 a ad 4, 5, 6.

Gregorius M. Rami, sancti prædicatores, in quibus volucres requiescunt, quia sanctæ animæ in eorum dictis et exhortationibus consolantur, ut ibi : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis, etc. » — Opera, ut ibi : « Posuit vineam meam desertam ; ficum meam decorticavit ; albi facti sunt rami ejus [11]. » Hæc est mens per jactan-

(1) *Coluber*. Eccle. x, 8. — (2) *Sepium*. Is. lviii, 12. — (3) *Ei*. Matt. xxi, 33. — (4) *Intrare*. Luc. xiv, 23. — (5) *Ejus*. Luc. xiii, 19. — (6) *Ejus*. Joel i, 7. — (7) *Via*. Matt. xxi, 8. — (8) *Germinetis*. Ezech. xxxvi, 8. — (9) *Rami*. Rom. xi, 16. — (10) *Inconsummati*. Sapient. iv, 5. — (11) *Ejus*. Joel i, 7.

tiam prodita, quæ et candida est per hoc quod cernitur; et siccitati proxima, per hoc quod humilitatis tegmine nudatur. — Verba, vel sententiæ Patrum, ut ibi : « Alii cædebant, etc. » Quod quidem illi faciunt, qui sententias ex eloquiis Patrum carpunt, et hoc in via Dei humili prædicatione submittunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 19, p. 481.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Ramus, bonus affectus : « Columba portans ramum olivæ, virentem foliis [1]. » — Voluptas carnis : « Applicuit ramos ad naves suas [2]. » — Doctrinæ : « Veniant volucres, et habitent in ramis. » — Bona opera : « Rami ejus pullulant [3]. » — Sententiæ : « Cædebant ramos de arboribus. » — Homines pravi : « Ramos ejus arefecit flamma [4]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Rami palmarum gaudium significant; cum quibus, in memoriam Dominicæ passionis, egrediuntur fideles extra muros civitatis, quasi obviam Domino. Et ideo debemus venire ei obviam, quia ipse prius venit ad nos, sedens super asinam, id est, humanam sumens naturam. Asina enim humanam naturam significat, quam Christus assumendo insedit. Et quare debemus ei obviare? Ecce. Ut ei vestimenta sternamus in via, id est, bene operando mortificemus corpora nostra; et cedamus ramos de arboribus, bonos proferendo fructus; et spargamus in via flores, rectas generando cogitationes, dicentes : « Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini [5]. » Usque ad crucem portantur, et ibi deponuntur, quasi dicat Ecclesia : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi [6]. » Usque ad crucem ideo obviando portantur, ut per hoc ostendatur, non esse speraudum in gloria mundi, quia « extrema gaudii luctus occupat. » Pro eadem significatione, in illa die, gaudio processionis subditur evangelium Dominicæ passionis. Et in illa exsultatione, flevit Dominus super Jerusalem, significans illud idem. In ramis palmarum patres nostri processioni addiderunt passionem. Processio illa die facta fuit a Christo; passio vero addita, quam sexta feria constat esse sequutam. Optime utique processioni addita est passio, ut discamus in nulla umquam lætitia hujus sæculi habere fiduciam, scientes quod extrema gaudii, ut dictum est, luctus occupat. Propterea non simus stulti, ut occidat nos nostra prosperitas; sed in die bonorum, non simus immemores malorum; et e converso. Et nota quod in evangelio, in quo fit mentio de pullo et asina, quod cantatur in Ramis palmarum, cantatur et in prima dominica Adventus Domini, quia per adventum Christi in carne, uterque populus liberatus est a jugo peccati : gentilis scilicet qui per pullum, et judaicus qui per asinam figuratur; et in Ramis palmarum ideo cantatur, quia per passionem Christi uterque salvabitur. Neuter enim salvaretur, nisi Christus pateretur. Alii [7] cædebant ramos de arboribus, sicut nunc prælati per doctrinam utriusque testamenti et exempla Patrum, ut fidem Abrahæ, castitatem Joseph, patientiam Job, vel Moysis, et hujusmodi. Alii sternebant vestimenta sua in via, retento aliquo vestimento, ut nunc activi qui de sua substantia sustentant pauperes. Alii omnia vestimenta sua, nullo retento, nunc sternunt in via, contemplativi scilicet, qui nudi nudum Christum sequuti sunt. Vestimenta in via sternere, est sese operum virtutibus exercere; isti sunt tres viri quos vidit salvandos Ezechiel [8]. Nota quod dicitur : Pueri Hebræorum, id est transeuntium. Veri siquidem sunt Hebræi, qui transeunt de Ægypto in desertum, deinde de deserto in terram promissionis, et in locum bonis operibus approbatum. Primus transitus est de vitiis ad virtutes; secundus, progressus virtutum; tertius, consummatio operum. Primi sunt incipientes, secundi progredientes, tertii pervenientes.

(1) *Foliis*. Genes. VIII, 11. — (2) *Suas*. Ezech. VIII, 17. — (3) *Pullulant*. Job XIV, 7. — (4) *Flamma*. Job XV, 30. — (5) *Domini*. Matt. XXI, 9. — (6) *Christi*. Galat. VI, 4. — (7) *Alii*. Quæ sequuntur usque finem, desunt in cod. Solesmensi. — (8) *Ezechiel*. Ad alia remittit auctor, et respicit ad ejusdem Ezech. XIV, 14.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVII, art. 30.

Rami

Gloriæ.	*Ecclesiæ.*
Sancti.	Judæi.
Sententiæ Scripturarum.	Correctio ecclesiastica.

— Rami animæ dicuntur virtutes. Ramus enim olivæ est dilatatio misericordiæ. — Ramus palmæ est spiritualis victoria. — Rami etiam gehennæ sunt hi qui aliorum exemplo corrumpuntur, et voluptates carnales.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Exod., v. 1995-1998.

Ramos corrumpit radix, vitiumque paternum
Redditur [1] in pueros, et facit esse reos.
Culpa prioris Adæ nascentes vulnerat [2] omnes;
Donec sanet eos unda sequentis Adæ.

II. In Deuteronom., v. 25-34.

Vicinum nemus altari plantare vetaris :
Talia ligna prope non amat ara Dei.
Silvæ ligna nitent [3] foliis, sed sunt sine fructu ;
Ut pascant oculos hæc ibi plantat homo.
Gentiles signantur in his qui verba colorant;
Qui pascunt aures, aurea dicta serunt [4].
Verbis frondescunt, sed non est fructus in actu ;
Simplicium mentes dulce loquendo movent.
Sed templum Domini tales excludit; abhorret
Verborum phaleras, verba polita fugit.
Est simplex verbum fidei custodia nostræ :
Namque sub eloquii melle venena latent.

Explicit prologus.

XXXVII.

÷ 1. FRONDES, legiones angelorum : « Platani non fuerunt æqui frondibus illius [5]. »

÷ 2. Reges Judææ : « Aquila grandis tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit [6]. »

÷ 3. *Folium*, sermo doctrinæ. In Psalmo : « Et folium ejus non defluet [7]. » Et in Apocalypsi : « Et folia ejus ad sanitatem gentium [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 10 ad 3 ; ed. II, col. 745 ad 3, *sed alio sensu*.

GREGORIUS M. Frondes, cœlestium spirituum legiones, ut de diabolo legitur : « Platani, etc. » — Judææ reges, ut ibi de typica aquila dicitur : « Summitatem f. e. e. ; » quia videlicet tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 20, p. 482, 483.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Folium, verbum, ut ibi : « Et folium ejus non defluet. » — Homo ipse, ut : « Contra folium quod vento rapitur [9]. » — Instabilitas, ut : « Cecidimus quasi folium, universi [10]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. II, *de Foliis*. Folia verba significant; unde de beato viro, id est Christo, prophetavit Psalmista, dicens inter cætera in laude ipsius : « Et folium ejus non defluet ; » id est, verbum ejus non erit irritum; unde ipse ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt [11]. » — Folia significant bona transitoria et caduca; unde Dominus comminando Judæis, quod bonis transitoriis, quæ valde diligebant, essent nudati, ait per prophetam, quod futuri essent « quasi quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua [12]. » — Folium significat hominis mobilitatem et inconstantiam; unde beatus Job : « Contra folium, etc., » id est contra hominem qui vento rapitur tentationis.

(1) *Tollitur* al. — (2) *Corripit* al. — (3) *Virent* al. — (4) *Ferunt* al. — (5) *Illius*. Ezech. XXXI, 6. — (6) *Evulsit*. Ezech. XVII, 4. — (7) *Defluet*. Ps. I, 3. — (8) *Gentium*. Apoc. II, 22. — (9) *Rapitur*. Job XIII, 25 — (10) *Universi*. Is. LXIV, 6. — (11) *Præteribunt*. Matt XXIV, 35. — (12) *Aqua*. Is. I, 30.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 2568-2573.

Quando virens folium video, mox spero futuros
Flores, qui pariant dulcia poma mihi.
Sic justos homines; hic in virtute virentes
Cœlestis vitæ germine, Christe, cibas.
Arboris illius folium non defluet in te,
Justitiæ per opus quod, pie Christe, viret.

XXXVIII.

÷ 1. CORTICIS nomine, sensus historicus : « Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, ex parte decorticavit eas[1]. »

÷ 2. Tegumen humilitatis : « Ficum meam decorticavit nudans, exspoliavit eam ; et cecidimus quasi folium[2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 21, p. 482.

GREGORIUS M. Cortex, sensus historiæ ; unde per Moysen de Jacob dicitur : « Tollens virgas populeas, etc. » Virgæ namque excoriantur, et ante gregum oculos statuuntur, quum historiæ sacræ sententiæ, superficiali sensu nudatæ, secundum puritatem mysticam, fidelium mentibus exponuntur. Tegumen humilitatis : « Posuit, etc. » [ut supra ad *Ramos*]. — Exteriora Patrum eloquia, seu apparentia bene inchoantium opera ; unde in Job de hæreticis dicitur : « Mandebant herbas et arborum cortices[3]. » Nam quum in aliorum actibus bona apparere conspiciuntur, mox ea manus pestiferæ exprobrationis avellunt.

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 72. Cortex Dei, cortex Scripturæ, cortex Ecclesiæ. Cortex Dei, fides sanctæ Trinitatis. Genesis : « Decorticavit Jacob tres virgas. » Cortex Scripturæ, littera. Genesis : « Detractis corticibus, candor apparuit[4]. » Cortex Ecclesiæ dicuntur activi. Canticum : « Sicut cortex mali punici, genæ tuæ[5]. »

Primus cortex est dulcis. Nonne dulcis erat hic cortex Petro, quando obtulit Domino partem piscis assi et favum mellis, fidem scilicet divinitatis et humanitatis ejus? Secundus, amarus. Nonne amarus erat cortex litteræ, quando Joannes accepit librum de manu angeli, et quum devorasset illum, amaricatus est venter suus? Tertius est in amaritudine, qui ad similitudinem Christi se mortificat. Paulus : « Si volumus conregnare, oportet et compati[6]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Deuteron., v. 113-122.

Quod petra mel peperit, oleumque refudit Hebræis,
Non habet hoc scriptum pagina tota vetus.
Mysticus est igitur sensus quærendus in istis :
Nostrum non recipit littera nuda stylum.
Est petra Christus homo ; mel sunt miracula Christi ;
Spiritus est oleum sanctus in igne datus.
Mollis petra dedit mel, dum Christus radiavit,
Vivus adhuc, signis eloquiique favis.
Sed petra firma dedit oleum, dum nostra resurgens
Vita sacri flatus munera larga pluit.

XXXIX.

÷ TRABS, peccatum majus, vel, ut quidam volunt, invidia. In Evangelio : « Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides[7] ? »

(1) *Eas.* Genes. XXX, 37. — (2) *Folium.* Joel I, 7. — (3) *Cortices.* Job XXV, 4. — (4) *Apparuit.* Genes. XXX, 37. — (5) *Tuæ.* Cant. VI, 6. — (6) *Compati.* Rom. VIII, 17. — (7) *Vides.* Matt. VII, 3.

XL.

Festuca, peccatum minus, sive iracundia cordis, ubi supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Festuca, perturbatio mentis, ut : « Videbis ejicere festucam de oculo f. t. » — Trabs, grave peccatum; unde in Evangelio : « Ejice prius trabem, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. xix, art. 108. Trabes bonæ sunt majores in Ecclesia, qui domum ipsam continent et sustentant. Regum : « Trabes autem posuit in domo, per circuitus [1]. » — Trabes malæ sunt graviora peccata.

Trabes autem ad litteram primo exciduntur de nemore; deinde a sua statura dejiciuntur; deinde dolantur, dum superflua resecantur; deinde quadrantur, dum per quatuor angulos formantur; deinde perpoliuntur, dum ad planitiem aptam deducuntur; et sic demum in structura domus disponuntur, dum in ædificio collocantur.

Ad hunc modum et spirituales trabes, id est sancti et majores in Ecclesia, primo de monte Libani exciduntur, dum a statura superbiæ, qua eruti videbantur in mundo stare, dejiciuntur. In Libano stabat et in candore mundi sublimis erat Dionysius Areopagita, quando magister in Areopago scholas regebat; sed præcisus est de Libano, quando ad prædicationem Pauli conversus, tandem in structura domus dispositus est, episcopus factus ad regimen aliorum. Succisæ trabes dolantur, dum, sanctis a superbia dejectis, per instrumenta divini verbi nodosa et superflua, id est peccata ab eis resecantur. Has trabes in securi et ascia dolabat Joannes, quum dicebat : « Genimina viperarum, jam securis ad radicem arborum posita est [2]. » Deinde trabes dolatæ, id est sancti, quadrantur, dum in istis quatuor virtutibus, scilicet fortitudine, prudentia, temperantia atque justitia firmantur. Sic quadrata fuit persona Joannis Baptistæ fortitudine, quia « zona pellicea circa lumbos suos [3]; » prudentia, quum dicebat : « Quis demonstravit vos fugere a ventura ira [4]; » temperantia, quia locustas et mel silvestre edebat; justitia, quia dicebat Joannes Herodi : « Non licet tibi habere uxorem fratris tui [5]. » Quadratæ trabes poliuntur, et ad planitiem deducuntur, dum sanctis virtutibus et bonis operibus ornantur, et, remoto omni scrupulo conscientiæ, ad planitiem et puritatem animi deducuntur. Sic et politus erat Job, qui erat vir simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo [6]. Sic aptatæ trabes in structura ædificii disponuntur, quia sancti virtutibus præmuniti in ædificio sanctæ Ecclesiæ collocantur. Sic aptatus erat Moyses, quando collocatus est in ædificio domus Domini, de quo legitur : « Erat autem Moyses mansuetissimus super omnes homines qui morabantur in terra [7]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 1408-1413.

Tollere festucam si vis de fratris ocello,
Quæ tua conturbat lumina, tolle trabem.
In trabe signatur odium : festuca figurat
Iram : magna cave, qui leviora notas.
Postquam purgatus fuerit tibi mentis ocellus,
Utilius fratrum corda movere potes.

(1) *Circuitus*. III Reg. vi, 6. — (2) *Est*. Matt. iii, 10. — (3) *Suos*. Matt. iii, 4. — (4) *Ira*. Matt. iii, 7. — (5) *Tui*. Marc. vi, 18. — (6) *A malo*. Job. i. 1. — (7) *Terra* Num. iii, 3.

LXI.

1. Flos, Christus : « Ego flos campi [1]. » ÷ « Egredietur virga de radice Jesse, flos de radice ejus ascendet [2]. »

2. Sancti : « Flores apparuerunt in terra nostra [3]. »

÷ 3. Casti : « Florete, flores, quasi lilium [4]. »

÷ 4. Favor laudis : « Numquid virere potest scirpus sine humore, aut carectum, sine aqua? Quum adhuc sit in flore, arescit [5]. »

÷ 5. Novitii : « Fulcite me floribus [6]. »

: 6. Gloria hujus sæculi. In Isaia : « Omnis caro, fenum; et omnis gloria ejus, quasi flos agri [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *in Decreto conc. Rom.*

Eucherius, ed. I, p. 10; ed. II, col. 743 ad 1, 2.

Orientius, *de Natiu. D. N.*, v. 6 et 146.

Gregorius M. Flos, Christus, ut ibi : « Et flos de r. e. a. » — Gloria præsentis vitæ, ut in Isaia : « Omnis gloria, etc. » — Favor laudis humanæ, ut sub appellatione scirpi de hypocrita dicitur : « Quum adhuc sit in flore. » Scirpus enim in flore est hypocrita. — Flores, animæ novitiorum, ut ibi : « Fulcite me floribus » Quæ enim præ absentia sponsi, amore languet, fulciri floribus appetit, ut interim, dum illum videre non permittitur, aliorum profectibus saltem consoletur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, c. 23, p. 483.

Isidorus, *Etymolog.*, lib. VII, c. 3, n. 38.

Rabanus. Flos, Christus, ut : « Ego flos campi. » — Decor mundi; unde : « Prætereat nos flos temporis. » — Teneritudo primæ ætatis, ut : « Quasi flos egreditur, et fugit [8]. » — Laus hypocritæ, ut : « Quum adhuc sit in flore, arescit. » — Initium boni operis, ut : « Lædetur, quasi vinea in primo flore [9]. » — Teneri et incipientes, ut : « Fulcite me floribus. » — Gloria vitæ præsentis, ut : « Omnis gloria q. f. a. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. VIII, p. 589.

Notker., *Sequent.* XXXVI, v. 9.

Petrus Cantor [*vide infra* Lilium].

Petrus Capuanus ad litter. VI, art. 53.

Flos

Gratiæ.	Sancti qui hic florent per bona opera et virtutes.
	Et tenelli, sive incipientes in Ecclesia.
Gloriæ.	Æterna remuneratio, Christus, qui est decus et gloria mundi.
Miseriæ.	Favor et gloria mundi, qua mali reputant se florere.

Flores culpæ sunt, de quibus reprobi dicunt in libro Sapientiæ : « Non prætereat nos flos temporis [10]. »

Distinctionum monasticar. lib. II, *de Flore.*

(1) *Campi.* Cant. II, 1. — (2) *Ascendet.* Is. XI, 1. — (3) *Nostra.* Cant. II, 12. — (4) *Lilium.* Eccli. XXXIX, 19. — (5) *Crescit.* Job VIII, 12. — (6) *Floribus.* Cant. II, 5. — (7) *Agri.* Is. XL, 9. — (8) *Fugit.* Job XIV, 2 — (9) *Flore.* Job XV, 33. — (10) *Temporis.* Sapient. II, 7.

Naturæ : *Occurrerunt turbæ cum floribus* [1]. — Solatur infirmos, pascit curiosos.

Picturæ : *In candelabro templi erant sphærulæ et lilia* [2]. — Exercet studiosos.

Fortunæ : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni.* — Colorat pomposos.

Est flos

Gratiæ : *Florete, flores, quasi lilium; date odorem, et frondete in gratiam* [3]. — Decorat sanctos.

Gloriæ : *Justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum* [4]. — Coronat beatos.

Flos [5] significat Christum, cujus vox in Canticis : « Ego flos campi. » Ita, Domine, quia tu es decor et decus mundi. Et nota quod physici dicunt id quod purissimum est in arbore, vel in herba, transire in florem : quod Christo aptissime congruit, qui naturam humanam, sine omni culpa et motu culpæ, accepit vel assumsit.

Flos significat beatam Virginem et Dei matrem Mariam : quod, quum innumeris possim probare exemplis, ob memoriam venerabilis viri magistri Hugonis, illud delectat ponere, quod ipse in laudibus beatæ Virginis, in quadam sequentia, ait [6] :

Ave, Verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati;
Sed tu spinæ nescia.

Flos significat boni operis initium; unde : « Flores apparuerunt i. t.; » id est initia bonorum operum in Ecclesia.

Flos significat honestum gestum exteriorem; unde : « Videamus si floruerint vineæ, si flores fructus parturiunt. » Hic fructus pro opere ponitur.

Floris nomine, speciali prærogativa, tum martyrium, tum designatur virginitas; unde in laudibus Ecclesiæ dicitur quod floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt [7].

Nam per bella rosas, per pacem lilia gignit.

Flores significant eloquia sacræ Scripturæ; unde Sapientia dicit : « Flores mei fructus honoris et honestatis. » Verba namque sapientiæ cœlestis flores sunt et fructus : flores historici, et fructus allegorici; flores in littera, fructus in spirituali intelligentia; nam sacræ paginæ verba secundum litteram flores sunt, quia etiam secundum eam docent et commendant honestatem, prohibent et reprehendunt turpitudinem. Porro, secundum spiritualem intelligentiam, fructus honoris et honestatis : honoris, propter rectam fidem; honestatis, propter bonam operationem; quia ipsa nos docent et recte credere et juste conversari. Per fidem enim honoramus, antequam bene vel male operamur; quia per eam gloriosi nominis participes efficimur, ut a Christo Christiani notemur. Deinde per bona opera honestamur.

Flores bonæ spei et sanctæ conversationis juvenes designant; unde etiam in Canticis : « Fulcite me floribus, stipate me malis. » Sancta namque Ecclesia vult floribus fulciri, id est laboribus juvenum sustentari : et quia res quæ fulcit, ei quam fulcit est inferior, vult ut juvenes qui fortiores sunt senibus per operationem, sint tamen inferiores per subjectionem. Eadem vult malis stipari, id est senum consilio muniri.

Flos, quia a Fluendo dicitur, caducam

(1) *Floribus*. Alludit ad Ps. process. Dnicæ palmarum. — (2) *Lilia*. Exod. xxv, 31. — (3) *Gratiam*. Eccli. xxxix, 19. — (4) *Dominum*. Ps. xci, 13. — (5) *Flos*. His Noster incipit, quæ rejicere in notis satius visum est : « Flos multiplex est : nativus, conditivus, interpretativus. Nativus est in arboribus et in herbis. Conditivus, in sculpturis, picturis, texturis. Interpretativus, in translationibus, schematibus et figuris. Hujusmodi ergo florem si vis invenire, quære in Scripturis. Ad florem interpretativum pertinet quidquid in quocumque laudabili rerum genere spirituali gratia nitet. Unde solet dici flos scientiæ, pulchritudinis, fortitudinis, ætatis, sanctitatis, et si volueris quærere, similia invenies. » — (6) *Ait*. Neque habent editi libri, neque meminere qui Hugonis opera descripserunt. — (7) *Desunt*. Post plures Beda in sermon. xviii *de Sanctis*.

hujus mundi gloriam figurat; unde : « Omnis caro, etc. » — Item est flos ætatis, sanctitatis, immortalitatis. De flore ætatis est scriptum : « Mane floreat et transeat [1]. » De flore sanctitatis : « Vineæ florentes odorem dederunt [2]. » De flore immortalitatis : « Justus, etc. » Flores significant virtutes : nam viola, humilitatem; lilium, castitatem; rosa significat charitatem.

Cur flos fert florem? Quia flos designat amorem

Anonymus Clarevallensis. 1. Flos visu delectat, odore reficit; spes est fructus; cito marcescit; ex puro aere nascitur; campum ornat; suavis est; cibus apum, non consumitur ab eis; frigore læditur; nativum colorem juxta genus suum habet [3]. Versus :

Flos tener et tenuis, lenis, levis et speciosus,
Fragrans, succosus, spem prætendit tibi fructus.

Flos.

Christus.	Laus hypocritæ.
Decor mundi.	Initium boni operis.
Teneritudo ætatis.	Teneri et incipientes.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 190-197.

Fulcite me floribus.

Per flores, teneras lactisque cibum sitientes
Accipe, perfectas per mala intellige mentes.
Sponsa quidem quæ sic languens in amore laborat,
Stipari malis, fulciri floribus orat :
Dum teneros et perfectos perquirit habere,
Per quos utilius possit divina videre,
Si quas virtutes imitari possit in illis;
Nam bona multa nitent in magnis inque pusillis.

Petrus et Ægidius.

Ibid., v. 280-288.

Flores apparuerunt in terra.

Flores in terra sunt veris tempore visi,
Dum sanctas recipit animas gremium paradisi.
Illic post mortem floret pia turba bonorum,
Quæ non torpuerat constricta gelu vitiorum.
* Ut sterilis [4] palmes a Christo vite putatur,
* Omnes damnandi quos, mox, postquam moriantur,
* Exitus iste manet, stygioque in igne cremantur.
* Sed veluti flores, justi sursum gloriantur,
* Et superi regis his atria condecorantur.

Herradis abbatissa.

In Horto deliciar., Rhythmus *de Nativ. Dom.*, fol. 89.

Veri floris sub figura,
Quem produxit radix pura,
Cleri nostri pia cura
Florem fecit mysticum;
Propter usum laicum,
Sensum trahens tropicum
Floris a natura.

Floris decor non decrescit,
Qui non aret, nec marcescit;
Sic flos ille casum nescit,
Quem produxit Virginis
Partus expers seminis,
Quem nostræ propaginis
Modus expavescit.

Aurum faber suo more,
Ignis domans in ardore,
Flexu duxit leviore :
Sic conflavit media
Ignem pium gratia,
Quo flecti justitia
Posset a rigore.

Ex hoc igne pietatis
Flos immersit veritatis,
In incude castitatis;
Quem faber Paraclitus
Formavit divinitus,
Inflectens humanitus
Aurum deitatis.

Sic flos multis argumentis
Scutum monet piæ mentis :
Sceptrum regis præpotentis
Auri signat pretium;
Rubor, latus saucium;
Splendor signat gaudium
Christi resurgentis.

(1) *Transeat.* Ps. lxxxix, 6. — (2) *Dederunt.* Cant. II, 13. — (3) *Habet.* Cf. Hugon. S. V., t. II, p. 467. (4) *Ut sterilis.* Loco sequentium versuum nonnulli codices legunt :

Nam citius reprobi, quasi sarmentum, resecantur,
Dum veluti flores justi sursum gloriantur.

XLII.

1. Paradisus, Ecclesia : « Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum, cum fructibus pomorum [1]. »

÷ 2. Serenitas conscientiæ : « Plantaverat autem paradisum [2], »

XLIII.

1. Hortus, internæ deliciæ paradisi : « Intra in hortum nostrum, soror mea, sponsa [3]. »

2. Ecclesia : « Hortus conclusus, soror mea [4]. »

3. Judæa [5] : « Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolas aromatis [6]. »

÷ 4. Casta anima : « Hortus conclusus s. m. »

÷ 5. Animæ plenæ virtutum : « Et eris quasi hortus irriguus [7]. »

÷ 6. Simulata opera hypocritæ. In Isaia : « Qui mundos se putabant in hortis [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Paradisus, Ecclesia, ut : « Plantaverat autem Dominus paradisum. » — Serenitas mentis, ut : « Emissiones tuæ, etc. » — Gloria temporalis, ut : « Terra universa irrigabatur, sicut paradisus [9]. » — Gaudium cœli : « De ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei [10]. »

Hortus, Ecclesia, ut : « Hortus conclusus, fons signatus. » — Mens sancta, ut : « Veniat dilectus meus in hortum suum. » — Cœlestis patria, ut : « Veni in hortum meum, soror mea, sponsa. » — Voluptas, ut : « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum [11]. » — Simulatio sanctitatis, ut : « Qui mundos s. p. i. h. » — Populus Judæorum, ut : « Dilectus meus d. i. h. s. »

Petrus Capuanus ad litt. viii, art. 24. — Hortus sextuplex legitur. Est enim hortus cœlestis patriæ, hortus Ecclesiæ, hortus sacræ Scripturæ, hortus mentis humanæ, hortus virginalis aulæ et hortus delectationis illicitæ.

In primo horto sunt aquæ refectionis. Psalmus : « Torrente voluptatis tuæ potabis eos [12]. » Sunt herbæ viriditatis. Ezechiel : « Pascam eos in herbis virentibus [13]. » Sunt arbores, scilicet eminentia angelorum. Ezechiel : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei [14]. » Sunt flores splendoris æterni. Psalmus : « Florebunt de civitate [15]. » Sunt fructus æternæ remunerationis. Evangelium : « Fructus vester maneat [16]. » Et hortulanus in illo est Deus Pater, ad cujus cultum omnia ibi disponuntur. Evangelium : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum [17]. »

In secundo horto, scilicet Ecclesia, sunt aquæ illius fluminis, qui currit cum impetu, scilicet Spiritus sancti. Sunt herbæ, scilicet viror fidei nostræ. Sunt arbores, id est sancti, inter quas etiam viget arbor illa vitæ, Christus. Sunt flores rosarum in martyribus, et lilia in virginibus. Sunt fructus redemtionis nostræ. Canticum : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus [18]. » Et in hoc horto hortulanus est ipse Chri-

(1) *Pomorum*. Cant. iv, 13. — (2) *Paradisum*. Genes. ii, 8. — (3) *Sponsa*. Cant. v, 1. — (4) *Mea*. Cant. iv, 2. — (5) *Populus Judæorum* B-G. — (6) *Aromatis*. Cant. vi, 1. — (7) *Irriguus*. Is. lviii, 11. — (8) *Hortis*. Is. lxvi, 17. — (9) *Paradisus*. Gen. xiii, 10. — (10) *Mei*. Apoc. ii, 7. — (11) *Olerum*. III Reg. xxi, 2. — (12) *Eos*. Ps. xxxv, 9. — (13) *Virentibus*. Ezech. xxxiv, 14. — (14) *Dei*. Ezech. xxxi, 8. — (15) *Civitate*. Ps. lxxi, 16. — (16) *Maneat*. Joan. xv, 16. — (17) *Regnum*. Luc. xxii, 29. — (18) *Ejus*. Cant. vii, 8.

stus, qui evellit evellenda, et plantat plantanda. Jeremias : « Posui te ut dissipes et evellas, et ædifices et plantes [1]. »

In tertio, scilicet Scriptura sacra, sunt aquæ litteralis intelligentiæ. Evangelium : « Implete hydrias aqua [2]. » Est et herba, id est planiora verba sacræ Scripturæ. Sunt arbores scientiæ Dei. Evangelium : Zachæus ascendit in arborem sycomorum, quia, nisi stultam Dei sapientiam apprehendamus, Christum videre non possumus. Sunt et flores diversarum sententiarum. Sunt fructus intelligentiæ Scripturæ. Hortulanus vero fuit primus Moyses, qui legem dedit; deinde Christus, qui Evangelium eduxit. Sed major hortulanus Christus; qui enim eam potuit mutare, demere, addere, tamquam potestatem habens.

In quarto horto, scilicet mente humana, sunt aquæ donorum Spiritus sancti. Sunt herbæ, viror mundæ conscientiæ. Sunt arbores bonarum voluntatum. Sunt flores virtutum. Sunt et fructus bonorum operum. Hortulanus in hoc horto debet esse ratio, quæ, tamquam vir, omnia debet in hoc horto disponere et ordinare, et per ipsum hortum quiete deambulare.

In quinto, scilicet utero virginali, fuerunt aquæ virtutum. Sapientia : « Quasi platanus, exaltata sum juxta aquas [3]. » Fuerunt herbæ bonorum operum. Genesis : « Producat terra herbam virentem [4]. » Qua adeo refertus fuit hortus iste, ut audierit ab angelo : « Ave, gratia plena [5]. » Fuit et arbor illa maxima de qua dicitur in Evangelio : « Granum sinapis crevit in arborem magnam [6]. » Fuerunt et flores liliorum, scilicet virginitatis integritas. Fuit etiam fructus ille, de quo Psalmus : « Terra nostra dedit fructum suum [7]. » Hortulanus in hoc horto fuit Spiritus sanctus, cujus operatione omnia acta sunt in hoc horto atque disposita.

In sexto horto, scilicet delectatione illicita, sunt aquæ libidinis, herbæ carnalium voluptatum, arbores malarum voluptatum, et malorum hominum flores, id est gloria vitæ præsentis, qua se florere existimant mali, fructus malorum operum. Hortulanus est diabolus, qui omnia in hoc horto disponit.

Ad primum hortum ascendit Paulus, quando raptus est ad tertium cœlum. Ad secundum descendit Christus, quando exinanivit semet ipsum formam servi accipiens. In tertio requievit Joannes, quando supra pectus Domini in cœna recubuit, ubi de fonte Dominici pectoris profundius arcana Scripturæ potavit. In quarto sepultus est Christus, quando posuerunt eum in monumento novo, quod excisum erat in petra. In quintum superferebatur Spiritus sanctus, quando salutavit Mariam angelus dicens : « Ave, gratia plena. » In sexto captus est Dominus, quando Judas venit cum militibus et cohorte.

Anonymus Clarevallensis. Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum ex græco in latinum vertitur. Hortus porro hebraice dicitur Eden, quod in nostram linguam deliciæ interpretatur. Quod utrumque junctum facit hortum deliciarum. Est enim omni genere lignorum et pomiferarum arborum consitus; habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æstus; sed perpetua aeris temperies. E cujus medio fons perrumpens, totum nemus irrigat, dividitur in quatuor nascentia flumina. Cujus loci aditus post peccatum hominis interclusus est. Septus est enim undique flammea rumphæa, id est, muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cœlo pene jungatur incendium. Cherubim quoque, id est angelorum præsidium, pro arcendis malis spiritibus, super rumphææ flagrantia ordinatum est; ut homines flammæ, angelos vero malos angeli submoveant, ne cui carni vel spiritui transgressionis aditus pateat.

Paradisus.

Ecclesia.	Gloria temporalis.
Serenitas mentis.	Gaudium cœli.

(1) *Plantes.* Jerem. I, 10. — (2) *Aqua.* Joan. II, 7. — (3) *Aquas.* Eccli. XXIV, 17. — (4) *Virentem.* Genes. I, 11. — (5) *Plena.* Luc. I, 28. — (6) *Magnam.* Matt. XIII, 31. — (7) *Suum.* Ps. LXVI, 7.

Hortus.

Ecclesia.	Voluptas.
Mens.	Simulatio.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Incipit Hortus deliciarum Salomonis.

Auster, adesto calens, aquilonis ut ira recedat,
Ut possit sterilis hortulus esse virens;
Illius ut flores crescant, et aromata stillent,
Et fructus faciant, imbre rigata tuo.

Plantavit Salomon hunc *Hortum deliciarum*,
Delicias capiens deliciosus homo :
« Nulla meis oculis, inquit rex, ipse negavi,
« Quæ cordi poterant esse decora meo. »
Altior hic cedrus et virgula balsama stillant ;
Hic vitis, palma, nux et oliva virent ;
Hic crocus, hic aloe, cinamomum, fistula, nardus,
Flos campi crescit, myrrha, cypressus ibi ;
Populus et laurus, ficus et castanea, buxus
Et pirus ; et mali punica mala rubent.
Hic rosa purpurea, candentia lilia, parvæ
Hic violæ redolent, hyssopus, herba brevis.
Regem quidquid odore, sapore, decore potentem
Delectare potest, hortulus iste parit.

XLIV.

1. AREOLA, Virgo Maria : « Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum [1]. »

2. Corda sanctorum [2] : « Areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Areolæ, doctrinæ virtutum, ut: « Genæ illius, sicut areolæ aromatum [4]. »— Humiles, ut : « Dilectus meus descendit, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Areolæ concavæ sunt, lapideæ, aquam ad hortum venhunt. Areolæ, corda plena charitate, ut : « Genæ, etc. » — Uterus beatæ Mariæ, ut : « Dilectus, etc. »—Anima devota, ut : « Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum [5]. »

PETRUS DE RIGA.

1. *Aurora*, in Cantic., v. 811-816.

Ipsos doctores et ductores animarum,
Qui legis hoc, poteris signare rubore genarum :
Qui dum pro Christo cum sanguine membra dederunt,
In faciem sponsi, quasi more genæ, rubuerunt ;
Qui velut areolæ pigmenti dona ferentes,
Virtutes spirant, Christum moriendo sequentes.

II. *Ibid.*, v. 876-885.

Sponsus ad areolam florum descendit in hortum,
In qua sanctarum pascatur odore cohortum.
Nam notat Ecclesiæ justos hic hortus amœnus,
Sanctorum meritis et sancto germine plenus.
Sumit in hoc horto pastum dilectus odorum,
Dum delectatur operum virtute bonorum.
Lilia pura legit, dum castos flore pudoris
Vestitos tollit ad præmia summa decoris.
Ut mecum maneat, dilecto præparo sedem ;
Ut me suscipiat, dilectus præparet ædem.

XLV.

1. AROMATA, virtutum odoramenta [6] : « Non sunt allata hujuscemodi aromata, sicut Saba regina dedit Salomoni [7]. »

÷ 2. *Pigmenta*, varia virtutum odoramenta : « Cum universis pulveris pigmentariis [8] ? »

(1) *Aromatum.* Cant. VI, 1. *Ascendit* B, C. *Aromatis* B, C, D. — (2) *Sanctorum, virtutum odore fragrantia* B-G. — (3) *Pigmentariis.* Cant. V, 13. — (4) *Aromatum.* Cant. V, 13. — (5) *Aquarum.* Ezech. XVII, 17. — (6) *Varia virtutum odoramenta, sicut in libro Regum de Sabæ regina* B-G. — (7) *Salomoni.* II Paral. VII, 9. — (8) *Pulveris pigmentariis.* Cant. III, 6.

VLTERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Aromata, sancti viri, ut : « Pertia hortum meum, et fluent aromata [1]. » — Bona opera, ut : « Odor unguentorum super omnia aromata [2]. » — Cogitationes mundæ, ut : « Messui myrrham meam cum aromatibus [3]. » — Orationum dulcedo, ut : « Mulieres portaverunt aromata [4]. »

Petrus Capuanus, ad litt. I, art. 81.

Aromata.

Virtutes.	Scripturæ sanctorum.
Opera bona.	Sancti.

Moralitatum liber VI, art. 2. Aromatica arbor has habet conditiones : 1. Ut dicit Isidorus [5], arbor aromatica aliquando aroma habet in cortice, aliquando in flore, aliquando in fructu : significat perfectos homines, odorem perfectionis sive perfectæ ædificationis spirantes, nunc ex austeritate vitæ, nunc ex morum honestate, nunc ex laudabilium operum sanctitate. Gregorius in *Moralibus* : Sicut aromata suam fragrantiam non nisi quum incenduntur, expandunt; ita sancti viri, omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Bernardus [6] in Sermonibus : Nonne qui pomum in manu sua portat dimidia die, reliqua diei parte servabit odorem? — II. Ut dicit idem, causa aromatis est quid siccum, aereum, subtile, et, secundum ejus dominium magis in una parte aeris quam in alia, est una pars magis aromatica quam altera; aliaque arbor est tota aromatica, secundum omnes sui partes : significat quod ille plus de odore sanctitatis in populo spirat, qui magis paupertati evangelicæ et vitæ contemplativæ accedit, et qui totaliter se dedit, utiliter ædificationem fragrantiæ sanctæ vitæ et suæ perfectionis fundit. Unde dicebat beatus Joannes, ut habetur in vita ipsius, allectus tali fragrantia Christi hominis : Odor tuus in me concupiscentias excitavit æternas. — III. Ut dicit Albumazar [7], arbor aromatica, et etiam communis, si fuerit plantata versus orientem, citius nascitur, et citius convalescit, et ampliorem odorem spirat : significat expositos soli justitiæ Christo, et inflammatos fervore amoris sui, animosius pullulare opera bona et exempla suavifica. Exemplum in apostolis, qui ex familiaritate Christi et gratia ejus, et ampliores virtutes fecerunt, et plus ædificaverunt, ut patet in historia ecclesiastica.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod. v. 1755-1772.

Fortia ligna setim faciunt altare secundum,
Ex quo spirat odor et thymiama frequens.
Ara prior notat Ecclesiam; Christum notat illud :
Solus in hoc præsul sacra parare potest.
Libera ligna Setim sunt a putredine : Christus
Sic fuit a culpa liber et absque nota.
Spina sonat vox ista Setim, quia spinea Christus
In cruce serta tulit, qui rosa nostra fuit.
Semper in altari vivit spirans odor : omnem
Sic replet Ecclesiam Christus odore suo [7].
Flos prati, flos hic vallis, flos dicitur agri,
Assimilans violas, lilia, sive rosas.
Flos prati, viola; flos vallis [8], lilia; campi
Flos, rosa; virtutum sunt tria forma trium :
Dicitur hinc humilis, hinc candidus, hinc rubicundus
Esse Jesus, sicut in Salomone legis.
Adveniens humilis, violam se monstrat; adæquat
Lilia, labe carens; fit moriendo rosa.

XLVI.

1. Prata, Scriptura patefacta : « Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes [10]. »

(1) *Aromata.* Cant. IV, 16. — (2) *Aromata.* Cant. IV, 10. — (3) *Aromatibus.* Cant. V, 1. — (4) *Aromata.* Luc. XXIV, 1. — (5) *Isidorus*, in Etymol. lib. XVII, c. VIII, de arboribus aromaticis multa disserit in genere, in specie vero vix nonnulla. — (6) *Bernardus.* Cf. serm. LI in CC. — (7) *Albumazar.* Cf. Vincentii Bellov. *Specul. nat.* lib. X, ubi simul exstant plerique supra laudati. — (8) *Agri*, ibid. — (9) *Virentes.* Prov. XXXII, 25. *Item in malam partem, in Salomone; nullum* B-G.

2. Latitudo vitiorum : « Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra [1]. »

XLVII.

1. Fenum, littera legis [2] : « ÷ Fecit eos discumbere super fenum [3]. »

2. Necessarius sanctorum victus : « Qui producit in montibus fenum [4]. »

÷ 3. Fragilitas humana : « Omnis caro fenum [5]. »

÷ 4. Peccatores. In Evangelio : « Si enim fenum quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur [6]. » In Job pro Zabulo dicitur : « Fenum ut bos comedet [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p. 9; ed. II, col. 744 B ad XLVII, 3, 4.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Fenum, res transitoria, ut : « Omnis caro fenum. » — Subsidia temporalia, ut : « Producens f. i. m. » — Simplex in fide, ut : « Ne læderent fenum terræ [8]. » — Opus bonum, ut : « Producat terra fenum viride [9]. » Carnalis, ut : « Behemot fenum ut bos comedet. »

Petrus Cantor. Fenum quandoque ponitur in designatione meritorum et justorum; unde Job de diabolo : « Fenum u. b. c. » — Quandoque in designatione hominum, sive humanæ carnis generaliter; unde : « Omnis caro fenum, et vere fenum est populus. » — Quandoque in designatione reproborum; unde : « Fenum quod hodie, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. VI, art. 61.

Fenum :
- Terræ, caro humana.
- Ecclesiæ :
  - Sancti.
  - Pascua sanctorum, id est verbum Dei.
  - Rudes et infirmi in fide.
- Tartari :
  - Superbia et jactantia vel gloria superborum, quæ cito arescit.
  - Carnales.

Distinctionum monasticarum lib. II, *de Feno*. Fenum nostram carnem mortalem propter nimiam fragilitatem et mutabilitatem significat; unde propheta : « Omnis caro, etc. » Et versificator :

Nos levis umbra sumus, nos actus turbine fumus.
Nos agri fenum, primum caro, postea cœnum.

Feni nomine carnis vitia designantur; unde legitur in Job de Beemoth, id est diabolo, quod fenum quasi bos comedet, quia ipse quasi stultus carnis vitiis pascitur. Super hoc fenum, sicut mihi videtur, jussit Dominus turbæ ut discumberet, id est carnis vitia premeret. « Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis [10]. »

Fenum facilem doctrinam significat, qua simplices pascendi sunt; unde : « Producens f. j. » Vel fenum jumentorum est terrenum subsidium corporum nostrorum; forsitan de hoc feno intelligendum est, quod ait Rebecca ad servum Abrahæ : « Palearum et feni plurimum est apud nos. » Sed nos de nobis hoc aliter et non minus vere, sed plus misere possumus exponere : « Palearum et feni plurimum est apud nos, » id est vanitatis et carnalitatis. Prævalent enim apud nos vana gloria et gula.

Fenum significat initium bonorum operum; unde legitur de Ægypto, quod locusta consumsit omne fenum in terra eorum, quia adulatores consumunt bona opera indiscretorum.

(1) *Nostra*. Sapient. II, 8. — (2) *Historica legis sive commoda temporalia* B-G. — (3) *Fenum*. Matt. XIV, 19. — (4) *Fenum*. Ps. CXLVI, 8. — (5) *Fenum*. Is. XL, 6; Dan. IV, 22. — (6) *Mittitur*. Matt. VI, 30. (7) *Comedet*. Job XL, 10. — (8) *Terræ*. Apoc. IX, 4. — (9) *Viride*. Genes. I, 11. — (10) *Concupiscentiis*. Gal. V, 24.

Fenum significat simplices in fide; unde præceptum est quatuor angelis ut non lederent fenum terræ, neque omnem arborem, id est incipientes, provectiores et robustos.

Fenum ponitur pro frumento in Genesi; unde : Terra producat omne fenum viride.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Pratum, quod protinus sit paratum, nec magnum laborem culturæ desideret. Prata autem, quod parata sint quæ secari possunt. Pratum viret; diversis floribus ornatur; visu delectabile; odoriferum; secatur; depascitur, et iterum sine cultura humana crescit.

Prata, cœlestium sacramentorum pascua, ut : « Aperta sunt, etc. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 8670-8705.

Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fena de montibus.

Splendida mysteria, cœlesti plena virore
Floreque divino, florida prata notant.
Quæ bene signantur viridis sub nomine prati :
Nam pascunt animæ per sacra scripta famem;
Tecta typis veterum legalibus atque figuris,
Nobis hæc prata clausa fuere diu.
Sed, veniente Jesu, panduntur pascua nobis :
Noscere enim per eum mystica quæque datur.
Discipulis sensum quando dedit ut sacra scirent,
Florida prata Deus tunc reseravit eis;
Quum biga cessavit Moysis, cœpitque per orbem
Lux Evangelii quatuor ire rotis.
Alta superborum fenum, de monte revulsum,
Cornua sunt, frangit quæ gravis ira Dei.
Vel patres veteres altos dicas fore montes;
Horum scripturas arida fena voces.
Pascua colligimus celsis de montibus istis :
De veteri lege lex nova sumta micat.
Lex nova dat nobis virides flores paradisi;
Lex vetus Hebræis arida fena dedit.
Non baculus, nec lex puerum de morte vocavit,
Sed præsens verus fert Elisæus opem.
Mel sugit e petra nova lex, quæ mystica scribit;
Pascitur hoc Christi melle redemtus homo.
Vel sic de monte fenum decerpitur alto,
Scinditur a sanctis quando superbus homo.
Ad bonitatis opus arentia corda figurat
Hoc fenum, quod tu, dira gehenna, cremas.
Vel dicas quod erat fenum de monte recisum,
Nudaris regno dum, Pharisæe, tuo;
Quando tibi vitæ lucrari prata negatur,
Et fidei flores advena turba legit.
Vel dicas quod erant reserata virentia prata,
Christo surgenti dum monumenta patent;
Dum, bone latro, tibi datur ingressus paradisi :
Quem nobis resera, Christe Redemtor. Amen!

XLVIII.

1. HERBA, viriditas æterna paradisi, et sanctarum animarum pascua : « Per me si quis introierit, salvabitur; et egredietur, et regredietur, et pascua inveniet [1]. In montibus excelsis Israel, ibi pascam eas in herbis virentibus [2]. »

2. Carnales [3] : ÷ « Germinabit terra herbas quasi salices. » ÷ In Job : « Huic montes, » id est luxuriosi divites, « herbas ferunt [4]. »

÷ 3. Doctrina, vel conscientia : « Onagri steterunt in deserto, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba [5]. »

÷ 4. Planior Scriptura : « Et mandebant herbas [6]. »

÷ 5. Sustentatio prædicatorum : « Producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum [7]. »

÷ 6. Bona operatio : « Germinet terra herbam virentem [8]. »

÷ 7. Verba loquentium : « Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram. Devorata est igitur herba terræ [9]. »

÷ 8. Et e contrario, de ariditate mentis, sive Judæorum, in Jeremia dicitur : « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. »

÷ 9. Vita mortalium. In Psalmo : « Mane sicut herba transeat [10]. »

(1) *Inveniet.* Joan. x, 9. — (2) *Virentibus.* Ezech. xxxiv, 13. — (3) *Vita carnis, in Job : h. m.* B-G. — (4) *Ferunt.* Job xl, 15. — (5) *Herba.* Jerem. xiv, 5, 6. — (6) *Herbas.* Job xxx, 4. — (7) *Hominum.* Ps. ciii, 14. — (8) *Virentem.* Genes. i, 11. — (9) *Terræ.* Exod. x, 15. — (10) *Transeat.* Ps. lxxxix, 6.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p 9 ; ed. II, col. 743 B, ad 6, 8.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 1, p. 592.

Gregorius M. Herba, viror gloriæ temporalis, ut ibi : « Mane sicut h. t.; » id est, in prosperitate hujus sæculi temporalis gloriæ decus velociter arescat. — Sustentatio prædicatorum, ut ibi : « Producit in montibus f., etc. » Nam, quum sublimes hujus sæculi ad fidei cognitionem vocantur, sanctis prædicatoribus in hujus vitæ itinere transitoria pabula, quasi montes frugiferi, largiuntur.—Bona operatio, ut ibi : « Germinet t. h. v.; » quia videlicet Ecclesia, divini verbi semine fecundata, operibus pietatis exuberat. — Scientia vel doctrina æternæ viriditatis accipitur, ut ibi in Jeremia : « Onagri steterunt, etc. » Quod utique de superbissimis Judæis dictum intelligitur, quibus herba defuit, quia ab eis internæ viriditatis doctrina cessavit.— Planiora sacræ Scripturæ, ut ibi : « Mandebant herbas et arborum cortices. » Herbas enim hæretici comedunt, quia de Scriptura sacra minora præcepta servant, majora contemnunt,—Verba loquentium, ut ibi : « Ventus urens levavit locustas, etc. » Herbam namque locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt.—Carnales quilibet, ut per prophetam de filiis Ecclesiæ dicitur : « Germinabunt inter herbas sicut salices, juxta præterfluentes aquas [1]. » Inter herbas enim viri spirituales germinant, dum, inter arescentem vitam carnalium, in multiplici numerositate pullulant, et perpetua mentis viriditate perdurant.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Herba, Christus, ut : « Numquid rugiet onager, quum habuerit herbam [2] ? » — Fides, ut : « Ultro terra fructificat primum herbam [3] » — Spiritualis quilibet, ut : « Quum crevisset herba, et fructum fecisset [4]. » — Sanctitas, ut : « Quasi imber super herbam [5]. »—Scientia bona, ut : « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba [6]. » — Bona actio, ut : « Germinet terra herbam virentem. » — Subsidium temporale, ut : « Et herbam servituti hominum. »— Gloria mundana, ut : « Mane sicut herba transeat. » — Dicta planiora, ut : « Mandebant, etc. »— Sententiæ veteris testamenti, ut : « Et egressus in agro, ut colligeret herbas [7]. »—Voluptates temporales, ut : « Hinc montes herbas ferunt. » — Gaudia æterna, ut : « Ibi requiescunt in herbis virentibus. » — Verba loquentium, ut : « Devoravit locusta herbam terræ. »

Petrus Capuanus ad litt. VIII, art. 25.

Herba

Exterior.	*Interior.*
Sustentatio temporalis.	Doctrina et plana verba Scripturæ.
Bona opera.	Viror virtutum.
Superior.	*Inferior.*
Viror felicitatis æternæ.	Infelix jucunditas vanæ gloriæ.
Ipse Christus.	Carnales voluptates.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 5313 sqq.

Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.

Exsultans animus ætatem flore decorat,
Arida sed tristis spiritus ossa facit.
Spina rosam pariat, vinum labrusca ministret;
Littera, mysterium; det velut umbra diem.
Quum præstolatur æterni gaudia fructus,
Intus hilarescit mente beatus homo.
Hunc vernare facit divini Flaminis imber,

(1) *Aquas.* Is. XLIV. 4. — (2) *Herbam.* Job VI, 1. —(3) *Herbam.* Marc. IV, 26-28?—(4) *Fecisset.* Matt. XIII, 26.—(5) *Herbam.* Deuter. XXXII, 2.—(6) *Herba.* Jerem. XIV, 6. — (7) *Herbas.* II Reg. IV, 39.

Ac operis sancti flore decorat eum.
Hujus floretat gaudens ætas sine fine per ævum;
Florens perpetuo nam rosa veris erit
Veræ mundanæ quem cura libidinis angit,
Semper avaritiæ qui mala lucra petit,
Fratris, sive Dei qui non pinguescit amore,
Nullum virtutis mens sua robur habet
Et licet iste foris aliquo videatur in actu
Esse bonus, torpet intus amore carens.
Aridus et tristis exsiccat spiritus ossa,
Robur virtutis quum caret imbre Dei.
Radices mentis Christi ros impluat, ut flos
Virtutis nostræ surgat ad astra virens
Amen

XLIX.

1. Lilium, Christus : « Ego flos campi et lilium convallium [1]. »

2. Sancti, vel virtus : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia [2]. » ; « Ut pascat in hortis, et lilia colligat [3]. »

3. Candor æternæ patriæ : « Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo : hastile ejus et calamos et scyphos et sphærulas ac lilia ex ipso procedentia [4]. »

4. Castitas : « Florete, flores, quasi lilium [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p. 10; ed. II, col. 744 B, C, ad 1.

Gregorius M. Lilium, candor æternæ patriæ; unde in candelabro tabernaculi lilia ex ipso procedentia fieri jubentur, quia per humanitatem Salvatoris ad candorem patriæ pervenitur.—Redolentia sanctorum opera; unde in Canticis : « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis [6]. » Electi enim ex utroque populo venientes, ut assequi summa prævaleant, conspectu odorifero et candida sanctorum vita satiantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 2, p. 594.

Rabanus. Lilium, candor divinitatis, ut : « Ego lilium convallium. »—Ecclesia, ut : « Sicut lilium inter spinas [7]. »—Beatitudo cœlestis, ut : « Scyphi, sphærulæ et lilia. » — Opera bona, ut : « Qui pascitur inter lilia. » — Sacræ Scripturæ, ut : « Qui pascuntur in liliis. » — Sanctitatis candores, ut : « Labia ejus, lilia [8]. » — Perfecti, ut : « Pascatur in hortis, et lilia colligat. » — Munditia carnis, ut : « Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis [9]. »

Petrus Cantor. Beata Maria lilio comparatur, propter quasdam lilii proprietates. Lilium namque prætendit candorem, spirat sive spargit odorem, vulneribus medetur, et de inculta terra nascitur, quæ omnia congruunt beatæ Mariæ.

Primo, propter candorem, quia est candida et immaculata; nam in utero fuit sanctificata : et quum tunc essemus tenebræ, nunc autem lux in Domino; et quum tunc essemus obscuri, modo lucidi (quia fulgebunt justi sicut sol; et æquales erimus angelis [10]): hæc namque virtutum candore et gratiarum venustate est insignis. Unde angelus dixit ad eam : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus [11], » id est plus quam omnes mulieres. Hæc namque est Virgo virginum, decus hominum, et ipsorum regina angelorum; supereminet patriarchis et prophetis, transgreditur apostolos; ita ut in universa veste, vel diademate capitis Christi, non invenies margaritam quæ huic possit comparari.

Secundo, propter odorem de unguentis optimis. Unguenta sunt optima gratiarum plenitudo, quibus, ut jam dictum, est sin-

(1) *Convallium.* Cant. II, 1. — (2) *Lilia.* Cant. II, 16. — (3) *Colligat.* Cant. VI, 1. — (4) *Procedentia.* Exod. XXV, 31. — (5) *Lilium.* Eccli. XXXIX, 19. — (6) *Liliis.* Cant. IV, 5. — (7) *Spinas.* Cant. II, 2. — (8) *Lilia.* Cant. V, 13. — (9) *Liliis.* Cant. VII, 2. — (10) *Angelis.* Matt. XIII, 43; Luc. XX, 36. — (11) *Mulieribus.* Obiter notare est *Salutationis angelicæ* exemplar sive *offertorium* Dom. IV Advent.

gulariter præventa. Cujus odor unguentorum allicit nos in fide et bonis operibus, vel ut duobus pedibus curramus in odore unguentorum suorum, sequentes vestigia ejus.

Tertio, propter vulnerum medicinam, quia per hanc novo et inaudito modo nostra sanata sunt vulnera. Hæc est virga de radice Jesse, de qua flos quidam primo pullulavit tener; sed mirabiliter ascendit, et crevit in arborem magnam, quæ dicitur lignum vitæ. Flos iste Christus est : primo quidem puer, cujus nomen sciebatur a paucis, et fides suscipiebatur a paucioribus; sed post manifestavit se, docendo et mira faciendo, mortuum etiam quatriduanum jam fœtentem suscitando. Unde lignum vitæ merito dicitur; unde Salomon : « Sapientia est lignum vitæ omnibus amplectentibus eam [1]. »

Quarto, propter incultam terram, unde fuit orta : huic enim pater fuit Joachim, et mater Anna. Isti erant Judæi ritu, et genere privati. Ecce inculta terra, de qua, velut lilium, orta est beata Maria, Virgo virginum gloriosa.

Petrus Capuanus ad litt. xi, art. 11.

Lilia

Sanctitatis.	*Castitatis.*
Sancti, vel bona opera.	Sancta Ecclesia.
Sacra Scriptura.	Lilium candoris virginalis.

Æternitatis.

Vita beata.
Christus.

Lilia autem ad litteram candida sunt et odorifera, et in altum conscendunt per stipites, et in frondibus recurvata sunt versus terram.

Ergo et prima lilia sanctitatis, sive ipsi sancti, candida sunt propter innocentiam; odorifera, per bonam famam; et in altum sustolluntur per conversationem sanctam; recurvantur ad terram propter humilitatem. — Secunda lilia sanctitatis, sive Scriptura sacra, candida sunt, per sinceritatem scilicet et puritatem; odorifera ve redolentia fiunt per suavitatem; sustolluntur in altum per altiorem doctrinam; recurvantur ad terram, id est terrenos, humiles atque infirmos, per simplicem intellectum.

Primum lilium castitatis, seu sancta Ecclesia candida est per munditiam. Odorifera est per diversarum virtutum fragrantiam : redolet namque in sancta Ecclesia flos rosæ per martyrium; flos lilii, per castitatem; flos violæ, per humilitatem, et sic de cæteris. In altum sustollitur per contemplationem. Ad terrena tamen curvatur, dum considerat atque deplorat mundanam conversationem.— Secunda lilia castitatis, sive virginitatis, sunt candida per carnis integritatem; odorifera sunt et redolentia per devotionis sanctitatem; in altum sustolluntur, non in carne quidem, sed supra carnem et angelice viventes : propter quod et in tabernaculo Domini supremum operimentum erant pelles hyacinthinæ; recurvantur tamen ad terram, quia dum in carne sunt, in terra sunt, quæ eis spinas et tribulos germinat. — Inter hæc tamen lilia, lilium beatæ Mariæ Virginis præcipue pullulavit. Quæ candida quidem fuit per carnis integritatem, quia virgo ante partum, in partu, et post partum. Odorifera, per mentis devotionem. Canticum : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii[2] ? » In qua tantus fuit odor diversarum virtutum, ut audire mereretur ab angelo; « Ave, gratia plena[3], » Nonne ferebatur in altum, quando ipsum etiam regem angelorum lactabat, ubere de cœlo pleno[4] ? Et semper etiam alta et cœlestia meditabatur, quia « conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo[5]. » Tamen curvabatur ad terram, quia necessitati proximorum sollicite intendebat. Nam et affuit Elizabeth cognatæ suæ, usque

(1) *Eam.* Prov. iii, 18. — (2) *Pigmentarii.* Cant. iii, 6. — (3) *Plena.* Luc. i, 28. — (4) *Pleno.* Antiphon. Brev. Cisterc. Cf. p. 252, et Brev. monastic. ad 8 ix in Circumcis. — (5) *Suo.* Luc. ii, 19.

ad partum pueri, quem dicitur levasse de terra.

Prima lilia æternitatis, scilicet vita beata, candida sunt per stolam innocentiæ et immortalitatis; odorifera sunt per omnimodam jucunditatem; in altum sita sunt, ubi fur non appropiat, nec tinea demolitur [1]. « Ascendere eum oportet, qui illuc vult accedere. Curvantur tamen ad terram, dum ipsa præmia cœlestia terrenis postponuntur. Hæc lilia nascuntur in horto cœlestis patriæ, in quo angeli spatiantur. — Secundum lilium æternitatis, scilicet Christus, candidus fuit per immunitatem peccati. Isaias : « Ecce apparebit Dominus super nubem candidam [2]. » Odoriferum fuit per donorum et gratiarum plenitudinem. Evangelium : « Domus impleta est ex odore unguenti [3]. » In altum ascenderat per divinitatem. Evangelium : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. » Sed curvabatur tamen ad terram per humanitatem. Evangelium : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [4]. » Vel in altum conscendit per miraculorum operationem. Nonne ascendit in cœlum, quando alta voce clamavit : « Lazare, veni foras [5] ?» Sed ad terram curvatus est per passionem. Evangelium : « Tristis est anima mea usque ad mortem [6]. » Et præcipue curvatus fuit in cruce. Nonne curvatus fuit ad terram, quando Joseph ab Arimathæa petiit corpus Jesu, et involvit in sindone, et posuit in monumento?

Distinctionum monasticarum lib. I, *de Campo* [*vid. supra*, p. 128].

Moralitatum lib. VI, art. 91. Lilium has habet proprietates, sive conditiones : I. Ut dicit Isidorus [7], est lactei coloris herba, cujus candor quum sit in foliis, auri species intus fulget : significat electorum sanctorum innocentiam, sive pudicitiam in sermonibus et moribus, et sapientiam cœlestem in intellectibus et affectibus. Et hoc est quod Tiburcius, frater Valeriani, inter sacra colloquia et evangelica exempla beatæ Cæciliæ et sponsi ejus adveniens, dixit : Miror hoc in tempore, rosæ et liliorum odor unde respiret [8].—II. Ut dicit idem, virorem habet in stipite : significat virum bonum semper virere fide, spe et charitate. — III. Ut dicit idem, habet eximietatem in odore : significat bonæ famæ suavitatem, sive sanctæ vitæ suaveolentem ædificationem. Unde cantatur in Ecclesia, tempore paschali [9] : Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.—IV. Ut dicit idem, habet folia candidissima et expansa : significat puritatem et dilatationem interiorum. Gregorius [10] : Fixum tene, Petre, quod loquor; quod animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Hoc dicit sanctus propter sanctum Benedictum, cui in oratione constituto, de profunda nocte, in uno solis radio totus mundus collectus apparuit, dilatatione interiorum, non reseratione seu restrictione elementorum.—V. Ut dicit Dioscorides, Platearius, Plinius, Aristoteles [11], etc., significat lilium in prælibatis castitatem virginalem. Exemplum in beata Maria, quæ ob amorem virginitatis tot et tanta potuit. Exemplum in beatis virginibus Agnete, Lucia, Agatha, Cæcilia, Catharina et Margareta, quæ ob possessionem et adamationem hujus virtutis stupenda effecerunt, et de omnibus mortalibus tormentis et tyrannis sacrilegis triumphaverunt, sicut habetur in earum Legendis. Unde et angelus detulit beatæ Cæciliæ et sponso ejus, propter castitatis adamationem, duas coronas, coruscantes rosis, et liliis albescentes [12].

(1) *Demolitur*. Luc. XII, 33. — (2) *Candidam*. Is. XIX, 1. At ibi Vulgata legit : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem*. — (3) *Unguenti*. Joan. XII, 3. — (4) *Nobis*. Joan. I, 14. — (5) *Foras*. Joan. XI, 43. — (6) *Mortem*. Matt. XXVI, 36. — (7) *Isidorus*. In Etymol. l. XVII, c. 9, n. 18. — (8) *Respiret*. Cf. D. Prosp. Guéranger, *Hist. de S. Cécile* (p. 75, 2e édit. Paris, 1855). — (9) *Paschali*. Brev. in Comm. Mart. tempore paschali, ant. 1, ad Laud.— (10) *Gregorius*, lib. II, *Dialog*. c. 35. — (11) *Aristoteles*. Quorum et forsan aliorum mittimus testimonia illuc congesta, quæ pariter collegit Vincentius Bellovacens. lib. XI. — (12) *Albescentes*. Cf. *Hist. de S. Cécile*, p. 75, cad. edit.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Hirsutus truncus, in summo planus, et altus;
Cui folium longum, strictumque, virensque, reflexum;
Enses sanguineos sex promit et aurea grana;
Flos candens tumet, ut campana; remissus honeste,
Curvatur; spernit fructum; cui clava tricornis
Pallescit; radixque medetur, et alba velut flos,
Integer est redolens; et fructus olens amat umbras;
Turbat odor cerebrum; in convalli capit ortum;
Et si sub tecto plantetur, divo se repræsentat [1].

Lilium.

Candor divinitatis. Opera bona.
Ecclesia. Sanctitatis candores.
Beatitudo cœlestis. Munditia carnis.
Sacra Scriptura.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 327-332.

Pascitur inter lilia.

Dilecti sponsi teneo constanter amorem,
Qui mihi dat firmum fidei servare tenorem.
Lilia designant animas quas carnis honorat
Candor virgineus, et splendida fama decorat.
Pascitur inter eas, quia delectatur earum
Munditia sponsus, et nil ibi sentit amarum.

II. *Ibid.*, v. 823-828.

Labia ejus lilia.

Cur sponsi labia dicantur lilia, cerne:
Sancti doctores sunt lilia, sive lucernæ;
Nam qui verba serit sacra, debet habere nitorem
Sinceri cordis, et puræ carnis honorem;
Utque bonæ famæ populis dispergat odorem,
Et lucens aliis, fraternum servet amorem.

III. *Ibid.*, v. 882, 883.

Lilia colligat.

Lilia pura legit, dum castos, flore pudoris
Vestitos, tollit ad præmia summa decoris.

IV. In Evangel., v. 1382-1395.

Considerate lilia agri.

Et cur sollicitat tua pectora vestis? Agrorum
Lilia, quæ pingunt florida prata, vide.
Non instant operi, non nent, non stamina ducunt:
Et tamen insignis induit illa decor.
Præcellens Salomon, qui cultu floruit omni,
Non ita præclaro tectus honore fuit.
Quæ gemmæ, quæ picturæ, quæ purpura regum
Sic rident, sicut lilia, sive rosæ?
Si fenum quod nunc viret, et cras mittitur inde
In clibanum, format sic manus illa Dei,
Quanto te, minimæ fidei, præclarius ornat,
Si præcepta Dei non dubitando tenes!
Quære Dei regnum prius, et præcepta sequaris
Ejus, et addentur a Patre cuncta tibi.

L.

1. MYRRHA, mortificatio carnis [2]: ÷ « Fasciculus myrrhæ dilectus meus [3]. » ÷ In Cantico canticorum: « Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris [4]. » Et in psalmo: « Myrrha et casia a vestimentis tuis [5]. »

÷ 2. Incorruptio resurrectionis: « Venit autem et Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, fol. 767 B ad 1.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 5, p. 597.

GREGORIUS M. Myrrha, virtutum suavitas, ut ibi: « Myrrha et gutta, etc. » — Mortificatio carnis, ut ibi: « Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima [7]. »

RABANUS. Myrrha, mortificatio, ut: « Manus meæ d. m. » — Tolerantia passionis, ut: « Ibo ad montem myrrhæ [8]. » — Mors

(1) *Repræsentat*. Longiori versiculo et subobscuro parce, lector; auctori quippe arduum erat ea qualiacumque metrica deducere e variis physicorum descriptionibus, quas auctor Moralitatum supra excerptus soluto et fusiore sermone exhibebat. Cæterum in promtu est legere: *Sub tecto plantatum*. — (2) *Carnis, ve amaritudo pœnitentiæ* A. — (3) *Meus*. Cant. I, 12. — (4) *Thuris*. Cant. IV, 6. — (5) *Ejus* D. Ps. XLIV, 9. — (6) *Myrrhæ*. Joan. XIX, 39. — (7) *Probatissima*. Cant. V, 5. — (8) *Myrrhæ*. Cant. IV, 6.

Christi, ut : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus [1]. » — Martyres, ut : « Messui myrrham meam cum aromatibus [2]. »

Petrus Cantor. Offerimus aurum, si sapientiæ luce resplendeamus, et per patientiam, tribulatione pulsati, non deficiamus : quæ scilicet tribulatio necessaria est, sicut fornax auro ; unde scriptum est : « Aurum probat, etc. » Infinita autem occurrunt exempla a primo Abel justo, qui a fratre occiditur, usque ad Christum, qui a Judæis in ligno suspenditur. — Offerimus thus, si interno ejus amore flagramus, et per studium devotæ et sinceræ orationis ei placere contendimus : de qua dicitur : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo [3]. » — Offerimus myrrham, quum Christi amore carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis mortificamus. Hæc est myrrha, de qua in Canticis dicit sponsa : « Digiti mei, etc. » Myrrha utique prima est castigatio carnis pro cœlesti gloria. Est autem myrrha nec prima, nec secunda, sed castigatio carnis pro inani gloria ; qui nimirum populari laudem venando, carnem affligit, et in angaria crucem portat : cogitur enim cupidine inanis favoris portare crucem, myrrhæ quidem tenens speciem, sed non virtutem. Myrrham primam offerimus cum Apostolo, qui ait : « Castigo corpus meum, » id est, castum ago, « et in servitutem redigo [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. xii, art. 38. Myrrha mortificationis, vel pœnitentiæ. Canticum : « Vadam ad montem myrrhæ et collem thuris. » Hunc montem ascendit qui magnam carnis suæ mortificationem assumit. Canticum : « Fasciculus m. d. m. » Hanc myrrham habet qui hujusmodi unguentum conficit ad sepeliendum vitium in corde suo. Hanc obtulit Paulus, inquiens : « Castigo, etc.; » et alios docuit offerre, dicens : « Mortificate membra vestra super terram [5]. — Myrrha etiam amaritudo crucis. Evangelium : « Obtulerunt ei a. l. e. myrrham, » id est, credebant eum esse passurum. Hanc in corpore suo habuit Dominus Jesus, qui ait : « Foderunt manus meas et pedes meos [6], » in cruce scilicet. — Myrrha quoque fides passionis Christi. Cantica : « Messui, etc. » Hanc obtulit Petrus, et aliis offerre docuit, dicens : « Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus [7]. » — Myrrha etiam simulationis, mortificatio hypocritarum, qui exterminant quidem facies suas, non ut placeant Deo, sed ut pateant hominibus jejunantes. Parabolæ : « Aspersi (hæreticus, vel hypocrita) cubile meum myrrha et aloe [8]. » Hanc offerebat summus sacerdos, cui Paulus ait : « Destruat te Deus, paries dealbate [9]. »

In myrrha autem tria principaliter attenduntur : myrrha enim species est amara ; myrrha condiuntur corpora mortuorum, ne fœteant, ut integra conserventur ; myrrha etiam necat vermes et arcet a cadaveribus mortuorum. Similiter autem et mortificatio carnis, vel pœnitentia, vel afflictio amara est. Nonne hanc amaritudinem gustavit Petrus, quando egressus foras flevit amare ? Hac etiam condiuntur mentes nostræ, ne fœteant coram Deo illo fœtore de quo dicitur in Evangelio : « Jam fœtet, quatriduanus est enim [10] ; » et ut integra conserventur ab omni spurcitia. Hac etiam vermes peccatorum mortificantur et arcentur a mentibus nostris. Nonne hos vermes arcebat et necabat Job, quando testa pœnitentiæ saniem peccatorum radebat, sedens in sterquilinio ?

Moralitatum lib. vi, art. 102. Myrrha has habet conditiones : ut enim dicit Isidorus, est arbor in Arabia, cujus gutta, etc... Significat hæc arbor, cum sua gutta in septiformi specie sua et multiplici efficacia, utilem amaritudinem passionis Christi atque effectus ejus in omni anima devota.

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de*

(1) *Meus*. Cant. i, 12. — (2) *Aromatibus*. Cant. v, 1. — (3) *Tuo*. Ps. cxl, 2. — (4) *Redigo*. I Cor. ix, 27. — (5) *Terram*, Coloss. iii, 5. — (6) *Meos*. Ps. xxi, 17. — (7) *Ejus*. I Petr. ii, 21. — (8) *Aloe*. Prov. vii, 19. — (9) *Dealbate*. Act. xxiii, 3. — (10) *Enim*. Joan. xi, 39.

Myrrha. Myrrha est arbor aromatica altitudine quinque cubitorum, cujus gutta similiter myrrha dicitur. Et sciendum quod nomen sumsit ab amaritudine, quia amara est valde. Est colore viridis, et suavissimi odoris. Unde est illud Sapientiæ : « Quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris. »

Altitudo arboris altitudinem potest significare frugalitatis. Nam quinque modis gula hominem tentat, quos frugalitas resecat vel refrænat. De quinque tentationibus gulæ exstant versus isti[1] :

Est certum quod quinque modis gula tentat edacem :
Dum comedit nimis, aut comedendi prævenit horam,
Dum nimio desiderio cupit et capit escam,
Quum vel delicias quærit, vel sic deliciose
Præparat hoc etiam quod non est deliciosum.

Ut dinoscantur magis hæc, exempla conferantur :

Causa fuit Sodomæ peccandi panis abundans.
Jejunat populus : Jonathas jejunia solvit.
Esuriens Esau petit escam, vendit honorem.
Manna datur : carnes plebs deliciosa requirit.
De sacro crudum puer Ophni postulat armum,
Sic ad velle suum studiose præparat illum.

Hæc de myrrha arbore. Nunc de myrrha gutta dicamus... [*vide in sequentib.*].

Anonymus Clarevallensis. Myrrha arbor est quinque cubitis alta; similis albæ spinæ; cujus gutta viridis et calida et amara; manans sponte, pretiosior; elicita corticis vulnere, vilior; vermes et putredinem arcet; odorifera est[2], etc.

Myrrha.

Mortificatio. Mors Christi.
Tolerantia passionis. Martyres.

I. Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 125-134.

Fasciculus myrrhæ.

Myrrha necat vermes; solet hac putredo fugari :
Mors Christi debet in nostro corde morari;
Ut simus Christi memores, ejusque dolorum,
Ne nostras lædant animas vermes vitiorum.
Discutiat lector, qui verba sacrata notavit,
Fasciculum myrrhæ cur sponsum sponsa vocavit.
Ut Christi vitam, doctrinam, probra, dolores
Scire, Dei cultor, ex omni parte labores,
Harum virtutum quas ostendit mediator,
Expellens vermes vitiorum, sis imitator.

II. *Ibid.*, v. 540-547.

Vadam ad montem myrrhæ.

Mons myrrhæ signat jejunia carnis acerba,
Per quæ mons Christus restringit corda superba.
Est collis thuris, humilis devotio cordis,
Quæ quasi thus redolet, totius nescia sordis.
Vadit ad hos sponsus, qui sic mundare laborant
Cor carnemque suam; jejunant et simul orant.
Harum virtutum gemino mundata decore,
Sponsa novas laudes sponsi suscepit ab ore[3], etc. »

LI.

Gutta, vis amoris Dei, ÷ et ardor charitatis. In Cantico : « Ligamentum guttæ, dilectus meus mihi[4]. »

LII.

÷ Cassia, doctrina recta, sive opinio bonorum operum : « Gutta et casia a vestimentis tuis[5]. »

LIII. — LVII.

Cyprus, incorruptio.
Nardus, fortitudo.
Cinnamomum, odor virtutum.

(1) *Isti.* Cf. Hildebert. Opp. col. 1339. Ibidem uterque locus metricus. — (2) *Est.* Adduntur nonnulla quæ exstant apud Isid. Etym. lib. XVII, c. 8, n. 4. — (3) *Ore.* Alia ejusdem vide super hoc argumento, p. 278. — (4) *Mihi.* Idem ac supra, Cant. I, 12, ex alia versione. — (5) *Tuis.* Ps. XLIV, 9.

Fistula, prædicatio.

Crocus, martyrium. ÷ In Salomone : « Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus ; cypri cum nardo ; nardus et crocus; fistula et cinnamomum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiv, c. 7, p. 598.

Gregorius M. Nardus, vita redolens electorum ; unde Ecclesia dicit in Canticis : « Quum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum [2]. » Nardus enim, accumbente rege, odorem dat, dum quiescente in sua beatitudine Domino, sanctorum virtus suavitatis fragrantiam spirat.

Rabanus. Cyprus, refectio gratiæ cœlestis, ut : « Cyprus cum nardo. »—Ecclesia, ut : « Botrus cypri dilectus meus [3]. »

Crocus, charitas, ut : « Emissiones sponsæ, nardus et crocus. »

Fistula, suggestio, ut : « Quum audieritis sonitum fistulæ [4]. » — Verba pravorum, ut : « Ossa ejus velut fistula æris [5]. »

Nardus, fides, ut : « Nardus m. d. o. s. » — Charitas, ut : « Cyprus cum nardo. » — Suavitas mentis ; unde Maria profudit caput Jesu nardo.

Distinctionum monasticarum lib. iv, *de Myrrha.* Nunc de myrrha gutta dicamus. Myrrha delectabilis et utilis est ad videndum, viridem enim habet colorem ; suavis est ad olfaciendum ; sed molesta valde est, præ nimia amaritudine, ad gustandum. Unde, quum Dominus myrrhatum vinum sibi a Judæis illatum gustasset, noluit bibere. Mortificatio carnis has habet spiritualiter proprietates : est enim decora exemplo, opinione odorifera, sed appetitui carnis inimica. Hanc myrrham videtur sponsus in sponsa commendare, quum dicit : « Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris, » id est, visitabo per augmentationem gratiæ fidelem animam, quæ sublimis effecta est per carnis mortificationem, et ad colendum habilis per humilem devotionem. Vel certe mons myrrhæ est et collis illa sancta anima, quæ plus habet afflictionis quam opinionis, plus muniminis quam nominis, plus famis quam famæ, plus laboris quam laudis, plus oneris quam honoris. Vel per myrrham in præmissa sententia labor activæ vitæ designatur, et erit sensus sententialis : Vadam, id est, visitabo per gratiam, ut prius, bonos prælatos, qui mei causa labores duros activæ vitæ fortiter tolerant, et amaros et bonos subditos, qui contemplationi humiliter et devote insistunt, ut mihi complaceant. Et quod per myrrham labor activæ designetur, testatur qui ait :

Si gustare velis nectar cœleste, laboris
Activi prius est myrrha bibenda tibi.

Myrrha significat

Carnis nostræ mortalitatem.	Cordis compunctionem.
Martyres, qui pro Christo amara pertulerunt.	Malam amaritudinem.

Myrrhatum vinum gustavit Dominus, sentiendo pœnam, sed non bibit illum, quia repulit et reprobat malitiam. Salutarem nobis ipse de sanguine suo dedit myrrham, cujus vox est illa, passionis suæ nostræque redemtionis prænuntia : « Quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris. » Sit nomen ejus benedictum in sæcula.

Integra per vires myrrhæ caro mortua durat,
Et vivam servat maceratio, ne Venus urat.

Anonymus Clarevallensis.

Casia. { Fides. / Fama virtutum. / Redemtio nostra.

(1) *Cinnamum* B, C, D. *Cinnamomum.* Cant. iv, 13. — (2) *Suum.* Cant. i, 11. — (3) *Meus.* Cant. i, 14. — (4) *Fistulæ.* Dan. iv, 3. — (5) *Æris.* Job xl, 13.

Crocus. { Spiritualis intelligentia. Charitas.
Nardus. { Fides. Suavitas mentis.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 117-126.

Accubitus rex intrarat, quum Virgine natus,
Cœlos ascendit Christus, super astra locatus;
Dumque quiescit ibi, nardus sponsæ dat odorem :
Nam tunc Ecclesiæ laus cœpit habere vigorem.
Pneuma sacrum dat discipulis sua munera mutis,
Qui toti mundo dispergant verba salutis.
Spiritus hic nobis datur in baptismatis unda,
Per quem virtutum spirat conceptio munda.

II. *Ibid.*, v. 623-626.

Ex istis lignis, ex his speciebus honestis
Pellitur humano de corpore morbida pestis :
Virtutesque notant varias, quæ tela repellunt
Dæmonis, et morbos animi de corde revellunt.

LVIII.

÷ THUS, virtus operationis, vel compunctio cordis. In Salomone : « Sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris[1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 4, p. 596.

RABANUS. Thus, devotio orationis, ut : « Obtulerunt ei aurum, thus et myrrham[2]. »

PETRUS CANTOR. Offerendum est thus devotionis; unde : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo[3]. » — Sal discretionis; unde : « Habete sal in vobis[4]. » — Simila puræ intentionis; unde : « Si oculus tuus simplex fuerit[5], etc. » — Vinum correctionis; unde in parabola vulnerati, vinum et oleum infunditur.—Oleum misericordiæ; unde in parabola de decem virginibus : « Acceperunt oleum in vasis suis[6]. »—Insuper aurum sapientiæ et myrrha mortificationis, instar trium magorum.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Thure.*

Mystica sunt vas, thus, ignis : quia vase notatur
Mens pia; thure, preces; igne, supernus amor.

Thus significat orationem; unde : « Dirigatur, etc. » Et thuribulum mens est; thus, oratio nostra. Sed notandum quod per thus illa proprie designatur oratio, quæ fit cum lacrymis. Unde quidam versificator, de tribus muneribus trium magorum disserens, ait[7] :

Dat myrrham qui se macerat; thus, quilibet orans
Cum lacrymis; aurum, qui sapienter agit.

Item idem, de eodem :

Per myrrham, macerata caro; doctrina, per aurum;
Per thus signatur vox lacrymosa precum.

Thus significat orationem, illam scilicet quæ soli Deo debetur, quæ græce latria dicitur; unde magi Christum confessi sunt, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem.

Thus etiam significat devotionem, quæ coram Deo suavem habet odorem; unde quidam versificator eleganter ait :

Thus animo portet, cui thus portatur, oportet,
Thus animo ferre studeat quoque portator acerræ.

Thus etiam significat bonam opinionem; unde in laudibus sponsæ dicitur in Canticis : « Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris[8]. » Vestimenta sponsæ sunt honestæ constitutiones Ecclesiæ sanctæ, quæ se observantibus conferunt fragrantiam opinionis bonæ.

Thus significat etiam patientiam, quæ dum persequutionem et quascumque tribulationes pro Deo æquanimiter tolerat, coram eo suaviter fragrat. Nam coram Deo impatientia fœtet, patientia redolet. Unde beatus Augustinus hanc reprobans, illam commendans, ait : Pari motu agitatum, et horribi-

(1) *Thuris.* Cant. IV, 14. — (2) *Myrrham.* Matt. II, 11. — (3) *Tuo.* Ps. CXL, 2. — (4) *Vobis.* Marc. IX, 49. — (5) *Fuerit.* Matt. VI, 22. — (6) *Suis.* Matt. XXV, 4. — (7) *Ait.* Hildebert. col. 1337. Ibidem tum hæc, quum illa quæ mox afferuntur. — (8) *Thuris.* Cant. IV, 16.

liter exhalat cœnum, et suaviter fragrat unguentum. Quod per thus patientia designetur, quidam vir litteratissimus his versibus ostendit :

Thus melius redolet, quum tangitur igne ; sinapis,
Quas habuit vires integra, trita sapit.

Thus etiam figurat laudationem ; unde in lege prohibitum est ne in sacrificio zelotypiæ offeratur quippiam olei vel thuris ; quia quando prælato subjectus suspectus est de aliquo crimine, probabili suspicione, non debet eum nimis leviter tractare, quod signatur per oleum ; neque laudare, quod designatur per thus. Sed hac tempestate coquitur hædus in lacte ; et agnus, in aceto, secundum illud satyricum [1] :

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art. 91.

Thuribulum

Spirituale.	*Cœleste.*
Sacra Scriptura.	Caro Christi.
Oratio.	Passio Christi.
Materiale.	*Infernale*, falsa doctrina hæreticorum.
Apostoli.	

Thuribulum cœleste dicitur caro Christi. Numeri : « Tolle thuribulum, et, hausto igne de altari, mitte incensum de super, pergens cito ad populum, ut roges pro eis [2]. » Christus namque, assumta carne et anima, intercessit pro populo suo, et ab æterno incendio liberavit. — Thuribulum etiam cœleste, passio Christi ; unde sequitur ibidem : « Quod quum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, et stans inter mortuos et viventes pro populo, deprecatus est, et plaga cessavit. Nam Christus thuribulum passionis accipiens, et in odorem suavitatis offerens, exstinxit incendium ignis æterni.

ANONYMUS CLARÆVALLENSIS.

Thus.

Oratio.	Oratio hypocritarum.
Odor bonæ famæ.	Superflua laus.
— malæ famæ.	

Thuribulum.

Operarii boni.	Apostoli.
Corpus Christi.	

PETRUS et ÆGIDIUS.

I. *Aurora*, in Levitic., v. 563 sqq.

A pueris Aaron alienus sumitur ignis :
Sed Deus hoc crimen vindicat igne suo.
* Emanarat enim sua jussio, qua peregrinus
* Nullocies ignis adjiceretur ibi.
* Contra quam cum fratre Nadab præsumsit Abiu ;
* Et mox ultricem sustinuere necem ...
Sic qui, jussa Dei fugiens, nova dogmata dictat,
Ignis et ardoris esca futurus erit.
Vel sic thuribulum carbone reples alieno,
Ardor avaritiæ si tua corda replet.
Cum tali flamma Domini si pergis ad aram,
Ultrix peccati flamma perennis erit.

II. *Ibid.*, in Numeris, v. 245-256.

Uti thuribulis Abiron, Dathan et Chore tentant
Contra jussa Dei, schismaticosque notant,
Qui statuunt altare recens, qui schismata quærunt,
Qui baptisma novant, Ecclesiamque premunt.
Et sicut pereunt illi telluris hiatu,
Sic istos vindex puniet ira Dei.
Thuribulum sumens, inter vivos et acerbe
Defunctos, Aaron flensque precansque stetit.
Sic placare Deo justosque reosque sacerdos
Debet, et ad cœlos fundere thura precum.
Oret ne justus de justitia cadat ; oret
Ut pravus surgat, et mala prima fleat.

LIX.

÷ Rosæ, martyres, rubore sanguinis. In Salomone : « Sicut rosæ germinant super vivida fluenta [3]. »

(1) *Satyricum*. Juvenal., *Satyr.* II, 65. — (2) *Eis*. Numer. XVI, 46. — (3) *Fluenta*. Eccli. XXXIV, 17.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius ed. I, p. 10; ed. II, col. 744, C, D.

Rabanus. Rosa, cœtus martyrum, ut : « Quasi plantatio rosæ in Jericho [1]. »—Delectatio præsens, ut : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant [2]. »

Petrus Cantor. Ecclesia habet rosas martyrum, lilia virginum, violas confessorum, hederas conjugatorum, myrrham mortificationis, aloen contritionis.

Petrus Capuanus in Rosa *de arte sermocinandi*, ad litt. XVII, art. 33. Rosa martyrum, rosa virginum, rosa utrarumque rosarum. De prima, in Sapientia : « Sicut dies verni, circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium [3]. » De secunda, Sapientia : « Quasi plantatio rosæ in Jericho. » De tertia, habemus illud solemniter hactenus observatum, ut in dominica qua cantatur *Lætare Jerusalem*, summus pontifex, celebraus missarum solemnia apud ecclesiam Sanctæ Crucis, quæ appellatur etiam Sancta Jerusalem, florem rosæ aureum portet in manu sua. Prima rosa est chorus martyrum; secunda, Virgo virginum; tertia, mediator Dei et hominum.

[*Vide apud eumdem, in altera hujus Melitoniani operis parte, sive in tomo III Spicilegii nostri, cætera quæ tantum titulis recensere nunc vacat.*]

Qualis est rosa? — Quomodo rosa martyrum nascitur ex spinis? — Quomodo Virgo Maria tamquam rosa nascitur ex spinis? — Quomodo rosa Christus nascitur ex Virgine? — Rosa secundum justas sui proprietates adaptatur Christo?—Quomodo Christus ortus est ex spinis? — Quomodo Christum adornant septem frondes donorum? — De fronde sapientiæ. — De fronde intellectus. —De fronde consilii.—De fronde fortitudinis.—De fronde scientiæ. — De fronde pietatis.—De fronde timoris Domini. — Quomodo frondes donorum Christus habuit expansas ad sanctos novi et veteris testamenti?—Quomodo Spiritus sapientiæ viguit in Salomone et Joanne?—Quomodo Spiritus intellectus in Daniele et Petro?—Quomodo Spiritus consilii in Joseph et Philippo? — Quomodo Spiritus fortitudinis in Samsone et Paulo? — Quomodo Spiritus scientiæ in Moyse et Jacobo? —Quomodo Spiritus pietatis in David et Joanne?—Quomodo Spiritus timoris Domini in Abraham et apostolis? — Quomodo rosa Christus intra se habuit aurum divinitatis? — Quomodo rosa Christus odore famæ confortat? — Quomodo rosa Christus virore recreat? — Quomodo rosa Christus rubore rutilat? — Quomodo rosa Christus pulchritudine delectat?—Quomodo rosa Christus sapore reficit? — Quomodo rosa Christus siccitate constringit? — Cur summus pontifex, dominica qua cantatur *Lætare*, in Jerusalem, rosam auream gestat in manu? — Cur resurrectio figuratur in flore? — Cur rosa aurea?—Cur rosa linita balsamo? — Cur rosæ apponitur muscus?—Cur in ecclesia Sanctæ Crucis?—De aliis solemnitatibus quæ fiunt in ipso officio [4].

Distinctionum monasticarum lib. IV, *de Rosa*. Rosarum tria sunt genera : adulterina, quæ rectius multiplex diceretur. Rosa enim adulterina improprie dicitur rosa, proprio autem nomine vocatur saliunca. Est autem saliunca rosæ similis; sed flos roseus magis intensum habet ruborem; unde Virgilius in Bucolicis [5] :

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis :
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

— Simplex rosa dicitur, quæ uno tantum foliorum ordine suum circulum claudit. — Duplex est illa quæ multiplici ordine foliorum suorum perficit circulum. Et notandum est quod quantum rubor saliuncæ vincitur a rosa simplici, tantum vel pene

(1) *Jericho*. Eccli. XXIV, 2. — (2) *Marcescant*. Sapient. II, 8. — (3) *Convallium*. Cant. II, 1. — (4) *Officio*. Quinam agant de *Rosa aurea*, vide in A. Zachariæ *Bibl. lit.* t. II, p. 438.—(5) *Bucolicis*. Ecl. V. 16

tantum simplex superatur a duplici. Rosa autem significat patientiam; unde est illud magistri Hugonis in laudibus summæ Virginis :

Myrtus temperantiæ,
Rosa patientiæ,
Nardus odorifera

Est autem, sicut magistri dicunt in scholis, triplex patientia, scilicet angariæ, quæ est omnino coacta; hæc est etiam pessimorum. Et alia quæ dicitur fugæ, id est timoris, quæ quidem non parum habet utilitatis; sed non est meritoria vitæ æternæ. Est alia, quæ gratiæ, quando quis pro Deo adversa patitur; hæc est meritoria vitæ æternæ. Hanc commendat Dominus dicens : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [1]. » Prima patientia videtur designari per saliuncam; secunda, per rosam simplicem; tertia, per rosam de Jericho.

Rosa figuram habet Virginis virginum, in cujus laudibus et ipsius persona, sancta dicit Ecclesia : « Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. » Et quidam :

Ad nutum Domini, nostrum ditantis honorem,
Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam.
De tali flore, polluto quid loquar ore?,
Parce mihi, Christe! Sicut flos non defluit iste, etc.

Rosa significat martyres, vel martyrium; unde est illud in laudibus sanctæ Ecclesiæ : Floribus ejus [2], nec rosæ, nec lilia desunt, id est nec martyres, nec virgines, quibus præcipue ornatur.

Rosa dicitur sancta Ecclesia, cui de tribulationibus præsentis vitæ, quasi de quibusdam spinis, nascitur corona gratiæ. Unde est illud [3] : Voluptas habet pœnam, et necessitas parit coronam. De hac rosa Scriptura sacra loquitur sic : « Audite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate [4]. » Sancta Ecclesia super rivos aquarum est plantata in solitudine fidei, per aquas sancti | Spiritus? | et fluenta sacræ Scripturæ firmata. Rosam, nisi in bona acceptione positam, in Scripturis sacris reperisse me non memini [5]. In dissuasione tamen Valerii ad Rufinum ne duceret uxorem, ponitur in designatione carnalis voluptatis. Sic namque in illa quodam loco habetur : Flos Veneris rosa est, quia sub ejus purpura multa latent aculei. Aliter de rosa sentit poeta, dicens [6] :

Terra salutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit, et urticæ proxima sæpe rosa est.

Anonymus Clarevallensis. Rosa ex spinis nascitur; spinis caret; cito marcescit; marcida albescit et contrahitur; mitigat dolorem; coronis apta; ornat domum; virginum et juvenum desiderium est.

Rosa.

Cœtus martyrum. Delectatio præsens.

Moralitatum liber VI, art. 135, *de Rosa*. Significat florem illum vernantissimum procedentem de radice Jesse, superbenedictum Christum. Significat etiam benedictam matrem, quæ sua spirituali formositate, fragrantia et suavitate, pariter et virtute multiplici, facta est mundo et cœlo quasi flos rosarum in diebus vernis. Significant vero rosæ, in plurali, martyres ecclesiæ primitivæ, qui sua angelica conversatione, inflammata charitate, odorifera fama, stupenda virtute, totam Ecclesiam decoraverunt, inflammaverunt, et omnibus languentibus membris Ecclesiæ tam corporaliter quam maxime spiritualiter subveniunt suo exemplo, virtute et oratione.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1487-1504.

Mira tabernaculo consurgit porticus extra ...
Quem decorat byssus, fila retorta gerens.

(1) *Vestras*. Luc. XXI, 19. — (2) *Ejus*. Cf. supra p. 597, not. 7. — (3) *Illud*. S. Benedicti *Regula*, c. VII. Legi solet ibi : *Voluntas habet*. — (4) *Fructificate*. Eccli. XXXIX, 17. — (5) *Memini*. Illud Sapientiæ : « *Coronemus rosis*, » an meminerit Noster? Ex eo tamen loco patet neminem tunc temporis quidquam potuisse excogitare, simile decantatæ nimium fabellæ, cui titulus : *Roman de la Rose*. Cæterum, id facile credam, fabellam istam, cæterasque ejusmodi symbolicas crassiorem in sensum, ne dicam sequiorem, ab hodiernis lectoribus intelligi. — (6) *Dicens*. Ovid., *de Remed. amor.*, v. 45, in edit. *Salutares*.

Purpureis atriis signantur tempora, sanctæ
In quibus Ecclesiæ passio multa fuit.
Sanctorum multus cruor hæc per tempora fluxit,
Sanguinis et varii purpura tinxit humum.
Ad Constantini regnum dolor iste cucurrit :
Respiravit ibi, sanguine lota, fides.
Porticus ostendit decurrens tempus ab illo
Principe, quum veniet qui Deus esse volet.
Tempore floret ab hoc confessorum chorus ; alba
Lilia consurgunt, suntque sequuta rosas.
Byssus enim tortus ideo tentoria vestit ;
Nam modo nullus emit sanguine regna poli.
Nunc satis est nobis tingi baptismate, pasci
Carne sacra, caste vivere, stare fide.

LX.

÷ Violæ, confessores[1]. In Cantico canticorum : « Flores in terra orti sunt[2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 10; ed. II, col. 744 C, D.

Petrus Capuanus ad lit. VI, art. 53. *Cur Christus dicitur flos lilii ac rosæ et violæ.* Dicitur autem Christus, non solum flos simpliciter, immo flos lilii. Canticum : « Ego lilium convallium[3]. » Dicitur et flos rosæ. Sapientia : « Quasi plantatio rosæ in Jericho[4]. » Dicitur et flos violæ per humilitatem. Viola enim flos est qui terræ adhæret, et purpureus est, et ipse de se inquit : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde[5]. »

Fuit ergo flos lilii in conceptione, quando candorem carnis virginalis assumsit opere Spiritus sancti. Isaias : « Ecce virgo concipiet[6]. » Flos violæ, in passione « quando humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis[7]. » Flos rosæ in resurrectione, quando ex spinis nostræ mortalitatis exsurgens, « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur[8]. »

Sed quasi rosa novella processit, vel flos violæ, qui purpureus fuit in conceptione, quando purpuram regalis dignitatis assumsit. Evangelium : « Liber generationis Jesu Christi, filii David[9]. » Flos rosæ in passione, quando fuit tinctus vestibus de Bosra, et rubrum factum est indumentum suum, et quasi calcantium in torculari. Hæc est enim vitula rufa, in veteri testamento. Flos lilii in resurrectione, quando candorem resurrectionis et immortalitatis assumsit. Propter quod et angeli tunc apparuerunt in vestibus albis. Evangelium : « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta ejus sicut nix[10]. »

In eo etiam flos olivæ redolebat per misericordiam. Paulus : « Non secundum opera quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit[11]. — Flos uvæ, per prædicationem. Canticum : « Botrus Cypri dilectus meus mihi[12]. » — In eo redolebat balsamum et cinnamomum. Sapientia : « Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi[13]. » — Redolebat myrrha. Sapientia : « Ut myrrha electa, dedi suavitatem odoris. » — Odoramenta omnia, quia in eo habitavit « omnis plenitudo divinitatis corporaliter, de cujus plenitudine omnes accepimus, gratiam pro gratia[14]. » Hic est ergo odor agri pleni, quem odoratus est in Isaac, inquiens : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus[15]. »

In horto etiam Ecclesiæ flos lilii candescit in virginibus; flos rosæ rubescit in

(1) *Confessores*, *ob similitudinem lividorum corporum* B, C, D, G.—(2) *Terra nostra* B, C. *Sunt.* Cant. II, 12. — (3) *Convallium.* Cant. II, 1. — (4) *Jericho.* Eccli. XXIV, 2. — (5) *Corde.* Matt. XI, 29.—(6) *Concipiet.* Is. VII, 14.—(7) *Crucis.* Phil. IV, 8.—(8) *Dominabitur.* Rom. VI, 9. — (9) *David.* Matt. I, 1. — (10) *Nix.* Matt. XVII, 2.—(11) *Fecit.* Tit. III, 5. — (12) *Mihi.* Cant. I, 13. — (13) *Dedi.* Eccli. XXIV, 20. — (14) *Gratia.* Coloss. II, 9; Joan. I, 16. — (15) *Dominus.* Genes. XXVII, 27.

martyribus, flos violæ odorem dat in confessoribus, qui confessionis humilitatem assumunt. — In horto etiam mentis humanæ flos violæ purpurascit in fide, quæ purpuram passionis nostræ annuntiat; flos lilii viruerit in spe, quæ cœlestium candorem exspectat; flos rosæ rubescit in charitate, quæ est coccus bis tinctus in veste pontificali; specialiter enim flos lilii redolebat in Paulo, qui creditur fuisse virgo; unde et ait : « Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum [1]. » Flos rosæ in Jacobo, qui audivit cum fratre : « Calicem quidem Domini bibetis [2]. » Flos violæ in Joanne, qui in quiete confessionis vitam finivit; propter quod de eodem dictum est : « Sic eum volo manere, donec veniam [3]. »

Moralitatum lib. VI, art. 180, *de Viola*. Significat hæc herba beatam Virginem Mariam, quæ ob suam humilitatem promeruit spiritualiter omnes conditiones et effectus ejus. Hieronymus, in sermone *de Assumptione B. M.* : Erat nimirum Maria repleta multis virtutum odoribus, manensque in ea fragrabat ex ea suavissimus odor etiam spiritibus angelicis, quam circumdabant rosarum flores, humilitatis [4] violæ, virginitatis lilia, etc.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1595-1603.

In veste poderis totus erat orbis terrarum.

Poderis est vestis, quæ terræ continet orbem,
Et caput et corpus præsulis illa tegit.
Sic mens pontificis toti supereminet orbi,
Moribus et precibus se populumque regens.
Non aliud splendet, nisi veste hyacinthus in ista,
Signans quod totus præsul ad astra volet.
Paulus erat totus inclusus podere, dicens :
« Dissolvi cupiens, opto videre Deum [5]. »

LXI.

1. Hyssopus, humilitas, vel baptismus[6] : « Asperges me hyssopo, et mundabor [7]. »

÷ 2. « Fides : « Cum hyssopo et ligno cedrino [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S.V.*, lib. XIV, c. 6, p. 597.

Petrus Capuanus ad litt. VIII, art. 26. Hyssopus dicitur humilitas. Psalmus : « Asperges, etc. » — Baptismus. Numeri : « Lignum cedrinum vermiculatum, et hyssopum. » — Hyssopus est humanitas Christi. Regum : « A cedro Libani usque ad hyssopum tecti [9], » id est ad humanitatem ex Virgine.

Hyssopus herba humilis est. Sapientia : « Quanto major es, humilia te in omnibus [10], etc. » Ergo in horto Scripturæ, in multis locis colligere possumus hyssopum humilitatis. Quum autem hæc herba sit humilis, crescit tamen in altum. Evangelium : « Qui se humiliat, exaltabitur [11]. » Hyssopus herba mundificativa est, et purgat pectus : et de aqua baptismi dicit Ezechiel : « Effundam super vos aquam mundam [12]. » Et hyssopus etiam herba est odorifera, et solet interdum inveniri in tectis; herbæ autem tectorum facilius arescunt, quia non habent radices altas : et de odore humanitatis Christi scriptum est in Canticis : « Oleum effusum nomen tuum [13]. » Caro etiam Christi,

(1) *Me ipsum*. I Cor. VII, 7. — (2) *Bibetis*. Matt. XX, 23. — (3) *Veniam*. Joan. XXII, 25. — (4) *Humilitas*. Hieron. *Opp.* t. — (5) *Deum*. Ph. II, 23. — (6) *Hyssopus herba humilis, cujus radices sanum penetrant, humilitas pœnitentiæ* [*pœnitentia* D], *sive baptismum in psalmo* B-G. — (7) *Mundabor*. Ps. L, 9. — (8) *Cedrino*. Levit. XIV, 51. — (9) *Tecti*. III Reg. IV, 33. — (10) *Omnibus*. Eccli. III, 20. — (11) *Exaltabitur*. Matt. XXIII, 12. — (12) *Mundam*. Ezech. XXXVI, 25. — (13) *Tuum*. Cant. I, 2.

propter fragilitatem quam suscepit, cito exaruit. Psalmus : « Aruit, velut testa, virtus mea [1]. »

In prima [distinctione], fasciculo hyssopi ad emundationem antiquus populus utebatur. In secunda, mare Rubrum a filiis Israel siccis pedibus penetratur. In tertia, Joseph a fratribus tunica spoliatur.

Distinctionum monasticarum lib. v, *de Hyssopo*. Hyssopus nomen est herbæ parvæ et humilis, sed quantitate, non virtute. Est enim calidæ naturæ, et medicinalis, pulmonem purgans et pectus [2]. Per hanc herbam significatur humilitas, quia parva est, et tumorem pulmonis sedat. Quia vero calida est, et petræ radicitus adhæret, per illam designatur humilitas, quæ provenit ex charitate. Unde et Christo, qui figuratur per petram propter firmitatem, firmiter adhæret. Est enim humilitas libera, et est humilitas servilis. Libera est, quæ provenit ex amore, quia voluntaria est : servilis vero est, quæ provenit ex servili timore, quia necessaria est. Mala namque conscientia se ipsam accusat et deprimit; immo etiam damnat, secundum illud sacræ Scripturæ : « Quum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi [3]. » Cui sententiæ concordat gentilis philosophus, dicens : Nemo, se judice nocens, absolvitur, nec potest quisquam de se suam vitare sententiam.

Item per hyssopum significatur humanitas Christi, in qua ipse pauper apparuit et humilis; unde de assumta humanitate vir magnificus eleganter ait [4] :

Cedrus alta Libani
Conformatur hyssopo
Valle nostra, etc.

Petrus de Riga.

Aurora, in III Reg., v. 134-143.

Disseruit Salomon a cedro, donec ad herbam,
Quam dicit hysopum, currere verba sinat.
Cedrus sublimis Deus est; hysopus, brevis herba,
Est homo : solus habet Christus utraque simul.
A cedro Christus parvam descendit ad herbam,
Ad carnem veniens a deitate sua.
Aut hysopus signat humiles, cedrusque superbos :
Justum judicium Christus utrique dabit.
Porro super ligna rex disseruit, quia pendens
In ligno Christus judicat inde reos.

LXII.

1. Calamus, Scriptura : ÷ « Et calamus scripturæ in manu ejus [5]. » Scriptores sacri eloquii, vel prædicatio [6] : « Orietur in ea viror calami [7]. »

÷ 2. Æternitas verbi : « Lingua mea calamus scribæ [8]. »

÷ 3. Doctorum peritia : « In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur, etc. »

÷ 4. Animus contritus in pœnitentia : « Calamum quassatum non conteret [9]. »

÷ 5. Regnum Judæorum, ut quidam volunt, sive humana fragilitas. In propheta : « Calamum q. n. c. »

(1) *Mea*. Ps. xxi, 16. — (2) *Pectus*. « Et volo scias, lector minus perfecte, quod hujus nominis hyssopus quandoque prima syllaba producitur, et secunda quæ est media corripitur; quandoque e converso corripitur prima et producitur secunda. Prima producitur et secunda corripitur, ut in illo versu :

Hyssopus est herba tumidis, pulmonibus apta.

Prima corripitur, et secunda producitur, ut in illo versu :

Pectus hysopo purgatur, cerebrumque sinapi.

Et in illo versu :

Pectoris herba cavas rupes insedit hysopus.

Et in tertio versu cujusdam physici :

Ad pulmonis opus cum melle coquatur hysopus. »

Huc usque Noster. Item Pseudo macer (cap. de *Hyssopo*) et unica *s* scripsit, et penultimam corripuit, neutra in re imitandus. Hyssopus enim a græco τὸ ὕσσωπον, vel ἡ ὕσσωπος. Hinc in nostris passim occurrit utrumque genus. — (3) *Condemnationi*. Sapient. xvii, 10. — (4) *Ait*. Eadem vide supra p. 358. — (5) *Ejus*. Ezech. xl, 3. *Scripturæ* forsan pro *mensuræ*. — (6) *Prædicatio sanctorum* B-G. — (7) *Calami*. Is. xxxv, 7. — (8) *Scribæ*. Ps. xliv, 2. — (9) *Conteret*. Is. xlii, 3.

LXIII.

1. Arundo, incarnatio, vel Scriptura [1] : « Et arundo aurea in manu ejus [2]. »

2. Nitor gloriæ temporalis [3] : « Fulgebunt justi, et sicut scintillæ in arundineto discurrent [4]. »

3. Carnalis animus : « Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam [5]? »

4. Et in libro Sapientiæ, de sanctis prædicatoribus dicitur : « Fulgebunt justi, etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Ethcherius, ed. I, p. 11; ed. II. col. 746 D ad LXIII, 2, 3.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, cap. 11, 12, p. 600, 603.

Gregorius M. Calamus, æternitas Verbi Dei, ut ibi : « Lingua m. c. s. v. s. » Quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet, lingua Patris calamus scribæ dicitur, quia ab eo est Verbum ejus coæternum, ac sine transitu generatum. — Doctorum peritia, ut : « In cubilibus in quibus, etc. » In populis enim gentium, quos antiquus hostis malitia possidebat, nitor calami et junci oritur, quia et doctorum scientia et auditorum obedientia coacervatur. — Nitor gloriæ temporalis, ut ibi : « Calamum quassatum non conteret, etc. » Incarnatus enim Dominus calamum quassatum non contrivit, et linum fumigans non exstinxit, quia nitorem judaici regni, quod jam pene destructum erat, ejusque sacerdotium, quod igne fidei non lucebat, non potestate judicii perculit, sed longanimitate pœnitentiæ toleravit. — Ordo scriptorum sacri eloquii, ut ibi : « Et calamus scribæ [6] in manu ejus. » Redemtor enim noster, quia verba quæ dixit, etiam per doctorum studium scribi donavit, quasi in manu calamum tenuit. Qui calamus mensuræ dicitur, quia doctorum studium, sub quadam occulta dispensatione, ut aliis legentibus prosint, aliis prodesse non possint. — Calamus mensuræ Scriptura sacra potest intelligi, quia in ea se quisquam dimetiens, facile perpendit quantum in spirituali veritate profecit.

Rabanus. Calamus, Christus, ut : « Lingua mea c. s. » — Prædicator, ut : « Orietur viror c. e. j. » — Gentilitas, ut : « Calamum quassatum non conterendum. » — Hypocrita, ut : « In secreto calami dormit Beemoth [7]. » — Dispositio Dei, ut : « Calamus mensuræ i. m. e. » — Prædicatores, ut : « In hastili calami et scyphi [8]. »

Distinctionum monasticar. lib. III, *de Calamo*. Calamus est arundo. Calamus est species aromatica, radix scilicet cujusdam fruticis aromatici, et assimilatur calamo. Calamus etiam est musicum instrumentum, quod primo fiebat de calamo; unde est illud Maronis, introducentis quemdam pastorem, alium sic alloquentem [9] :

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus?

Calamum etiam vocare solemus quodlibet instrumentum quo scribimus, quia scriptores antiquitus litteras pingebant calamo. Calamus significat sacram Scripturam, tropo quodam loquutionis, qui metonymia dicitur [10]. Quod calamus Scripturam significet, habemus in illo versu Davidico : « Increpa

(1) *Incarnatio Salvatoris, sive divina Scriptura. In Apocalypsi : Et in manu ejus a. a.* B-G. — (2) *Ejus.* Apoc. XXI, 15. — (3) *Homines infructuosi, sæculi hujus amori dediti, exterius nitidi, interius vacui. In Evangelio : Quid, etc. Et in libro Sapientiæ* B-G. — (4) *Discurrent.* Sapient. III, 7. — (5) *Agitatam.* Luc. VII, 24. — (6) *Scribæ.* Ut legatur *mensuræ*, sequentia excitant. — (7) *Beemoth.* Job XL, 16. — (8) *Scyphi.* Exod. XXXVII, 17. — (9) *Alloquentem.* Virg. V *Eclog.* v. 1. — (10) *Dicitur.* Audi grammaticum, in suis habitantem : « Cujus multæ sunt species : est enim metonymia, quando continens ponitur pro contento, vel contentum pro continente; totum pro parte, vel pars pro toto; genus pro specie, vel species pro ge-

feras calami [1], » secundum editionem LXX. Nam in editione vulgata habetur : « Feras arundinis. » Feræ calami, id est sacræ Scripturæ, sunt hæretici, qui in ea viam sanctorum doctorum tritam non sequuntur; sed per eam suæ voluntatis arbitrio, quod non humanum, sed ferinum est, passim feruntur præcipites.

Calamus dicitur ipse doctor, seu lingua doctoris. Unde Psalmista : « Lingua mea, etc. » Quasi diceret : sicut litterarum decens et pulchra formatio, non tam calamo, quam scriptori ascribenda est, qui ipsum calamum pro suo arbitrio incidit, et eo utitur; ita et sapientia, quæ in verbis meis, vel scriptis patet vel latet, non mihi attribuenda est, sed Spiritui sancto, qui me tamquam instrumento pro sua voluntate utitur. —Secundum aliam expositionem calamus dicitur ipse Christus, et ponitur calamus pro verbo scripto, quod firmum est et stabile, per quod designatur illud summum et summe bonum Verbum, quod desinit prolatum, sed quod permanet natum.

Calamus, quod exterius nitet, et interius vacuus est, significat hypocritas, qui exterius sunt nitidi, interius virtute vacui : quales erant illi quibus Dominus ait : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ speciosa apparent hominibus, intus vero sunt plena ossibus mortuorum et omni spurcitia [2]. »

Calamus etiam significat vitium quod facit hypocritas, quod est vana gloria. Unde quidam de nostris ait :

Erigitur calamo conformis gloria vana,
Exterius splendens, interiusque cava.

Calamus significat infirmos; unde de Domino dicitur per Isaiam, quod « calamum quassatum non conteret. » Et hoc verissimum est, quia ipse magis « quæ infirma sunt, consolidat; et quæ confracta sunt, alligat » [3]. Sequuntur eum a remotis, qui hodie vices ejus gerere videntur in Ecclesia; de quibus ipse olim prædixit per Ezechielem prophetam : « Quod crassum videbatis, assumebatis; et quod debile erat, projiciebatis [4]. » De qualibus magister Alexander Nequam ait :

Væ perversori juris, qui judicis umbra
Jure gravanda levat, jure levanda gravat.
Væ cui sal rationis abest, cui lac pietatis;
Cui non miscet ea mensor utrisque modis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Calamus.

Christus.	Gentilitas.
Prædicator.	Dispositio Dei.

LXIV, LXV.

1. SCIRPUS et JUNCUS, hypocritæ : « Numquid vivere [5] potest scirpus absque humore? aut crescet carectum sine aqua [6]? »

÷ 2. [*Calamus* et *Juncus*] fideles Ecclesiæ, juxta fluenta divinæ legis semper morantes, ubi et supra : « Orietur viror calami et junci [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 13, p. 603.

GREGORIUS M. Scirpus, hypocrita, ut ibi : « Numquid vivere, etc. » Recte ergo scirpus designat hypocritam, quia scirpus sine aqua non vivit, nec potest suscipere viridi-

nere; significans pro significato, vel significatum pro significante; subjectum pro proprietate, vel proprietas pro subjecto; causa pro effectu, vel effectus pro causa. Quod calamus, etc. » Hactenus Noster.—(1) *Calami.* Ps. LXVII, 31. — (2) *Spurcitia.* Matt. XXIII, 27. — (3) *Alligat.* Ezech. XXXIV, 16. — (4) *Projiciebatis* Ezech. XXXIV, 3.—(5) *Vivere.* Constanter nostri codd. et pleri que commentatores. In Vulgata *virere.* — (6) *Aqua.* Job VIII, 11. Adest in B-G thema biblicum; sed spirituale lemma deest. — (7) *Junci.* Is. XXXV, 7.

tatem nimirum hypocritæ nonnisi ex supernо munere viriditatem bonæ operationis accipiunt, sed quia hanc in usu propriæ laudis accipiunt, in aqua quidem virides sunt, tamen inanes crescunt. In cunctis enim operibus suis hypocrita reverentiam honoris sperat, quærit gloriam laudis, vult a melioribus metui, et desiderat ab omnibus sanctus vocari; unde Dominus : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam [1]. »

Rabanus. Scirpus, hypocrita, ut : « Numquid, etc. »

Carectum, judaicus populus, ut : « Exposuit eum in carecto [2]. » — Vita hypocritæ, ut : « Crescet carectum s. a.

Fiscella scirpea, Virgo Maria, ut : « Sumsit fiscellam scirpeam [3]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Job, v. 410-419.

Accipit in fluvio scirpa natura vigorem,
Sed nullum generat fructum, nullumque virorem
Sic mens hypocritæ cœlesti rore madescit,
Ad bene vivendum, sed fructus reddere nescit;
Nam perit omne bonum pro solo laudis amore,
Mercedem solam recipit laudantis ab ore.
Numquid subvertit Deus illum quem videt æquum?
Nullus judicio poterit contendere secum,
Quod nullus possit fieri par astra tenenti,
Libra judicii cœlos, terrasque regenti, etc.

LXVI.

1. Urtica, ardor vitiorum [4] : « Orientur in domibus eorum spina et urtica [5]. » ÷ « Pro urtica crescet myrtus [6]. »

÷ 2. Pruritus terræ desideriorum : « Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverant urticæ [7]. »

÷ 3. Pruritus cogitationum : « Orientur, etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 8, p. 598.

Gregorius M. Urticæ, amor vitiorum, sicut per Isaiam dicitur : « Pro saliunca ascendit abies, » dum in sanctorum corda, per objectionem terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis oritur. « Pro urtica crescit myrtus, » quum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum ad castitatis temperiem tranquillitatemque perveniunt. Urtica igneæ omnino naturæ est; myrtum autem temperativæ ferunt esse virtutis. — Urticæ, prurigines cogitationum, sicut per prophetam Dominus, sub specie Babylonis, dicit : « Oriuntur in domibus ejus spinæ et urticæ. » In domibus Babylonis spinæ et urticæ pullulant, quia in confusione mentis reprobæ, et desideria cogitationum surgunt quæ exasperent, et operum peccata quæ pungant.

Rabanus. Urtica, asperitas vitiorum, ut : « Pro urtica c. m. » — Affectio prava, ut : « In domibus ejus o. s. e. u. »

Anonymus Clarevallensis.

Urtica. { Asperitas vitiorum. / Affectio prava. / Pœna æterna.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. I, v. 302-308.

Quæritur a reprobis occasio falsa tyrannis,
Quæ puniat justos innocuosque viros.
Sed frustra Christo falsa et mala retia tendis,
Ut verbo capiat livor, Hebræe, tuus.
Hi sunt urticæ, sunt spinæ, sunt tribulique
Quos rex exstirpat, et cibus ignis erunt.

(1) *Suam.* Matt. VI, 5. — (2. *Carecto.* Exod. II, 3. — (3. *Scirpeam.* Exod. II, 3. — (4) *Prurigo luxuriæ* B-G. — (5) *Urticæ.* Is. XXXIV, 16. Super hæc : *in domibus*, addunt B-G, *hoc est in cordibus superborum.* — (6) *Myrtus.* Is. LV, 13. — (7) *Urticæ.* Is. XXIV, 30.

LXVII.

÷ 1. Olus, simplex et aperta prædicatio. In Apostolo : « Qui infirmus est, olus manducet [1]. »

÷ 2. Minima [2] operatio bona, ex qua quidam hypocritæ hominibus placere student. In Evangelio : « Væ vobis, Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cinnamum [3], et omne olus [4]. »

LXVIII.

÷ Lactucæ agrestes, amaritudo pœnitentiæ : « Et edent carnes, nocte illa assatas igni et azymos panes, cum lactucis agrestibus [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 15, p. 605.

Gregorius M. Lactucæ, amaritudo pœnitentiæ, ut ibi : « Et edent carnes, etc. » Panes azymos edit, qui recta opera sine admixtione vanæ gloriæ facit; lactucas agrestes, qui per amaritudinem pœnitentiæ purgat a mentis stomacho vitæ culpam.

Rabanus. Lactucæ, afflictiones : « Cum lactucis agrestibus. »

Moralitatum lib. VI, art. 92. Lactucas has habet conditiones, ut ponit Isidorus, lib. XVII; Isaac in *Diætis;* Plinius lib. XX, c. 8, etc. Primum genus lactucæ significat mystice simplicem doctrinam Evangelii Christi, sive novi testamenti efficientem in devotis animabus, et Deo renovatis spiritualiter. Secundum genus lactucæ significat charitatem occidentem in anima omnes motus evagantium et tumultuantium vitiorum, medentemque omnibus ægritudinibus spiritualium defectuum. Ambrosius, in versibus ad *Mandatum* [6] : Charitas est summum bonum, amplum donum. Tertium genus lactucæ, similiter quartum et quintum significant gratiam orationis, sive pœnitentiæ virtutem, sive christianam pietatem, sive evangelicam veritatem, quæ infirmitatibus spiritualibus remedia et beneficia ministrant. Glossa : Summa religionis christianæ in pietate consistit.

Ibid. art. 114. Olus has habet conditiones, ut dicit Isidorus, Isaac in *Diætis*, Plinius, etc. Significant prælibata olera scientias philosophicas; quæ, quamvis de se multos defectus generent, tamen transplantatæ, id est, ad sacram theologiam terminatæ, ad plurima valent; et serviunt animabus, ad medicinam; Ecclesiæ, ad tutelam; et corporibus, ad honorificentiam, sicut patet in Paulo, Augustino, Basilio et Gregorio Nazianzeno, ut habetur in gestis eorum et Historia ecclesiastica.

Anonymus Clarevallensis. Olus, peccatum, ut : « Quasi olera virentia tradidi tibi omnia [7]. » — Superstitiones gentium, philosophorum, hæreticorum, ut : « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum [8]. » — Sancti virentes virtutibus, ut : « Granum sinapis crevit donec majus fieret omnibus oleribus [9]. » — Historia, ut : « Qui infirmus e. o. m. » — Simplex prædicatio, opus bonum [*ut supra*].

(1) *Manducet*. Rom. XIV, 2. — (2) *Minima* deest in D; *olus minimum* G. — (3) *Cinnamomum* E. *Cyminum* F, G. — (4) *Olus*. Luc. XI, 42. — (5) *Agrestibus*. Exod. XII, 8. — (6) *Mandatum*. In missal. et ritual. veter. monach. ad feriam V in *Cœna Domini*, Eadem supra, p. 590, Augustino ascribuntur. — (7) *Omnia*. Genes. IX, 3. — (8) *Olerum*. IV Reg. XXI, 2. — (9) *Oleribus*. Matt. XIII, 32.

Ægidius Parisiensis.

Ad *Auroram*, in Exod., v. 613-618.

* Lactucæ sapor est compunctio, qua pia Christi
* Mors recoli debet et mala nostra gemi
* Mundificat lactuca clivmos compunctio cordis
* Primo oculum turbat, deinde serenat eum.
* Intima sumentis lactuca refrigerat in te,
* Si bene contereris, nulla cupido calet.

LXIX.

1. Sinapis, Christus, vel fides : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis [1]. »

2. Fortitudo viri fidelis : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 16, p. 606.

Gregorius M. Sinapis, Christus, ut ibi : Simile est, etc. — Fidei fortitudo, quæ quanto plus teritur, tanto acrius inflammatur.

Petrus Capuanus ad litt. VII, art. 25. *Cur Christus, vel fides ejus comparatur grano sinapis?* — Christus dicitur granum sinapis, quia granum illud despicabile est : sic et Christus. Isaias : « Vidimus eum despectum et novissimum virorum [3]. » Sic et fides ipsius. Paulus : « Prædicamus Christum Jesum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam [4]. » — Quia modicum : sic et Christus. Daniel : « Lapis parvus præcisus est de monte sine manibus [5] » concidentium. Sic et fides ejus. Evangelium : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum [6]. » — Quia dilatatur : sic et Christus. Psalmus : « In omnem terram exivit sonus eorum [7]. » Sic et fides. Canticum : Nardus mea dedit odorem [8]. » — Quia quanto plus conteritur, tanto majorem reddit odorem : sic et Christus. Psalmus : « Sicut crassitudo terræ, erupta est super terram [9]. » Sic et fides. Evangelium : « Gaudete et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo [10]. »

Anonymus Clarevallensis. Sinapis, Christus, ut : « Simile est, etc. » — Prædicatio fidei Dominicæ crucis, vel quilibet sanctus, ut : « Si habueritis fidem s. g. s. »

Anonymus Tregensis. Nota quod fides in Evangelio grano sinapis comparatur, quia granum hujusmodi, quanto plus flagellatur et conteritur in mortariolo, tanto virtus ejus crescit et percipitur : ita et fides per multiplicem concussionem fit virtuosior et pretiosior ; unde et sancti martyres fulciti hac virtute passi sunt. Unde, sicut in homine laborante in extremis, calor omnium membrorum recurrit ad cor, quasi ad castrum naturæ, ut ibi se salvet : sic quodam modo, homine multipliciter tribulationibus et passionibus concusso, vigor cæterarum virtutum currit ad fidem, et per fidem se defendit, ut patet in sanctis martyribus.

Ægidius Parisiensis.

Ad *Auroram*, in Evangel., v. 2137-2146.

* Addidit et Dominus granum memorare sinapis,
* Cunctis seminibus quod solet esse minus.
* Hoc breve quum sit, ait, fit, postquam crevit, ut arbor,
* Et volucres nidos hic posuere suos.
* In grano voluit superexcrescente notari,
* Quod nos fructificam quærit habere fidem.
* Sevit homo granum subtile sinapis in agro :
* Grana suæ fidei sevit in orbe Deus.
* Illic ædificant volucres cœli sibi nidos :
* Hic animæ vivunt, quæ cor ad alta levant.

(1) *Sinapis.* Matt. XIII, 31. — (2) *Sinapis.* Matt. XVII, 31. — 3) *Virorum.* Is. LIII, 3. — (4) *Stultitiam.* I Cor. I, 23. — (5) *Manibus.* Dan. II, 34. — (6) *Cælorum.* Matt. XVIII, 3. — (7) *Eorum.* Ps. XVIII, 5. — (8) *Odorem.* Cant. I, 11. — (9) *Terram.* Ps. CXL, 7. — (10) *Cælo.* Matt. V, 12.

LXX, LXXI.

÷ Cæpe [1] et Allia, corruptio mentis [et acredo peccati [2]], quæ quanto amplius editur, tanto magis dolore cruciat. In Exodo : « Edebamus cæpe et allia et cucumeres gratis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiv, c. 10, p. 599.

Rabanus. Porri, occupationes mundi, ut : « In mentem veniunt porri, et cæpe, et allia. »

Moralitatum lib. vi, art. 12. Allium has habet conditiones : I. Ut dicit Isidorus, sic dicitur ab olendo, eo quod oleat : significat fœtentem in pravis moribus. De talibus fuit Julianus Apostata, cujus vita, doctrina et fama totaliter fœtida fuit, est et erit, sicut colligitur ex Historia tripartita. — II. Ut dicit Dioscorides, odor ejus est tam fortis, quod omnes alios reprimit, etc. : significat fortitudinem pœnitentiæ et ejus effectum contra omnes immunditias vel spirituales nequitias. Exemplum in beato Augustino. — III. Ut dicit idem, ventrem et stomachum turbat, etc. : significat vitium avaritiæ. — IV. Ut dicit idem, corpori appositum, ulcerat et vulnerat : significat malos homines corrumpere familiares sibi. — V. Ut dicit idem, lepram generat : significat quod amor mundanus eadem ista mala facit in anima. — VI. Ut dicit idem, præcipue habet virtutem expellendi venenum : significat pœnitentiam esse medicinam peccatorum. — VII. Ut dicit idem, maxime valet contra morsum canis rabidi : significat pœnitentiam fervidam esse remedium contra magnum diaboli impetum. — VIII. Ut dicit idem, dolorem iliorum mitigat : significat consolationem cœlestem, si habeatur cum munditia, excedere et fugare omnes passiones spirituales animæ. — IX. Ut dicit idem, valet contra lepram cutis : significat quod pœnitentia liberat nos a malo. — X. Ut dicit Dioscorides, valet contra serpentum morsus : significat utendam esse pœnitentiam contra detractorum linguas. — XI. Ut dicit idem, hydropicis prodest : significat quod pœnitentia mundet maxime hominem interiorem. — XII. Ut dicit idem, si continue sumatur aut nimis, nocet visui : significat luxuriam impedire omnino cognitionem cœlestem.

Anonymus Clarevallensis. Allium, difficultas hujus vitæ; unde : « In mente, etc. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Numer., v. 215-228.

Ollarum carnes, peponum fercula, porros,
Cæpas pro manna turba gulosa petit.
Quosdam consimiles sinus Ecclesiæ modo nutrit,
Qui pro divinis terrea vana petunt.
Internum mentis designat manna saporem;
Actus Ægypti denotat esca malos.
Carnes ollarum carnalia facta figurant,
Quæ velut in nostra carne libido coquit.
Pepones signant quædam mala dulcia, tamquam
Otia sunt, somnus, gaudia, blanda quies.
Porri vel cæpe mala signant aspera, tamquam
Sunt rixæ, sanguis, furta, rapina, dolus.
Illa creant oculis lacrymas : ita nec sine fletu
Possunt ista geri, nec sine peste gravi.

LXXII.

1. Frumentum, Christus [4] : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet [5]. »

(1) *Cepa* D, G. — (2) *Acredo peccati* deest in E — (3) *Gratis.* Numer. xi, 5. — (4) *Granum frumenti, Christus. In Evangelio* B-G. — (5) *Manet.* Joan. xii, 24.

2. Anima electa : ÷ « Frumentum desiderat nubes[1] »

3. Verba prædicationis [2] : « Qui abscondunt frumenta, maledicentur in populis [3]. »

÷ 4. Perfectio justitiæ : « Sic est regnum cœlorum, quemadmodum si jaciat homo sementem in terra, et semen germinet et crescat, dum nescit ille [4]. »

÷ 5. Verba doctrinæ : « Et convalles abundabunt frumento [5]. »

÷ 6. Viriditas æternæ retributionis : « Pro frumento oriatur mihi tribulus [6]. »

÷ 7. Corpus Christi, sive evangelicus sermo. In psalmo : « Cibabit eos ex adipe frumenti [7]. »

÷ 8. *Triticum*, sancti, vel electi Dei [8]. In Evangelio : « Congregabit triticum suum in horreum [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, ad 2 ; ed. II, col. 743 D, ad 2, 7.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 17, p. 607.

Gregorius M. Quælibet electa anima, ut ibi : « Frumentum desiderat nubes. » Electus enim quisque nubes desiderat, quum ad piæ fructificationis augmentum irrigua prædicationis exoptat. — Sacri eloquii doctrina, ut ibi : « Et convalles a. f. ; » id est, mentes humiles reficientur sacræ doctrinæ pabulo. — Perfectio justitiæ, ut in Evangelio : « Primum herbam, deinde spicas, postea plenum frumentum in spica [10]. » Electus enim quisque a rudimenti sui teneritudine inchoat, ut sic paulatim ad robusta et fortiora convalescat. — Viriditas retributionis æternæ, seu spirituale pabulum refectionis internæ, ut ibi : « Pro frumento o. m. tribulus; » id est pœna punctionis, pro suavitate consolationis. —Sacri eloquii mysticus intellectus, ut ibi : « Dedi ei frumentum, vinum et oleum. » Frumentum namque a Domino accipimus, quando, remota litteræ palea, spiritualis intelligentiæ gustum in dictis obscurioribus repetimus. — Virtutes, sicut de Jeroboam legitur, quod « frumenta excutiebat a paleis » ; id est, virga judicii virtutes discernebat a vitiis. Verba prædicationis, ut ibi : « Qui abscondit, etc. »

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Frumentum, Christus, ut : « Granum frumenti, etc. » — Justus, ut : « Frumentum d. n. » — Opus temporale, ut : « Adipe frumenti satiat te [11]. » — Virtutes, ut : « Jerobaal excussit frumentum in torculari [12]. » — Sermo doctrinæ, ut : « Det tibi Deus abundantiam frumenti [13]. » — Delectatio carnis, ut : « Fructu frumenti, vini et olei [14]. »

Cf. *de Universo* lib. XIX, c. 2, col. 505.

Petrus Capuanus ad litter. VI, art. 57. Frumentum materiale duplex est, scilicet ipsi sancti. Job : « Frumentum d. nubes, » id est sanctos prædicatores, ut eos rigent. Et opera bona. Psalmus : « Cibavit eos ex a. f. ; » id est fruge boni operis.—Frumentum spirituale duplex, scilicet doctrina, vel intelligentia spiritualis. Genesis : « Det tibi de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, » id est spiritualis intelligentiæ. — Et lex divina, qua filii Israel pasci debebant. Osee : « Dedi eis frumentum, vinum et oleum [15]. » — Frumentum cœleste, ipse Christus. Evangelium : « Nisi granum, etc. » — Frumentum infernale, prava doc-

(1) *Nubes*. Job XXXVII, 11. — (2) *Prædicationis sermo* (*semen* E), *in Salomone* B-G. — (3) *Populis*. Prov. XI, 26. — (4) *Ille*. Marc. IV, 26. — (5) *Frumento*. Ps. LXIV, 14. — (6) *Tribulus*. Job XXXI, 40. — (7) *Frumenti*. Ps. LXXX, 17. — (8) *Vel electi. In Evangelio* : *Et congregabit* G. — (9) *Horreum*. Matt. III, 12. — 10 *Spica*. Marc. IV, 28. — (11) *Te*. Ps. CXLVII, 14. — (12) *Torcularí*. Jud. VI, 11. — (13) *Frumenti*. Genes. XXVII, 28. — (14) *Olei*. Ps. IV, 8. (15) *Oleum*. Osee II, 8.

trina. Psalmus : « A fructu frumenti sui (non Dei), vini et olei multiplicati sunt, » quia multos habent sequaces in doctrina.

Ex frumento materiali, id est sanctis, conficitur panis cœlestis unitatis. Ex spirituali, id est lege, conficitur panis hordeaceus. Ex cœlesti frumento conficitur panis angelicus. Ex infernali frumento, conficitur panis falsitatis atque mendacii.

Materiale frumentum, id est sanctos, seminavit Christus in mundo. Et bona opera seminant sancti. — Spirituale frumentum, id est legem, seminavit Moyses in populo israelitico. Frumentum doctrinæ seminat prædicator. — Frumentum cœleste seminavit Spiritus sanctus in utero Virginis. — Frumentum infernale, id est mendacii, seminavit diabolus in paradiso.

IDEM ad litt. XIX, art. 88.

Triticum

Materiale.	*Spirituale.*
Majores sancti in Ecclesia, jam excocti, probati et solidati persequutionibus.	Prædicatio. Eleemosyna.
Minores sancti et infirmiores, qui modo in agro Ecclesiæ admixta habent zizania.	*Cœleste.*
vel corpora habent mortalia.	Sancti, separati a palea, et repositi in horreo beatitudinis æternæ. Christus, vel corpus ejus.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Tritico*. Triticum sanctam doctrinam significat; unde : « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram [1]. » — Triticum significat omnes electos, quorum quidam sunt sub divo, quidam sub flagello, quidam in granario vel horreo. De tritico sub divo est illud in Evangelio : « Inimicus homo superseminavit zizania in medio tritici, et abiit [2]. » Hoc triticum significat bonos sæculares, qui occasionibus delinquendi propter cohabitationem pravorum, quasi pluviis et ventis, sunt expositi. De tritico sub flagello est illud Dominicum ad discipulum : « Ecce Satanas expetivit te, ut cribraret te sicut triticum [3]. » Hoc triticum significat bonos religiosos, qui sub arcta sunt disciplina, parati semper dorsa ponere ad flagella. De tritico jam parato et a flagellis exemto, est illud : « Triticum autem congregate in horreum [4]. »

Triticum activam vitam significat; unde per illum villicum diffamatum, qui in Evangelio dictus est debere Domino centum choros tritici, puto quemlibet esse designatum, qui in activa vita perfectus esse tenetur, et non est. Ego et per hunc hominem puto significari prælatum imperfectum : non enim mediocrem conversationem pastoribus animarum puto sufficere, quandoquidem mediocres esse poetas videbatur turpe antiquis. Unde est illud [5] :

Mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnæ.

Oportet igitur illum octoginta scribere, id est pastorali regimini renuntiare, et viduitatis octogenarium privatum agere; vel certe, quia in octogenario quadragenarius, qui præmialis est numerus, duplicatur, oportet eum corde et corpore pleno pœnitere.

ANONYMUS TRECENSIS. *Pœnitentia fugat luxuriam*. Notandum quod frumentum, si fuerit nimis servatum, putrescit; si autem fuerit projectum et vento expositum, redit pulchrius et renovatur. Sic corpus humanum, si fuerit in quiete et deliciis, in fine computrescet; si vero laboribus pœnitentiæ exponatur, pulchrum et gloriosum invenietur. — Nota de beato Francisco, qui dicebat, quod habenda est perseverantia in tribulationibus, ad modum tritici : quod primo, in terra sepelitur; postea, in grandine congelatur, in hieme et pluvia maceratur; postea crescit in herbam, hominibus conculcandam; exponitur etiam bestiis ad pa-

(1) *Mensuram*. Luc. XII, 45. — (2) *Abiit*. Matt. XIII, 25. — (3) *Triticum*. Ps. XXII, 31. — (4) *Horreum*. Matt. XIII, 30. — (5) *Illud*. Horat. *Art. poet.* 372, 373.

scendum; postea, in æstate, calore solis comburitur; deinde falci exponitur; deinde flagellis verberatur et excutitur; postea, inter molas teritur, et in clibano coquitur. Et in his omnibus semper vigorose retinet virtutem et bonitatem suam, et ideo, ad ultimum, coram rege præsentatur. Sic homo perseverans in tribulationibus, coram rege æterno præsentatur.

BIBLIA COD. BELLEVALL.

Frumentum.

Quælibet electa anima.	Verba prædicationis.
Perfectio justitiæ.	Viriditas retributionis.
Doctrina sacri eloquii.	
Intellectus.	Virtutes.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. III, v. 688-719.

Quumque fames esset, quidam pergens olerare,
Vitem silvestrem legit herbas inter agrestes,
Pulmentumque coquens pariter concidit in ollam.
Sed quum gustatur : « Mors est, clamatur, in olla! »
Divinum verbum quoties audisse fames est,
Quum desunt legis sapientes expositores,
Tunc quidam dici cupiunt non esse magistri,
Legi divinæ miscendo poetica sensa,
Atque venenatas doctrinas philosophorum.
Elysios campos et amœna vireta loquuntur;
Solem cum luna stellisque deos profitentur;
Terram cum pelago, ceu numina sint, venerantur;
Mœchias, immunditias bona testificantur;
Esse bonum summum ventri servire profantur:
Ista sacræ legi miscent aconita superbi;
Sic ollam vitæ cupiunt vitiare profani.
Mortiferum sed olus sanat vates Elisæus,
Ollam pestiferam condit, mittendo farinam:
Nempe Deus Christus facit ut verum sapiamus.
Tunc de Balsalisa [1] quidam veniens, Elisæo
Offert frumentum, panes et primitiarum,
Illa dari populo vates jubet ad comedendum,
Et præsagivit fore reliquias saturatis:
Christus dat nobis divini pabula verbi,
Dum per apostolicos docet Ecclesiam paranymphos,
Qui proferre suo de thesauro didicerunt
Hinc Evangelii nova, legis et hinc veterana.
Pro captuque suo sumunt ea quique fideles,
Et superest saturis, quia nemo scit omnia legis.
Est de Balsalisa, qui gestat adorea [2] liba:
Nam qui divini dispensat pabula verbi,
Insinuare Dei debet magnalia trini.

LXXIII.

1. HORDEUM, legis littera [3] : « Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos [4]. » ÷ Litteræ legis tenax, ÷ sicut in Genesi de Isaac dicitur : « Et invenit anno illo centuplum hordei [5]. »

÷ 2. Dispensatio terrenarum rerum : « Pro hordeo oriatur mihi spina [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 9; ed. II, col. 763 D ad 1.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 18, p. 610.

GREGORIUS M. Hordeum, littera legis, quæ carnalium sacramentorum tegminibus, quasi quibusdam paleis, tegitur; sed intus est medulla, qua spiritus roboratur. — Hordeum, terrenarum rerum dispensatio, pro quo spina nascitur, quum pro remuneratione operis punitio doloris invenitur.

MORALITATUM lib. VI, art. 115. Hordeum, ut ponit Isidorus [7], quandoque, dicitur [hexaticum] ab ordine, eo quod spica sex ordines continens invenitur, et illud genus melius pascit animalia quam triticum; quandoque [distichon, id est] habens duos ordines in spica sua : significat legem Moysis,

(1) *Baalsalisa.* Vulg. — (2) *Adorea.* Suprascribitur in codice, *triticea.* Juxta Isidorum : « *Adoreum*, tritici genus. » *Etymol.* lib. XVII, c. 3, n. 6. In sequentibus alluditur ad *tria farinæ sata*, quæ fusius exponentur p. 441. — (3) *Littera legis, sive simplex doctrina* B-G. — (4) *Hordeaceos.* Joan. VI, 9. — 5. *Hordei.* Genes. XXVI, 12. — (6 *Spina.* Job XXXI, 40. (7) *Isidorus, in Etymol.* l. XVII, c. III, n. 10, e quo nonnulla necesse fuit inter uncos suppleantur et explicentur.

continentem sex genera edictorum, scilicet moralium, judicialium, cæremonialium, solemnitatum, oblationum et sacrificiorum, et duo præcepta charitatis; quæ quidem lex spiritualiter intellecta, et a carnalibus observantiis depurgata, efficit in anima quæcumque hordeum in hominis vita.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Hordeum.

Operatio. Vetus testamentum.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 2304-2311.

Panes quinque, duos pisces Christus benedicens,
Multiplicans, hominum millia quinque cibat.
Qui se quinque libris Moysi legumque duarum
Doctrinis pascunt, ecce notantur eis.
Panibus ex septem quod millia quattuor arcent
Esuriem, res hæc pene figurat idem.
Hi sunt quos, sparsos per partes quattuor orbis,
Munere septeno Spiritus almus agit.

LXXIV.

1. MESSIS, prædicationis verbum : « Cujus messem famelicus comedet [2]. »

÷ 2. Scriptura : « Cujus messem, etc. »

÷ 3. Ubertas, vel copia fidelium. In Evangelio : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem [3]. »

÷ 4. Aliter messis, consummatio sæculi, sicut : « Messores angeli [4]. »

LXXV.

÷ FRUGES, conversi : « Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum. [5] »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 9; ed. II, col. 743 C, ad LXXIV, 3, 4.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 19, 20, p. 610.

GREGORIUS M. Messis, sacra Scriptura, sicut de judaico populo dicitur : « Cujus messem, etc. » Hujus populi messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quam plebs judaica sine intellectu laboravit.—Donum rectæ intelligentiæ, ut ibidem : habet namque stultus messem quam non ipse, sed famelicus comedit; quia donum intelligentiæ quod accepit et negligit, is qui sanctis desideriis justitiam esurit, operando custodit.

Fruges, Judæi conversi vel gentiles, ut ibi : « Veni, etc.; » quia non priori populo propheta, sed filiis ejusdem populi verba intulit, quasi ad novarum frugum acervum venit. Quod autem bonæ animæ fruges Dei appellatæ sunt, alius propheta testatur, dicens : « Sanctus Israel Domino, frugum primitiæ ejus [6]; » quia enim Israel primum Domino credidit, recte hæc propheta frugum ejus primitias appellavit.

RABANUS. Messis, auditor verbi Dei, ut : « Messis quidem multa, operarii autem pauci [7]. » — Operatio aperta, ut : « Sursum atteratur messis ejus [8]. » — Vetus testamentum, ut : « Stulti messem f. c. » — Reprobi, ut : « Mitte falcem, et mete, quia aruit messis terræ [9]. » — Præsens sæculum, ut : « Si-

(1) *Sermo prædicationis, sicut in Job de pravo doctore dicitur* B-G. — (2) *Comedet*. Job V, 5. — (3) *Messem*. Joan. IV, 35. — (4) *Angeli*. Matt. XIII, 39. — (5) *Frugum*. Ezech. III, 15. — (6) *Ejus*. Jerem. II, 3. — (7) *Pauci*. Matt. IX, 37. — (8) *Ejus*. Job XVIII, 16. — (9) *Terræ*. Apoc. XIV, 15.

nte utraque crescere usque ad messem [1]. » — Messores, angeli, ut : « Messores vero sunt angeli. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Messis triplex pertulat prælatos. Prima messis est in subditis, qui parati sunt ad bene operandum, si in prælatis invenirent exemplum. Secunda, in naturalibus bonis, in intellectu, ratione et memoria et cæteris, quæ parata sunt ad fructificandum, si prælatos [2] invenirent ad exsequendum. Tertia, in sacra Scriptura, unde a prælatis colligenda est fructificatio multa.

De prima messe legitur : « Ecce regiones albæ sunt jam ad messem. » De secunda dicitur : « Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos [3]. » De tertia : « Messis quidem m. o. a. p. » Ad multam messem operarii pauci sunt, quia, etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est : sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus.

De prima contra prælatos proponitur in hunc modum : « Væ vobis, canes muti, non valentes latrare [4]. » Prælatus quidem canis gerit similitudinem. Canis linguam habet medicinalem, arcet furem. Sic prælati tenentur in subditis, peccatorum vulnera sanare, contra pseudofratres vertere morsus correptionis. De secunda contra eos dicitur : « Væ vobis, qui imponitis aliis onera importabilia [5], etc. » De tertia contra eosdem dicitur : « Væ vobis, qui habetis clavem scientiæ [6]. » Prælatis enim duæ claves sunt collatæ; et quum deberent esse spirituales animæ medici, nec etiam ad similitudinem materialis physici, attendunt statum complexionis spiritualis ægroti, nec considerant tempus, locum, causam, personam, sexum, ætatem, et alia hujusmodi; ut si ægrotus laboret hydropisi avaritiæ, invitet eum ad opera misericordiæ; si laboret lepra luxuriæ, invitet eum ad castitatis remedia; si ægrotet morbo gulositatis, sanet eum potione sobrietatis.

Petrus Capuanus ad litt. XII, art. 10. Messis bonorum, et messis malorum. Messis bonorum duplex : alia scilicet in præsenti, et alia in futuro.

In præsenti triplex est messis bonorum, scilicet naturæ, ut ingenium, memoria. — Vel gratiæ, qua metunt bona opera. Et hæ messes reponuntur in horreo Ecclesiæ. — Vel prædicatio, qua metunt populos ad fidem. Messores hujus messis fuerunt apostoli præcipue, qui messem gentilis populi multam viriliter messuerunt. Sed hæc messis est congregata et introducta in aream Ecclesiæ. Actus apostolorum : « Macta et manduca [7], » id est, Ecclesiam incorpora.

In futuro autem bonorum messis erit merces duplex : æterna, quam sancti recipient pro semine bonorum operum : hujus messores sunt sancti. Sed in area judicii erit messis justorum, quando « ejus ventilabrum erit in manu sua, et permundabit aream suam [8]. » Hujus messores erunt angeli. Hæc messis reponetur in horreo beatitudinis æternæ.

Messis etiam malorum duplex : scilicet in præsenti, mala opera; et in futuro erit eis messis gehennæ, quam metunt pro peccatis suis.

Circa messem autem septem solent attendi : primo scilicet, agricola ipse qui seminat; secundo, semen ipsum, quod seminat; tertio, terra in qua seminatur; quarto, instrumentum, quo terram ipsam proscindit, ut aratrum, vomer, vel hujusmodi; quinto, herba quæ provenit ex semine, et pullulat in spicas; sexto, messis ipsa, quæ inde metitur; et septimo, panis, et refectio quæ inde paratur et gustatur. Hæc autem eadem in spirituali messe etiam poterunt inveniri. Agricola namque vel seminator est prædicator. Nonne largus seminator erat Paulus, quum ab Hierusalem [9] usque ad Illyri-

(1) *Messem.* Matt. XIII, 30. — (2) *Paratos* alias. Forte utrumque bonum. — (3) *Suos.* Ps. CXXVI, 6. — (4) *Latrare.* Is. I, 10. — (5) *Importabilia.* Matt. XXIII, 4. — (6) *Scientiæ.* Luc. XI, 52. — (7) *Manduca.* Act. X, 13. — (8) *Suum.* Luc. III, 17. — (9) *Hierusalem.* Rom. XV, 19.

cum repleverit evangelium? Vere seminiverbius erat, qui tot verborum millia seminavit. Semen est ipsa prædicatio : hoc est semen illud quod « cecidit in terram bonam (Ecclesiam), et protulit fructum tricesimum (conjugatis), sexagesimum (continentibus), et centesimum [1] (virginibus). » Terra in qua seminatur est mens auditorum. Hæc terra, si spinas et tribulos profert, reproba est et confusione proxima. Instrumentum, quo terra proscinditur ista, est acumen asperæ increpationis. Hoc instrumento scinditur terra et foditur, quum timore concutitur. Herba quæ ex terra ista et jacto semine multipliciter pullulat, sunt virtutes et bona opera; hæc herba tunc in segetem crescit, et maturescit in messem, quum æstati judicii appropinquatur. Ex hac herba colligitur messis remunerationis in judicio. Ex hac messe tandem parabitur refectio in æterna satietate. Evangelium : « Beatus qui manducat panem in regno cœlorum [2]. » Hæc refectio est lignum illud vitæ, de quo edent illi qui victoriam consequuntur.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 4045-4068.

Doctorem clarum, Domini qui sudat in agro,
Et juga fert, fortem dicimus esse bovem.
Est ager Ecclesia; messis, collectio gentis
Catholicæ; messis fructus opusque bonum est.
Perfectus doctor, verbi dum vomere scindit
Corda sacro, crescit magna segesque bona.
Hujus apud Dominum meritum micat, arida quando
Dogmate corda rigans fructificare facit.
Vis bovis illius bene tum manifesta videtur,
Subdita corda bono germine quando virent.
Quem pascit vidua, viduam quoque pascit Elias :
Doctoris typus est Ecclesiæque sacræ.
Quum non corda rigat, in vanum verberat auras
Clamosus stolida verba magister habens.
Ecclesiæ vacua tum sunt præsepia, quando
Hanc male bos sulcans spiritualis alit.
Hinc seges Ecclesiæ sterili non surgit in agro,
Nam sulcum cordis hic male vomer arat
Arva vacant vacua, quia tum præsepia fructum
Non faciunt, stolido deficiente bove.
Christe, tuis stabulis ne jejuni redeamus,
Cordis agrum nostri vomere scinde tuo.
Nostraque virtutum messis, Salomonis in horto,
Crescere delectet fructificando bene.

LXXVI.

1. SPICÆ, profectus inchoantium [3] : ÷ « Simile est regnum Dei, quomodo si jactat homo semen in terram... ultro enim terra fructificat primum herbam, demum spicam [4]. »

2. Sententiæ Patrum : « Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas [5]. »

÷ 3. *Aristæ*, reprobi divites : « Sicut summitates spicarum conterentur [6]. » Summitates spicarum sunt aristæ.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 21, 23, p. 613-615.

GREGORIUS M. Aristæ, reprobi divites, ut in Job : « Et sicut summitates, etc. », quia nimirum rigiditas superborum trituræ ultimæ formidine frangitur, quæ nunc super electa grana fastu et fastigio elevatur.

RABANUS. Spicæ, sententiæ Scripturæ, ut : « Esurientibus t. s. »—Opera bona, ut : « Assumentes spicas, latenter percusserunt in inguine [7]. »—Septem spicæ, septem anni steriles Joseph.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVII, art. 80. Spica ad litteram dicitur collectio granorum

(1) *Centesimum.* Matt. XIII, 8. — (2) *Cœlorum.* Luc. XIV, 15.— (3) *Initia fidei, vel inchoatio bonorum operum, sicut in Job de hæreticis dicitur : Et esurientibus* B-G.—(4) *Spicam.* Marc. IV, 26, 28.—(5) *Spicas.* Job XXIV, 10.—(6) *Conterentur.* Job XXIV, 25. — (7) *Inguine.* II Reg. IV, 6.

in palea nondum triturata. Sunt ergo spicæ fidelium, spicæ bonorum, spicæ prædicationum.

Spicæ fidelium sunt commixtiones bonorum cum malis; unde et dicitur in Evangelio, quod apostoli spicas vellebant et manibus confricabant; dum scilicet a malorum consortio rationibus et exemplis bonorum operum separabant. Sic nimirum Petro dictum est ut confricaret spicas. Spicæ autem virentes non possunt confricari, nisi prius adurantur igne. Hæ sunt mentes viventium, qui a palea pravæ consuetudinis separari non possunt, nisi tribulationibus fuerint adusti. In his spicis grana intelliguntur boni et mali.

Spicæ bonorum sunt dona spiritualia, quæ nos plena ubertate reficiunt. Hæ spicæ in fame hujus mundi nos reficiunt. Hinc Ruth spicas post messores colligebat, quia gentilis Ecclesia, post apostolos, manipulos bonorum operum collegit. Hinc Zacharias : « Quid sunt duæ spicæ olivarum [1] ? » Quod ipse exponens ait : « Isti sunt duæ filii olivæ, » qui possunt intelligi, Joannes et Elias, vel duo testamenta. Spicæ prædicationis sunt verba prædicatorum. Job : « Esurientibus tulerunt spicas, » id est, bonis afferunt verba prædicationis. In his spicis palea est littera; grana sunt spiritualis intelligentia. Hinc, quia in hordeo tenaciter adhæret palea grano, per quinque panes hordeaceos intelliguntur quinque libri Moysis, in quibus palea litteræ tenaciter adhæret granis intelligentiæ spiritualis. Evangelium : « Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces [2]. »

Anonymus Clarevallensis. Spica, sententiæ Scripturæ. — Opera bona. — Septem spicæ [*ut supra Rabanus*]. — Christus, ut : « Dic seboleth, quod interpretatur spica [3]. » —Sancti, ut : « Ruth colligebat spicas in agro Booz, post terga metentium [4]. »

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. 1, v. 612 sqq.

Somnia narravit Pharao : Joseph reseravit...
Per septem spicas plenas, totidemque juvencas,
Ubertas fidei larga pietate redundat,
Inquit, per septem charismata Pneumatis almi,
Justitiæ verbique famem steriles refigurant...
At Joseph fruges per septem congregat annos,
Quando fames venit, Joseph tunc horrea pandit :
Erudit Ecclesiam Christus vitæ documentis,
Antichristi ne sub tempore depereamus...
Reddidit argentum Joseph, frumentaque donat :
Præmia nulla petit Christus, dat munera gratis.

LXXVII.

Paleæ, peccatores : « Quid paleis ad triticum? dicit Dominus [5]. » ÷ « Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit [6]. » ÷ In Evangelio : « Paleas autem comburet igni inexstinguibili [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 743 D.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 21, p. 614.

Gregorius M. Paleæ, iniqui; unde Job : « Erunt sicut paleæ ante faciem venti; » ad manum videlicet ulciscentis justitia leves, qui fuerunt proximis per injustitiam graves.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Paleæ, viri sancti, ut : « Palearum et feni plurimum est apud nos [8]. » — Sententiæ Scripturæ, ut : « Habentes paleas et fenum multum [9]. » —Vitæ necessaria, ut : « Paleæ non dabuntur vobis [10]. » — Instabiles, ut : « Erunt sicut p. a. f. v. » — Infideles : « Leo quasi bos comedet paleas [11]. » —Damnati : « Paleas autem comburet igni inexstinguibili.

(1) *Olivarum*. Zachar. IV, 12. — (2) *Pisces*. Joan. VI, 9. — (3) *Spica*. Judic. XII, 6. — (4) *Metentium*. Ruth. II, 3. — (5) *Dominus*. Jerem. XXIII, 28. — (6) *Dispergit*. Job XXI, 18. — (7) *Inexstinguibili*. Luc. III, 17. — (8) *Nos*. Genes. XXIV, 25. — (9) *Multum*. Jud. XIX, 19. — (10) *Vobis*. Exod. V, 18. — (11) *Paleas*. Is. XI, 7.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Judic., v. 105-122.

Dum Gedeon paleas de granis elicit, illum
  Angelus ex hirco sacra parare monet.
In petra carnes poni, succusque jubentur.
  Accinctus Gedeon ad sacra jussa favet.
Angelica virga tanguntur singula ; flammam
  Petra parit; flamma devorat omne sacrum.
Mundator paleæ divina videt, quia mundis
  Mentibus a mundo sæpe superna patent.
Angelus offerri jubet hædum : sordida carnis
  Crimina mactari pagina sacra monet [1].
In petra carnes ponuntur, quando, superni
  Regis ad exemplum, se caro nostra domat.
Offert cum carne succum, qui noxia mentis
  Cum culpis operum sub ratione premit.
Angelus hæc tetigit virga, quia cœlica virtus
  Numquam privat ope quos bona velle videt.
Ignem petra vomit; ignis vorat omnia : missus
  Spiritus a Christo concremat omne malum.

LXXVIII.

1. STIPULÆ, inutiles [2] : « Ligna, fenum, stipula [3] . » ÷ In propheta : « Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe [4], » hoc est, nullos boni operis fructus inveni.

÷ 2. Humana abjectio : « Stipulam siccam persequeris [5]. »

LXXIX.

CULMUS, operis rectitudo : « Culmus stans non est in eo [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 8; ed. II, col. 743 C ad XXVII, 1.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIV, c. 24, 25, p. 616.

GREGORIUS M. Stipulæ nomine humana objectio designatur, sicut per beatum Job dicitur : « Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam et s. s. p. » Quid est homo, nisi folium? qui videlicet ab arbore in paradiso cecidit. Consideret utraque vir sanctus : et homo quantæ humilitatis sit, et Deus quantæ districtionis, et dicat : « Contra folium q. v. r.; » ac si aperte deploret, dicens : cur tanta rectitudine impetis, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis?

RABANUS. Stipula, infirmitas hominis, ut : « Stipulam siccam p. » — Mens instabilis, ut : « Sicut stipulam ante faciem venti [7]. » — Reprobi, ut : « Qui devorant eos sicut stipulam [8]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVI, art. 81.

Stipula

Gratiæ.	Culpæ, peccata levissima.
Miseriæ, homo dejectus absque bonorum operum humore.	Gehennæ, retributio malorum.

Homo vero lignum fuit in sui conditione, folium in tentatione, stipula in dejectione, morticinum in pœnæ afflictione. Vile sperma est in conceptione, vel luteum et fictile in peregrinatione, pulvis in resolutione, vermis in tumulatione, cibus ignis in damnatione, flos in Christi resurrectione, fructus in ejus ascensione. Aquila erit in generali resurrectione, sol vero in æterna remuneratione.

Lignum in sui conditione. Genesis : « Produxit de humo omne lignum pulchrum visu [9]. » Factus est enim homo pulcher,

(1) *Jubet* alias, ita supra ad v. 106. — (2) *Aridi ad fidem, vel inanes* B-G. — (3) *Stipula* B-G. I Cor. III, 12. — (4) *Messe*. Mich. VII, 1. — (5) *Persequeris*. Job XIII, 25. — (6) *Eo*. Osee VIII, 7. — (7) *Venti*. Ps. LXXXII, 14. — (8) *Stipulam*. Is. V, 24. — (9) *Visu*. Gen. II, 8.

quum Dominus dixit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [1]. » Folium in tentatione; raptus enim tunc fuit homo a vento tentationis. Stipula in dejectione; siccatus enim tunc fuit homo ab omni humore et virore spiritus [2]... Flos in Christi resurrectione. Psalmus : « Et refloruit caro mea [3]. » Fuit enim tunc natura nostra immortalitatis flore vestita. Fructus in ascensione. Hunc enim fructum consequutus est ex ipsius ascensione, scilicet consolatorem Spiritum. Aquila erit in generali resurrectione. Psalmus : « Renovabitur ut aquilæ juventus tua [4]. » Erunt enim sancti tamquam aquilæ innovati. Evangelium : « Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ [5]. » Sol vero in remuneratione. Tunc enim lucebit Ecclesia sicut sol, et « erit lux lunæ sicut solis [6]. »

Anonymus Clarevallensis. Stipula terræ hæret : post collectas segetes, remanet; vix eradicatur; levis est; sterilis, dura, arida; incendio apta; aspera, gracilis, stridula, nodosa.

Aridus est culmus, vacuus, levis atque sonorus,
Et fructus alius generans et congruus igni.

Stipula. { Infirmitas hominis. / Mens instabilis. / Reprobi.

Petrus de Riga.

Aurora, in Levit., v. 373-390.

Si quisquam Domino det munus primitiarum,
Frugum de speciebus, quæ novitate virent :
Has suus oblator flammis torrere jubetur,
Et velut in morem frangere farris eas.
Ex [7] sacris similæ mores descripserat horum
Qui jam perfecti sunt validique viri.
Nunc docet hos, Domini qui sunt in lege recentes,
Sed per divinum jam gradiuntur iter.
Non vult nudari paleis, donec sit adusta,
Donec confracta spica tenella recens.
Sic novus hic juvenis, nisi sit prius igne doloris
Tactus, et incipiat frangere velle suum,
Affectus mundi pungentes intima cordis,
Tamquam sint paleæ, non removere potest.
Qui sudore, fame carnem macerare laborat,
Hac flamma paleas exuit ille suas.
Spicas confringit, proprium quum velle relinquit,
Pronus et alterius dat sua colla jugo.

LXXX.

Cultura, sancti qui excoluntur : « Dei agricultura estis [8]. »

LXXXI.

1. Verbum Dei [9] : « Semen est verbum. Exiit qui seminat, seminare semen suum [10]. »

÷ 2. Semen, Christus : « Non dicit, in seminibus [11]. »

÷ 3. Opera : « Seminate vobis in justitia [12]. Qui seminant in carne, de carne et metent [13]. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua [14]. »

÷ 4. Prædicatio : « Beati qui seminatis super omnes aquas [15]. »

÷ 5. Prædicatio hæreticorum, aqua stultitiæ perfusa. In Pentateucho : « Omne semen super quod ceciderit aqua, immundum erit [16]. »

÷ 6. *Seminare,* prædicationis sermonem in corda fidelium spargere [17]. In propheta : « Et seminabunt agros [18]. » ÷ « Qui attendit ventis, non seminat [19]. »

(1) *Nostram.* Genes. I, 26. — (2) *Spiritus.* Multa intermiscentur capiti præsenti extranea. — (3) *Mea.* Ps. XXVII, 7. — (4) *Tua.* Ps. CII, 5. — 5) *Aquilæ.* Matt. XXIV, 28.—(6) *Solis.* Is. XXX, 26.—(7) *Lex* codd. —(8) *Cultura, fidelis* A. *Qui excoluntur in Deum* D, G. *In Deo* E. *Estis.* I Cor. III, 9. Addunt B, C. *Dei ædificatio estis.* — (9) *Divina prædicatio. In Evangelio : Exiit* B-G.—(10) *Suum.* Luc. VIII, 5.—(11) *Seminibus.* Galat. III, 16.—(12) *Justitia.* Osee X, 12.—(13) *Metent.* Galat. VI, 8. — (14) *Sua.* Ps. CXXV, 6. — (15) *Aquas.* Is. XXXII, 20. — (16) *Erit.* XI, 38. — (17) *Prædicationis in sermone* I c. *f. semen spargere* E. — (18) *Agros.* Ps. CVI, 37.— (19) *Seminat.* Eccle. XI, 4.

Eucherius, ed. I, p. 8; ed. II, p. 783 B, ad 2.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 3 et 130.

Rabanus. Semen, Christus, ut : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes [1]. » — Prædicatio, ut : « Domine, nonne bonum semen seminasti in agro [2]? » — Boni et mali, ut : « Inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius [3]. » — Viri electi, ut : « Bonum semen, hi filii sunt regni [4]. » — Opus bonum, ut : « Et semen illius in benedictione erit [5]. » — Imitator viri sancti, ut : « Potens in terra erit semen ejus [6]. » — Oris loquutio, ut : « Vir qui patitur fluxum seminis [7]. » — Peccatum, ut : « Et semen ejus absorbens volucrem [8]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Semen est inspiratum, scilicet infusio gratiæ supernæ ; — innatum, bona voluntas hominis ; — seminatum, verbum Dei ; unde in Evangelio : « Semen est verbum Dei [9]. » — Operatum, bona scilicet operatio ; in hoc est verbum verum, quod « alius est qui seminat, alius est qui metit [10]. » — Item : « Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis [11]. »

Semen vel sementum est, dum seminatur, et est animalium. Sementis, dum adhuc est in sementivo, et est frugum et arborum. Seminum, quum seminatum est, et est cujusque rei exordium. Semina sunt quatuor : prophetarum prædictio, apostolorum prædicatio, subditorum operatio, terrenorum retributio. Primum est semen tantum ; duo media, et semen et messis ; ultimum messis tantum.

Distinctionum monasticar. lib. v, *de Semine*. Semen bonum triplex, et semen malum triplex est ; unde est illud Daniel ad senem impudicum : « Semen Chanaan, et non Juda [12]. » — Semen bonum, teste Christo auctore, sunt filii regni ; semen malum, filii nequam, eodem auctore. — Semen est verbum, et hoc sine dubio bonum ; et e diverso semen malum, sermo malus. Nemo est enim qui nesciat illum pessimum semen seminare, qui seminat inter fratres discordias. — Semen bonum opus bonum est. Et malum semen, opus malum. Unde Apostolus : « Qui seminat in carne, etc. ; et qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. » Est etiam semen generationis ; unde : « Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale [13]. »

Cujus reddetur proprio de semine fructus,
Justus lætetur ; reprobo non est nisi luctus.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2088-2101.

[*Vid. supra*, p. 127.)

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 2454-2457.

Justo cultori qui flens modo semina spargit,
Lætitiæ surget centuplicata seges.
Flos Christum pascens erit in viridi paradiso.
Nam pascunt opera te, bone Christe, bona.

LXXXII.

1. Aratrum, crux : « Nemo mittens manum in aratro, respiciens retro, aptus est regno cœlorum [14]. »

÷ 2. Crux Christi, sive prædicationis officium, vel inchoatio bonorum operum. In Evangelio : « Nemo, etc. »

(1) *Gentes*. Genes. XXII, 18. — (2) *Agro*. Matt. XIII, 27. — (3) *Illius*. Genes. III, 15. — (4) *Regni*. Matt. XIII, 38. — (5) *Erit*. Ps. XXXVI, 26. — (6) *Ejus*. Ps. CXI, 2. — (7) *Seminis*. Levit. XV, 2. — (8) *Volucrem*. Is. XIV, 29. — (9) *Dei*. Luc. VIII, 11. — (10) *Metit*. Joan. IV, 37. — (11) *Introistis*. Ib. 38. — (12) *Juda*. Dan. XIII, 56. — (13) *Spirituale*. I Cor II, 44. — (14) *Cœlorum*. Luc. IX, 62.

LXXXIII.

Arare, officium prædicationis exercere. In libro Regum : « Et ipse a duodecim arantibus unus erat [1]. » ÷ « Non arabis in bove et asino [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Phœbadius, *advers. Arian.*, p. 261 c.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 5 et 145.

Rabanus. Aratrum, bonum exemplum, ut : « In aratro boum coxit carnes [3]. » — Cultus justitiæ vel scientiæ, ut : « Mittens manum ad aratrum. »

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 71. Aratrum evangelicæ prædicationis. Ecclesiasticus : « Qui tenet aratrum, et non gloriatur in jaculo (exhortationis), stimulo boves (Scripturarum jugo subditos) agitat, et cor ejus est ad versandum sulcos [4]. » In hoc aratro arat prædicator. Osee : « Arabit Judas, constringet sibi sulcos Jacob [5] ; » id est, duritiam historiæ conteret, et dividet in partes spirituales. — Est autem aratrum rectæ conversationis. Evangelium : « Nemo mittens, etc. » In hoc aratro orat justus, bene operando. Nonne sic arabant illi qui ibant, et euntes flebant, mittentes semina sua, ut venientes veniant cum exsultatione, portantes manipulos suos? — Aratra quoque dicuntur exempla sanctorum. Regum : « In aratro boum coxi carnes, » quia scilicet, juxta sanctorum exempla, carnalia mortificavit. In hoc aratro arant minores qui respiciunt ad exempla majorum. Nonne juxta aratrum hoc arabant simplices illi, de quibus legitur in beato Job : « Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos [6]. » Arare etiam dicuntur hæretici male docendo. Osee : « Arastis impietatem, messuistis iniquitatem, comedistis frugem mendacii [7]. »

Anonymus Clarevallensis.

Aratrum.
- Custos justitiæ.
- Bonum exemplum.
- Prædicatio.
- Contemplatio.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. I, v. 590.

Provida cultoris in agro dum cura laborat,
Quæ sterilis fuerat, fit nova mater, humus.
Sic volo cordis agrum divino vomere scindi,
Ut crescat fidei centuplicata seges.
Fecundo cordis in sulco semina conde,
Ne volucres cœli exspatiata legant.

LXXXIV.

1. Manipulus, fructus pœnitentiæ [8] : « Portantes manipulos suos [9]. »

÷ 2. Item in aliam partem : « Non est manipulus in eis faciens farinam ; quod etsi fecerit, alieni comedent eam [10]. »

LXXXV.

1. Acervus, collectio fidelium [11]. ÷ « Venter tuus sicut acervus tritici [12]. »

÷ 2. Acervi, sanctorum perfecta prædicatio, sicut in Job, de hæreticis : « Inter acervos eorum meridiati sunt [13]. »

(1) *Erat.* III Reg. XIX, 19. — (2) *Asino.* Deuter. XXII, 10. — (3) *Carnes.* III Reg. XIX, 21. — (4) *Sulcos.* Eccli. XXXVIII, 26. — (5) *Jacob.* Osee X, 11. — (6) *Eos.* Job I, 14. — (7) *Mendacii.* Osee X, 13. — (8) *Manipuli, fructus justitiæ. In psalmo* B G. — (9) *Suos.* Ps. CXXV, 6. — (10) *Eam.* Osee VIII, 7. — (11) *Fidelium, ad aream Ecclesiæ* B-G. — (12) *Tritici.* Cant. VII, 2. — (13) *Sunt.* Job XXIV, 11.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 8; ed. II, col. 743 C, ad LXXXIII, 1.

Rabanus. Manipuli, bona opera, ut : « Vestros manipulos adorantes manipulum meum[1]. » — Præmia sanctorum, ut : « Portantes manipulos suos. » — Acervus tritici, multitudo martyrum et incrementa virtutum, ut : « Venter tuus, etc. » — Acervus lapidum, increpatio ultimi judicii, ut in libro Regum : « Congregaverunt super Absalon acervum in lapidibus[2]. » — Acervus Mercurii, infidelitas, ut : « Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii[3]. »

Petrus Cantor, Petrus Capuanus [*supra*, p. 335, 336].

Anonymus Clarevallensis, I. Acervus bonorum; unde : « Si ignis comprehendit acervos frugum[4]. » — Conventus malorum; unde : « Tollite lapides de via et redigite in acervos. » — Multitudo bonorum operum; unde : « Venter tuus, etc. » — Multitudo vitiorum vel malorum operum; unde : « Super Absalon cogitur acervus lapidum. »

Petrus de Riga.

Aurora, in II Reg. v. 311-314.

Mittitur in foveam vir nequam : sic in Avernum
Post obitum carnis transit hebræa tribus.
Congerie lapidum defuncti membra teguntur :
Pondere culparum pressus, Hebræus obit.

LXXXVI.

Zizania, scandala, vel mali[5] : « Venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici[6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 743 D.

Rabanus. Zizania, reprobi, ut : « Colligite primum zizaniam[7]. »

Petrus Capuanus ad litt. ultim., art. ultim. Zizania dicuntur hæretici, vel doctrina hæreticorum. Evangelium : « Simile factum est regnum homini qui seminavit[8], etc. »

Moralitatum lib. VI, art. 183. Significat zizania, sive lolium, hæreses et hæreticos occultos, inter catholicos habitantes spiritualiter, et efficientes in populo christiano realiter omnia quæ facit lolium per se in agro triticeo; sicut habetur in Matth. XI, ubi dicitur quod inimicus homo, id est diabolus, supersemināvit eam. Tamen per occasionem juvant, quasi medicinaliter, electos, dum qui probati sunt, manifesti fiunt per eos, secundum sententiam Apostoli, I Cor. XI, ubi loquitur de ista materia; et, secundum Augustinum *super Psalmos*, exercitant bonos[9].

Anonymus Clarevallensis *cum Rabano consentit.*

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 522-529.

Omnis peccati vitiosa superbia mater :
Hac radice mala nascitur omne malum.
« Sex odi, dicit Dominus, sed abominor illum
Discordes fratres qui facit esse suos. »
In claustro frater, vel virus vipera spargens,
Talis subvertens est rota quinta jugum.
Talem dejecit cœlestis curia. Talem
De nostro claustro projice, Christe, foras.

(1) *Meum.* Genes. XXXVII, 7. — (2) *Lapidibus.* II Reg. XVIII, 17. — (3) *Mercurii.* Prov. XXVI, 8. — (4) *Frugum.* Exod. XXII, 6. — (5) *Mali viventes in Ecclesia* B-G. — (6) *Tritici.* Matt. XIII, 25. — (7) *Zizaniam.* Matt. XIII, 30. — (8) *Seminavit.* Ib. 24. — (9) *Bonos.* In Psal. LIV, 1.

LXXXVII.

1. Area, Ecclesia : « Et permundabit aream suam [1]. »

÷ 2 Præsens mundus. In propheta : « Filia Babylonis, area trituræ meæ [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 745 c ad 1.

Rabanus. Area, Ecclesia [*ut supra*]. — Mundus, ut : « Ponam vellus in area [3]. — Gentilis populus, ut : « Altare in area Ornan Jebusæi [4]. »

Petrus Capuanus ad litter. I, art. 73. Area gentilitatis. Regum : « Ut eruam a te aream, et ædificem altare Domino [5], » ait David de area Jebusæi. — Et area universalis Ecclesiæ. Evangelium : « Permundabit aream suam. » — Area etiam cor fidelium. Cantica : « Dilectus meus descendit ad areolas [6], » id est corda sanctorum, qui consita sunt odoramentis virtutum. — Area Christi, uterus Virginis, vel Synagoga. Judicum : « Ponam vellus hoc lanæ in area. »

In prima, virga inquisitionis discutiebatur veritas a falsitate; unde superbientes dicunt in psalmo : « Labia nostra a nobis sunt [7]. » In secunda, virga dijudicationis discutiuntur grana a paleis : in præsenti, animo; in futuro, etiam loco. In tertia, virga discretionis discutiuntur mundæ cogitationes ab immundis. Genesis : « Descenderunt aves super cadavera, et abigebat eas Abraham [8]. » In quarta, virga damnationis discutiuntur hæreses a vera doctrina; unde de ea dicitur : Quæ cunctas hæreses sola interemisti.

In area autem ad litteram solet frumentum congregari, et ibi purgari, et inde in horreum reponi : ergo in utero virginali congregatum illud frumentum, de quo legitur in Evangelio : « Nisi granum frumenti, etc. » Et hæc est fortassis sextupla spica quam exposuit Joseph, quæ in eodem culmo pullulavit; quia et ipse Christus in uno virginali utero, tamquam in culmo uno, septiformi gratia fuit repletus. Nonne hoc frumentum in hac area congregabatur, quando Spiritus sanctus supervenit in ipsam, « et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [9] ?» Hoc etiam frumentum in manu Spiritus sancti ita purgatum est ab omni labe, ut mundissimam carnem assumsit Verbum, quando semen Abrahæ apprehendit. Nonne perfecte purgatum est, quando hoc frumentum multis tunsionibus et pressuris fuit compressum et attritum in ara, sive in area crucis? Nonne variis tunsionibus et pressuris fuit compressum hoc frumentum, quando licet prius colaphis cæsus, sputis illusus, spinis coronatus fuerit, tandem etiam unus militum lancea latus ejus aperuit? Nonne plene purgatum est, quando surrexit impassibilis et immortalis? Tandem frumentum istud repositum est in horreo beatitudinis æternæ, quando « Dominus quidem Jesus assumtus est in cœlum, et sedet ad dexteram Dei [10]. »

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. II, v. 562-574.

Sed neque te sileam, Gedeon; tua gesta retexam.
Tu dum trituras paleas, et grana sequestras,
Accipis oraclum, tibi cœlitus insinuatum.
Vellus complutum prius, ac post, area sicca;
Area rore madens, siccatum denique vellus :
Hæc tibi monstrant quia sic hostes superantur.
Signum Judææ vellus gerit atque figuram :
Gratia divinæ prius est data legis Hebræis;
At tunc cœlesti gentiles rore carebant.
Quum venit Christus, sibi credere sprevit Hebræus;
Hinc Evangelium toto diffunditur orbe.
Sic se Judæis absentans, ros fluit orbi :
Ecce fide mundus roratur : et aret Hebræus.

(1) *Suam*. Matt. III, 12. — (2) *Meæ*. Is. XXI, 10. — (3) *Area*. Judic. VI, 37. — (4) *Jebusæi*. II Reg. XXIV, 18. — (5) *Domino*. II Reg. XXIV, 21. — (6) *Areolas*. Cant. VI, 1. — (7) *Sunt*. Ps. XI, 5. — (8) *Abraham*. Genes. XV, 11. — (9) *Nobis*. Joan. I, 14. — (10) *Dei*. Marc. XVI, 19.

LXXXVIII.

÷ Ventilabrum, examen justitiæ. In Evangelio : « Cujus ventilabrum in manu ejus [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 743 C. Rabanus et Anonymus Clarevallensis, *ut supra.*

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 158. Ventilabrum præsentis discussionis, et ventilabrum extremæ examinationis. Ventilabrum præsentis discussionis est discussio qua in præsenti, in Ecclesia Dei, discutiuntur boni a malis, non loco, sed merito. Jeremias : « Disperdam eos ventilabro in portis terræ [2]. » — Ventilabrum extremæ examinationis est examen justitiæ Dei et discussio extremi judicii, ubi discernentur et separabuntur boni a malis, etiam loco : « Cujus ventilabrum in manu ejus est. »

Præfigurationum de gratia N. T.

lib. I, v. 246-250.

« Calceus ejus, ait, non a me quit religari. »
Vindicat Ecclesiam Christus sponsus sibi sponsam.
Visuram carnem Salvatorem canit omnem.
« Quidquid, ait, sordis traxit [ab origine mun]dus[3],
Mundat ventilabro, mundi sub [vespere judex],
In paradisiacis frumenta locans apothecis ·
Crimina laxabit quibus hos super astra levabit.
Non exstinguibilem paleas protrudet in ignem. »

LXXXIX.

Horreum, regnum cœlorum : « Et congrebabit triticum in horreum suum [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Capuanus ad litter. VIII, art. 18.

Horreum

Cœli, Beatitudo.	*Tartari.*
Mundi.	
Sancti.	Inexstinguibilis gehenna.
Ecclesia.	Anima cogitatione mala plena.
Fidelis anima.	

In primo horreo reponuntur animæ bonorum; Evangelium : « Collegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt [5]. » In secundo reponuntur manipuli fidelium populorum. Psalmus : « Passer invenit sibi domum [6]. » In tertio congeruntur animæ damnatorum. Isaias : « Propterea dilatavit infernus animam suam, et os suum aperuit absque ullo termino [7]. » In primo continetur frumentum; unde conficitur panis refectionis æternæ; in secundo, frumentum carnis Christi; in tertio, paleæ reprobatæ. Primum ædificatum est a Deo, quando in principio creavit cœlum et terram; secundum ædificatum est a Joseph, quando noster Joseph ædificavit supra petram Ecclesiam suam; tertium ædificatum est a Pharaone, id est diabolo, quando et se et hominem de paradiso ejiciens, invidia ejus mors intravit in orbem terrarum.

Anonymus Clarevallensis. Horreum, cœlestes mansiones, ut : « Triticum in horreo suo. » — Cella inferni, ut : « Volatilia non congregant in horreum [8]. » — Cor nostrum, ut : « Tamdiu Ruth cum puellis messuit,

(1) *Ejus.* Matt. III, 22. — (2) *Terræ.* Jerem. XV, 7. — (3) *Mundus.* Excsa codicis membrana, ubi addita quædam inter uncinulos. — (4) *Suum.* Matt. III, 12. — (5) *Miserunt.* Matt. XIII, 48. — (6) *Domum.* Ps. LXXXIII, 4. — (7) *Termino.* Is. V, 14. — (8) *Horreum.* Matt. XIII, 30.

donec hordea et triticum in horreis conderentur [1].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciarum, lib. I, v. 654-663.

Non est consilium, non est sapientia justum
Quæ rapiat, tua quem dextera, Christe, tenet.
Dicitur ergo Deus bene custodire salutem,
Rector quibus est, ipse beata salus.
Esse stude justus, ut te sapientia Christi
Custodire velit, esse salusque tibi.
Simplicis et recti Deus est protector, in omni
Virtutumque gradu dans pietatis opem.
Simplex esse velis, et non tege callida verba
Palliolo fraudis; sis sine fraude doli.

XC.

÷ MOLENDINUM, sæculum, tribulatione plenum : « Duæ erunt in molendino [2]. »

XCI.

1. MOLA, circuitus vitæ hujus, vel desiderium [3] : « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris [4]. ÷ Et in Isaia, adversus Babyloniam dicitur : « Tolle molam, et mole farinam [5]. »

÷ 2. Duo testamenta legis, ut quidam volunt, in Evangelio : « Otiosæ erunt molentes in exiguo numero [6]. »

÷ 3. Molæ duæ, spes et timor. In Deuteronomio : « Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam [7]. »

XCII.

÷ CRIBRUM, separatio fidelium e societate infidelium. In Amos : « Sicut convertitur triticum in cribro [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 28; ed. II, col. 761 B, ad LXXXIX et XC, 1.

RABANUS. Mola, spes et timor; unde : « Non accipies, etc. » — Actio sæcularis, ut : « Tolle m. m. f. » — Circuitus laborum, ubi : « Mola asinaria in collo ejus. » — Insidiæ, ut : « Molas leonum confringet Dominus [9]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XII, art. 47.

Mola

Virtutis.	*Peccati.*
Spes et timor.	Occupatio sæcularium.
Status conjugatorum.	Circuitus terrenorum.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM. Mola aliquando spem, aliquando timorem significat; unde est illud : « Non accipies loco pignoris, etc. », id est satisfactio peccatoris; ad quam explendam tam spes necessaria est quam timor; et quia necessaria est conjunctio, ideo perniciosa disjunctio. Et hoc versificator quidam luculenter edocuit, dicens :

Quum sine spe timor est, mox desperatio torquet;
Et nisi spes timeat, subito præsumtio damnat.
Unde timor sine spe, nec spes valet absque timore.

— Mola, sæcularium negotiorum, quæ valde laboriosa sunt, circuitum significat. Ad hanc molam, effossis oculis, deputatus est Samson, quia homo, amisso lumine contemplationis, implicari solet sæcularibus negotiis,

(1) *Conderentur*. Ruth II, 23. — (2) *Molendino*. Matt. XXIV, 41. — (3) *Vitæ præsentis, vel labor terrenus* B-G. — (4) *Maris*. Matt. XVIII, 6. — (5) *Farinam*. Is. XLVII, 2. — (6) *Numero*. Eccle. XI, 3. — (7) *Molam*. Deuter. XXIV, 6. — (8) *Cribro*. Amos IX, 9. — (9) *Dominus*. Ps. LVII, 7.

et exterius solatium quærit, quia lætitiam internam amisit; cui aptari potest illud poeticum :

Dum careo veris, gaudia falsa juvent.

De hac mola bene ait beatus Hilarius : Molæ opus est labor cæcitatis; nam, clausis jumentorum oculis, aguntur in gyrum [1].

Est et quandoque per molam sæcularium licitus vivendi modus designatus; unde est illud : « Duæ erunt in mola; una assumetur, et alia relinquetur. » Hinc quidem versificator ait [2] :

Qui sponsam ducit, rotat hunc mola, sudat in agro;
Qui docet, in lecto vivere castus amat.
Huic mola debetur; ager, huic; thorus, huic. Mola, mundus;
Subdita plebs ager est; vita quieta, thorus.

XCIII.

1. Farina, multitudo fidelium : « Mulier, accepto fermento, misit in farinæ sata tria [3]. »

2. Opus bonum, vel malum : ÷ « Non est manipulus in eis faciens farinam; quod etsi fecerit, alieni comedent eam [4]. »

XCIV.

Similago, puritas, vel opus misericordiæ [5]. « Si obtulit anima sacrificium, similago sit munus ejus [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 23; ed. II, col. 761 B ad XCIII, 2.

Rabanus. Farina, munda cogitatio, ut : « Non est in eo germinans, nec faciens farinam. » — Anima, ut : « Tria sata farinæ commisce [7]. » — Cogitatio iniqui, ut : « Tolle molam, mole farinam [8]. » — Similago, puritas cordis, ut : « Obtulimus sacrificium et similam [9]. »

Petrus Capuanus ad litter. VI, art. 58. Farina dicuntur bona opera; unde et in Levitico præcipitur ut offerat sacerdos similam, quæ est farina delicatissima, id est opera sine fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. De hac fiebant panes illi de novis frugibus, qui offerebantur in pentecostes festo, postquam scilicet obtulerunt in pascha grana tosta, quia scilicet, post peractam pœnitentiam, quæ designatur in granis tostis, debemus bona exercere opera, tamquam novos panes offerentes. — Vel farina sine fermento, doctrina pura et absque mendacio. Hinc fermentum Domino numquam offerebatur, sed ab omni sacrificio excludebatur. Hæc est farina illa non fermentata quam filii Israel in exitu de Ægypto secum asportaverunt, quia scilicet doctrinam puram et absque fermento falsitatis hæreticæ receperunt. — Farina etiam spiritualis intelligentia; unde Eliseus inquit in Regum : « Afferte farinam (legis litteram). Quam quum attulissent, misit in ollam (spiritualem intelligentiam), et ita dulcorata est esca [10]. » — Farina etiam cor mundum, vel mundæ cogitationes. Osee : « Non est in eo germen, et non faciet farinam. » — Tria sata farinæ, fides Trinitatis. Hanc farinam obtulit Abraham, quando, ut angelis quos receperat,

(1) *Gyrum.* Hilarii *Comment. in Matthæum*, c. XVIII, 2, col. 698 C, ed. Coustant. Paris. — (2) *Ait.* Hildeberti *Opp.* col. 1315, ed. Beaug. Eadem *Aurora*, in Evangel., v. 2114. — (3) *Tria, quod est Trinitatis mysterium* B-G. Luc. XIII, 21. — (4) *Eam.* Osee III, 7. A sequitur Vulgatam : *Culmus stans non est in eo*, nec plura. *Non est m. i. e. facere farinam* B, C. — (5) *Similago, fidelium multitudo, puritas mentis, opera misericordiæ, et fortitudo charitatis, in Leviticо : Si autem anima offeret munus sacrificium Domino, similago s. m. e.* B-G. — (6) *Ejus.* Levit. II, 1. — (7) *Commisce.* Genes. XVIII, 6. — (8) *Farinam.* Is. XLVII, 2. — (9) *Similam.* II Machab. I, 8. — (10) *Esca.* IV Reg. IV, 41.

pararet refectionem, festinavit in tabernaculum, et dixit ad Saram : « Accelera, et tria sata similæ commisce. » Siquidem ipse tunc tres vidit, et per fidem unum adoravit[1]. — Farina, aliquando corpus Christi. Regum : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur[2]. » Hoc est manna illud, pilo tusum et album, quod Dominus pluit filiis Israel in deserto ; nam et ipse fuit panis vivus, qui de cœlo descendit. — Farina etiam, subtiles cogitationes peccatorum. Isaias : « Tolle molam, mole farinam ; » id est, exerce pravas cogitationes tuas.

Anonymus Clarevallensis. Far, sacra Scriptura, ut : « Confringes in modum farris[3]. » — Peccatum induratum, ut : « Linum et hordeum grandine læsa sunt ; triticum et far læsa non sunt[4]. » — Farina [*ut supra*].

Simila, subtilissima farina farris, secundum theologum[5], et delicata ; secundum medicum, grossa. Simila purgata, minuta, candida, subtilis ; mensuratur, conspergitur, coquitur. — Simila, scientia Dei, vel sapientia divina, vel divinitas, ut : « Cras in tempore hoc, modius similæ erit statere uno[6]. » — Humana natura, ut : « Accelera, tria sata similæ commisce. » — Mens justi, ut : « Si oblatio tua de sartagine, oleo conspersa erit, et absque frumento[7]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 235-244.

Sacrificans anima similam sumat, super illam
Infundens oleum, ponere thura studens.
Hic Animam ponit lex, non Hominem, quia tamquam
Spiritus est illud quod nova verba sonant.
Furfuris exsutam tunica similam satis apte
Offerri, volucrum post holocausta, vides.
Sic post doctrinæ studium, cor furfure culpæ
Mundum, sincerum debet inesse tibi.
Das similam, mundum cor habens. Dilectio sancta
Est oleum ; thus est vis lacrymosa precum.

XCV.

1. Panis, Christus[8] : « Ego sum panis[9]. » ÷ « Mane saturabimini panibus[10], « id est, post illuminationem fidei et resurrectionem Domini Jesu Christi. »

2. Sermo Dei, ÷ vel corpus Christi : « Et pane cœli saturavit eos[11]. Non est in domo mea panis[12]. »

3. Fides : « Quis vestrum habet amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes[13]. »

4. Charitas : « Aut quis vestrum patrem petit panem ? numquid lapidem dabit illi[14] ? »

÷ 5. Hæreticorum doctrina[15] : « Aquæ furtivæ dulciores sunt ; et panis absconditus, suavior[16]. Ne desideres de cibis ejus, in quibus est panis mendacii[17]. »

÷ 6. Compunctio, vel devotio : « Cibabis nos pane lacrymarum[18]. Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte[19]. Et panis cor hominis confirmet[20]. Homo pacis meæ qui edebat panes meos[21]. »

÷ 7. Pœna : « Et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiæ[22]. »

÷ 8. *Panes decem* plenitudinis omnium sanctorum, per decalogum legis, obtinent sacramentum, in Levitico[23].

(1) *Adoravit*. Genes. xviii, 2. — (2) *Minuetur*. III Reg. xvii, 14. — (3) *Farris*. Levit. ii, 14. — (4) *Sunt*. Exod. ix, 15. — (5) *Theologum*, quemnam dixerit, non divinabam : malim *Physiologum*. — (6) *Uno*. IV Reg. vii, 18. — (7) *Frumento*. Levit. i, 5. — (8) *Christus, vel sermo ejus. In Evangelio* loco 1°, item loco 2° ad cap. x : *Panis, ut superius dictum est. D. J. C., vel evangelicus sermo : Mane, etc.* B-G. — (9) *Panis vivus qui de cælo descendi*. Ib. Joan. vi, 41. — (10) *Panibus*. Exod. xvi, 12. — (11) *Eos*. Ps. civ, 40. — (12) *Panis*. Is. ii, 7. — (13) *Panes*. Luc. xi, 5. — (14) *Charitas, ut quidam volunt. In Evangelio* B-G. *Illi*. Luc. xi, 11. — (15) *Dogma hæreticorum. In Salomone* B-G. — (16) *Suavior*. Prov. x, 17. — (17) *Mendacii*. Prov. xx, 17. — (18) *Lacrymarum*. Ps. lxxix, 16. — (19) *Nocte*. Ps. xli, 4. — (20) *Confirmet*. Ps. ciii, 15. — (21) *Meos*. Ps. xl, 10. — (22) *Angustiæ*. III Reg. xxi, 27. — (23) *Levitico*. Cf. xxi, 6.

÷ 9. *Panes duodecim*, qui supra mensam propositionis, per singula sabbata, mutabantur[1], duodecim apostolorum obtinent sacramentum, uti et supra.

÷ 10. *Panes quinque hordeacei*, libri legales : « Est puer unus hic, habens quinque panes[2]. »

÷ 11. *Comedere*, divina verba spiritualiter sumere, et panem illum qui de cœlo descendit, avide delectare. In Joel : « Et comedetis vescentes, et saturabimini, et laudabitis Dominum vestrum[3]. »

÷ 12. *Subcinericium*, humilitatis oblatio. In Genesi : « Festinanter consperge tres mensuras similaginis, et fac subcinericia[4]. »

÷ 13. Et in aliam partem : « Factus est Ephraim sicut subcinericius, qui non reversatur[5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in Decret. Conc. Rom.

Nicetas, *de Appellationib. D. N.*, p. 331.

Eucherius, ed. I, p. 21, ad 1; ed. II, p. 759 D, ad 1 et 2.

Orientius, *de Natiu. Dom.*, v. 7 et 157.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. II, n. 38.

Rabanus. Panis, Christus, ut : « Ego sum panis vitæ[6]. » — Sacramentum altaris, ut : « Panem otiosa non comedit[7]. » — Gratia spiritualis, ut : « Panis ei datus est[8]. » — Doctrina sacra, ut : « Parvuli petierunt panem[9]. » — Actio bona, ut : « Panem nostrum comedemus[10]. » — Robur charitatis, ut : « Quis ex vobis patrem p. p. » — Vir sanctus, ut : « Cinerem tamquam panem manducabam[11]. » — Permanens in peccato, ut : « Ephraim sicut s. p. » — Delectatio carnis, ut : « Quum se moverit ad quærendum panem[12]. » — Consolatio, ut : « Populus gemens, et quærens panem[13]. » — Subsidium vitæ præsentis, ut : « Si dederit mihi panem ad edendum[14]. » — Doctrina hæretica, ut : « Panis absconditus suavior[15]. » — Intelligentia Trinitatis, ut : « Amice, commoda mihi tres panes. » — Gratiæ spirituales, ut : « Pauperes ejus saturabo panibus[16]. » — Eruditio spiritualis, ut : « Appenditis argentum, non in panibus[17]. » — Apostoli, panes duodecim in mensa propositionis. — Libri legales, ut : « Est puer unus hic, h. q. p. » — Internæ consolationes, ut : « Fuerunt mihi l. p. d. a. n. » — Opera bona, ut : « Azymos panes cum lactucis agrestibus[18]. »

Petrus Cantor. Panis propitiationis, sive salutis, est triplex : panis angelorum, id est Eucharistia, de quo dictum est : « Panem angelorum manducavit homo[19]. » Unde et panis iste figuratus est in manna, quæ habebat omnem saporem et omne dulcoramentum in ore comedentium[20], secundum affectum. Ita et panis iste; quia quali affectu accesseris, talem saporem habebis. Manna dicitur cibus angelorum; quia venit a Deo; quia significat Christum; quia ab angelis ministrabatur. — Panis filiorum, id est verbum doctrinæ, de quo dicitur : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus[21]. » — Panis amicorum, id est exemplum vitæ, de quo dicitur : « Amice, accommoda mihi tres panes. » Propter hunc triplicem panem dictum est Petro ter : « Pasce oves meas[22]; » ac si diceret ei Dominus : Pasce Eucharistia; pasce doctrina; pasce bona vita. Quod autem dictum est

(1) *Mittebantur ... obtinet* B, C. Exod. XXV, 30. — (2) *Panes.* Joan. VI, 9. — (3) *Vestrum.* Joel II, 26. — (4) *Subcinericia.* Genes. XVIII, 6. — (5) *Reversatur.* Osee VII, 8. — (6) *Vitæ.* Joan. VI, 35, 41, 48. — (7) *Comedit.* Prov. XXXI, 27. — (8) *Est.* Is. XXXIII, 16. — (9) *Panem.* Thren. IV, 4. — (10) *Comedemus.* Is. IV, 1. — (11) *Manducabam.* Ps. CI, 10. — (12) *Panem.* Job XV, 23. — (13) *Panem.* Thren. I, 11. — (14) *Edendum.* Genes. XXVIII, 20. — (15) *Suavior.* Prov. IX, 17. — (16) *Panibus.* Ps. CXXXI, 15. — (17) *Panibus.* Is. LV, 2. — (18) *Agrestibus.* Exod. XII, 8. — (19) *Homo.* Ps. LXXVII, 25. — (20) *Comedentium.* Sapient. XVI, 20. — (21) *Canibus.* Matt. XV, 26. — (22) *Meas.* Joan. XXI, 15.

Petro, et apostolis et omnibus ejus vicariis et successoribus dictum est, scilicet sacerdotibus, ut pascant corpore Christi, pascant verbo Evangelii, pascant exemplo.

Panis est sacramentalis; unde super mensam Domini proponebantur XII panes. — Doctrinalis, id est, sacra Scriptura; unde Jeremias: « Parvuli petierunt panem. » — Æternalis, id est vita æterna; unde: « Beatus qui manducabit panem in regno Dei. »

Panis est pœnitentiæ; unde: « Fuerunt mihi, etc. » — Doloris, id est miseria hujus vitæ; unde: « Qui manducatis panem doloris [1]. » — Iniquitatis; unde: « Suavis est homini panis mendacii, et os ejus implebit calculo [2]. »

Panis est collectio fidelium: sicut enim panis fit ex multis granis, aqua mediante, ita et Ecclesia ex multis fidelibus, charitate mediante: « Omnes ergo unus panis sumus [3]. » — Sacra Scriptura; unde: « In sudore vultus tui vesceris pane [4]. »

Panis dicitur Christus, secundum divinitatem, unde: « Ego sum panis V. Q. D. C. D. » — Secundum humanitatem; unde Apostolus: « Sicut est unus calix Christi, quo potamur, ita est unus panis corporis Christi, quo reficimur. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XV, art. 65.

Panis

Visibilis.	*Invisibilis.*
Subsidium vitæ.	Pœnitentia.
Sancta Ecclesia.	Charitas.
Opus bonum.	Dona Spiritus sancti.
Scriptura sacra.	Robur mentis.
Æternalis.	*Infernalis.*
Deus.	Doctrina hæreticorum.
Christus.	Delectatio peccandi.
Caro Christi.	Vita hypocritarum.
Beatitudo æterna.	Delectatio præsens malorum.
Desiderium cœlestium.	

Panis, caro Christi, et quomodo comeditur? Panis æternalis, caro Christi. Evangelium: « Ego sum panis V. Q. D. C. D. » Hinc Bethleem interpretatur domus panis, quia in ea natus est panis ille qui est refectio nostra. Hunc panem comedit mulier fortis (Ecclesia), bonis operibus præmunita. Hunc panem quidam comedunt spiritualiter, scilicet credendo; quidam sacramentaliter, scilicet ipsum in altari percipiendo. Evangelium: « Quotiescumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis. » Hunc panem petimus nobis dari, quum dicimus: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. »

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. IV, *de Pane*. Panis est homo justus; unde: « Cinerem tamquam p. m.; » id est, pœnitentem sicut innocentem incorporabam. — Est panis Eucharistiæ; unde: « Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat [5]. »

Panem quem gustas, non atterit ulla vetustas;
Hic panis Deus est: qui negat hoc, reus est.

— Est panis spiritualis gratiæ; unde [6]: « Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum [6]. » — Est panis fructificationis gloriæ; unde: « Beatus qui comedet panem in regno Dei. » — Est panis pœnitentiæ; unde: « Cibabis nos pane lacrymarum. » — Est panis intelligentiæ; unde: « Commoda mihi tres panes, » id est intelligentiam Trinitatis. Vel per tres panes significantur ibi fides, spes, charitas. Unde Petrus de Riga [7]:

Dona spei, fidei virtutem, munus amoris:
Hæc tria tres panes nomino, credo, lego.

Et quidam de nostris, de significatis per panem et piscem et ovum, ait:

Panis amor, piscisque fides, spes dicitur ovum:
De veteri faciunt hæc tria dona novum.

— Est panis voluptatis corporeæ; unde: « Omnis populus ejus gemens et quærens panem. » — Est panis sanæ et sanctæ doctrinæ; unde: « Parvuli petierunt panem [8], »

(1) *Doloris*. Ps. CXXVI, 2. — (2) *Calculo*. Prov. XX, 17. — (3) *Sumus*. I Cor. X, 17. — (4) *Pane*. Genes. III, 19. — (5) *Bibat*. I Cor. XI, 28. — (6) *Meum*. Ps. CI, 5. — (7) *P. de Riga*, in *Aurora*, ad Evangel., v. 2649, 2650, Locus integrior erit infra ad *Ovum*, p. 479. — (8) *Panem*. Thren. IV, 4.

id est humiles, divini verbi prædicationem. — Est panis refectionis quotidianæ; unde : « Devorant plebem meam ut cibum panis [1], » id est assidue. — Est panis cujuslibet escæ corporeæ; unde : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei [2]. » — Est panis dilectionis supernæ et fraternæ, id est charitatis; unde : « Quis ex vobis patrem petit panem? numquid lapidem dabit illi [3]? » — Est panis unitatis Ecclesiæ; unde : « Unus panis multi sumus in Domino [4]. » — Panis absconditus, hæretica doctrina.

Anonymus Clarevallensis.

Panis.

Christus.
Sacramentum altaris.
Gratia spiritualis.
Doctrina sacra.
Actio bona.
Robur charitatis.
Vir sanctus.
Subsidium vitæ.
Doctrina hæretica.
Fides Trinitatis.
Apostoli.
Libri legales.
Internæ consolationes.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. I, v. 217-257.

Sanctum Melchisedech non prætereamus oportet:
Veri quippe Dei sanctus fuit ipse sacerdos,
Cui panis vinique simul libamina primus
Obtulit, Ecclesiæ jam sacramenta celebrans.
Quamque fidem docuit Christus, post tempore longo,
Haud dubium quin hic tenuisset ad omnia firme.
Intellexit enim bene Christi mystica verba.
Christus enim dicit, quia solus vivere possit
Ejus carne satur, qui sit quoque sanguine potus [5] :
Hoc est, qui memorat semper, semperque retractat,
Pro mundi vita caro quod fuit hæc crucifixa.
Sanctus Melchisedech panem vinumque sacravit :
Excellentia sunt hæc in cunctis holocaustis;
Ecclesiæque tuæ das talia pignora, Christe [6].
Esse[b] tuum[c] panem[f] benedictum[e] corpus[d] aisti[a],
Quodque tuus vinum sanguis fiat benedictum.
Hinc norunt omnes vera pietate cluentes,
Hoc epulo sumto digne, tua membra futuros.
Et ceu de granis fit multis unio panis,
Unaque de multis acinis est potio vini,
Sic quicumque tuo vivit de Pneumate sancto,
Ille tuum corpus fit rite, quod es caput ejus.
Paulus apostolus id breviter clareque reclusit :
« Panis, ait, multi sumus unus, corpus et unum. »
Tamquam si dicat : panis nos ille figurat,
Unanimes quos una fides et amor facit et spes.
Sic sacer ille calix, ita panis et ille dealis [7]
Corporis est Christi signum, typus atque figura :
Ecclesiam sanctam sacra talia tanta figurant.
Nos igitur, qui jam Christum venisse fatemur,
Et quæ Melchisedech libavit, sacra litamus.
Sicut Apostolicus stadium qui prævolat unus,
Sic præcurramus, bravium quo promereamur.
Unanimes simus, ne litigiis dirimamur :
Tunc digne nobis caro Christi fiet edulis;
Tunc Christi carnem sumemus, edendo salutem.
Non ad judicium capiemus sanguinis haustum,
Sed bibitus sanguis tunc nostra piacla piabit;
Omnes delebit maculas et nullificabit;
Atque suis templis Deus in nobis habitabit;
Et corpus Christi vivet de Pneumate Christi.

Laurentius Dunelmensis.

Hypomnesticon, ex lib. IX.

De corpore Christi.

Sed mihi, dum recolo quod Hebræus, ab æquore Rubro
Scandens, manna legit, res satis alta subit:
Fonte salutifero quod scilicet esca renato
Esca beata datur, vina beansque caro.
Vitæ namque cibo, donec se flumine vivo
Baptismi abluerit, nemo peraptus erit.
Pane novo renovatur homo, mox jure cibatur :
Quem dans ecce datum fit Deus ipse suum.
Nam crucis et verbi divina potentia panem
In Christi corpus mutat : imago manet.
Panis imago manet; transit substantia panis.
Panis fit caro; caro deinde, cibus.
Hic cibus, hic Christus sine vulnere sacrificatur,
Et sine defectu dentibus atteritur.
Sumitur et perstat, mactatur et integer exstat.

(1) *Panis.* Ps. XIII, 14. — (2) *Dei.* Matt. IV, 4. — (3) *Illi.* Matt. VII, 9. — (4) *Domino.* 1 Cor. X, 17. — (5) *Potus.* Eadem manu supra lineam et extra metrum corrigitur : *potatus.* — (6) *Christe.* Singulis vocibus versus sequentis, ad sensum planiorem, litteræ præfiguntur in codice, quas et hic exhibemus. — (7) *Dealis.* Glossa superposita *Deificus*; qua, simul ac cæteris ejusdem auctoris verbis et argumentis, patet catholica fides circa Eucharistiam. Nec tamen abnuenda interpretatio mystica, quæ eidem poetæ placet : *sacer* enim de sanguine Christi *calix*, et *dealis* vel *deificus* ex carne divina *panis*, omnium fidelium in una Christi charitate communionem repræsentant, scilicet orante ipsamet Ecclesia in festo SS. Sacramenti : *Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur.* Quæ perpendat lector, ut sequentia sane intelligat; hæc insuper cum insigni Laurentii Dunelmensis eucharistica exegesi, aut luculenta Petri Rigensis historia in sequentibus conferat.

Roditur iste manens ; estur, et est quod erat
Nec minor hic, nec major ibi est, ubi pars, ibi totum ;
Immo quod totum pars acsit, est et idem
Presbyter hunc totum, totum plebs accipit ipsum,
Totus in altari, totus in arce poli est.

PETRUS et EGIDIUS.

Aurora, in Passione D. N. J. C., v. 185 sqq.

Post finem veteris, ad pascha novum modo transit
Consummans typicum pascha, novumque suum
In cœna panem Jesus accepit, benedixit
Acceptum, fregit, discipulisque dedit,
Dicens : « Accipite, gustate fideliter : hoc est
« Quippe meum corpus. » Panis imago manet.
Accipiens calicem, grates egit, benedixit,
Dicens : « Ex isto quisque liquore bibat.
« Iste novi testamenti sanguis meus exstat
Confirmator. » Ad hæc pingere verba potes.
« Quem pro peccati venia manus impia fundet. »
Namque erimur tanti cruoris nulla lavat
Fregit, et ostendit quod fractio corporis ejus
Non sine sponte sua fiat et ejus opus.
Hoc colit Ecclesia, passimque retractat ibidem,
Christum quum corpus conficerat illud idem.
Illud enim est corpus quod ille sacravit, homoque
Quod nasci voluit, sustinuitque mori,
Quod cruce confixum est, quod Virginis ubera suxit,
Corpus, non aliud, consecrat illud idem.

XCVI.

AZYMA, sinceritas absque fermento malitiæ : « Azyma sinceritatis et veritatis [1]. »

XCVII.

1. FERMENTUM, fides : « Mulier, accepto fermento, misit in sata tria [2]. »
2. Prava doctrina [3] : « Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus [4]. »
÷ 3. Superbia : « Modicum fermentum totam massam corrumpit [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 22, ad XCV.

RABANUS. Azyma, puritas mentis, ut : « Septem diebus azyma comedetis [6]. »

Fermentum, charitas, ut : « Abscondit fermentum in farinæ satis tribus. » — Elatio, ut : « Modicum, etc. » — Simulatio, ut : « Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. » — Malitia, ut : « Expurgate vetus fermentum [7]. » — Appetitus laudis, ut : « Panis absque fermento. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. VI, art. 59. Fermentum salutis et fermentum perditionis. Fermentum salutis est charitas, fides et omne donum Spiritus, qui docet fervere mentes spiritu. Unde et in Evangelio dicitur quod mulier misit fermentum in sata tria farinæ, quæ sunt cogitatio, loquutio et operatio, vel in fidem sanctæ Trinitatis, vel in tres ordines fidelium, qui sunt Noe, Daniel et Job, id est prælati, continentes et conjugati. — Fermentum perditionis duplex est : scilicet homo malus. Paulus : « Modicum fermentum totam massam corrumpit, » inquiens de fornicatore illo corinthio quem adeo præceperat evitari, qui suo exemplo alios corrumpebat. Et fermentum perditionis, quodcumque vitium, sive iniquitas, quæ animam facit in malo fervere, ut hypocrisis, appetitus vanæ laudis ; unde et in Levitico panes sine fermento dicuntur opera bona sine appetitu vanæ laudis, et generaliter quodcumque vitium. Paulus : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio ; itaque epulemur, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis s. e. v. »

(1) *Veritatis*. I Cor. II, 8. — (2) *Tria*. Luc. XIII, 21. *In farinæ sata tria* B-G. — (3) *Conceptio mentis, quod est opus peccati. In Exodo : Omnis qui* B-G. — (4) *Ejus*. Exod. XII, 15. — (5) *Corrumpit*. Galat. V, 9. — (6) *Comedetis*. Exod. XII, 15. — (7) *Vetus fermentum*. I Cor. V, 7.

Distinctionum monasticar. lib. II, *de Fermento*. Fermentum a Fervore nomen accepit; unde qui in bono accipitur significat charitatem, vel fidem quæ per dilectionem operatur; unde Dominus : « Simile est, etc., in satis tribus, » id est vi irascibili, vi concupiscibili, vi rationabili reponit, donec omnes sensus sui afficiantur. — Allegorice mulier incarnata Dei Sapientia intelligitur, quæ acceptam a Deo Patre charitatem tribus ordinibus infudit Ecclesiæ, scilicet virginibus, continentibus et conjugatis.—Fermentum, quia massam cui miscetur tumidam facit, non solidam, significat hypocrisim; unde Dominus in Evangelio : « Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. » — Fermentum quodlibet mortale peccatum, et maxime crimen notorium significat. Unde Apostolus : « Modicum f. t. m. c. » — Fermentum significat doctrinam erroneam; unde Dominus : « Cavete, etc. » —Vetus fermentum est superbia, per quam angelus cecidit in cœlo et de cœlo, et homo in paradiso. Et ipsa recte dicitur fermentum vetus, quia ipsa primum peccatum superbia est.—Fermentum significat falsitatem; unde Petrus de Riga [1] :

Azymus offertur panis, si vera loquaris,
Fermentum falsi nequitiæque cavens.

— Fermentum falsa dicitur idololatria; unde quidam ait :

Fermenti pessimi qui fæces hauserant,
Ad panis azymi promissa properant.

Anonymus Clarevallensis. Azyma, catholica doctrina; unde : « Septem diebus c. a. » — Puritas et veritas; unde : « In azymis s. e. v. »

Fermentum [*ut apud Rabanum*].

Ægidius Parisiensis.

Ad *Auroram*, in Exod., v. 603-622.

* Azymus exigitur apponi panis ad esum
* Agni, fermentum debet abesse procul.
* Azymus est panis sinceræ gratia vitæ,
* Expediens quibus hæc hostia debet edi.
* Azyma mandantur septem comedenda diebus :
* Significat nostros hebdomas illa dies.
* Dulciter et munde debemus vivere, donec
* Præsens per septem est vita rotanda dies.
* De populo Domini fermenti quisque comestor,
* Sicut transgressor, abjiciendus erit.
* Fermentum culpæ contagia dicimus esse,
* A quibus est intus nostra pianda domus.
* Fermenti modicum massam corrumpit; ad illud
* Quod sapit, admixtum trajicit omne sibi.
* Ante quidem dulcis, simul ut remoratur, acescit;
* Nec nisi fermentum postea pasta sapit.
* Sic ad perniciem corruptelamque bonorum
* Quamlibet, exiguum sufficit omne malum.
* Ergo nequitiæ fermentum tolle : sine ullo est
* Admixtu pravi vita regenda boni.

XCVIII.

1. Clibanus, ignis æternus [2] : « Si enim fenum quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur [3]. ÷ Et in psalmo : « Pones eos ut clibanum, in tempore [4]. »

÷ 2. Ardor libidinis : « Omnes adulterantes, sicut clibanus, succensi sunt [5]. »

÷ 3. Tribulatio vitæ præsentis. In Jeremia : « Pellis nostra, » hoc est caro, « quasi clibanus, exusta est a facie tempestatum famis [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Clibanus, examen judicii, ut : « Apparuit clibanus fumans [7]. » — Tormentum corporis et animæ, ut : « Pones eos u. c. i. t. » — Cor nequam, ut : « Quasi clibanus succensus a coquente [8]. » — Amor bonus, ut : « Panes coctos in clibano [9]. »

Petrus Capuanus, ad litt. III, art. 64. Clibanus pœnæ, culpæ et gehennæ. Clibanus

(1) *P. de Riga.* Quæ non videntur inesse in codd. meis.—(2) *Combustio sempiterna, in Evangelio* B-G. —(3) *Mittitur.* Matt. VI, 30.—(4) *Tempore.* Ps. XX, 10. — (5) *Sunt.* Osee VII, 4. — (6) *Famis.* Thren. V, 10. — (7) *Fumans.* Genes. XV, 17. — (8) *Coquente.* Osee, V, 4. — (9) *Clibano.* Levit. XXVI, 26.

pœnæ est cor, vel caro nostra, in qua tentamur, et ignibus passionis torremur, atque probamur. Leviticus : Quum obtuleris sacrificium coctum in clibano[1]. In hoc clibano cordis nostri coquitur et incenditur panis Christi, qui de se ait in Evangelio : « Ego sum panis vivus. » — Clibanus culpæ sunt mali, malarum cogitationum igne æstuantes. Osee : « Omnes adulterantes sunt quasi clibanus accensus a coquente. Psalmus : « Pones eos ut clibanum ignis[2]. » Clibanus gehennæ vel infernus. Evangelium : « Tamquam fenum quod hodie viret, et cras in clibanum mittitur. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 65. *Scriptura consistit in triplici pane.* In Levitico autem triplex legitur panis, qui et ad hunc panem Scripturæ legitime potest referri, scilicet panis in craticula, panis in sartagine, panis in clibano. Panis in craticula est Scriptura aperta; panis in sartagine, Scriptura aliquantulum occulta; panis in clibano, Scriptura occulta et latens. Hic est panis subcinericius ad caput Eliæ, extra scilicet vilis, intus dulcis. Eliæ tamen panem ministrant corvi juxta torrentem Carith, vidua in Sarepta, et angelus in umbra juniperi. Primus ergo panis est consolationis cum dulcedine, quem ministrant corvi. Secundus purgatorius, cum amaritudine, quem ministrat vidua. Tertius est confortationis, cum fortitudine, quem ministrat angelus. In primo consolantur qui bibebant de torrente; in secundo purgatur qui mansit apud viduam annos tres; in tertio confortatur qui ambulavit in fortitudine cibi illius. Primus itaque referri potest ad incipientes; secundus, ad pœnitentes; tertius, ad consummatos vel pervenientes.

Anonymus Clarevallensis. Clibanus, conscientia impiorum; unde : « Pones eos, etc. » — Futurum Dei judicium; unde : « Apparuit c. f. » — Uterus beatæ Mariæ, vel cor nostrum; unde : « Quum quis obtulerit coctum sacrificium in clibano, etc. » — Tribulatio vitæ præsentis; unde : « Pellis nostra, etc. »

Petrus de Riga.

De sacrificio clibani, sartaginis et craticulæ cum simila.

Aurora, in Levitic., v. 285-327.

Post similam quam ros olei perfuderat, infert
  Jure quod in clibani lex jubet igne coqui.
Involvit clibanus nimio quod continet æstu :
  Mundi pressuram denotat ille gravem.
Et nisi præcedat prius unctio Pneumatis almi,
  Mens infirma nequit tam graviora pati.
Illi sunt panes quos tam gravis excoquit æstus,
  Ut sint esca Dei qui mala tanta ferunt.
Fermento careant, oleo spargantur, ut absit
  Culpa nocens, et eos sanctus inungat amor.
Talis erat panis Ignatius inclytus, ut sic
  Expositus, populo fortia verba feras :
« Frumentum Domini sum, nunc molar ore ferarum,
  Ut fiam mundus panis et absque nota. »

Zelus qui frigit mentes, sartago vocatur :
  Nam cui zelus inest, arguit iste malos.
Sed similam spargat oleo sartagine frixam,
  Ut sit amor cordis aspera verba creans,
Ut sit fermentum procul, ut mala quæque recedant,
  Et non fermentet intima corda dolus.
Azyma lagana sunt oleo lita; discute sensum,
  Ut sis in corde lenis et ore simul.
De simila nostra quid adhuc Scriptura loquatur,
  Cerne : Minutatim divide, dicit, eam.
Sæpe fit ut doctor dum durius increpat istum,
  Lædat eum cujus debuit esse salus.
Ergo minutatim similam bene divide, doctor,
  Ne lædas aliquem, singula verba notans.
Rursus et hic oleum superinfundas, ut abundans
  Sit tibi sanctus amor et pietatis adeps.
Et quum sermo tuus grave vulnus fecerit isti,
  Blanditiis studeas ungere rursus eum.

Ignis craticulæ quæ sunt superaddita torret
  Inferius, lentus assiduusque tamen.
Quum subjectorum mala doctor corripit, horum
  Obsistens votis propositoque malo,
Si quid sustineat durum quod fiat ab illis,
  Tamquam craticulæ tangitur iste rogo.
Sed tamen hoc oleo similam conspergere debet
  Doctor, ne pereat qui viget ejus amor.
Fermento careat, quamvis istud taceatur,
  Ut dum sustinet hæc, murmura nulla sonent.

(1) *Clibano.* Levit. II, 4. — (2) *Ignis.* Ps. XX, 10. — A. *Clarevallensis.* Præmittitur definitio hæc : « Clibanus æquivocum est, ad furnum, vel ad id quod in gallico dicitur *Muillure*. Clibanus de lapidibus fit; inferius latior, superius strictior; igne interius accenditur; purgatur scopa, panes coquit. »

XCIX.

1. Vinea, Ecclesia : « Vinea fuit pacifico. » ÷ « Tradidit eam custodibus [1], » hoc est apostolis. ÷ « Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam [2]. »

2. Synagoga, vel apostatans [3] : « Vineam de Ægypto transtulisti [4]. Ex vinea Sodomorum vitis eorum [5]. » ÷ « Ego te plantavi vineam electam [6]. »

÷ 3. Scriptura : « Agrum non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant [7]. »

÷ 4. Anima justi : « Posuit vineam meam in deserto [8]. »

÷ 5. Anima negligens : « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti [9]. »

6. *Vineæ*, animæ, vel plebes fidelium : ÷ « Veni, dilecte mi, egrediamur, et videamus si floruit vinea [10]. » ÷ In Salomone : « Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas [11]. »

÷ 7. Vineæ, bonorum opera. In propheta : « Et plantabunt vineas [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *Carm.* VI, v. 5.

Sylvius, *Ibid.*, v. 9.

Eucherius, ed. I, p. 9, ad 1 ; ed. II, col. 743 D, ad 1, 2.

Gregorius M. Vineæ nomine latitudo sacræ paginæ designatur ; unde per beatum Job de hæreticis dicitur : « Agrum non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant. » Demetunt hæretici agrum, id est sacram Scripturam, dum ex eis sententias, longe a sensibus suis diversas, tollunt. Et vineæ appellatione bene exprimitur, quia, per veritatis sententias, botros virtutum profert. — Anima bonis operibus fecundata, sicut per prophetam Dominus dicit, sub specie cujusdam gentis malorum spirituum malitiam signans : « Posuit vineam in deserto. » Insidiantibus quippe malignis spiritibus, Dei vinea in deserto ponitur, quum plena fructibus animæ humanæ laudis cupiditate dissipatur. — Universa Ecclesia, ut in Evangelio : « Simile est, etc. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. IX, cap. 15, p. 474.

Rabanus. Vinea, Christus, ut : « Videamus si floruit vinea. » — Ecclesia, ut : « Ite et vos in vineam meam [13]. » — Scriptura sacra, ut : « Vineam ejus q. v. o. v. » — Anima hominis, ut : « Posuit vineam m. i. d. » — Ecclesia de gentibus, ut : « Vineam d. æ. t. » — Synagoga, ut : « Vineam meam non custodivi [14]. » — Vita negligentis, ut : « Per vineam v. s. t. » — Hypocrita, ut : « Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus [15]. » — Fideles populi, ut : « Posuerunt me custodem in vineis [16]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. 4, col. 508.

Petrus Cantor. Vinea in sacra Scriptura quandoque Domini significat Ecclesiam ; unde : « Simile est, etc. » Paterfamilias, qui exit primo mane conducere operarios in vineam, Deus est ; operarii, prælati ; horæ diei, ætates sæculi ; sero diei, finis mundi ; merces denarii, retributio regni cœlestis. — Quandoque animam, ut ibidem. Paterfami-

(1) *Custodibus.* Cant. VIII, 12. *Pacifico meo* E. *Pacifico in ea* G. *Custodibus, hoc est apostolis* B-G. — (2) *Suam.* Matt. XX, 2 — (3) *Plebs judaica. In Psalmo*, ib. — (4) *Transtulisti.* Ps. LXXIX, 9. — (5) *Et in aliam partem ex vinea* B-G. *Eorum.* Deuter. XXXII, 32. — (6) *Electam.* Jerem. II, 21. — (7) *Vindemiant.* Job XXIV, 6. — (8) *Deserto.* Joel I, 7. — (9) *Stulti.* Prov. XXIV, 30. — (10) *Vinea.* Cant. VII, 12. — (11) *Vineas.* Cant. II, 15. — (12) *Vineas.* Is. LXV, 21. — (13) *Meam.* Matt. XX, 4. — (14) *Custodivi.* Cant. I, 6. — (15) *Ejus.* Job XV, 33. — (16) *Vineis.* Cant. I, 6.

bas, Deus; vinea, anima; operarii, nostri sensus; horæ diei, ætates hominis; denarius, æterna beatitudo. De cujus vineæ cultoribus et retributione quidam versificator ait [1]:

Vinea culta fuit, cultores præmia quærunt :
Non labor æquatis; æqualia dona fuerunt
Ultimus advenies [2], dispensatore vocante,
Tantumdem recipit quantum qui venerat ante.
Sic Deus ostendit quod quandocunque venimus,
Aggrediamur opus, certi de munere simus

Petrus et Garnerius Lingonensis. In vinea Domini primo opus est eam putari, id est, peccatorem monere peccata confiteri. Et debet sacerdos specificando exquirere non tantum quod fecerit, sed etiam quam voluntatem habuerit, et quamdiu in ea permansit; quia super hoc majus, minusve onus injungere debet, nec tamen in peccatis quæ confitetur, sistere; sed et si alia vel talia commiserit, cum quadam cautela de ejus ore elicere, quia si unum dixerit, et aliquid retinuerit, sanari non potest; ut patet in vulnere : quamdiu ferrum in se celat, est incurabile, quamvis medicinæ apponantur. — Secundo restat fodere, id est, peccatorem deterrere ne, quasi canis, ad vomitum redeat, ne de facili consimile committat. — Tertio restat vineam paxillare, id est, imperare pœnitenti ne in desperationem incidat; paxillum quo sustentetur alligare, id est, exemplum de peccatore cujus misertus est Dominus, indicare : de David qui fuit homicida, qui adulterium commisit; de Paulo persequutore Ecclesiæ, et de Maria Magdalena. — Quarto restat stercorare, id est, peccatori pœnitentiam injungere, utraque clavi adhibita, secundum quantitatem peccati, et pœnitentis contritionem et facultatem, et corporalium virium sufficientiam; sic debet in vinea Domini excubari. Si enim tales nos invenerit Dominus, occurremus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Petrus Cantans ad litt. xx, art. 164.

Vinea

Externa.	*Interna.*	*Superna.*	*Inferna.*
Plebs judaica.	Anima.	Sacra Scriptura.	Cujus fructus ducit ad *inferna*, multiplex :
Sancta Ecclesia.	Naturalis justitia.	Cœlestis patria.	Anima vitiis propaginata.
			Propagatio iniquitatis.
			Lætitia cordis illicita.

Ea quæ sunt circa vineam adaptantur Ecclesiæ. Vinea autem Domini Sabaoth, id est sancta Ecclesia, floruit in adventu Christi. Canticum : « Vineæ florentes dederunt odorem suum [3]. » Hanc vineam transtulit Dominus de Ægypto, id est de tenebris peccatorum et afflictione spirituum malignorum. Ægyptus namque interpretatur tenebræ, vel afflictio. Et postmodum vinitor Deus in monte hæreditatis suæ, id est in fide Christi, quæ est mons Domini, in hoc monte plantavit hanc vineam, quando sanctam Ecclesiam super se ipsum fundavit, juxta quod ipse ait Petro in Evangelio : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [4]. » In hac vinea tot sunt palmites quot sunt in Ecclesia fideles Dei, et boni quidem palmites sunt boni homines; mali autem sunt mali homines. Evangelium : « Ego sum vitis, vos palmites [5]. » — Deus plantat eam ex diversis, vites et palmites electorum in ea disponendo. Munit eam fossato timoris Domini. Circumponit sepem angelicæ protectionis. Et sepivit eam, et lapides ejecit ex illa. Fodit eam in ligone compunctionis. Hanc in securi et ascia fodebat Joannes, quum dicebat : « Jam securis ad radicem arborum posita est [6]. » Hanc Petrus, cui magisterium et custodia hujus vineæ specialiter commissum est, in princi-

(1) *Ait.* Eadem, duobus ultimis versibus exceptis, in suo *Horto* abbatissa Herradis inserui fol. 108. — (2) *Qui venit extremus.* Cod. Paris. et Herrad. — (3) *Suum.* Cant. II, 13. — (4) *Meam.* Matt. XVI, 18. — (5) *Palmites.* Joan. XV, 5. — (6) *Est.* Matt. III, 10.

pio fodiebat acriter increpando, adeo quod, auditis his quæ dicebantur a Petro, in Actibus apostolorum, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et cæteros apostolos : « Quid faciemus, viri fratres [1] ? » Stercorat hanc vineam in recordatione peccatorum, ut fecunda reddatur. Putat eam ferro disciplinæ et abscissionis, utilia et ea quæ fructum afferunt purgando, superflua et quæ sine fructu sunt recidendo : quæ putatio valde necessaria est; unde et quasi in destructionem vineæ comminatur Dominus in Isaia : « Non putabitur, non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ [2]. » Compluit etiam prædicatione Evangelii, et tandem rigavit eam plenissime, quando Filius lætificavit civitatem Dei. Sic rigavit eam die pentecostes, quando effudit de Spiritu sancto super omnes. Fecundat eam multiplicatione bonorum operum; ac demum affert fructum vitæ. Evangelium : « Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat [3]. »

Distinctionum monasticarum lib. v, *de Vinea.* Vinea quandoque significat militantem Ecclesiam. Unde : « Simile est regnum cœlorum, etc. » Nulla enim ætas fuit in qua Deus omnipotens operarios suos ad excolendam vineam suam non miserit : in prima enim ætate, quæ fuit mane sæculi, misit Abel, Seth, Enoch et quosdam alios justos. In secunda ætate sæculi misit Noe, Sem, Cham, Japhet. In tertia, misit Abraham, Isaac et Jacob. In quarta, misit Moysen, Aaron et Josue, et alios justos qui judices vocabantur, quorum ultimus, sed non minimus fuit Samuel. In quinta, misit sanctum David et alios prophetas multos, quorum ultimus, sed maximus fuit Joannes Baptista. In sexta, venit Filius Dei Jesus Christus Dominus noster, qui, peracto efficaciter negotio quod in propria persona perficere disposuerat, misit apostolos suos; et exivit in omnem terram sonus prædicationis eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Et adhuc mittit doctores, et mittere non cessabit usque in finem sæculi. Circa quem mittet Eliam et Enoch, ut convertant populum Judæorum, et fideles qui de gentibus invenientur, confirment. Sed attende quod paterfamilias iste qui tam sollicitus est de vinea sua, operarios in eam mittere curavit, non soporarios. Unde satis evidens est illos non accepturos denarium beatitudinis æternæ, qui otiosi sunt in vinea, et permanent in torpore. Unde puto Apostolum dixisse : « Qui non laborat, non manducet. » Quod quidam sic exposuit :

Non manducet, ait Paulus, qui non operatur :
Nec piger æternæ patriæ de pane cibatur.
Torpor alit vitium, mentisque retundit acumen :
Hunc fuge, si verum curas acquirere lumen.

Vinea significat gentem judaicam; unde : « Vineam de Ægypto transtulisti, etc. » Hæc « exspectata est ut faceret uvas; fecit labruscas [4]. » Vere fecit labruscas, quæ in tantam conversa est amaritudinem, quod sitienti Domino suo in cruce, acetum felle mixtum porrexit. Unde prophetatum est de ea per Moysen : « De vinea Sodomorum, etc. » Vinea enim invidorum et perfidorum Judæorum recte dicitur esse de vinea Sodomorum; quia, sicut Sodomitæ bonis temporalibus quibus ex Dei largitate abundabant, pessime abusi sunt, ita Judæi multimodis Dei beneficiis ingrati fuerunt. Caveamus eorum luxuriam et istorum malitiam, ne, si (quod absit!) eis similes fuerimus in culpa, simus etiam pares in pœna; quia

Crimen cognatum similem trahit ad cruciatum.

Unde de subversione Sodomorum et de liberatione Loth quidam dixit :

Ignis conflavit quos crimen commaculavit;
Quem non involvit pestis, nec pœna resolvit.

Hæc vinea de qua proxime loquutus sum, sicut metaphorice significat gentem judaicam, ita allegorice designat Ecclesiam collectam de gentibus, quæ de Ægypto, id est de tenebris crassæ ignorantiæ, gratia duce, educta est; quibus nimirum tenebris densissimis et quodammodo palpabilibus obvolvebatur, dum ligna colebat et lapides; unde Apostolus : « Scitis, quum gentes essetis, ad

(1) *Fratres.* Act. II, 37.—(2) *Spinæ.* Is. XXXII, 13.—(3) *Maneat.* Joan. XV, 16.—(4) *Labruscas.* Is. V, 2, 4.

simulacra muta prout ducebamini euntes [1]. »

Vineæ dicuntur singulæ ecclesiæ, ut ibi : « Capite nobis, etc. » Vulpes quæ a volubilitate pedum nomen acceperunt, quia earum anfractuosus est egressus, et posteriora latent, significant hæreticos, qui in via doctrinæ graviter errant, et morum eorum posteriora fœtent, quia finis eorum ad profundum inferni eos demergit. Hæ vulpes capiuntur, quando hæreticorum dogmata evidenter refelluntur. Decipiunt et subvertunt, sicut in partibus Provinciæ miserabiliter est compertum [2].

Vineæ significant actiones, sicut venerabilis Beda dicit, super illum locum in Canticis : « Vineæ florentes odorem dederunt, id est, honestæ actiones bonæ opinionis odorem longe lateque diffuderunt [3].

Vinea quoque significat massam reproborum, ut in Apocalypsi, ubi dictum est tenenti falcem acutam in manu sua : Mitte falcem, et vindemia botros vineæ terræ, quia maturæ sunt uvæ ejus [4]. Qui tenet falcem acutam Christus est, cui Pater omnipotens dedit potestatem judiciariam. Vinea terræ significat, sicut dictum est, massam, id est totam collectionem reproborum, terrena spiritualibus præferentium. Botri significant collectiones singulas reproborum, similibus vitiis corruptorum. Hoc namque hic puto signari per botros qui ex multis racemis constant, quod in Evangelio per fasciculos zizaniorum de quibus Dominus ait : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum [5]. » Ad æquitatem enim judicii pertinet, ut pares sint in pœna, qui pares fuerunt in culpa. Maturitas autem uvarum consummationem significat malarum actionum. Unde est illud : « Consummetur nequitia peccatorum [6]. » Quum autem omnes fuerint consummatæ pessimorum nequitiæ, tempus erit ut uvæ malæ vineæ calcentur, id est, corpora reproborum pœnis acerrimis subdantur.

(1) *Euntes.* I Cor. XII, 2. — (2) *Compertum.* Quod circa an. 1217 videtur referendum, quando ipse Noster *Capuanus,* legatus sedis Apostolicæ in iisdem partibus agebat. — (3) *Diffuderunt.* Bedæ *Opp.* t. II, col. 1112. — (4) *Ejus.* Apoc. XIV, 18. — (5) *Comburendum.* Matt. XIII, 30. — (6) *Peccatorum.* Ps. VII, 10.

Anonymus Clarevallensis.

Vinea.
- Christus.
- Ecclesia.
- Vita negligens.
- Hypocrita.
- Fideles populi.
- Ecclesia de gentibus.
- Synagoga.

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 75-84.

Posuerunt me custodem in vineis.

Bella mei fratres, natique meæ genitricis
In me moverunt, pugnando dolis inimicis.
Commisere mihi terras, ubi vina feruntur :
Quas dum servo, meam sperno, me damna sequuntur.
Congruit hoc Paulo, cui fratrum turba suorum
Movit bella, dolos et multa pericla dolorum.
Vinea custode sua non servatur ab isto,
Dum servans alias, acquirit plurima Christo.
Judæis Judæus erat, fuit omnia factus
Omnibus ecclesiis, vir nullo turbine fractus.

II. *Ibid.*, v. 315-325.

Vulpeculæ demoliuntur vineas.

Vulpes schismatici sunt, Ecclesiæque nitorem,
Deturpant, puræ fidei siccando virorem.
Tales ecclesiis infligunt vulnus acerbum ;
Sed capiuntur ab his qui spargunt utile verbum.
Flores sunt pueri qui per baptisma novantur,
Perque novæ fidei donum Christo generantur.
Propter schismaticos de talibus est metuendum ;
Ne carpant teneros flores, est unde cavendum.
Sed sanctis aliis, qui jam radice vigoris
Stant bene fundati, nil debuit esse timoris.
Approbat ut vulpes isti capiantur amica,
Subdens, etc.

III. *Idem*, in Evangel., v. 2575-2584.

Dives conduxit inopes, ut vinea fructus
Reddat, quæ vario tempore culta fuit.
Illos hora prior, hos tertia, sexta sequentes,
Nona novos, alios hora suprema tenet.
Lac puerile, prior ; lanugo, tertia ; sexta,
Sensus ; canities, nona ; suprema, tremor.
Non fuit æqualis labor, et merces fuit æqua ;
Et par auroræ vespera facta fuit.
Rex per justitiam primos mercede coronat,
Munerat extremos pro bonitate sui.

C.

1. Vitis, Christus : « Ego sum vitis vera [1]. »

÷ 2. Virgo Maria, vel Ecclesia : « Venerunt ad torrentem botri [2]. Ego quasi vitis fructificavi [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in Decreto et Carm. VI.

Sylvius, *de Nominib. Christi*, V. 9.

Nicetas, serm. III, p. 330.

Et cherius, ed. I. p. 9, ad. 1 ; ed. II, col. 743 D, 744 A, *ubi se refert tum ad eamdem* 1 *distinct. tum in alium duplicem sensum.*

Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. 2, n. 38.

Rabanus. Vitis, Christus, ut : « Ego sum V. V. » — Fides, ut : « Et ad vitem, o fili mi, asinam tuam alliga [4]. » — Aliquis subversus, ut : « Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ [5] ? »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 165. Vitis suprema, Christus. Judices : « Loquuta sunt ligna ad vitem : Veni et impera nobis [6]. » — Media, sancta Ecclesia. Genesis : « Videbam vitem in qua erant tres propagines [7]. » — Infima, Synagoga, vel malitia. Ezechiel : « Vitis frondosa, Israel [8]. »

Prima producit vinum jucunditatis et spiritualis intelligentiæ. Judices : « Respondit vitis : Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines, et inter cætera lignâ promoveri? » Secunda vitis producit vinum compunctionis. Isaias : « Date siceram mœrentibus, et vinum his qui in amaritudine sunt [9]. » Tertia vitis producit labruscas et acetum. Hoc vinum produxit vitis hæc, quando in cruce Domino etiam cum felle propinavit acetum.

Distinctionum monasticar. lib. V, *de Vite.* Vitis Christus est, sicut ipse dicit : « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. » Et iterum : « Ego sum vitis, et vos palmites. » — Vitis est gloriosa Dei genitrix, integerrima Virgo Maria: ipsa enim nobis uvam genuit, cujus sanguinem bibimus meracissimum. In hujus gloriosæ Dominæ nostræ laudibus recte legit et cantat Ecclesia : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris [10]. » Attende quam pulchre, quam decenter, quam congrue fructificasse se dicit « suavitatem odoris. » De vite enim suavitas odoris exit, sine aliqua sui læsione : et de utero Virginis Christus Deus et homo exivit, ipsa intemerata et integerrima permanente. Sic me [adjuvet?] apud Filium suum, et nunc, et in corporis et animæ separatione, et post obitum meum, in extremo examine.

Vitis est sancta Ecclesia; in hac vite vidit pincerna regis Ægypti tres propagines, quæ sunt tres ordines fidelium, sive conjugatorum, continentium et virginum. Qui non est in aliquo istorum ordinum, non est in Ecclesia. Ergo non est in corpore Christi. Ergo non est membrum Christi. Propterea

Ut tibi protector sit qui regit omnia rector,
Osculor, amplector : non sint tibi turpia, lector.

Vitis fuit quondam bona Synagoga ; sed jam conversa est in amaritudinem vitis alienæ. De illa enim dictum fuit quondam per prophetam : « Vitis frondosa Israel : fructus adæquatus est ei. »

Moralitatum lib. VI, art. 170. Vitis habet plurimas conditiones, ut dicit Isidorus..., Plinius, Dioscorides, Glossa, etc. Significat Ecclesiam catholicam vel religionem Evangelicam. In Genesi habetur in hujus mysterium : « Videbam, etc. » Glossa continua : Post flores, Ecclesia profert ger-

(1) *Vera.* Joan. XV, 1. — (2) *Botri.* Numer. XIII, 24. — (3) *Fructificavi.* Eccli. XXIV, 25. — (4) *Alliga.* Genes. XLIX, 11. — (5) *Alienæ.* Jerem. II, 21. — (6) *Nobis.* Jud. IX, 12. — (7) *Propagines.* Genes. XL, 9. — (8) *Israel.* Osee X, 1. — (9) *Sunt.* Corrige : Prov. XXXI, 6. — 10) *Odoris.* Eccli. XXIV, 25.

men fidei, in neophytis florida, in provectis matura : de qua vinum exprimitur, quum prælo passionis premitur, quæ Pharaoni, id est mundi potentatibus, propinatur, quum Christi passio eis imitanda prædicatur. Tres autem propagines hujus vitis sunt tres status sive gradus, scilicet prælatorum, activorum et contemplativorum, vel incipientium, proficientium et perfectorum.

ANONYMUS TRECENSIS. I. *Amaritudo tribulationis per Christum vertitur in dulcedinem.* Notandum : vitis, virtute solis, aquam quam trahit a terra, quæ de se est frigida et insipida, convertit in humorem calidum et sapidum. Spiritualiter Christus est vitis. Aqua tribulationis est in se insipida; quæ, considerata passione Christi, et calore dilectionis ejus, vertitur in consolationem et dulcedinem : sicut in Exod. xv, populus non poterat bibere aquas Marath, quæ erant amaræ; sed Moyses lignum, sibi ostensum a Domino, misit in aquas, quæ versæ sunt in dulcedinem.

II. *Clericus illiteratus nihil valet.* Notandum : differentia est inter lignum vitis et alia ligna; quia alia ligna præcisa, sunt utilia ad aliquid, videlicet ad ædificandum, vel ad aliud; lignum vero vitis præcisum, nihil valet, nisi ad ignem. Sic laici, quantumcumque mali, sunt ad aliquid utiles, quia unus est bonus faber, et sic de aliis. Sed clericus, illiteratus et ignorans, ad nihil est utilis, quum non possit honesta officia laicorum facere; ideo quando est malus et ignorans, nihil valet, nisi ut mittatur in ignem.

III. *Lugere debemus in hac vita præsenti.* Notandum : vitis antequam portet fructum suum qui dulcis est, prius plorat, et reddit humorem. Unde si tempore putationis, non habeat humorem lacrymæ, non speratur quod tempore vindemiæ habeat vinum, quia videtur mortua. Sic spiritualiter anima, quæ comparatur vineæ in Canticis, « vinea mea floruit [1], » si non luget in præsenti vita defectus suos, signum est quod non habeat fructum gloriæ. Si vero luget in hac vita, signum est quod feret fructus consolationis æternæ dulcedinis. Matth. v : « Beati qui lugent.

IV. *Beata Virgo Maria vitis dicitur.* Unde quidam super illo verbo : « Quid mihi et tibi, mulier? quia vinum non habent, » dixit : Immo mihi et tibi, fili! quia dixisti : « Ego sum vitis vera; » et de me dictum est : « Ego quasi vitis fructificavi. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI et ECCLESIÆ

lib. III, v. 618-629.

Iste quidem Nabod signat te, justitiæ sol!
Qui splendor Patris es, qui mundum lumine reples.
Te veram vitem quis nesciat esse fidelis?
At domus Israel est tua vinea, rex Sabaoth es.
Hanc possessuros sese cupiunt Pharisæi,
Ut possint olerare quidem; non vindemiare;
Nil faciant recte, sed cuncta superstitiose.
Est extra portam Jesus Christus crucifixus :
Ablinxere canes illic saniem Jezabelis,
Ejus commento fusus cruor est ubi Nabod.
Illic Judæi strati sunt atque peremti,
Quo Domini Jesu roseum fudere cruorem.

CI.

÷ PALMITES, sancti, ubi et supra : « Ego sum vitis, vos palmites [2]. »
÷ Et in malam partem : « Et palmites eorum, ex Gomorrha [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 9; ed. II, col. 744 A ad I.

RABANUS. Palmes, fidem habens specie tenus, ut : « Omnem palmitem in me non fe-

(1) *Floruit*. Cant. II 15. — (2) *Palmites*. Joan. XV, 5. — (3) *Gomorrha*. Deut. XI, 25.

rentem fructum [1]. » — Apostoli, ut : « Ego sum vitis, vos palmites. » — Viri fideles, ut : « Extendit palmites suos ad mare [2]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 63.

Palmites cœli, apostoli. Palmites mundi, quicumque sancti, Ecclesiæ filii. Palmites tartari sunt mali.

Palmites cœli manent in vite Christo; palmites mundi, in vite Ecclesiæ. Palmites tartari manent in sarmento infructuoso, in diabolo.

Humor autem descendit a vite in palmites, et postmodum per palmites prorumpit in fructum : sic et a vite Christo humor charitatis et gratiarum pervenit in palmites apostolos. Nonne a vite Christo humor ascendit in palmites apostolos, quando insufflavit in eis et dixit : « Accipite Spiritum sanctum [3] ? » In cujus rei signum et olim accepit Dominus de spiritu Moysis, et dedit septuaginta de senioribus, electis ab ipso. Per palmites etiam apostolos postmodum pullulavit in fructus. Evangelium : « Opera quæ ego facio, et ipse faciet [4]. » A vite etiam Ecclesia humor doctrinæ et sacramentorum ascendit in palmites, Ecclesiæ scilicet filios, quando mater Ecclesia effundit super eos aquam mundam, et mundantur ab omnibus inquinamentis suis. Per ipsos palmites postmodum pullulat in fructum, quando sic lucet lux eorum coram hominibus, ut videant opera eorum bona, et glorificent Patrem qui in cœlis est. A sarmento autem infructuoso humor gratiæ non ascendit in palmites, et ideo manent aridi et sine fructu.

Anonymus Clarevallensis.

Palmes.
- Filii Synagogæ, vel Ecclesiæ.
- Apostoli, vel prædicatores.
- Christus.

Petrus de Riga.

Aurora, in Numer., v. 189-194.

Ad sanctam mittuntur humum proceres duodeni,
Qui terrent populum, dum rediere, suum.
In ligno pendet botrus : depingitur illic
Christi pendentis in cruce sancta caro.
Murmura vulgus agit, formidans bella gigantum,
Diffidens animo, deficiensque sibi.

CII.

1. Uva, Christus : « Venerunt ad torrentem botri [5]. »

÷ 2. Fructus justitiæ. In cantico Isaiæ : « Exspectavi ut faceret uvas [6]. »

÷ 3. Et in aliam partem. In Deuteronomio : « Uva eorum, uva fellis. [7]. »

CIII.

1. Botrus, Christus, ÷ Ecclesia, sive corpus Domini, in Numeris, eo quod botrum de terra repromissionis, in phalanga crucis, Israelitici speculatores reportassent. » ÷ « Botrus cypri, dilectus meus [8]. »

÷ 2. Bonum opus : « Non est botrus ad comedendum [9]. »

÷ 3. Judæa : « Quomodo si inveniatur granum in botro [10]. »

CIV.

÷ Racemus, defectus bonorum operum : « Heu mihi ! quia sum sicut qui colligit racemos [11]. »

(1) *Fructum.* Joan. xv, 2. — (2) *Mare.* Ps. lxxix, 12. — (3) *Sanctum.* Joan. xx, 22. — (4) *Faciet.* Joan. v, 36. — (5) *Botri.* Num. xiii, 24. — (6) *Uvas.* Is. v, 4. — (7) *Fellis.* Deuter. xxxii, 32. — (8) *Meus.* Cant. i, 14. — (9) *Comedendum.* Mich. vii, 1. — (10) *Botro.* Is. lxv, 8. — (11) *Racemos.* Mich. vii, 1.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 744 A ad CII, 2, 3; CIII, 2.

Origenius, *de Natur. Dom.*, V. 7 et 156.

Rabanus. Uva, dilectio vitæ præsentis, ut : Qui comederit uvam acerbam [1].

Opus pravum, ut : Uva eorum, U. f. » — Fervor dilectionis, ut : Numquid colligent de spinis uvas [2] ?

Botrus, Christus, ut : Botrum portabant in vecte duo viri. — Specialis lætitia, ut : « Botrus Cypri, dilectus meus. » — Opus justitiæ, ut : Lædetur quasi vinea, in primo flore, botrus ejus [3]. — Opus nequitiæ, ut : Uva e. u. f. et botrus amarus. » — Viri impii, ut : Vindemiavit botros vineæ [4]. »

Cf. *de Universo*, lib. XIX, c. 14, col. 508 B.

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 146.

Uva, vel botrus exterior triplex : uvæ namque exteriores sunt sancti in torculari mundi, opera bona, prædicatio. — Uva inferior, fervor dilectionis. — Uva vel botrus superior, Christus. Canticum : « Botrus cypri dilectus meus, in vineis Engaddi. » Florida lætitia resurgentis ; qui enim erat fasciculus myrrhæ in passione, fuit botrus cypri in resurrectione. Vineæ Engaddi sunt ecclesiæ. Engaddi Fons hædi interpretatur ; hædus in Scriptura sacra designat peccatorem. Fons igitur hædi baptismus intelligitur, ubi peccatores ab omnibus peccatis purificantur et mundantur. Vineæ ergo Engaddi ecclesiæ sunt per orbem diffusæ, regeneratis in baptismo filiis fecundatæ. Et hic est fons ille, de quo : « Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris [5]. » — Uva inferior est peccator, vel malitia Judæorum.

Uva autem vel botrus superior, Christus nascitur ex vinea Ecclesiæ. Et inventus est hic botrus, et natus in terra promissionis, id est Virgine Maria, cujus partus longe ante a prophetis promittebatur. Numeri : « Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri. » De hac terra inquit psalmus : « Terra nostra dedit fructum suum [6]. » Hæc terra promissionis vere lac et mel manavit, quando Christum Deum et hominem, intemerata virginitate, profudit. Hunc portant in vecte duo viri, id est duo populi, judaicus scilicet et gentilis ; unus præcedens, id est judaicus, qui præcessit in fide ; alter subsequens, id est gentilis, qui ad fidem postmodum est introductus, juxta illud Evangelii : « Et qui præcedebant, et qui sequebantur, clamabant : Hosanna [7] ! » Sed præcedens post tergum habet quem portat ; subsequens autem oculos habet in eum et aspicit : quia Judæi adhuc eum venturum pronuntiant, et cum pueris Abrahæ exspectant cum asino Messiam suum, juxta illud Ezechielis : « Verterunt ad me tergum et non faciem [8] ; » Gentiles autem eum venisse jam cognoscunt. Evangelium : « Ipsi enim audivimus, et scimus quia ipse est Salvator mundi [9]. » Hic botrus, calcatus in torculari crucis, sanguinem redemtionis et aquam ablutionis nobis simul profudit. Evangelium : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua [10]. »

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Botro*. Botrus grandis et gravidus ex brevi vitis ramusculo nascitur. Botrus, Christus. Vitis est illa generationum series, quæ ab Adam usque ad Christum ducitur. Brevis ramusculus, paupercula Virgo Maria. Ex hac natus est magnus Jesus Nazarenus, spirituali gratia incomparabiliter plenus. Iste est botrus miræ magnitudinis, a duobus viris in vecte delatus ad filios Israel. Vere miræ magnitudinis, quia magnitudinis ejus non est finis. Botrus in vecte, Christus in cruce. A duobus viris defertur ad populum Israel, id est, a doctoribus ex utroque populo defertur ad corda electorum.

Botrus significat Synagogam Judæorum,

1) *Acerbam*. Jerem. XXXI, 30. — 2) *Uvas*. Matt. VII, 16. — (3) *Ejus*. Job XV, 33. — (4) *Vineæ*. Apoc. XIV, 18. — 5) *Peccatoris*. Zachar. XIII, 1. — 6) *Suum*. Ps. LXVI, 7. — (7) *Hosanna*. Marc. XI, 9. — (8) *Faciem*. Corrig. Jerem. II, 27. — 9) *Mundi*. Joan. IV, 42. — 10) *Aqua*. Joan. XIX, 34.

conspirantium ex invidia in necem Christi; unde Moyses : « Uva eorum, uva fellis et botrus amarissimus. »

Per botros designati sunt doctores Ecclesiæ, musto gratiæ pleni; unde sponsus ad sponsam : « Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua, botris. » Ubera enim sponsæ sunt doctores Ecclesiæ. Vis videre magnum uber sponsæ, et lacte valde distentum? Attende illum qui ait : « Tamquam parvulis in Christo, lac potum vobis dedi [1]. » Et : « Quis infirmatur, et ego non infirmor [2]? » O verum uber, de cujus corpore, quum decollaretur, ante lac exivit quam sanguis [3]. Vel ubera sponsæ sunt duo testamenta, ex quibus sacra constat Scriptura, quæ decentissime botro comparatur, quia sicut botrus constat ex multis granis ordinate sibi cohærentibus, ita sacra Scriptura ex sententiis secundum spiritualem sensum aptissime concordantibus.

Botrus significat quodlibet sanctum collegium, conjunctum una fide mentium et pietate actionum. Quod quia Christus apud Judæos non invenit, per Michæam prophetam gemit dicens : « Væ mihi, etc. »

Per botros figurantur amatores mundi, carnis deliciis et temporali jucunditate tumidi : de quibus tenenti falcem acutam in manu sua, in Apocalypsi, dicitur : « Mitte falcem tuam, et vindemia botros vineæ terræ, quia maturæ sunt. » Prophetia est de die judicii. Per falcem acutam intellige potestatem judiciariam; per terræ vineam, reproborum massam. Duplex est enim hominum vinea, cœlestis et terrestris. Cœlestis est Ecclesia electorum, cœlestia amantium; terrestris, collectio reproborum, terrena cœlestibus præponentium. Vinum vineæ terrenæ, delectatio carnalis. Vinum vineæ cœlestis, compunctio spiritualis; unde : « Potasti nos vino compunctionis. » Voluptas habet pœnam, et necessitas parit coronam [4].

Lazarus in requie, dives in igne manet.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Botrus.	*Uvæ.*
Christus.	Delectatio vitæ.
Spiritualis lætitia.	Opus pravum.
Opus justitiæ.	Christus.
Viri impii.	Martyres.
Prædicatores.	

Racemus, virtutes et bona opera, ut : « Væ mihi, etc. » — Mystici intellectus Scripturæ, ut : « Non colliges remanentes racemos [5]. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI et ECCLESIÆ liber II, v. 216 sqq.

Exploratores Moyses misit duodenos :
Christus discipulis mundum lustrat duodenis.
Exploratorum duo portavere racemum;
Sed non cernebat botrum, qui prævius ibat,
Vidit vero sequens, quem portabat botrionem :
Et Synagoga quidem te, Christe, prior bajulavit,
At non cognovit, quia credere noluit in te.
Ecclesiæ sed vera fides credendo videt te,
Ac pro posse suo tua post vestigia currit ...
Cum botro ficum pariter tulit una phalanga :
Non sine Christo lex est, nec Christus sine lege.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 140-147.

Botrus Cypri in vineis Engaddi.

Omnibus uberior est insula Cyprus amœna,
Forte merum gignens, quod reddit corda serena.
Denotat Ecclesiam Cyprus, quam multa decorat
Gratia virtutum, quam ros cœlestis honorat.
Fons hædi sonat hoc nomen [6], baptisma figurans,
Quod mala nostra lavat, sordentia crimina curans.
Mactari pro peccatis in lege solebat
Hædus, qui vires mundandi crimen habebat.

CV.

1. VINDEMIA, consummatio sæculi, vel vindicta : « Vindemiant eam omnes qui transeunt viam [7]. »

2. « Vide, Domine, et considera, et visita vineam istam [8]. »

(1) *Dedi*. I Cor. III, 2. — (2) *Infirmor*. I Cor. XI, 29. — (3) *Sanguis*. Cf. *Acta SS*. Bolland. ad XXIX Jun. — (4) *Coronam*. S. Benedict. *Regul*. c. 7. — (5) *Racemos*. Deuter. XXIV, 21. — (6) *Nomen*, scilicet *Engaddi*. — (7) *Viam*. Ps. LXXIX, 13. — (8) *Istam*. Ps. LXXIX, 15.

CVI.

1. Torcular, altare [1] : « Et torcular fodi in ea [2]. »

2. Tribulatio futura : « Et ipse calcavit torcular vini iræ furoris Domini [3]. »

÷ 3. Crux : « Torcular, calcavi solus [4]. »

÷ 4. Scriptura : « Non calcabit torcular, quod calcare consueverat [5]. »

÷ 5. Tribulatio præterita : « Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ [6]. »

÷ 6. Passio Christi, vel martyrum : « In fine pro torcularibus [7], Psalmus ipsi David. »

÷ 7. Passio Christi : « Torcular calcavi solus. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 744 A ad CV et CVI, 1, 2.

Rabanus. Torcular, crux Christi, ut : « Torcular calcavi. » — Tribulatio, ut : Gedeon excutiebat triticum in torculari [8]. »

Cf. *de Universo*, l. I., col. 508 C.

Petrus Cantor. Ecclesia comparatur torculari, quia sicut in torculari premuntur uvæ, ita christiani in tribulationibus; unde : « Gravati sumus supra modum [9]. » — Sicut discernuntur uvæ ab acinis, ita in Ecclesia boni a malis; unde : Nunc judicium est mundi [10]. » — Sicut vinum reconditur, acinum conculcatur, ita boni eliguntur, mali projiciuntur; unde : « Venite, etc. »

Petrus Capuanus ad lit. XX, art. 167.

Vindemia

Præsens		*Futura*
Bonorum.	*Malorum.*	*Bonorum*, receptio præmiorum pro meritis.
Ecclesia.	Voluptates.	
Scripturæ.	Persequutio.	*Damnatorum*, separatio a bonis.

Potest sententia, de qua loquitur Isaias [11] in hac serie : « Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem vestrum in saturitate [12], » referri ad convivium vel mysterium Eucharistiæ. Nam panis vivus qui de cœlo descendit, factus quidem est pro nobis in cruce pretium, in peregrinatione viaticum; est etiam in patria futurum præmium [13]. Fecit ergo Dominus exercituum, in monte Ecclesiæ cujus fundamentum est in montibus sanctis, vel in monte altaris, omnibus populis « convivium pinguium medullarum, » convivium scilicet pinguissimi vituli et saginati, quem occidit pater pro salute filii, qui mortuus fuerat et revixit, quia salvum illum recepit. Hic est agnus occisus ab origine mundi, sed oblatus in fine temporum, et coctus in lacte matris suæ. Et quia sub duplici specie sumitur in altari, additur in præmissa serie : « Convivium vindemiæ defæcatæ, » ut convivium pinguium medullarum, quod sumitur in altari, referatur ad esum carnis; convivium vindemiæ defæcatæ, ad potum sanguinis.

Idem ad litt. XIX, art. 93.

Torcular.

Mundus.	Pressura crucis Christi.
Ecclesiæ.	Martyrium.

(1) *Altare, ab eo quod oblationes, tamquam fructus, conferantur. In cantico Isaiæ* B. C, E, F. — (2) *Ea.* Is. V, 2. — (3) *Domini.* Apoc. XIX, 15. — (4) *Solus.* Is. LXIII, 3. — (5) *Consueverat.* Is. XVI, 10. — (6) *Judæ.* Thren. I, 15. — (7) *Torcularibus.* Ps. VIII, 1 — (8) *Torculari.* Judic. VI, 11. — (9) *Modum.* II Cor. I, 8. — (10) *Mundi.* Joan. XII, 31. — (11) *Isaias*, ut infra excitatur e cap. XXV, 6; quem utique locum Noster paulo ante attigerat. — (12) *Saturitate.* Levit. XXVI, 5. — (13) *Præmium.* Prævisse Nostrum diceres Aquinati, in notissimo hymno, cui tamen luculentius præluxisse putem Hildebertum nostrum Cenomannensem, qui præclare dixit : *In ara crucis fuit pretium: in altari, ferculum, sive poculum: in morte, viaticum: in cœlo, præmium.* Serm. CXIX, p. 810.

Sicut in torcularibus tria sunt, scilicet pressura, et ex hac duo proveniunt, scilicet oleum et amurca, sive vinacia, quorum alterum reconditur, alterum vero projicitur : sic in pressura crucis Christi, fuit, quantum ad sui sufficientiam, passio Christi sufficiens pretium redemtionis pro bonis pariter et malis. Paulus : « Pro omnibus mortuus est Christus [1]. » Sed discretum est inter eos et separatum, quantum ad efficientiam : nam solos prædestinatos redemit. In pressura etiam crucis separata est mortalitas ab immortalitate; nam ibi destructa est mors, et reparata est vita. Ibi etiam separata est Synagoga ab Ecclesia gentium, quia Synagoga est excæcata, Ecclesia autem illuminata; quod solet exprimi etiam in picturis ecclesiarum [2]. Paulus : « Cæcitas ex parte contigit, ut plenitudo gentium intraret [3]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Recapit. V. et N. T., v. 186 sqq.

Subtus pendentem fert botrum pertica : Christum
Supra pendentem suscipit ara crucis.
In ligno botrus est pendens : in cruce, Christus.
Profluit hinc vinum ; profluit inde salus.
Elicitur prælo de botro gratia vini :
Prælo pressa crucis sanguis et unda fluit.
Altaris calicem potus tam nobilis implet,
Ligna Sacerdotis tam sacra verba sonat.
Sunt duo vectores botri, gentilis, Hebræus :
Hic prior, ille sequens ; cæcus hic, ille videns.
Qui prior est, dorsum curvans, cæcatur Hebræus,
Ne videat Christum, credere durus ei.
Sed plebs quæ sequitur gentilis, lumine recto
Hæret in hunc Christum, mente fideque videns [4].

CVII.

1. MACERIA, protectio Dei, vel custodia angelorum [5] : « Destruam maceriam ejus [6].

÷ 2. Structura virtutum, vel munimentum disciplinæ : « Ut quid destruxisti maceriam ejus [7]. »

÷ 3. Crux Christi, ut quidam volunt. In psalmo : « Tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS. Maceria, munitio disciplinæ, ut ubi dicitur de vinea viri stulti : « Et maceria lapidum destructa erat [9] ; » et disciplina patrum ab ejus corde perierat. — Difficultas perficiendi propositi, ut ibi : « Sepiam vias tuas maceria [10]; » id est, desideriis pravis, quæ opere complere decreveras, obicem difficultatis opponam.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Maceria, disciplina cordis, ut : « Maceria lapidum destructa erat. » — Latus Christi, ut : « In caverna maceriæ [11]. » —Regnum judaicum : « Ut quid d. m. e. » — Fides et operatio, ut : « Inter duas macerias quibus vineæ jungebantur [12]. »

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Maceria.

Munitio disciplinæ spiritualis. — Difficultas faciendi propositi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 246-249.

Post murum nostrum stetit incarnata Sophia,
Quum carnem sumsit de Virgine matre Maria;
In qua delituit deitas, quam ferre nequiret
Omnis homo, si posse suum monstrare veniret.

(1) *Christus.* II Cor. v, 15. — (2) *Ecclesiarum.* Huic loco, quin toti articulo, insignia erunt commentaria quæ doctissimi PP. Cahier et Martin S. J. conjecerunt tum in grandi opere : *Vitraux de Bourges*, p. 7, 42, 108, etc., tum in *Miscellaneor. archæologic.* t. II, p. 50. — (3) *Intraret.* Rom. XII, 25. IX, 2. — (4) *Videns.* Cf. Polycarp Leyser, *de Poetis et Poemat.* p. 704 sqq. — (5) *Divina protectio, sive angelorum custodia, in psalmo : destruxit* B-G *Destruxisti maceriam.* — (6) *Ejus.* Is. V, 5. — (7) *Ejus.* Ps. LXXIX, 13. — (8) *Depulsæ.* Ps. LXI, 4. — (9) *Erat.* Prov. XXIV, 31. — (10) *Maceria.* Osee II, 6 — (11) *Maceriæ.* Cant. II, 14. — (12) *Jungebantur.* Num. XXII, 24.

CVIII.

: 1. Operarii, apostoli, vel alii prædicatores. In Evangelio : « Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam [1]. »

: 2. Hæretici. In Apostolo : « Videte canes, videte malos operarios, videte concisiones [2]. »

CIX.

, : 1. Agricola, Deus. In Evangelio : « Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est [3]. »

: 2. *Agricolæ*, apostoli et cæteri prædicatores [4] : « Malos male perdet, » id est « Judæos, et vineam tradet colonis [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 9; ed. II, col. 743 B ad CIX, 2.

Rabanus. Agricola, Deus Pater, ut : « Pater m. a. e. » — Reprobus, terrena diligens, ut : « Cain agricola erat [6]. » — Principes synagogæ, ut : « Locabit eam agricolis. » — Doctores Ecclesiæ, ut in eodem Evangelio.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 70.

Ager.

Mundus.	Corpus.
Judæa.	Scriptura.
Ecclesia.	Christus.

In primo agro agricola est Deus. Evangelium : « Pater m. a. e. In secundo agricolæ fuerunt scribæ legis doctores, qui dicunt in Evangelio : « Ecce hæres, venite, occidamus eum [7]. » In tertio agricolæ fuerunt apostoli, et sunt prædicatores. In quarto agricola est anima. Sapientia : « Diligenter exerce agrum tuum [8]. » In quinto agricolæ sunt doctores. In sexto agricola est Spiritus sanctus, qui corpus Virginis et Christi coluit et omnino mundavit. Evangelium : « Quod in eo natum est, de Spiritu sancto est [9]. » Agricola etiam dicitur malus, cupidus et qui lucra mundi sectatur. Genesis : « Fuit autem Abel pastor, et Cain agricola. »

Anonymus Clarevallensis.

Agricola [10].

Deus Pater.	Reprobus.
Principes Synagogæ.	Doctores Ecclesiæ.

Vinitor, vineæ custos, umbraculum debet habere, in alto loco sedere, fures et malas bestias a vinea arcere, plantare, pastinare, propagare, fodere, putare, paxillare, fructus colligere.

Vinitor, prædicator bonus, ut : « Dabo ex eodem loco vinitores et vallem Achor [11]. » — Malus prædicator, ut : « De pauperibus terræ reliquerunt vinitores et agricolas [12].

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., de Muliere forti, Zain.

Hic consideravit agrum et emit eum ; de fructu manuum suarum plantavit vineam [13].

Hic ager est ille qui gemmam servat et aurum.
Quem, re distracta, cœlicus emtor habet.
Floret in hac vite cœlestis gemmula vitæ,
Exemplis operæ subdita corda rigans.
Huc, vel *Duc te* Zain notat, ut ibi ductor
Ad bonitatis opus sis, mediante Deo.
De fructu manuum plantatur vinea : namque
Sanctorum facit hanc fructificare labor.
A patre familias cultores munerat hujus
Unus denarius : vespere, mane datur.

(1) *Suam*. Matt. IX, 38. — (2) *Concisiones*. Phil. III, 2. — (3) *Est*. Joan. XV, 1. — 4) *Coloni, sancti in Evangelio* B, C, E. — 5) *Colonis*. Matt. XXI, 51. — (6) *Erat*. Genes. IV, 2. — 7) *Eum*. Matt. XXI, 38. — (8) *Tuum*. Prov. XXIV, 27. — (9) *Est*. Matt. I, 20. — (10) *Agricola*. Locus in cod. adornatur satis eleganti definitione, quam pene iisdem terminis invenies apud Hugonem S. V., t. III, p. 462. — (11) *Achor*. Osee II, 15. — (12) *Agricolas*. Jerem. VII, 16. — (13) *Vineam*. Prov. XXXI, 16.

CVIII.

1. Vinum, sanguis Christi : ÷ « Et sanguinem uvæ biberet meracissimum [1]. »
÷ In Evangelio : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem [2]. »
2. Gratia Spiritus [3] : « Numquid mittunt vinum novum in utres veteres [4] ? »
3. Sermo Dei, vel compunctio cordis : « Potasti nos vino compunctionis [5]. »
4. Scriptura [6] : « Caupones tui miscent aquam vino [7]. »
5. Materia libidinis [8] : « Et noli inebriari vino [9]. Luxuriosa res est vinum [10]. »
6. Judicium Domini : « Et ipse calcavit torcular vini iræ furoris Domini [11]. »
÷ « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus [12]. »
÷ 7. Ira Dei : « Et excitatus est tamquam potens, crapulatus a vino [13]. »
÷ 8. Christus : « Numquid potest vitis per se vinum facere [14] ? »
÷ 9. Spiritualis intellectus, vel gratia Spiritus : « Ut autem gustavit architriclinus, ait : Bonum vinum servasti [15]. »
÷ 10. Philosophia, vel scientia sæcularis : « Meliora sunt ubera tua vino [16]. »
÷ 11. *Vinum novum*, Christus : « Vinum novum, et amicus novus : veteterascet, et cum suavitate bibes illud [17]. »
÷ 12. *Ebrietas*, sobrietas mentis. In Actibus apostolorum : « Ebrii sunt isti [18]. »
÷ 13. Crapula vitiorum. In Evangelio : « Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate [19]. » Et in Salomone : « Velut si spina nascatur in manu ebriosi [20]. »
÷ 14. *Sobrietas*, temperantia. In Apostolo : « Vigilate, sobrii estote, et nolite peccare [21]. »
÷ 15. *Verum*, sinceritas judicii et veritatis, vel color fidei. In psalmo : « Calix vini meri, plenus mixto [22]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 21 ad 8 ; 22 ad 15. — Ed. II, col. 759 ad 8 ; 760 ad 15.

Rabanus. Vinum, arcanum divinitatis, ut : « Miscuit vinum [23]. » — Fervor Sancti Spiritus, ut : « Vinum lætificat cor hominis [24]. » — Scientia legis, ut : « Meliora sunt ubera tua vino [25]. » — Verbum Evangelicum, ut : « Guttur tuum sicut vinum optimum [26]. » — Contemplatio, ut : « Bibi vinum meum cum lacte [27]. » — Intelligentia spiritualis, ut : « Tu autem servasti b. v. » — Sanguis Christi, ut : « Lavabit in vino stolam suam [28]. » — Compunctio, ut : « Potasti n. v. c. » — Correctio, ut : « Infundent vinum

(1) *Meracissimum*. Deuter. XXXII, 14. — (2) *Sanguinem*. Joan. VI, 55, 57. — (3) *Spiritus sancti. In Evangelio : Vinum novum in utres novos mitti debet* B-G. — (4) *Veteres*. Matt. IX, 17. — (5) *Compunctionis*. Ps. LIX, 5. — (6) *Sacra in Scripturis rectaque doctrina* B, C. *Sacra Scriptura rectaque doctrina* D-G. *Unde per Isaiam ad Judæos dicitur* B-G. — (7) *Vino*. Is. I, 22. — (8) *Opera luxuriæ, in Apostolo*. — (9) *Vino*. Ephes. V, 18. — (10) *Vinum*. Prov. XX, 1. — (11) *Domini*. Apoc. XIX, 15. — (12) *Ejus*. Apoc. XVI, 19. — (13) *Vino*. Ps. LXXVII, 65. — (14) *Facere*. E loco mihi ignoto. — (15) *Servasti*. Joan. II, 9. — (16) *Vino*. Cant. I, 1. — (17) *Illud*. Eccli. IX, 15. — (18) *Isti*. Act. II, 15. — (19) *Ebrietate*. Luc. XXI, 34. — (20) *Ebriosi*. Prov. XXVI, 9. — (21) *Peccare*. I Petr. IV, 7. — (22) *Mixto*. Ps. LXXIV, 9. — (23) *Vinum*. Prov. IX, 2. — (24) *Hominis*. Ps. CIII, 15. — (25) *Vino*. Cant. I, 2. — (26) *Optimum*. Cant. VIII, 9. — (27) *Lacte*. Cant. V, 1. — (28) *Suam*. Genes. IV, 11.

et oleum [1]. » — Dilectio, ut : « Dabo tibi poculum ex vino condito [2]. » — Delectatio peccati, ut : « Ululate, omnes qui bibitis vinum [3]. » — Amor mundi, ut : « Ne intuearis vinum, quando flavescit [4]. » — Vindicta, ut : « Bibet de vino iræ Dei [5]. »

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Vinum aliud corporale, de quo Apostolus : « Nolite inebriari v. i. q. e. l. » — Aliud spirituale, id est gratia Spiritus Sancti et amor Dei. De hoc vino spirituali inebriantur in præsenti perfecti, sed non perfecte ; sed in futuro inebriabuntur perfecte ; unde : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. » Et de hoc vino in cantico amoris legitur : « Comedite, amici, et inebriamini, charissimi [6] ! » — Aliud medicinale, asperitas scilicet et austeritas in lege, quod diligentia Samaritani prius infudit vulneribus sauciati.

Vinum est asperitatis, in quo est pœnitentia : hoc infudit Samaritanus vulnerato, de quo dicitur : « Potasti nos v. c. » — Legis austeritas ; unde : « Meliora sunt u. t. v. » Item : « Caupones t. m. a. v. » — Iræ ; unde : Tanquam potens, crapulatus a vino [7]. » — Lætitiæ ; unde : « Vinum lætificat c. h. » Item : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum [8], etc. » — Beatitudinis ; unde : « Et calix meus inebrians, quam præclarus est [9] ! »

Petrus Cantor. Per vinum vetus intelligitur culpa, sicut per novum intelligitur gratia ; unde in Evangelio : « Nemo mittit v. n. in u. v. s. in novos. » Utres veteres sunt homines peccatores, veterem hominem cum actibus suis imitantes ; utres novi sunt homines per gratiam innovati. In tales igitur utres vinum ponendum est novum, scilicet Spiritus sanctus, qui vinum novum dicitur ab effectu. Vinum siquidem novum fortiter inebriat, et hominem reddit eloquentem et sui immemorem : tales fuerunt apostoli, post adventum Spiritus sancti. Non enim poterant continere verbum veritatis, juxta quod Petrus dicit in Actibus apostolorum : « Nos non possumus non loqui quæ audivimus et vidimus [10]. » Et sui ipsorum oblíti, contumeliis pro Christo se libenter objiciebant, juxta illud : « Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt [11], etc. » Si vinum istud in tales utres, id est in talia vasa, ponatur, ambo conservabuntur. Corpus dicitur vas esse animæ ; anima, vas Spiritus Sancti, juxta illud Apostoli : « Ut sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione et honore [12]. » Et in libro Regum legitur Eliseus infudisse oleum in vasa [13].

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 169.

Vinum, in bono,

Austeritatis nimiæ, legalia præcepta.	Lætitiæ, jucunditas mentis spiritualis.
Sobrietatis, moderatio.	Gratiæ, qua mentes bonorum fervent et inebriantur.
Litteræ, historia v. t.	Veræ instructionis.
Spiritualis intelligentiæ, interpretatio mystica Scripturæ	Ecclesiasticæ unionis.
Sanctimoniæ, sancta et religiosa vita.	Prædicationis.
Amicitiæ, dulcedo et jucunditas amicitiæ.	Compunctionis.
	Contemplationis.
	Salvationis.

Vinum, in malo,

Mortalitatis nostræ.	Hæreticæ pravitatis.
Voluptatis illicitæ.	Impietatis.
Luxuriæ.	Curiositatis.
Iracundiæ.	Vindictæ divinæ.
Idololatriæ.	Gehennalis infelicitatis.
Ebrietatis.	

Moralitatum lib. vi, art. 177. Vinum has habet conditiones, ut dicit Isidorus, Isaac, Hippocras, Plinius, Dioscorides, etc. Corpora confortat, corda, lætificat, morbos evacuat, purissimum sanguinem generat, et turbidum purificat, etc. Recolligendo igitur spiritualiter in summa quidquid de

(1) *Oleum.* Luc. x, 34. — (2) *Condito.* Cant. viii, 2. — (3) *Vinum.* Joel i, 5. — (4) *Flavescit.* Prov. xxiii, 31. — (5) *Dei.* Apoc. xiv, 10. — (6) *Charissimi.* Cant. v, 1. — (7) *Vino.* Ps. lxxvii, 65. — (8) *Vobiscum.* Marc. xiv, 15. — (9) *Est.* Ps. xxi, 5. — (10) *Vidimus.* Act. iv, 20. — (11) *Sunt.* Act. v, 41. — (12) *Honore.* I Thessal. iv, 4. — (13) *Vasa.* IV Reg. ii, 20.

vino dictum est, sciendum quod generaliter sumtum significat gratiam Spiritus sancti. Vinum vero album, in speciali sumtum, significat gratiam Spiritus, in hominibus castis et mundis, sive virgineis et honestis. Vinum autem nigrum significat gratiam Spiritus sancti in hominibus mortificationem Jesu circumferentibus. Vinum quoque glaucum, sive aureum, significat gratiam, seu venerabilem Scripturam in prælatis et prædicatoribus, sive doctoribus veritatis seu sapientiæ cœlestis, allicientibus animas ad consolationes et contemplationes patriæ supercœlestis. Vinum vero rubrum significat gratiam, vel Scripturam sacram in hominibus ferventibus charitate et desiderio vitæ æternæ. Vinum vero novum, id est mustum, significat gratiam Spiritus sancti in hominibus ferventibus zelo bonæ voluntatis et proximorum salutis et divinæ laudis. Vinum vero conditum aromatibus significat gratiam Spiritus sancti, cum condimento omnium virtutum, odorum, saporum spiritualium, animas devotorum præcordialiter et ex omni parte recreantium reficientium et confortantium; vel etiam significare possunt talia vina condita, seu aromatica, venerabilis Scripturæ eloquia, animas studentium devote, eorumque mores, sermones et actiones condientia.....

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Passione D. N. J. C., v. 195-238.

Grates Christus agit, calicem sumens: ibi monstrans
Ut Dominum laudes, quando flagella vides.
Panis confirmat corpus, vinoque fovetur
Sanguis: et in Christo lector utrumque notet.
Mystica sunt quæ dicimus: hic, cum sanguine Christi,
Corpus signari, cerne per ista duo.
Si sociatur aqua pani, non conficis illud·
Non offers vinum, ni societur aqua.
Sic sine carne sacra Christi vel sanguine sacro,
Plebs non sanatur, nec sociatur ei.
« Ecce meum corpus hic est; sanguis meus hic est [1]! »
Dum vocem profert, vim sacra verba ferunt.
Verborum virtus agit, ut transsumtio fiat:
Panis cum vino fit caro, fitque cruor.
Dum Dominus profert hæc verba duo sacra, panis
Fit corpus; vinum sanguis, ad illa duo.
Et verbis illis tunc vim concessit eamdem,
Ut sit posteritas verba per illa sacra.
« Hoc genimen vitis vitabo sumere, donec
« Vobiscum sumam; non vetus, immo novum,
« Donec id in regno summi Patris, absque vetusto
« Gustu, jucunda cum novitate bibam [2]. »
Vinum quod generat vitis genimen, vocat illic:
Vitis ubi triplex sensus inesse potest.
Vitis, Judææ plebs; observantia legis
Est genimen; post hoc non bibit inde Jesus,
Donec vina suæ legis, quam Spiritus implet,
Exclusa veteri, cum novitate bibat...
In sanctis scilicet compositis de lege secunda,
Ecce novum genimen credo bibisse Jesum.
Hinc est Glossa super Matthæum: Vinea vere
Est Domini Sabaoth Israelita domus.
Glossa secunda docet, ut vitis signet Hebræos,
Et genimen vitis denotet illud idem.
Sensus hic est: non hac faciam de plebe fideles,
Donec salvetur omnis Hebræa tribus.
Tertius est sensus, hominis natura notetur,
Vitæ duplex genimen cujus inesse scias:
Ut sit mortalis, immortalisque sit idem.
Si vellet, poterat Christus utrumque sequi:
Est ergo sensus verbis sumendus in illis,
Tamquam dicere sic verba per illa velit:
Non ultra moriar, qui nunc calicem bibo mortis,
Donec consurgam, sed sine posse mori.

CIX.

ACETUM, acerbitas concepti animi [3]. De Nazaræis, ÷ qui se sanctificabant Domino, vinum simul et acetum sumere prohibitum est [4].

CX.

÷ FÆX, ultimum judicium. In psalmo: « Verumtamen fæx ejus non est exinanita [5]. »

(1) *Est.* Matt. XXVI, 26. — (2) *Bibam.* Marc. XXIV, 25; Luc, XXII, 18. — (3) *Asperitas corruptæ mentis; unde in libro Numeri, Nazaræis* B-G. — (4) *Est.* Numer. VI, 20. — (5) *Exinanita.* Ps. LXXIX, 48.

CXI.

Sicera, dulcedo peccati. Nazaræis præceptum est ut vinum et acetum et siceram non biberent.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 22; ed. II, col. 760 C.

Rabanus et Anonymus Clarevallens. Acetum, dolus, ut : Implevit spongiam aceto [1]. » — Pigritia, ut : « Sicut acetum dentibus, sic piger [2]. » — Verbum commotionis, ut : « Acetum in nitro [3]. » — Infidelitas, ut : « In siti mea potaverunt me aceto [4]. »

Petrus Caplanus ad litt. I, art. 79. Acetum corporalis passionis, quod propinatum est Christo. Psalmus : « In siti m. p. m. a. » — Et dolosæ simulationis. Evangelium : « Implevit spongiam aceto, » Judæos dolo. — Et judaicæ obstinationis, degenerantis a vino patrum; unde in veteri testamento Nazaræi non bibebant vinum, nec acetum.

Primum propinatum fuit Domino ab ipsa conceptione; secundum, in passione; tertium, in resurrectione. Unde obstinati dicunt in Evangelio : « Nobis dormientibus, venerunt discipuli ejus [5]. » Primum fuit ei propinatum in corpore; secundum, in anima; tertium, in fama, ut deleretur.

Idem ad litt. VI, art. 55.

Fæx.

Littera legis. Ultimum judicium. Peccatum.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Aceto*.

In terræ fusum si spumat, cedat in usum,
Gestans completum cumulum bonitatis, acetum.

Acetum multa significat : Est enim acetum malignitatis; unde David ex persona Christi : « In siti mea potaverunt me aceto. » Vox ista videtur esse querelæ : Christus namque sitivit, id est, ardenter desideravit Judæorum innocentiam; et illi ei propinaverunt malitiam. — Est acetum corporis; unde : « Sicut acetum dentibus, sic piger his qui miserunt illum. » Nam sicut acetum dentes hebetat, sic desidiosus eos a quibus missus est, turbat. — Est acetum correptionis; unde : « Acetum in vino, et qui cantat carmina cordi pessimo. » Nam si mittatur acetum in vino, statim vinum ebullit : sic perversa mens, quando corripitur, de correptione deterior efficitur.— Est acetum compunctionis; unde Booz ad Ruth : « Quando hora vescendi erit, veni huc, et intinge buccellam tuam in aceto [6]. » Hora vescendi est hora sumendi corpus Christi; quod hic designatur per buccellam. Hoc autem corpus, ob memoriam Dominicæ passionis, cum compunctione cordis certius et dignius sumitur. Unde et pascha, id est agnus paschalis, cum lactucis agrestibus, quæ valde amaræ sunt, comedi jubetur. Amaritudo enim ista herbarum amaritudinem significat lacrymarum; de qua amaritudine ait Ezechias : « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ [7]. » — Est acetum corruptionis per peccatum; unde in Numeris legimus, Nazaræis, inter quædam alia, acetum esse prohibitum. Acetum namque fere talem habet saporem, qualem succus uvæ immaturæ; unde per acetum significatur reversio veteris vitæ.— Per acetum voluit quidam discordiam designare, quæ revera valde amara est, dicens ita :

Qui turbat cœtum, funestum fundit acetum.

(1) *Aceto*. Matt. XXVII, 48.— (2) *Piger*. Prov. X, 26. —(3) *Nitro*. Prov. XXV, 20.—(4) *Aceto*. Ps. LXVIII, 22. (5) *Ejus*. Matt. XXVIII, 13. — (6) *Aceto*. Ruth. II, 14. — (7) *Meæ*. Is. XXXVIII, 15.

Anonymus Clarevallensis. Sicera, voluptas carnis, ut : « Vinum et siceram non bibet, nec de eo quod inebriare potest. »

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ

Lib. II, v. 232.

Non potus vini, siceræve datur Nazaræis :
Ecclesiæ doctor jus est, abstemius ut sit;
Sit procul ebrietas, carnisque voluptas.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciarum, lib. II, v. 9785-9810. *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amari sunt animo.*

Vinum vulneribus putribus suffunditur acre,
Purgando sanet vulnus ut iste liquor;
Funditur huic oleum mulcens et vulnera sanans :
Sic noster typicus Samaritanus agit.
Da siceram dulcem, da mœstis nectaris haustum :
Mœstum lætificent dulcia sumta virum.
Vulneribus putribus post hæc infundat acetum,
Mordeat et purget ut liquor iste luem.
Hæc animæ poterit ægræ medicina mederi;
Dicitur hoc animæ et corporis esse salus.
Spes lapsos reparat; compunctio vina ministrat :
Dulcia qui gustat, discat amara pati.
Ægris subjunctis infundat utrumque liquorem,
Dogmata qui pariter dicit idemque facit.
Cordibus infirmis, mitis doctor, medicinam
Da mitem, timidus ut relevetur homo.
Ægris corporibus, animabus sive mederi
Qui scit, vel qui vult, utraque cura datur :
Ne fragilem frangat mala desperatio mentem,
Vel justus merito turgeat ipse suo.
Vinum sic animo da, sancte magister, amaro,
Ut desperatus lætificetur homo.
Da dulcem potum siceræ, doctorque dolenti,
Ebria corda pio sint ut amore Dei.
Cœlestem siceram vinumque virens tua nobis,
O Salomon cœli, det paradisus. Amen.

CXIV.

1. Calix, passio Christi : ÷ « Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum [1] ? » ÷ In Evangelio : « Potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum [2] ? »

2. Scriptura [3] : ÷ « Et calix tuus quam præclarus [4] ! »

3. Tribulatio præsens [5] : « Accipe calicem istum, et dabis ex eo bibere ad omnes gentes [6]. » ÷ Elevare, elevare, consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. Ecce tuli de manu tua calicem [7].

4. Supplicium reproborum [8] : « Ignis et sulfur et spiritus procellarum, pars calicis eorum [9]. » ÷ « Quia calix in manu Domini, plenus ex hoc in hoc [10]. Gaude et lætare, filia Edom, ad te quoque perveniet calix [11]. »

÷ 5. Sanguis Christi : « Hic calix novum testamentum est in meo sanguine [12]. »

÷ 6. Passiones martyrum : « Calicem quidem meum bibetis [13]. »

÷ 7. Consolatio spiritus, *ubi supra.*

÷ 8. Philosophia, vel scientia mundi, vel deceptio dæmonis : « Calix aureus Babylonis [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 22; ed. II, col. 760 ad 1.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XVI, c. 3, p. 645.

Rabanus. Calix, passio Christi, ut : « Calicem q. d. m. » — Sancta Scriptura, ut : « Calix m. i. » — Judicium Dei, ut : « Calix in manu Domini. » — Tribulatio, ut :

(1) *Illum.* Joan. XVIII, 11. — (2) *Sum.* Matt. XX 22. — (3) *Sacra Scriptura, id est duo testamenta, ut quidam volunt, sicut* B-G. — (4) *Præclarus.* Ps. XXII, 5. — (5) *Tribulatio vitæ præsentis et vindicta in omnes gentes. In Jeremia* B-G. — (6) *Gentes.* Jerem. XXV, 15. — (7) *Calicem.* Is. LI, 17, 21. — (8) *Supplicia peccatorum. In psalmo* B-G. — (9) *Eorum.* Ps. X, 7. — (10) *Hoc.* Ps. LXXIV, 9. — (11) *Calix.* Thren. IV, 21. — (12) *Sanguine.* I Cor. XI, 25. — (13) *Bibetis.* Matt. XX, 23. — (14) *Babylonis.* Jerem. LVI, 7.

— Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei [1]. — Passio martyrum, ut : « Calicem salutaris accipiam [2]. — Voluptas mundi, ut : « Calix aureus Babylonis. »

Petrus Cantor. Calix dicitur vel passio secundum Isidorum, unde : « Calicem salutaris accipiam, » id est passionem, quo dicitur calix a simili, quia placita passio est. — Dicitur et calix, quia sub mensura bibitur. Unde : « Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis [3]. » De quo calice dicitur ad discipulos : « Potestis bibere calicem q. e. b. s. » — Salutaris, quia in æternam salutem propinatur. — Vel salutaris, id est Jesus, qui prior passus est, et dat imitari suas passiones, et ideo « pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus [4]. » — Vel dicitur proprie scyphus, cum quo vinum mensuratur. Illum ergo calicem recepit Christus, quia ad mensuram in triduo jacuit in sepulcro. — Et calix dicitur confessionis, quem bibunt sancti; unde et tres pueri in camino ignis. Sicut Marcus dicit ibi : « Calicem quem ego bibo, bibetis? » Alii tamen calicem et baptismum pro eodem accipiunt, sed pro martyrio.

Distinctiones monasticæ. lib. I, *de Calice* [5]. Calix designat passionem, ut ibi : « Calicem quem dedit, etc. — Calix significat jucunditatem vel bonam, vel malam, ut ibi : « Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum [6], » id est, non potestis delectari in his quibus delectatur Deus, et in his quibus delectatur diabolus. — Calix significat sanctam Scripturam, ut ibi : « Calix meus i. q. p. e. ; » id est, sacra Scriptura, bonos auditores terrena oblivisci faciens, omnibus aliis doctrinis purior et honestior est. — Calix est Dominici sanguinis sacramentum; unde Apostolus : « Calix cui benedicimus, nonne participatio sanguinis Domini est [7]? » — Calix divini judicii designat examen, in quo nihil fit sine mensura; de quo dicitur in psalmo : « Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. » In hoc calice est vinum merum, id est pura et imperturbata justitia, reddens unicuique secundum opera sua, bonis bona, malis mala retribuens. Et tamen hic calix plenus est mixto, id est misericordia, quæ in omni Dei judicio miscetur justitiæ. Nam et reprobos Deus citra meritum punit, et electos ultra meritum glorificat. Unde Apostolus : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelatur in nobis [8]. » — Calix mundi hujus gloriam designat, quæ multum suos amatores delectat; unde est illud propheticum : « Calix aureus Babylon, etc. » — Calix potest dici bonus prædicator, qui auditores bonos Dei amore inebriat. In hoc calice est vinum merum, id est pura et sine erroris face doctrina. Et hic calix plenus est mixto, id est scientia veteris legis et novæ : « Omnis enim scriba doctus in regno cœlorum, » id est in Ecclesia, « similis homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera [9]. »

Calix, Calicis, media producta, nomen est castri [10]; siti in territorio Lemovicensi, in cujus obsidione Richardus, rex Anglorum potentissimus, telo balistæ vulneratus, inter paucos dies interiit. Quem casum magister Walterus Maph facetissimis expressit verbis et versibus, dicens :

Christe, tui calicis prædo fit præda Calicis;
Ære brevi rejicis, qui tulit æra crucis.

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 18.

Calix

Scripturæ sacræ.	Judiciariæ potestatis.
Tolerantiæ.	Gehennalis pœnæ.

Laurentius Dunelmensis.

Hypomnestici lib. IX.

Qualiter oblationes antiquas offerimus.

Auri præbet opes sapientia; sermo salubris,

(1) *Mei.* Ps. XV, 5. — (2) *Accipiam.* Ps. CXV, 13. — (3) *Potestis.* I Cor. X, 13. — (4) *Ejus.* Ps. CXV, 5. — (5) *De calice.* Hæc leviora præmittuntur : « Calix a calida potione nomen accipit. Est autem calix continens et contentum. Continens ut ubi : *Nam vos pharisæi quod deforis est mundatis calicis et catini.* Contentum, ut ibi, licet allegorice dictum sit : *Calicem ineum bibetis.* » — (6) *Dæmoniorum.* I Cor. X, 21. — (7) *Est.* I Cor. X, 16. — (8) *Nobis.* Rom. VIII, 18. — (9) *Vetera.* Matt. XIII, 51. — (10) *Castri.* Hodie *Chaluz.* De eo quod sequitur cf. Lingard, *Hist. Britann.* c. XIII sub finem, ad a. 1199.

Argenti ; pietas præbet opes olei.
Purpura, martyrii ; duplicis quoque coctus amoris
Munditiam byssus signat in Ecclesia.
Qui cor ad alta levat, hyacinthina munera præbet;
Flens sua probra pilos sic dat in æde capræ.
Famæ vero bonæ thus hic et aroma feruntur;
Dantur et a solido pectore ligna setim.
Et vice gemmarum, virtus; constantia vero
In clibano cocti jam vice panis adest.
Hic oleo sparsus fermenta tumentia nescit,
Si pietas lenit, dura nec inde timet.
Sed quid necto moras? In lege litata litamus
Et data præterito tempore dona damus.
Sed melius, sed commodius, sed honestius illa
Nos damus : ore damus, mente manuque damus.
Munere dona damus carnalia ; spirituali
Dat renovatus homo prisca tenore novo.
Purpura grata datur, protomartyr vir lapidatus...
Purpura diversis tinguitur ista locis.
Mundi Roma caput multam dedit : omnia Romæ
Tecta, theatra, forum, terra cruore madent.
Quin seges est ubi Roma fuit, resecandaque falce
Luxuriat vario sanguine pinguis humus.
India, Parthia, Media, Græcia, Gallia, Pontus
Undique martyrii tincta cruore rubent.
Et quid multarum fecunda Britannia rerum,
Insula dives opum, martyribusne vacat?
Non vacat, etc.

APPENDIX AD CAPUT VII.

PHYSIOLOGI VETERES

DE HERBARUM VIRTUTIBUS ET PROPRIETATIBUS.

I.

INTER ETHNICOS.

I. Æmilius Macer [1].
II. Andreas [2].
III. Apuleius [3].
IV. Aristoteles [4].
V. Aristander [5].
VI. Asclepius [6].
VII. Bion [7].
VIII. Chiron [8].
IX. Dalión [9].
X. Dardanus [10].
XI. Democritus [11].
XII. Dioscorides [12].
XIII. Mercurius [13].
XIV. Mithridates [14].
XV. Nicander [15].
XVI. Osthanes [16].
XVII. Pseudo-Apuleius [17].
XVIII. Soranus [18].
XIX. Serotinus [19].
XX. Turranius [20].

(1) *Macer.* Virgilii amicus, Ovidio notus ex *Tristib.* IV, 10, v. 54, scripsit *de Virtutibus herbarum, de Serpentibus et Volucribus*, quæ ætatem non tulerunt, nisi forte excipias versus duos apud Isidorum, in *Etymol.* lib. XII, 4, n. 24, cf. Plin. *Hist. natur.* lib. IX, X, XI, XVIII. Fabric. *Bibl. lat.* t. II, p. 210. Longe ab illo diversus Pseudo-Macer sequioris ævi, sæpe typis excusus. — (2) *Andreas.* Apud Apuleium, ut plerique cæteri, cap. 67, 68, 69. — (3) *Apuleius.* Cujus exstat opus insigne *de Herbis*, sive *de Nominibus ac Virtutibus herbarum.* Cf. Fabric. *Bibl. lat.* t. III, p. 42-57. Idem exorsus erat libros *de Remediis salutaribus* inscriptos; eumdem *de Arboribus* etiam laudat Servius. Cf. Fabric. p. 43. — (4) *Aristoteles.* In libro *de Vegetabilibus*, ut passim apud Vincent. Bellovac. *Specul. natur.* l. X-XV, vel *de Plantis*, ut inter spuria *Opera* t. IV, p. 488, ed. Paris. 1654. — (5) *Aristander.* Laudatur *de Portentis arborum* apud Plin. *Hist. nat.* XVII, 25. — (6) *Asclepius.* Ib. cap. 3, 35. — (7) *Bion.* Qui περὶ δυνάμεων, sive *de Herbarum viribus*, Plin. XXVIII. 15. — (8) *Chiron.* Apul. c. 35. — (9) *Dalion, Herbarius*, apud Plin. XX, 17, XXI, XXVIII. — (10) *Dardanus.* Apul. cap. 7, 16. — (11) *Democritus.* Ib. c. 59. — (12) *Dioscorides.* Fabric. *Bibl. gr.* — (13) *Mercurius.* Apul. cap. 48, 72. — (14) *Mithridates.* Ib. c. 65. — (15) *Nicander.* Ib. c. 122. — (16) *Osthanes.* Ib. cap. 4, 15, 17, 41, 49, 90, 92. — (17) *Pseudo-Apuleius*, seu *liber de Medicamentis vel viribus herbarum, quem a Chirone centauro, præceptore Achillis, et Æsculapio accepit auctor.* Fabric. l. l. 44. Idem, ut videtur, *Æsculapius* inscribitur in Vincent. Bellov. — (18) *Soranus.* Apul. cap. 79, 109. — (19) *Serotinus.* Ib. c. 100. — (20) *Turranius.* Plin. l. l. XVIII, 15, ipse laudandus, cum aliis a se adductis, Aristomacho, Moschione, Sabino, etc.

II.

INTER JUDÆOS ET ORIENTALES.

I. Enoch patriarcha.

Tractatus magicus de XV *stellis, de* XV *Herbis, de* XV *lapidibus pretiosis et de* XV *figuris ipsis lapidibus sculpendis* [1].

II. R. Moyses [2].

III. R. jehuda, filius Josephi.

De Botro [3].

IV. R. Joseph, filius Issachar.

De Uva Cananæa [4].

V. Anonymus Arabicus.

Paradisus intellectualis [5].

III.

INTER CHRISTIANOS.

I. S. Hilarius.

Sermo de arbore in qua erat notitia boni et mali [6].

II. S. Ambrosius.

De Paradiso, lib. II [7].

III. S. Ephrem.

De Paradiso Eden sermones XII [8].

IV. Moses Bar-Cepha.

De Paradiso [9].

V. Joannes Geometra.

Paradisus tetrastichorum moralium et piorum [10].

VI. Philippus Solitarius.

De Paradiso intellectuali, et de plantis atque fructibus quæ ibi conspiciuntur [11].

VII. Herradis abbatissa.

Hortus deliciarum [12].

VIII. Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciarum Salomonis [13].

IX. Odo sive Odobonus.

De virtutibus herbarum [14].

X. Joannes Wethamstede sive Frumentarius [15].

Granarium de granis typicis. — *Manipularium doctorum.* — *Palearium poetarum.* — *Fabularium.*

XI. Judocus Beysselius.

De Rosacea Augustissimæ Mariæ corona [16] — *Rosacea tria coronamenta in ho-*

(1) *Sculpendis.* Cod. Harleian. 1612 in *Museo britannic.* — (2) *Moyses.* Passim apud Vincent. Bellovac. *Spec. natur.* lib. x. — (3) *Botro.* Wolf. *Biblioth. hebr.* t. III. — (4) *Cananæa.* Ib. — (5) *Intellectualis.* Cujus magna apud Orientales fama, ut fert *Catalogus Bibl. Imper.* Paris. t. I, ad *Cod. arab.* LXXV. — (6) *Mali.* Sic enim inscribitur præclarum ex ejusdem commentario in Genesim fragmentum, in primo *Spicilegii* tomo, p. 159, ibi primum editum. — (7) *De Paradiso.* Ambros. *Opp.* t. I, p. 146. — (8) *Serm. XII*, t. VII *Opp.* syriac. p. 562. — (9) *Paradiso.* In *Bibl. PP.* Lugdun. t. XVII, p. 457. Cf. Cod. Arund. DXX. Nolim his accedant varia eodem fere titulo Viridarii, λειμωναρίου, παραδεισίου πατέρων inscripta, quæ potius ascetici aut historici argumenti sunt. — (10) *Piorum.* Ibid. t. XXVII, 478. Collectanea ascetica sunt, nec nisi leviter symbolica. — (11) *Conspiciuntur.* Ibid. t. XXI, p. 553, ad calcem *Dioptiæ*, sive *Regulæ Christianæ, ad Callinicum.* Ultima hujus operis capita in variis codicibus occurrunt auctoris nomine destituta et titulo insignita peculiari, quem descripsimus ex codd. Parisiens. — (12) *Deliciarum.* Vide quæ supra p. 190, et *Prolegom.*, ubi laudatur recensio cujusdam Carthusiensis, cod. Argent. 54, inscripta : *Hortus deliciarum, ex diversis sacræ Scripturæ floribus, qui caput Christi sponsi et sponsæ ejus Ecclesiæ cingunt et ornant consitus, per Herradem virginem et abbatissam cœnobii sancti monialium in monte S. Ottiliæ, a° S. N.* 1180 ; *sed renovatus et in planiorem ordinem redactus, quibusdam minus necessariis hinc inde evulsis et eradicatis, per infimum carthusianæ familiæ fratrem, a°* 1695. Hunc codicem sub prælis D. Migne sudare etiam nunc audio. — (13) *Salomonis.* Vide supra p. 9, et alteram hujus operis partem ac utriusque voluminis *Proleg.* — (14) *Herbarum.* Cod. Arundel. 283 in *Mus. britann.* — (15) *Frumentarius*, vel *de loco frumenti.* Monachus et Abbas Sancti Albani, † 1440. De quo cf. Fabric. *Bibl. lat. med. et inf.* et codd. Harleian. 11 et Arundel. 391. Lelong. *Biblioth. sacr.* p. 1017. — (16) *Corona.* Super tribus Judoci Beysselii operibus. cs. Hain. *Repertor.* n. 2746, 3026, 3027.

norem Annæ, Mariæ et Jesu. — Corona et Rosaceum de SS. altaris Sacramento.

XII. Joannes Baptista de Ferrario.

Hortus deliciarum [1].

XIII. Herbarius [2].

XIV. Anonymus Bruxellensis.

Flores Paradisi [3].

XV. Anonymus Taurinensis.

Polyanthea mystica [4].

XVI. Anonymi Parisienses.

Hortus deliciarum [5]. — *De arboribus* [6] *plantis et mineralibus. — Naturæ arborum, avium et animalium — Flores Paradisi.*

XVII. Anonymus Florentinus.

Πρακτικῆς πολιτείας ἀκροθιγεῖς ὑποθῆκαι, σωματοπεποιημέναι θεωρητικῶς εἰς Παραδείσιον [8].

XVIII. Anonymus Harleianus.

Παράδεισος πνευματικὸς, ἢ θεῖα ἐναυγάσματα πύλην ἔχοντα τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον καὶ κλεῖν, δι' ἧς ἡ πύλη ἀνοίγεται καὶ ὁρᾶται τὰ ἐν παραδείσῳ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἰς διπλᾶς ὁράσεις ἀνάγον μυστικῶς, γενικῶς τοῦ Πνεύματος θεωρητικόν [8].

XIX. Anonymus Arundelianus.

Expositio XII *ramorum ligni vitæ* [9].

XX. Anonymus Armenus.

De duobus hortis voluptatis, quorum unus in cœlis, alter in cœlo [10].

XXI-XXII. Hugo sancti Victoris et S. Bonaventura.

Arbor de vitiis et virtutibus [11].

IV.

INTER RECENTIORES [12],

Isidorus Bareira S. J [13].
Olaus Celsius [14].
Levinus Lemnius [15].
Joannes Meursius [16].
Ludovicus Rumetius [17].
Guillelmus Sarcerius [18].
Joann. Henric. Ursinus [19].
Chr. Iken [20].

(1) *Deliciarum*, sive *Meditationes in Ps.* XVII, cod. Paris. lat. 3387. — (2) *Herbarius*. Passim in *Spec. natur.* Vincent. Bellov. lib. X. — 3) *Paradisi*. Cod. Bruxell. 20030, sæc. XIII. Præter proœmium, quod e re nostra est, cætera sunt ex variis collectanea, uti innumera ejusdem modi florilegia, quæ longius ab argumento nostro abeunt. Distinguere placuit sequentes anonymos cognomine desumto e bibliothecis in quibus asservantur. — (4) *Mystica*. Cod. Taurin lat. CXXXIX. — (5) *Deliciarum*. In codice S. Vict. 224.—(6) *Arboribus*. Sequentes anonymi ad manum erant in codd. Sorb. 297, 560, 951. — (7) Παραδείσιον. Cod. Bibl. Laurent PL. X, C. III.—(8) Θεωρητικόν. Cod. Harleian. DXX. Cf. cum num. præcedenti XVII. — (9) *Vitæ*. Cod. Arundel. 507. — (10) *Cœlo*. Cod. Armen. Paris. 92.— (11) *Virtutibus*. Hic desiderari non debuit schema duplex arboraceum, cum ascetico commentario inter Hugon. *Opp.* t. II, p. 254, et D. Bonav. *Supplem* t. III, p. 253. — (12) *Recentiores*. Nonnullos de more nostro, nomine saltem, designabimus, quibus addenda *Phytologia sacra, seu tractatus moralis de plantis sanctæ Scripturæ*, gallice, 8° Andegavi, 1664. — (13) *Bareira*. S. J. *Tractatus de significatione plantarum, florum et fructuum quæ memorantur in sacra Scriptura*, hispanice, Olyssipone, 1622, 4°. — (14) *Celsius*. Is eruditi S. Bocharti consilium disserendi de hierobotanico, morte ipsius interceptum, rei licet prorsus impar, perficiendum assumsit. — (15) *Lemnius*. Edidit 1° *Explicationem parabolarum desumtarum ex herbis quæ in sacris litteris exstant*. Antwerp., 1565, 8°. — 2° *De plantis et arboribus quæ in sacris Bibliis occurrunt*. Exstant edit. sex, quarum prima Antwerp., 1568; alia gallice, Paris, 1577, in-12; alia anglice, Oxoniæ, 1587, 8°. — (16) *Meursius* lutheran. Exstat *Arboretum sacrum, sive de arborum, fruticum, herbarum consecratione, proprietate, usu et qualitate*. Ultraj., 1672, 8°. — (17) *Rumetius*. Scripsit *Viridarium litterale et mysticum in* III libr. et LX *arboreta digestum, de frugiferis arboribus, infrugiferis et aromaticis*. Paris., 1626. 8°. — (18) *Sarcerius*. E grege Lutheri, auctor *Herbarii spiritualis, in quo omnes commemorantur plantæ quarum in sacris Litteris mentio fit, et quomodo considerandæ sint exponitur*, germanice, Francof., 1573. — (19) *Ursinus*. Ex eadem familia, cui inter plura debentur, 1° *Arboretum biblicum, in quo arbores et frutices passim in sacris Litteris occurrentes notis philologicis et theologicis exponuntur*. Norimb., 1663, 8°. — 2° *Continuatio Historiæ plantarum biblicæ, sive de sacra Phytologia herbarius sacer, Hortus aromaticus*, ib. 1663, 1665, 1672, 1685, 1699, 2 vol. — (20) C Iken, *de Lilio Saronitica*. Brem. 1728. Exstant multæ hujusmodi dissertationes.

CAPUT VIII.

DE AVIBUS [1].

I.

1. Avis, Christus [2] : « Viam ignoravit avis [3]. »

2. Diabolus : « Numquid illudes ei quasi avi [4] ? »

3. Judæa : « Facta est Sion, quasi avis volans [5]. ÷ De hac plebe figuraliter in Deuteronomio præcipitur : « Si ambulaveris per viam, et in arbore, vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios [6] ; » quod de apostolis intelligitur, quia ex eadem plebe per Christum Dominum [7] assumti sunt, illa vero relicta.

4. Mens spiritualis [8] : « Et fecit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare [9]. » ÷ « Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volandum [10], » id est interior homo ad volatum.

5. Dæmones [11] : « Vulpes foveas habent, et volucres cœlis nidos [12]. » ÷ Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem ipse sequitur aves volantes [13]. In Apocalypsi : « Omnes aves, quæ volatis per medium cœlum, venite ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum [14], etc. » ÷ Item, pro semine verbi : « Et volucres cœli comederunt illud [15]. »

6. Superbæ mentes [16] : « Oves et boves universas et pecora campi ; volucres cœli et pisces maris [17]. »

÷ 7. Homines : « De volucribus autem mundis et immundis [18]. »

÷ 8. Angeli, sicut in Job, pro origine Sapientiæ dicitur : « Volucribus cœli latet [19], » id est, nec ipsis angelis cognita est.

9. *Volatilia*, patres novi testamenti [20] : « Tauri mei et volatilia mea occisa sunt [21]. »

(1) De avibus. In variis codicibus locus satis aperte manet titulo vacuus : deesse tamen titulum, nihil mirum ; quæ enim veteres dixere de avibus, ea sub *Physiologi* aut *Bestiarii* nomine proferre solebant. Eucherius ipse similia congessit in suo cap. v, *de Animantibus*. — (2) *Christus Salvator ; unde in Job, pro Judæa, quæ in eum non erat creditura, dicitur* B-G. — (3) *Avis.* Job xxviii, 7. — (4) *Avi.* Job xl, 24. — (5) *Volans.* Is. xvi, 2. — (6) *Filios.* Deuteron. xxii, 6. — (7) *Pro Christo Domino* B, C, D. — (8) *Mentes spiritualium* A, alias ; *Sancti, quod ad superiora* [*ad superna evolant* D, E, G] *volant corde, in Evangelio* B-G. — (9) *Habitare.* Marc. iv, 32. — (10) *Volandum.* Job v, 7. — (11) *Volucres, Dæmones* B-G. — (12) *Nidos.* Luc. ix, 58. — (13) *Volantes.* Prov. x, 4. — (14) *Regum.* Apoc. xix, 17. — (15) *Illud.* Luc. vi, 5. — (16) *Volucres, homines superbi. In psalmo* B-G. — (17) *Maris.* Ps. viii, 9. — (18) *Immundis.* Levitic. xi, 20. — (19) *Voluceris latet* D. E. Job xxviii, 21. — (20) *Testamenti.* Habent B-G : *Apostoli, vel omnes sancti. In Evangelio.* — (21) *Occisa sunt.* Matt. xxii, 4.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus [1] apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 27.

Eucherius, ed. I, p. 12; ed. II, col. 748, 749, ad 5.

Gregorius M. Avis, Redemtor noster; unde Job de judaico populo dicit : « Semitam ignoravit avis. » Bene avis dicitur, qui corpus quod assumsit, ascendendo ad æthera, libravit. Cujus semitam perfidus populus ignoravit, quia humilitatis ejus vias considerare noluit. — Diabolus, de quo ad beatum Job a Domino dicitur : « Numquid illudes ei, quasi avis? » Avis est diabolus, qui de naturæ suæ subtilitate superbe extollitur : sed quasi avis illusus est a Domino, quando divinitatis ejus laqueum pertulit, dum humanitatis ejus escam momordit. — Mens humana, ut ibi : « Homo ad laborem, etc. » Homo, carnem; avis exprimit mentem; quia inde mens ad summa levatur, unde hic interim caro flagellis atteritur. — Avium nomine cogitationes intelliguntur; unde aves, quæ super Abrahæ sacrificium descendebant, hoc innuunt quod multoties, quum sacrificium laudis vel orationis offerimus, cogitationis incursus improbos sustinemus.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 1, p. 63.

Rabanus. Avis, Christus, ut : « Semitam ignoravit avis. » — Duritia hominis, ut : « Avis nascitur ad volandum. » — Instabilitas, ut : « Sicut avis transmigrat de loco suo [2]. » — Levitas verborum, ut : « Avis ad alta transvolat [3]. » — Superbia diaboli, ut : « Numquid illudes ei, quasi avi? » — Viri spirituales, ut : « Aves non divisit [4]. » — Spiritus malignus, ut : « Devorabunt eos, quasi aves, morsu amarissimo [5]. »

Cf. *de Universo* [6], lib. VIII, c. VI, col. 240-258.

Petrus Cantor. Avis in altum tendens, scilicet justus. Pisces et aves sunt de eadem materia; pisces, id est mali, remanent in aquis hujus sæculi; aves, id est boni, tendunt in altum. — Avis in altum manens, scilicet angelus; unde : « In secreto cubilis tui, regi non detrahas, quia aves cœli nuntiabunt ei [7]. » — Avis est prælatus; unde : « Avis in arbore sinapis nidificat, » id est prælati, in fide catholica. — Avis est rapacitatis, scilicet diabolus; unde in parabolis de semine : « Aves cœli comederunt illud [8]. » — Avis consumtionis, id est malarum cogitationum; unde Abraham a carnibus sacrificiorum abigebat aves.

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 20.

Avis

Cœlestis.	*Terrestris.*
Christus.	Philosophi superbi et
Angeli.	vagi.
Ætherea.	Tumultus malarum
	cogitationum.
Sancti.	*Tartarea.*
Anima contemplativa.	Dæmones.

Idem ad litt. VII, art. 7, *de Gallo. Quomodo Christus multarum avium nomine designatur?* Hic est avis illa, de qua ait Job : « Semitam ignoravit avis. » Nam semitam Christi circa redemtionem nostram diabolus penitus ignoravit. Hæc est aquila illa, de qua Salomon ait : « Via aquilæ in cœlo [9], » quæ via fuit ei, quando ascendit super cœlum cœli ad orientem. Hic est passer qui « invenit sibi domum, et turtur, nidum ubi reponat pullos suos [10], » quia in domo et nido Ecclesiæ ipse sanctos constituit. Hic pelicanus in solitudine, et nycticorax in domicilio, ac passer solitarius in tecto [11], quia

(1) *Physiologus.* Vide infra ad Aquilam, p. 480. — (2) *Suo.* Prov. XXVII, 8. — (3) *Transvolat.* Prov. XXVI, 2. — (4) *Divisit.* Genes. XV, 10. — (5) *Amarissimo.* Deuter. XXXII, 24. — (6) *De Universo.* Meminerit lector ibidem inveniri ex parte et juxta Eucherianas concordantias, omnes fere articulos nostros; quos sigillatim recitare deinceps longum esset. — (7) *Ei.* Eccle. X, 10. — (8) *Illud.* Matt. XIII, 14. — (9) *Cæli.* Prov. XXX, 19. — (10) *Suos.* Ps. LXXXIII, 4. — (11) *Tecto.* Ps. CI, 7, 8.

ipse solus de Virgine natus, fuit in domicilio Judæorum, et tandem fuit solitarius in tecto coeli. Hic est Herodius de quo dicitur in psalmo : « Herodii domus dux est eorum [1], » quia domus Christi, Ecclesia scilicet, sanctos ducit ad regnum. Hic est turtur, de qua dicit Salomon : « Vox turturis audita est in terra nostra [2]; » quod fuit quando Jesus aperiens os suum docebat eos, qui olim aperuerant ora prophetarum. Hæc est gallina, de qua dicitur in Evangelio : « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti [3]? » Nam et ipse materna charitate pullis suis non solum compassus, immo pro ipsis passus est. Quæ avis usque adeo compatitur pullis, ut etiam vox ejus raucescat : et ejus vox rauca facta est, propter quod dicit in Psalmo : « Raucæ factæ sunt fauces meæ [4]. » Et pullos fovet alis : et de ipso dicitur : « Sub umbra alarum tuarum protege me [5]. »

DISTINCTIONUM MONASTIC. lib. I, *de Ave*.

Ex hoc, lector, ave crebro memorare suave:
Virginis illud Ave, quod amantes liberat a væ.

Avis dicitur, quia sine via, eo quod volanti ei in latitudinem aeris, itineris sui hac vel illac non sunt termini positi vel designati. Per avem Dominus Jesus Christus Redemtor designatur, quia corpus carneum ad æthera libravit. De hac ave loquutus est beatus Job, exprobrans Synagogæ hoc modo : « Semitam ignoravit avis. » Hujus avis semitam perfida et perdita Synagoga ignoravit, quia Christum ad cœlum ascendisse non credidit; nec secretum et subtile incarnationis ejus mysterium, quo ad nos venit, intellexit, impleto in illa illo prophetico : « Nisi credideritis, non intelligetis [6]. »

Per avem designatur instabilis, secundum illud proverbium : « Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum. » Per quem locum allegorice intelligitur Ecclesia, moraliter voluntas bona. Et Petrus Riga de instabilitate et vagatione Judæorum ait [7] :

Et veluti volucres, loca per diversa vagantes,
Judæi stabilem non habuere locum.

Per avem significatur diabolus; unde Dominus de Leviathan ait : « Numquid illudes e. q. a. » Porro Dominus diabolo, quasi avi, illusit, quia ei in passione sua escam quam appeteret, ostendit, et laqueum quo teneretur, abscondit.

Per aves dæmones significantur, dicente de reprobis Moyse : « Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo. » Sunt qui aves malas interpretantur, quibus eorum interiora devorantur, qui cibo verbi divini non aluntur. Hi sunt enim qui fame consumuntur.

Per aves viri spirituales designantur, qui per hæreses et schismata non dividuntur, sicut legimus quod sanctus Abraham in sacrificio suo aves non divisit.

Per avem signatur contemplativus, utibi: « Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum, » quia contemplativi a terrenis laboribus more Mariæ vacant, et vident quam suavis est Dominus. Unde quidam ait :

Activus labor est Martha; Maria, quies.

Potest tamen hæc sententia : « Homo nascitur, etc., » intelligi de reprobis et electis; de hominibus et angelis, de corpore et spiritu.

Per aves fugitivæ voluptates corporeæ designantur; unde legitur quod Dominus pluit super Judæos voluptuosos, « sicut pulverem, carnes; et sicut arenam maris, volatilia pennata [8]. »

Per aves ingeniosi significantur, ut in Ecclesiaste : « Nescit homo finem suum, et sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo [9]. » Per pisces, hebetes; per aves, acuti ingenio designantur, quia sicut pisces sub aquis minori utuntur lumine quam aves in aere, sic minori utuntur luce scientiæ idiotæ et hebetes quam acuti et subtiles. Et de utro-

(1) *Eorum*. Ps. CIII, 17. — (2) *Nostra*. Cant. II, 12. — (3) *Noluisti*. Matt. XXIII, 37. — (4) *Meæ*. Ps. LXVIII, 4. — (5) *Me*. Ps. XV, 8. — (6) *Intelligetis*. Is. VII, 9. — (7) *Ait*. In *Aurora* locum invenire non contigit. — (8) *Pennata*. Ps. LXXVII, 27. — (9) *Malo*. Eccle. IX, 12.

que hominum genere quidam, dæmonum tentationibus decepti, pereunt subito et improvise, quod est capi hamo vel laqueo.

Item per aves boni angeli designantur, ut ibi : « In cogitatione tua, etc. » Per hæc verba deterret nos Salomon, ne de rege regum Christo prava aliqua cogitemus, quoniam nulla latet eum cogitatio; et ne in occulto de quodam sanctorum mala verba proferamus, qui vere divites sunt, quia veris abundant divitiis. Solæ autem divitiæ sunt, sicut ait beatus Gregorius[1], quæ nos divites virtutibus faciunt. Et quid mirum, si de virtutibus et virtuosis vir Deo plenus vera sensit et dixit, quando etiam gentilis philosophus de eis tam egregie loquutus est? Ait enim Tullius, in libro qui dicitur[2] :..... Multorum in terra prædiorum dominos divites vocamus. Omnium virtutum possessores pauperes appellabimus? — Subnectit Salomon terrorem, qui nos de sanctis indigna cohibeat diceus : « Quoniam aves cœli portabunt vocem tuam; » quia boni angeli delatores sunt verborum, quæ in sanctorum injuriam occulte proferuntur. Pennas vero angeli habere dicuntur, propter agilitatem et cæteras naturæ suæ potentias, hominibus non concessas.

Per aves designantur superbi, ut ibi : « Ubi sunt principes gentium, qui dominantur super bestias terræ, qui in avibus cœli ludunt[3], etc. »

Per aves significantur perfecte pœnitentes, vel certe omnes qui fervido affectu et celeri actu vitia et vitiorum occasiones deserunt, et ad virtutes et occasiones virtutum se transferunt, juxta illud propheticum : « Avolaverunt quasi aves ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum[4]. » Ægyptus interpretatur Tenebræ, et significat perfidi et perniciosi erroris vel cujuslibet crassæ ignorantiæ caliginem, seu majorum vitiorum errorem. Assyria interpretatur Elatio. Terra Assyriorum est populus subjectus dominio dæmoniorum. Felix qui hanc terram, sicut avis, deserit; id est, qui in sublimi conversatione perseverans, terrenas sordes non tangit; id est, nec mala magna facit, nec facientibus consentit.

Per avem significatur hypocrita, cum adjectione tamen; unde Dominus per Jeremiam : « Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis picta per totum[5]? » Avis discolor hypocrita est, quia quod non est, simulat, dissimulatque quod est. Discolor est, qui hominibus nitet, et Deo sordet; cujus honestus est gestus, et inhonestus affectus.

Auri nobilitas luteam si vestiat ollam,
Non ideo sequitur hanc minus esse lutum.

Pictura exteriora colorat, interiora non penetrat; unde per avem pictam recte designatur hypocrita, quia omnis gloria ejus est a foris, id est in apparentia et non-existentia. Hypocritæ enim Herodiani sunt, quia Herodes interpretatur Pellis gloria.

Et nota quod per *aves mundas* significantur homines justi; per *immundas* vero flagitiosi et scelerati.

Nam per *columbas*, quæ felle carent et gregatim volant, significantur innocentes et vitæ socialis ac pacis amatores.

Per *palumbes* autem, quia lumbis parcunt, ita vocatæ sunt, secundum illud :

Quæ parcunt lumbis, has dicimus esse palumbes;

significantur conjugati licitis amplexibus temperate utentes.

Per *turtures*, quæ secundas nuptias spernunt, continentes.

Per *gallinas*, quæ scorpiones concidunt, sancti doctores, qui hæreticos damnant, et hæreses necant.

Per *alaudas*, quæ a laude nomen accipiunt, secundum illud :

Quod gerit ore melos, Ormela[6] vocatur;
[Alauda] quod sit avis laude plena, sonare potest;

significantur viri spirituales, qui psalmis, hymnis et canticis spiritualibus creatorem suum laudare delectantur.

(1) *Gregorius*. In *Homil.* xv, et *Opp.* t. I, col. 1488. — (2) *Dicitur*. Deest titulus libri in codice, nec loco vacuo supplere licuit. — (3) *Ludunt*. Baruch III, 17. — (4) *Assyriorum*. Osee XI, 11. — (5) *Totum*. Jerem. XII, 9. — (6) *Ormella*. Cod. Nec de voce, nec de etymo quidquam alibi repperi.

Porro per *corvos* figurantur immisericordes et perfidi, et voluptatum magis amatores quam fratrum, secundum illud Theodoli [1] :

Corvum et perfidiæ damnant animalia quæque,
Nuncius intellectus quia noluit esse salutis.

Per *bubones* et *noctuas*, aves lucifugas, figurantur nigromantici et cæteri malefici, qui in latebris malas artes docent et discunt, et secundum eas operantur. Nam « omnis qui male agit, odit lucem [2]. » Et si casu aliquo produntur, ab omnibus fidelibus conclamantur, sicut bubones et noctuæ a cæteris avibus. Possunt nihilominus per easdem aves figurari qui temporalium curis importune insistentes, cæcutiunt in spiritualibus : de qualibus ait Boethius [3] : Nequeunt stulti oculos, tenebris assuetos, ad perpetuæ veritatis lumen attollere; similesque sunt avibus, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat.

Per *milvos* et *vultures* fures significantur, et latrones et omnes rapaces.

Per *picas*, quæ dicuntur *picæ*, id est poeticæ, hoc est fictrices, signantur adulatores, qui loquaces esse solent et fictores, instar picæ, de qua quidam [4] ait :

Pica loquax certa dominum te voce salutat.
Si me non videas, esse negabis avem.

Per *mergulos* figurantur gulosi, ebriosi, fornicatores, adulteri, qui dulce habent aquis se immergere voluptatum.

Per *ululas*, quæ rostra in luto usque ad oculos immergentes, horribilem immittunt sonum, signantur detractores, qui dum proximorum vitia libenter commemorant, rostra sua luto commaculant.

Per *ardeas*, quæ cibum alvo commissum statim emittunt, signantur verborum Dei obliviosi et futiles ac secretorum detectores.

Per *ibim*, quæ rostro alvum purgat, signantur hi qui propria flagitia gloriando narrant. De qualibus dicit Dominus per prophetam : « Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt [5]. »

Per *hupupam*, quæ stercore humano vescitur, quod est omni stercore sordidius, illi signantur qui obscenis carnis operibus delectantur.

[*Vespestilio*?...] quæ [6] omnes in commune detestatur,

Hi sunt qui trepidant et ad omnia fulmina pallent.

Est igitur avis [7]

Supercœlestis,	*Subcœlestis*,
Christus.	Homo justus.
Cœlestis,	*Terrestris*, quilibet superbus.
Bonus angelus. Et sancta ac perfecta anima, soluta a corpore.	*Infernalis*, diabolus : a quo nos defendat qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Anonymus Trecensis. Avis, Christus ascendens. Notandum : sicut in avibus mater docet pullos volare, primum volitans ante eos, sic Christus docet nos volare ad cœlum, primo volitans ad crucem, quod parum super nos; deinde ad montem Oliveti, deinde ad cœlum. Deuter. xxxi. « Sicut aquila provocans, etc. » Si ergo pullus ejus es, vola ad eum in cruce per opera pœnitentiæ; deinde in montem Oliveti, per opera misericordiæ; deinde in cœlum, per opera contemplativa.

II. *Christus invocatus faciliter venit ad devotos.* Notandum : avis nobilis, quæ consuevit reverti in manibus domini, in prima vocatione venit ad ipsum. Spiritualiter avis nobilis est Christus; cibus quo pascitur, est sancta meditatio et devotio; quæ quum in corde hominis invenit, a tali si invocatur, statim venit, et ista est causa quare sancti patres impetrabant a Deo quidquid petebant.

III. *Baptismus dat vitam gratiæ.* Notandum : narrat Jacobus [8] Antiochensis, in *Historiis orientalibus*, quod in quibusdam arboribus generantur quædam aves ex cor-

(1) *Theodoli*. Cf. supra, p. 118. — (2) *Lucem*. Joan. III, 20. — (3) *Boethius*. In lib. *de Consol. Phil.* lib. IV, pr. 4, p. 282. — (4) *Quidam*. Martial. *Epigr.* lib. XIV, 76. — (5) *Absconderunt*. Is. III, 9. — (6) *Quæ*. Ibi plura desiderantur, ex alio codice resarcienda. — 7 *Avis*. Nihil omittentes, schema quod Capuanum refert, exaravimus. — (8) *Jacobus de Vitriaco*. Cujus opus, sæpe deinceps a nostris memoratum, vide descriptum apud Casim. Oud. t. III, p. 46. Quæ vero hic leguntur, extant in plerisque *Physiologi* editionibus.

ruptione; quæ quamdiu conjunctæ sunt arboribus, non habent vitam, sed statim quando cadunt de arbore in aquam, vitam recipiunt, efficiuntur aves volantes. Sic pueri pendentes ad viscera matris, quasi ad arborem corruptam ex peccato primorum parentum, non habent vitam gratiæ; unde Apostolus : « Omnes nascimur filii iræ[1]. » Sed quando cadunt in aquam, recipiunt vitam gratiæ, efficiuntur aves volantes ad cœlum, quia statim apertum est eis cœlum, si illa hora moriuntur.

ANONYMUS CLAREVALLENS. et BIBLIA CODIC. BELLEVALLENSIS.

Avis.

Christus.	Leves cogitationes et perversæ.
Diabolus.	
Mens humana.	Plebs judaica.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes., v. 1100-1121.

Dum promittit Abræ terram Chanaan, Deus inquit :
« Sint tibi pro signo bos, capra, duxque gregis.
« Hæc tibi trima cape, cum turture, cumque columba ;
« Quæ mihi sacrificans divide, præter aves. »
Vacca figurat eos qui legis onus grave portant.
Sponte recusantes ferre, capella notat.
Dux aries dominos designat gentis hebrææ
Rectores, summos magnificosque duces.
Qui cor habent humile, vel casto corpore degunt.
Presbyteros turtur, sive columba, notat.
Hi bene sunt trimi : Judææ namque potestas,
Per tres ætates, firma manensque fuit.
Ad David ex Abraham velut ætas prima cucurrit ;
Ad transmigrantes in Babylona sequens ;
Tertia tendit ad hunc, qui complens omnia, veros
Judæos reges rex facit esse suos.
Quæ sunt per partes divisa, notant quod agentes
Schismata divisi sunt ab amore Dei.
Integritas avium quæ parte carent, notat illos
Quos pax, quos pietas, quos ligat una fides.
Quod mala, quæ Satanas offert, expellere debes,
Ostendunt volucres quos abigebat Abram.

II.

VOLATUS, ascensus ad Deum [2], [÷ vel in Scripturis intellectus] : « Volabo, et requiescam [3]. »

III.

1. ALÆ, superbæ elationes [4] : « Quum tempus advenerit, in altum alas eriget [5]. »

÷ 2. *Alæ duæ*, duo testamenta. In Ezechiele : « Unumquodque duabus alis velabat corpus suum [6]. »

÷ 3. *Alæ duæ*, duo testamenta, ut superius, vel duo præcepta charitatis, sive duo prophetæ, qui in secundo adventu venturi, Ecclesiæ solatium erunt. In Apocalypsi : « Datæ sunt mulieri alæ duæ [7]. »

÷ 4. *Alæ sex*, prædicatio divina, per utrumque testamentum, in hoc mundo qui in sex dies factus est, annuntiata. In Isaia : « Sex alæ uni, et sex alæ alteri [8]. »

÷ 5. *Pennæ*, Scripturæ in psalmo : « Pennæ columbæ deargentatæ [9]. »

÷ 6. Animæ sanctorum, vel virtutes eorum. In psalmo : « Et volavit super pennas ventorum [10]. » Et alibi : « Si sumsero pennas meas diluculo [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 12; ed. II, p. 749 A ad II, et III, 2, 5.

GREGORIUS M. Alarum nomine duo testamenta signantur, sub quibus Ecclesiæ par-

(1) *Iræ*. Ephes. II, 3. — (2) *Sanctorum ad Dominum ascensus* B-G. — (3) *Requiescam*. Ps. LIV, 7. — (4) *Superbia, sicut in Job pro hæretico dicitur* B-G. — (5) *Eriget*. Job XXXIX, 18. — (6) *Suum*. Ezech I, 23. — (7) *Duæ*. Apoc. XII, 14. — (8) *Alteri*. Is. VI, 2. — (9) *Deargentatæ*. Ps. LXVII, 14. — (10) *Pennas ventorum*. Ps. XVII, 11. — (11) *Diluculo*. Ps. 138, 9.

vuli a diaboli incursibus proteguntur, ut in psalmo : « Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt [1]. » — Fastus et arrogantia terrenæ potentiæ, ut ibi : « Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum [2]. — Alæ duo, præcepta charitatis, sine quibus ad regni cœlestis altitudinem non volatur.

Rabanus. Alæ, misericordia Dei et veritas, ut : « Sub umbra alarum tuarum protege me [3]. » — Præcepta Domini, ut : « In protectione alarum tuarum sperabunt. » — Cogitationes viri sancti, ut : « Expandit alas suas ad austrum [4]. » — Cogitationes hypocritæ, ut : « In altum alas suas erigit. » — Cupiditas rapientium, ut : « Habebant alas, sicut milvus. » — Virtutes sanctorum, ut : « Audivi voces alarum multarum. » — Duo testamenta, ut : « In tegmine a. t. s. » — Arrogantia, ut : « Aquila magnarum alarum. »

Idem et Anonymus Clarevallensis. Pennæ, actio interior, ut : « Penna struthionis, similis pennis herodii [5]. » — Monita prophetarum, ut : « Sub pennis ejus sperabis [6]. » — Præcepta charitatis, ut : « Si sumsero pennas meas diluculo. » — Virtutes morales, ut : « Pennæ columbæ deargentatæ. » — Contemplationes, ut : « Facies eorum et pennæ extensæ [7]. »

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 23.

Alæ

Supremæ.	*Mediæ.*
Perfectio charitatis et munimen Dei.	Præcepta Dei et virtutes sanctorum.

Infimæ.

Affectus duplicis dilectionis, quo volamus ad Deum, et a proximo ad ipsum. Superbia sæcularium, et vana superstitio hypocritarum.

Alæ etiam dicuntur duo testamenta. Exodus : « Utrumque latus propitiatorii tegebant cherubim, expandentes alas [8] ; » de quibus alibi dicitur : « Ala unius tegebat alam alterius [9] ; » quia novum testamentum exponit vetus. Hæc dicuntur alæ, quia ornant, quia ad æterna nos sublevant, quia muniunt contra adversa.

Distinctiones monasticæ. lib. I, *de Alis.* Alas legimus Dei, angelorum, hominum.

Alæ Dei, in Scripturis Domini, tum duo testamenta ; tum duo præcepta charitatis ; tum misericordia et veritas ; tum misericordia et charitas, id est culpæ remissio et gratiæ collatio ; tum longanimitas et benignitas, id est patientia in exspectando peccatoris pœnitentiam, et facilitas in largiendo veniam. Unde Psalmista dicit de eo, quod « ipse est longanimis et multum misericors [10]. »

Alæ bonorum angelorum sunt naturæ subtilitas et gratiæ sublimitas. Alæ malorum angelorum, naturæ subtilitas et nocendi cupiditas.

Alæ hominum, fides et operatio, vel actio et contemplatio, seu spes et timor. Dicit quidam poeta quod timor addidit alas. Sed qui superius dixi, duas esse alas bonorum angelorum, id est duas alarum species, quid responsurus sum objicienti mihi seraphim alas senas? Sed hæc mystice et in figura visa et dicta sunt, similiter et interpretanda. Duo seraphim duo genera electorum significant, scilicet activos et contemplativos : utrumque genus sex habet alas, id est sex opera misericordiæ corporalis sive spiritualis. Senarius corporalis misericordiæ his versibus exprimitur :

Esuriens, sitiens, infirmus, nudus et hospes.
Carcere deduci, pauperis ore rogat,

Christus scilicet, qui in membris suis, quæ in hac valle miseriæ peregrinantur, esurit, sitit, infirmatur, nudatur, hospitatur, incarceratur. Senarius spiritualis misericordiæ istis assignatur in versibus :

Omittens, orans, castigans, pacificansque,
Erudiens, animans, misereri fertur egenis.

Dicitur et de oratione quod ipsa alata esse debeat. Sunt et alæ ejus, quibus volat ad cœlum, eleemosyna et jejunium. Sunt qui

1) *Sperabunt.* Ps. xxxv, 8. — (2) *Libanum.* Ezech. xvii, 3. — (3) *Me.* Ps. xvi, 8. — (4) *Austrum.* Job xxxix, 26. — (5) *Herodii.* Job xxxix, 13. — (6) *Sperabis.* Ps. xc, 14. — (7) *Extensæ.* Ezech. i, 11. — (8) *Alas.* Exod. xxxvii, 9. — (9) *Alterius.* II Paralip. iii, 11. — (10) *Misericors.* Ps. cii, 8.

senas alas seraphim senariam legum distinctionem interpretantur, id est legem naturalem, [mosaicam], propheticam, evangelicam, apostolicam, canonicam [1], etc.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Alæ.
- Misericordia Dei et veritas.
- Cogitationes sanctorum.
- Cupiditates rapacium.
- Virtutes sanctorum.
- Duo testamenta.

PETRUS et HERMANNUS.

Aurora, in Levit., v. 219-228. — *Hortus deliciar.*, lib. II, v. 5820-5837.

* Ascellas proprie volucrum fore dicimus alas;
* Brachia nascuntur hac, homo, parte tibi.
* Liber Leviticus ubi victimat iste columbas,
* Narrat in *Aurora* sic tibi, Riga Petre.
Confringes avis ascellas, nec sectio fiet;
Nullam scissuram ferrea cuspis agat.
Quæ pariunt alas, ascellis jure notatur
Contemplans virtus, cor super astra ferens.
Doctus eas frangat, ita quod deitatis honori,
Et non ascribat munera tanta sibi.
Non secet hic volucrem, nec ferro dividat illam,
Sic ut in Ecclesia schismata nulla serat.
Namque suis meritis ascribere facta, movere
Schisma peccatorum mens studiosa solet.
Et super altare Domino facies holocaustum;
Supposito lignis igne, cremabis avem.
* Sit procul a nobis Deus ista pigredo precemur,
* Quæ cor amore tuo fructificare vetat.

IV.

1. NIDUS, conscientia [2] : « In nidulo meo moriar [3]. »

2. Nidus, fides [4], vel excelsa quies contemplationis : « Et turtur nidum, ubi ponat pullos suos [5]. »

3. Vita religiosa : « In nidulo m. m. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 12; ed. II, col. 759 A ad I.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Nidus, fides, ut : « Turtur invenit sibi nidum, etc. » — Sancta conversatio, ut : « Avem cum pullis in nido cubantem [6]. » — Animus viri sancti, ut : « In arduis ponet nidum suum [7]. » — Simplicitas, ut : « In nidulo meo moriar. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIII, art. 6.

Nidus

Conscientiæ.	Vitæ æternæ.
Ecclesiæ.	Malitiæ.

In nido conscientiæ reponuntur et ordinantur pulli bonorum operum. In nido Ecclesiæ reponuntur ipsius filii. Job : « Pulli ejus ad Deum clamant [8]. » In nido vitæ æternæ reponuntur thesauri immarcescibiles. In nido levitatis atque superbiæ reponuntur ova aspidum, id est malorum consilia.

Primus nidus est in cordis arcano; secundus, in mundo; tertius, in cœlo; quartus, in inferno.

Pulli operum, extra nidum conscientiæ, conculcantur. Pulli sanctorum, id est Ecclesiæ filii, extra nidum periclitantur. Thesauri conscientiæ, repositi extra nidum cœlestis patriæ, perduntur. Ova pravorum consiliorum, deprehensa in nido malitiæ, franguntur.

ANONYMUS TRECENSIS. I. *Abjiciendum est peccatum, quia nidus est diaboli.* Avis, quando facit nidum in medio arboris floridæ, primo portat paleas et plumas; secundo ponit lutum; tertio deponit ovum; et quarto fovet ipsum, donec exeat pullus. Sic frequenter diabolus in bonis viris facit nidum peccati, primo afferendo verba dissoluta, aspectus incautos, et similia, quæ sunt quasi quædam paleæ; secundo ponit lutum de-

(1) *Canonicam.* Quæ sequuntur habes infra ad *Milvum.*—(2) *Aliter nidus, bona conscientia, in qua bonarum cogitationum fetus foventur, atque in opere pariuntur* B-G.—(3) *Moriar.* Job XXIX, 18.—(4) *Ecclesia, aut requies excelsa sanctis* B-E. *Sanctorum* G.—(5) *Suos.* Ps. LXXXIII, 4. — (6) *Cubantem.* Deuter. XXII, 6. — (7) *Suum.* Job XXXIX, 27. — (8) *Clamant*, Job XXXVIII, 41.

lectationis; tertio ovum deponit, id est consensum, quarto fovet illum consensum, donec exeat pullus mali operis, et ideo volens abjicere peccatum, debet istum mundum prius destruere, opponendo ignem charitatis, vel amoris Dei, vel timoris ignis inferni, quo omnia comburantur, et peccatum abjiciatur : remanente vero altero illorum, semper redit diabolus, sicut gallina, remanente uno ovo in nido, quantumcumque putrido, semper redit ad nidum. Ideo præcipitur Genes. XXIV : « Abjicite deos alienos [1], » id est peccata, quæ nos faciunt alienos a Deo.

II. *In cruce inventur Christus.* Notandum : AVIS non potest melius capi quam in nido, ubi cubat; unde illi qui volunt capere nobiles aves, observant arborem in qua est nidus earum, et latent sub ea, ne ab aliquo furentur ova; et tunc, tempore debito, capiunt pullos. Sic si vis Christum invenire, vel ipsum capere, observa arborem crucis, ubi fuit nidus suus, et ibi invenies eum. Sic quærebat anima sancta in Cantico : « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie [2]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Deuteron. v. 59-84.

Si ambulaveris in via, et in arbore vel in terra nidum avis inveneris, etc.

Hæc via qua pergis est hujus semita vitæ;
Hanc dilecti vens capere quisque vocat.
Nidus avis, tellure jacens, vel in arbore pendens,
Historiam signat, quæ duo pussa tenet
Nidi lenaio recubans activæ missio vitæ;
Nidus in arbore stans est speculantis opus.
Ova parens, pullosque fovens, est littera simplex,
In se vim sensus spiritualis alens.
Dum quædam plane loquitur, profert quasi pullos;
Dum quædam in speculo disserit, ova fovet.
Non tenetas matrem, sed eam patiaris abire,
Pullos captivos absque parente tenens :
Littera quippe jacens debet quandoque relinqui,
Et debes quæ sunt mystica, mente sequi.
Quum legis Ægyptum quia fraus spoliavit Hebræi
Argento, vasis, divitiisque suis :
Ex hoc verborum nido debet removeri
Mater; sed proles est retinenda tibi.
Est tibi sensus in his quærendus mysticus : illud
Quid notet argentum, vasa quid illa notent.
Argentum, linguas; doctrinam vasa figurant
Aurea; mundani talia sæpe gerunt.
Hoc ex Ægypto præsenti diripe, quando
Videris ad mores ista valere bonos.
Tempore sic longo tibi vita datur, quia sensus
Mysticus æternos dat sine fine dies.

V.

1. OVUM, spes : ÷ « Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem [3]? »

2. Fides [4] : « Aut quis ex vobis, patrem si petierit ovum, etc. »

3. *Ova*, prava consilia [5] : « Qui comederit de ovis eorum, morietur [6]. »

÷ 4. Hæreticorum discipuli. In Job : « Relinquet ova sua in terra [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. II, p. 760 A, ad 1.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENS. Ovum, spes, ut : « Aut si petierit ovum. » — Subjecti, ut : « Quæ derelinquit in terra ova sua. » — Consilia dæmonum, ut : « Qui comederit de ovis ejus. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XV, art. 7. Ovum dicitur spes [*ut supra*]. — Proles adhuc tenera. Job : « Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris, quæ dereliquit in terra ova sua. » — Ova etiam dicuntur consilia et machinamenta malorum. Isaias : « Ova aspidum ruperunt [8]. »

Ex primo ovo prodeunt pulli retributio-

(1) *Alienos.* Genes. XXXV, 2. — (2) *Meridie.* Cant. I, 6. — (3) *Scorpionem.* Luc. XI, 12. — (4) *Fides, ut quidam volunt. In Evangelio : aut quis* B-G. — (5) *Item ova, prædicatio eorum, id est hæreticorum. In Isaia.* — (6) *Morietur.* Is. LIX, 5. — (7) *Terra.* Job XXXIX, 14. — (8) *Ruperunt.* Is. l. l.

nis. Ex secundo ovo prodeunt interdum pulli confusionis. Ex tertiis ovis prodeunt pulli persequutionum. Nonne ex hujusmodi ovis processerunt pulli persequutionis, quando collegerunt pontifices et pharisæi concilium, ut Jesum dolo tenerent et occiderent?

De gratia novi Testamenti
lib. I, v. 545-548.

Respondit scribæ dicenti : « Christe, sequar te. »
« Sunt vulpis foveæ, nidi sunt alitis in te,
« Quippe dolus multus te possidet, esque superbus.
« Virginis ai nato non jam caput est ubi ponat
« In te ; nam simplex, humilisque mihi requies est. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 1426-1429.

Scorpius an dabitur, ovum si postulet iste ?
Extremum Lucæ [1] : lucida verba sonant ;
Sanctus amor, panis; ovum spes est animalis,
Spem signat ; debes pisce notare fidem.

VI.

1. Pulli, sancti : « Et turtur, nidum, ubi reponat pullos suos [2]. Pullis corvorum invocantibus eum [3]. »

2. Dæmones : « Comedent eum filii aquilæ [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 12, ad 1; ed. II, col. 796 ad 1, 2.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Pulli, gentilitas, ut : « Invenies asinam et pullum [5]. » — Apostoli, ut : « Quando pulli ejus ad eum clamabunt [6]. » — Homines de gentibus, ut : « Et pullis c. i. e. » — Auditores, ut : « Et pulli ejus lambunt sanguinem [7]. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 8. Pulli fidelis animæ sunt opera bona. Pulli Ecclesiæ sunt populi gentilium. Job : « Pulli ejus lambunt sanguinem, » id est Christi passionem. Pulli Synagogæ sunt incredulí Judæi.

Opera autem bona dicuntur pulli, propter originem, quia, sicut pulli ex ovo, sic opera procedunt ex ovis spei. — Propter modicitatem. Nonne modica, immo nulla aspiciebat opera nostra, ille qui dicebat : « Justitia nostra, pannus menstruatæ [8] ? » — Et propter necessitatem; quia sicut pulli, sic et opera sine alterius auxilio foveri non possunt. Nonne peribant discipuli, sine auxilio Christi, quum dicebant : Domine, salva nos, perimus [9] ? Et Petrus mergebatur, nisi divina gratia eum erexisset.

Anonymus Trecensis. *Religiosi pauperes non cognoscuntur a divitibus parentibus.* Notandum : Isidorus dicit [10] : Quamdiu pulli pavonis sunt infra testam ovi, pavo persequitur eos, et rumpit ova, si inveniantur ab ipso. Sed quando exeunt testam, et pavo videt eos similes in plumis, tunc eis gaudet, et eis associat. Sic sæculares amici non cognoscunt filios suos latentes in testa religionis : si autem contigerit eos exaltari, et promoveri ad aliquod beneficium, et habere plumas divitiarum, tunc optime cognoscuntur, et inveniunt multos amicos.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 8489-8496.

Pullos aut ova quæ fovit tempore longo,
Sæpe relinquit avis, quæ rapiuntur ei.
Huic est par aliquis homo, qui, virtute relicta
Quam pridem fovit, nunc bona facta fugit.
Dæmonibus nidum pullos virtutis et ova,
Dum ruit ad vitia, diripienda dedit.
Non habet hic ales nidum Salomonis in horto :
Semper tartarea nam super ova cubat.

(1) *Lucæ*. Scilicet XI, 12. Hinc corrige notam 1, p. 332. — (2) *Suos*. Ps. LXXXIII, 4. — (3) *Eum*. Ps. CXLVI, 9. Addunt B-G : *Id est fideles de infidelibus gentibus.* — (4) *Filiæ aquilæ* E. Ps. XXX, 17. — (5) *Pullum*. Matt. XXI, 2. — (6) *Clamabunt*. Job XXXVIII, 41. — (7) *Sanguinem*. Job XXXIX, 30. — (8) *Menstruatæ*. Is. LXIV, 6. — (9) *Perimus*. Matt. VII, 25. — (10) *Dicit*. *Etymolog.* lib.

VII.

1. Aquila, Christus : ÷ « Sicut aquila provocans ad volandum. » ÷ « Sicut aquila protegit nidum suum, suscepit eos [1]. »

2. Electi [2] : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila [3] ? Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ [4]. »

3. Diabolus [5] : « Et ecce aquila una grandis [6]. » ÷ « Comedent eum filii aquilæ [7]. Velociores fuerunt persequutores ejus aquilis cœli [8]. »

÷ 4. Joannes evangelista : « Quartum animal simile aquilæ [9]. »

÷ 5. Divinitas Filii Dei : « Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, etc [10]. »

÷ 6. Dignitas humanæ conditionis : « Dies mei transierunt, sicut aquila volans ad escam [11]. »

÷ 7. Terrena potestas : « Dilata, sicut aquila, calvitium tuum [12]. »

÷ 8. Gens impia, vel civitas in aliorum deprædatione decurrens, ubi et supra, et contra Samariam per Michæam dicitur.

9. *Pulli aquilæ*, sancti [13] : « Pulli aquilæ sanguinem lingent [14], » id est sacramenta passionis Domini.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus [15] apud *Epiphanium*, cap. 6.
— apud *Chrysostomum*, c. 30, al. 19.
— apud *Isidorum*, c. 8.
— apud *Hildefonsum*, c. 58.
— apud *Ansileubum*, fol. 6, col. 1.
— apud *Petrum Damianum*, c. 16.
— apud *Theobaldum*, c. 2.
— apud *Hugonem S. V.*, lib. I, 56.
— apud *Joannem Institorem*, 13, c. 1.

Phœbadius, *adv. Arian.*, p. 262.

Eucherius, ed. I, p. 12 ad 4, 5; ed. II, col. 749 c.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 8 et 163.

Gregorius. Aquila, terrena potestas, ut in propheta : « Aquila grandis, etc. » Quod spiritualiter de Nabuchodonosor intelligitur. — Joannes Evangelista, ut ibi : « Quartum animal s. a. v. » — Dignitas humanæ conditionis, ut ibi : « Dies nostri, etc.; » quia dignitas humanæ naturæ, unde ad ima

(1) *Eos.* Deuter. xxxii, 11, ex antiqua et vulgata vers. — (2) *Sancti* B-G. — (3) *Elevabuntur aquilæ* E. Job xxxix, 27. — (4) *Aquilæ.* Matt. xxiv, 28. — (5) *Diabolus, vel Antichristus* B-G. — (6) *Grandis.* Ezech. xvii, 3. — (7) *Aquilæ.* Prov. iii, 17. — (8) *Cœli.* Jerem. iv, 13. — (9) *Aquilæ.* Apoc. iv, 7. — (10) *Cœlo.* Prov. xxx, 19. — (11) *Escam.* Job ix, 26. — (12) *Tuum.* Mich. i, 10. — (13) *Fideles in Ecclesia. In Job* B-G. — (14) *Lingent.* Job xxxix, 30. — (15) *Physiologus.* Cujus sane vetustissimi monumenti testimonia cum Melitonianis concordantia recensere placuit, prout exstant sub variis nominibus circumlata : ea nomina dum ex ordine temporum recitamus, nolumus quidquam de auctore, qualiscumque tandem ille sit, obiter pronuntiare. Porro quæ subinde, data occasione, loca afferuntur, desumuntur sive ex *Epiphanii Physiologo* (t. II, p. 189); sive e *Chrysostomi dictis* nuper editis ab imperiali Academia Viennensi (*Archiv für Kunde Oesterreichischer Geschichts-Quellen*, 1850, t. II, p. 550), consonante cod. Paris. 2780; sive ab *Isidori Physiologo*, ut habet cod. Paris 2825, conferendus cum cod. Tolet. apud Arevalum. t. IV, p. 521; sive ex Hildefonsi libro de *Itinere deserti post baptismum* (Baluz. *Miscell.* II, p. 39); sive e *Glossario* Ansileubi, sæc. VIII, juxta cod. Paris. Sangerm. 11 et 12, haud ita pridem deflorato in Maii *Class. auct.* t. VII, p. p. 589-596; sive apud Theobaldum, inter Hildeberti *Opp.* col. 1173, sæpissime alias editum; sive e Petri Damiani *Opusc.* LII (ed. Paris. 1651, t. II, p. 350); sive ex Hugonis Sanvictorini, ut temere fertur, *Bestiario* (t. II, p. 418, ed. Rothom. 1648); sive demum apud Joannem Institorem, in *Breviloquio animi*, (B. Pez. Biblioth. Ascet. VII, p. 115); Alias necesse fuit, loco deficiente, mittere sive orientales textus, scilicet arabicum exstantem in cod. Paris. LII, armenium, infra edendum e cod. Paris. LXII, et duobus Venetis Mechitaristarum, sive varias versiones *theotiscas, saxonicas, anglo-normannicas, gallicanas veteres*, de quibus cf. appendicem ad calcem hujusce capitis et varia *Physiologi* fragmenta, quæ dare juverit in altera *Melitonianorum* parte.

capessenda deflectitur, inde subsistere in vita prohibetur. — Subtilis sanctorum intelligentia, ut in Job : « Numquid ad præceptum, etc. » Ad præceptum namque Dei aquila levatur, quum sanctorum intelligentia a terrena meditatione suspenditur. In arduis nidum ponit, dum cogitationem suam in cœlesti conversatione constituit.— Aquilarum nomine electorum animæ designantur, ut ibi : « Ubicumque fuerit, etc.; » quia nimirum ubi corpus corporaliter possidet, illic sanctorum universitas cum beatis animabus ascendet. — Maligni spiritus, ut in Jeremia : « Velociores, etc. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 2.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Aquila, Christus, ut : « Aquila provocans a. v. p. s. » —Joannes Evangelista, ut : « Facies, etc. »—Diabolus, ut : « Viam a. i. c. » — Anima sancta, ut : « Aquila ponet i. a. n. s. » — Potestas sæcularis, ut : « Aquila g. m. a. » —Animæ sanctorum, ut : « Ubicumque fuerit, etc. » — Dæmones, ut : « Velociores p. m. a. » — Dignitas nostræ conditionis, ut : « Dies meus t. s. a. » — Intelligentia sanctorum, ut : « Numquid a. p. t. e. a. »

Petrus Cantor [*vide t.* III *ad* Vitulum].

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 22.

Aquila.

Diabolus.	Prædicator.
Terrena potestas.	*Pulli.*
Sancti innovati.	
Joannes Evangelista.	Superbi.

Proprietates aquilæ adaptantur sanctis resurgentibus. Aquila, quando præ senio nimium crescente rostro gravatur, ut etiam cibum sumere non possit, sed naturaliter tunc rostrum allidit ad petram, et, deposito rostri onere, redit ad cibum, et sic omnia ei innovantur, et juvenescit : propter quod in psalmo dicitur juventutem aquilæ renovari [1]. Hæc omnia autem competunt sanctis innovatis, maxime in resurrectione. Aquila enim rex est : et sancti reges sunt, et regentes se ipsos, et actus suos disponentes. Epistola canonica : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium [2]. » Quod præcipue erit in resurrectione, quando omnes motus corporis subditi erunt regenti spiritui. Nonne reges erunt in ipsa resurrectione, quando faciet nos Deo nostro regnum? Volatus aquilæ citissimus est et velocissimus : et ipsa innovatio et resurrectio sanctorum velocissima erit. Paulus : « In momento, in ictu oculi, in novissima tuba [3]. » Aquila volatu suo conscendit ad alta : et ipsi volatu et resurrectione sua conscendunt in altum. Paulus : « Simul rapiemur cum illis, in nubibus, obviam Christo, in aera [4]. » Nonne ascendent in altum Elias et Henoch, quando audient vocem de cœlo dicentem : « Ascendite huc [5]? » Et sic dicitur in Apocalypsi : « Ascenderunt in cœlum, in nube [6]. » Aquila irreverberatis luminibus solem intuetur in rota : et ipsi sancti, qui modo per quamdam nubem interpositam supernum solem, nec rotam solis valent sustinere, et ipsi tunc clara facie, liquido intellectu, verum solem conspicient in rota divinitatis suæ. Nonne verum solem conspiciemus in rota sua, quando videbimus eum, sicuti est, in natura scilicet divinitatis suæ? Aquila, quum senio gravatur, alliso rostro ad petram, deponit vetustatem, et, assumta novitate, juvenescit : et sancti in resurrectione, allisa vetustate ad petram Christum, per ipsam petram deponent omnem pœnalitatem, sive vetustatem. Paulus : « Absorpta est mors in victoria [7]. » Hinc in veteri testamento circumcisio fiebat cultello petrino, octava die, quia scilicet in octavo die resurrectionis, per petram Christum omnis ab electis abscinditur corruptio; tunc etiam assument novitatem. Nonne, deposita vetustate, innovabuntur, quando creabit cœlos novos et terram novam, et erunt in memoria priora?

(1) *Renovari.* Ps. CII, 5.—(2) *Sacerdotium.* I Petr. II, 5. — (3) *Tuba.* I Cor. XV, 5. — (4) *Aera.* I Thessal. IV, 17.—(5) *Huc.* Apoc. XI, 11.—(6) *Nube.* Apoc. XI, 11. — (7) *Victoria.* I Cor. XV, 54.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Aquila*.

Naturas aquilæ cognoscere, non puto vile;
Cujus naturas sacras reor esse figuras
Christum, dilectum Christo, sanctos, Satanamque,
Sensus subtiles signare solet Jovis ales.

Aquila significat Christum, ut ibi : « Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, etc. » Dominus enim noster Jesus Christus discipulos suos verbo docuit et exemplo spiritualiter et feliciter volare, quod est terrena despicere et amare cœlestia. Item aquilae ætitem lapidem, resistentem venenis, et venenatis animantibus contrarium, ponit in nido suo, ne serpens ovis suis aut pullis suis possit nocere. Ita et Christus fidem catholicam posuit, quæ veneno perfidiæ et Satanæ atque angelis ejus efficaciter resistit.

De aquila legitur in Scripturis sæcularibus, quod fulmen non cadit in arborem in qua sedet; unde et ales Jovis dicitur : per quod datur intelligi, quod ira de cœlo non ferit hominem, qui Christum habet sessorem.

Aquila beatum Joannem Evangelistam significat, eodem Joanne dicente in Apocalypsi : « Et quartum animal simile aquilæ volanti. ; » quia, sicut aquila cæteris avibus et animantibus perspicacius intuetur solem, ita Joannes cæteris Evangelistis limpidius mentis oculis intuitus est Dei majestatem. Et sicut aquila cæteris avibus altius volat, ita Joannes cæteris theologis de Dei verbo sublimius tractat; unde versificator :

More volans aquilæ, verbo petit astra Joannes [1].

Aquila significat electos, ea quæ sursum sunt sapientes, ubi Christus est in dextera Dei sedens; unde ipse Christus ait in Evangelio : « Ubicumque fuerit, etc. »

Item quia aquila, postquam senuerit, juvenescit, id est renovatur, typum tenet pœnitentiæ simul et resurrectionis, quia per pœnitentiam deponitur vetustas iniquitatis; per resurrectionem, vetustas mortalitatis; unde : « Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. »

Aquila diabolum significat; unde Salomon : « Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, etc. » Utique et aliæ et aliarum avium in cœlo viæ similiter difficiles sunt, et vel vix, et nullatenus possunt discerni. Sed per aquilam voluit significari diabolum : cujus subtilitas, dum quasi spiritualium virorum corda tentando circumvolat, vix potest deprehendi. Aquilæ propter rapacitatem dæmones significant; unde Jeremias : « Velociores fuerunt persequutores nostri aquilis cœli; » id est, ipsis dæmonibus crudeliores videbantur.

Aquila significat acutos ingenio et in inquisitione rerum subtilium studiosos. Aquila enim ab acumine oculorum nomen accepit; et ipsa, sicut superius memoratum est, cæteris avibus altius volat. Unde quidam scholasticus quosdam hebetes et litteralibus studiis minus exercitatos, tendentes ad artes et nescientes partes, reprehendit his verbis :

Volat inter aquilas acies musc
Proh pudor! qui cogitant formæ statu } arum
Imitantur alios, more simi }
Et placet audire plurima, scire p

Talibus increpando dicit satyricus :

Simia contendit fraterculus esse gigantum.

Talibus consulendo dictum est :

Artes per partes, non partes disce per artes.

Et illud :

Parvis imbutus, tentabis grandia tutus.

Aquila significat nudatos vel nudandos substantiis temporalibus, vel spiritualibus; unde est illa prophetia Michææ ad Synagogam, pristina gloria sua spoliandam : « Dilata calvitium tuum, sicut aquila. »

CONCIONATOR PRÆMONSTRATENSIS, cap. VI, *Apostoli*, n. II. *Via aquilæ in cœlo*. Sap. XXX. *Nota*, quod aliquæ aves tantæ nobilitatis sunt quod captam prædam deferunt Domino.

(1) *Joannes*. Sedulius, *Carm. pasch.* lib. I, v. 378.

Spiritualiter. Christus tantæ nobilitatis fuit, ut de eo ait propheta : « Generationem ejus quis enarrabit? » Veniens de cœlo in mundum, a Patre missus, usque ad locum desertum, videlicet mundum et limbum, captam prædam importavit ad cœlum, et suo Patri imputavit.

Figura. Deuteronomii XXXII, ubi Deus aquilæ assimilatur, plebs autem Dei pullis ejus, sed, relicta multitudine populi in terra deserta et vasta solitudine, propter peccata primorum parentum; et sequitur quod aquila expandit alas suas atque portavit in humeris suis.

Moraliter. Ipse Dei Filius naturam humanam, quam diabolus dejecerat propter invidiam, et traxit in limbum, quasi in desertum, ubi non est cibus misericordiæ, neque lumen gratiæ, et de manibus diaboli, velut prædam liberans, eduxit in cœlum, Patri donavit, nosque in suum consortium glorificavit.

Unde Leo papa, in sermone *de Ascensione* [1] : Hodie non solum paradisi possessores sumus facti; sed etiam cum Christo cœlorum regna petivimus, amplius adepti per ineffabilem gratiam Christi; et quos diabolus de paradisi felicitate dejecit, Filius ad dexteram Patris collocavit.

MORALITATUM liber III, c. 1, *de Aquila.* Aquila has habet proprietates. Nam I. Ut dicunt Isidorus et Plinius [2], velut regina inter volucres obtinet principatum : significat beatam Virginem dominam et reginam esse angelorum et spirituum omnium; unde cantat Ecclesia in sequentia [3] :

> Supernæ matris gaudia :
> Illic regina virginum,
> Transcendens culmen ordinum, etc.

—II. Ut dicit Isidorus, super omnes aves altius volat, et immobili penna super aera et super maria fertur : significat beatam Virginem omnes choros angelorum bonorum transcendisse dignitate et sede, cum triumpho perfecto de mundo, carne et diabolo; unde cantat Ecclesia [4] : Exaltata est sancta Dei genitrix, super choros angelorum, ad cœlestia regna. Et iterum : Quæ hodie gloriosa cum angelis triumphas [5]. — III. Ut dicit idem, irreverberatis oculis solem contuetur in rota sua : significat beatam Virginem, fontem lucis æternæ et abyssum sapientiæ contemplari perspicue. Psalmus : « Ascendit super Cherubim [6]. » — IV. Ut dicit Plinius, inter omnes aves maxime est liberalis : nam prædam quam accepit, nisi nimia fame ardeat, sola non comedit; immo avibus eam sequentibus, quasi communem exponit : significat beatam Virginem, ad influendum dona munificentiæ, de gloria adepta, animabus omnibus, quantum ex se est, liberaliter præparatam. Bernardus, super *Missus est* [7] : Ipsam enim sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsa propitia, pervenis ad salutem. —V. Ut dicit idem [8], duos lapides pretiosos in nido suo reponit, ut pullos suos custodiat a morsu reptilium venenoso et a tonitru noxio : significat quod exemplo beatæ Virginis qui vult facere opera perfectionis, debet ponere in affectu suo, sicut fecit beata Maria, virginitatem et humilitatem et tertium, conservativum ovorum a tentationibus et periculis, sanctam orationem. — VI. Ut dicit Plinius, in aspectu et auditu ejus terrentur omnia animalia alterius speciei : significat dæmones fugari et terreri ad invocationem et memoriam beatæ Virginis et sanctorum. — VII. Ut dicit glossa, odoratum habet maximum; sentit enim transmarina cadavera : sic exemplo beatæ Mariæ, quælibet sancta et devota anima semper sentire debet fragrantiam pastuum et consolationum cœlestium [9].

(1) *De Ascensione. Opp.* t. I, col. 292, ed. Baller. — (2) *Plinius.* Supersedi a morosa detegendi fontes inquisitione, tum quia Noster fere omnia desumsit e *Speculo natur.* Vincentii Bellovac. aut e libro *de Natura rerum* Thomæ Cantipratani, tum quia nullum fere locum conceptis auctorum verbis adducit, utpote rhythmos quosdam et ὁμοιοτέλευτα, vel in soluto sermone, importune venaturus. — (3) *Sequentia.* Olim in Assumt. — (4) *Ecclesia.* In Off. Assumtion. ad laud. et vesp. in ℣. — (5) *Triumphas.* In Offic. Cisterc. — (6) *Cherubim.* Ps. XVII, 11. — (7) *Missus est. Opp.* t. I, p. II, p. 1683. — (8) *Idem.* Hæc quidem Cantipratanus accepit e Jacobo Vitriacensi, quæ nullibi comparent in Isidoro. — (9) *Cœlestium.* Novem et decem alias Aquilæ proprietates, variis de personis explicatas, in codice reliquimus.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9119-9148.

« Tres mihi difficiles res sunt, rex Israel, inquit,
« Quarta rei semper est mihi clausa via
« Quid volitans aquila, quid navis per mare currens,
« Serpens in petra. » Quid notet ista, vide.
Dicitur esse Satan coluber simul et Jovis ales :
Ista volat velox, iste venena vomit.
Subtili penna, vel veloci secat astra,
Sanctorum tentat dum pia corda Satan.
Hæc dum sanctorum cœlestia corda virorum
Tentat, sive movet, ales ad astra volat.
Dum supra petram fundatis insidiatur,
Vipera vel serpens dicitur esse Satan.
Sic Satan est aquila velox, subtilis et hostis,
Et fidei coluber, inficiendo petram.
Currens per maria ratis est hic hostis iniquus,
Per quem nequitiæ ventus et unda fremunt.
Hinc illud [1] : « Pulchræ velox ego filia silvæ,
« Curro vias longas vestigia nulla relinquens. »
Sic tacitus Satan et velox hoc per mare mundi,
Ut justos puniat insidiando volat,
Unda levis ventusque notant hostis levitatem ;
Quos rotat instabile cor, notat iste viros.
Sic graditur et sic volat hostis, navis ad instar,
Ut tamquam lucis, nescias ejus iter.
Tres res difficiles Salomon distinxit : « In istam
Omnino quartam nescio quid sit, ait.
Quæ via sit stulti juvenis, quæ corde rotatur
Instabili varia se variando vice. »
Hanc rem difficilem mundana scientia nescit,
Sed quæ cuncta videt palpebra novit eam.

VIII.

1. COLUMBA, Deus Christus [2] : « A facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, et singula ad terram suam fugient [3]. »

2. Spiritus sanctus : « Vidi Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, super illum [4]. »

3. Ecclesia [5] : ÷ « Columba mea, in foraminibus petræ [6]. » ÷ « Columba speciosa [7], » auro gemmisque præcincta.

4. Apostoli [8] : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas [9]. »

5. Judæa : « Provocatrix [10] columba non audiit vocem [11]. »

6. Simplices et stulti [12] : « Ephraim, columba seducta, non habens cor [13]. »

÷ 7. Anima, vel Ecclesia : « Surge, propera, amica mea, columba mea [14]. »

÷ 8. Mansuetudo Christi : « Deserta facta est terra, a facie iræ columbæ. »

9. *Duo pulli columbarum*, duplex pœnitentia [15] : « Si autem non valuerit manus ejus offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum [16]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, c. 40. — Apud *Isidorum*, c. 24. — Apud *Hildefonsum*, c. 54. —Apud *Petrum Damianum*, c. 19.— Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, 1-11. DAMASUS in Carm. v. 3, et SYLVIUS, v. 8. EUCHERIUS, ed. I, p. 13 ; ed. II, col. 759 A ad 2, 5.

ORIENTIUS, *de Nativ. Dom.*, v. 6 et 149. GREGORIUS M. Columba, mansuetudo divina, ut ibi : « Deserta facta est terra, a facie iræ columbæ. » Ac si diceret : districtum judicium inconcussus exserit, qui permanens mansuetus, punit. —Christus totus, id est caput et corpus ; unde in lege, co-

(1) *Illud* Est XIII inter *Enigmata symposii* Lactantiana, cf. p. 167. — (2) *Deus. In Jeremia* B-G. Hæc significatio, minus nota, est communior antiquioribus interpretibus, Damaso, Sylvio, Orientio, apud quem, loco 2°, perperam legitur *Columna* in editione Sirmondiana. Inde innumeri, ni fallor, tituli veteres Christiani aliter ac solet necesse est intelligantur. — (3) *Fugient*. Jerem. XLVI, 16. — (4) *Illum*. Joan. I, 32. — (5) *Ecclesia, propter simplicitatem cordis* B-G. — (6) *Petræ*. Cant. II, 14. — (7) *Speciosa*. Cant. II, 10. — (8) *Apostoli vel sancti* A. — (9) *Suas*. Is. LX, 8. — (10) *In Sophonia : Væ provocatrix* E. — (11) *Vocem*. Sophon. IV, 1. — (12) *Simplicitas mentis* B-G. — (13) *Cor*. Osee VII, 11. — (14) *Mea*. Cant. V, 3. — (15) *Duplex pœnitentium lamentum. In Leviticо* B-G. — (16) *Columbarum*. Levit. V, 7.

lumbæ vel turturis, in figura nostri sacrificii, secari guttur, et non penitus abscidi jubetur, ut post mortem caput corpori inhæreat : ex eo enim quod caput nostrum mortem pro nobis pertulit, verius nos sibi in ipsa sua morte conjunxit. — Spiritus sanctus, ut ibi : « Vidit spiritum, etc.; » quod bene de illo dicitur, qui non veniebat ut per zelum peccata percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. — Sancta Ecclesia, vel quælibet fidelis anima, ut ibi : « Surge propera, amica mea, et veni. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 3, p. 70.

Isidorus, *Etymol.*, lib. VII, c. 3, n. 22 ad 2.

Rabanus. Columba, Spiritus sanctus, ut : « Vidi, etc. » — Christus, ut : « A facie i. c. » — Ecclesia, ut : « Pennæ columbæ deargentatæ [1]. » — Simplex, ut : « Quis dabit mihi pennas columbæ? » — Fatuus, ut : « Columba seducta n. h. c. » — Contemtor sæculi, ut : « Non invenit columba, ubi requiesceret pes ejus [2]. » — Vita activa, in sacrificio Abraham. — Dona Spiritus sancti, ut : « Eos qui columbas vendebant, in templo ejecit [3]. » — Gemitus pœnitentiæ, ut : « Obtulit duos pullos columbarum. »

Petrus Cantor. Ecclesia dicitur columba, propter fecunditatem; unde : « Plures sunt filii desertæ, quam ejus quæ habet virum [4]. » — Propter simplicitatem; unde : « Estote prudentes, sicut serpentes [5]. » — Propter gemitum; unde : « Rugiebam a gemitu cordis mei [6]. »

Petrus Capuanus ad litter. III, art. 7.

Columba.

Spiritus sanctus.	Vita spiritualis, scilicet contemplativa.
Ecclesia.	
Simplicitas mentis.	Fatuitas, quæ dicitur simplicitas.
Quilibet sanctus.	

Prima gemit pro præmio æternitatis. Paulus : « Spiritus postulat pro nobis [7], » id est postulare facit nos, « gemitibus inenarrabilibus. » Secunda et tertia pro conatu difficultatis; quarta et quinta, pro exsilio divinitatis; sexta, pro conscientia iniquitatis.

Prima columba volavit super machinam mundialem, quando in principio mundi Spiritus Domini ferebatur super aquas. Secunda, id est Ecclesia, volavit de domo et de cognatione Patris ad amplexum sponsi, quando Rebecca, viso Isaac, de camelo descendit, et introducta est in cubile genitricis illius. Tertia, id est mentis simplicitas, volat ad videndum Deum per puritatem. Quarta, id est sanctus, volat per profectum virtutum; sic volavit Maria quæ fuit virtutum gratia plena. Quinta, id est contemplativus, volat per inquisitionem et prædicationem. Sic volavit Paulus, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum replevit Evangelium. Sexta, id est fatuus, volat per instabilitatem, quia impii sicut mare fervent. *Septem proprietates columbæ adaptantur sanctis* [*vide alteram hujus operis partem in tom.* III].

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Columba :*

Felle columba carens, semper puram capit escam :
Sperne malignari, perversum dogma recusa.
Rostro non lacerat, sibi grana legit meliora :
Non sis detractor, verbis melioribus insta.
Accipitris formam videt undis, effugit ungues :
In sacris libris lege; vita dæmonis artes.
In petra nidum facit, et volat ipsa gregatim :
In Christo spera; comitatum dilige fratrum.
Oscula jungit amans, nutrit pullos alienos :
Veram formet amor pacem, benefac inimicis.
Edit pro cantu gemitum; defenditur alis :
Pascere de luctu, gemina te lege tuere.

Columba ponitur in designatione Spiritus sancti, eo quod ipse in hujus avis specie dignatus est apparere; sunt enim hujus avis septem naturales proprietates quibus septem dona Spiritus sancti, singula singulis, dicuntur non indocte designari. Columba enim felle caret : per quod suavissimum et summum sapientiæ donum creditur designari; quod felli, id est amaritudini malitiæ, sociari

(1) *Deargentatæ*. Ps. LXVII, 14. — (2) *Ejus*. Genes. VIII, 8. — (3) *Ejecit*. Joan. II, 16. — (4) *Virum*. Is. LIV, 1. — (5) *Serpentes*. Matt. X, 16. — (6) *Mei* Ps. XXXVII, 9. — (7) *Nobis*. Rom. VIII, 26.

non potest, quoniam in malivolum animam non introibit sapientia. — Columba meliora grana eligit : per quod satis competenter intelligentiæ donum figuratur, quo malum reprobatur et bonum eligitur : nam qui hoc dono caret, « factus est sicut equus et mulus, quibus non est intellectus [1]. » Intellectu carens anima similis est illis.

Ingenuus et capitis quæ sit discretio nescit

— Columba gregatim volat : in quo nobis proponitur consilium, quod nos præcipue docet sollicite servare unitatem spiritus in vinculo pacis. — Columba in petra nidificat : in quo nobis quodammodo fortitudo depingitur, quæ, licet in prosperis necessaria sit, tamen evidentius per adversa probatur. Unde egregie insignis poeta ait :

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Et circa idem gentilis quidam sublimiter et eleganter ait : Male mihi esse malo, quam molliter. — Columba, juxta fluenta residere solita, in aquis ipsis umbram conspicit accipitris, et ipsa umbra territa, fugæ præsidio raptoris rostrum et ungues evadit : in quo nobis innuitur scientiæ donum, quo in Scripturis sacris ostium rapientes apertum, haud dubie dolos deprehendimus inimici, et fugientes evadimus. In nonnullis casibus

Nil poterit justa tutius esse fuga.

Fugit Jacob Esau ; fugit Jephte fratres suos ; fugit David Saulem ; fugit Christus Herodem. — Columba alienos pullos nutrit : per quod evidenter pietas ostenditur, quod inde dubitare nullus fidelis permittitur. Hanc nos habere et exercere Dominus ammonuit, dicens : « Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos [2]. » Ex his Veritatis verbis potes, lector, agnoscere quam sublimiter suo modo (fuit enim Gentilis) loquutus est Claudianus, dicens [3] :

Sis pius inprimis : nam quum vincamur ab omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

— Columba gemitum habet pro cantu, quo timor aperte exprimitur, qui proprie dux est lacrymarum ; unde et noster venerabilis Beda dicit : « Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore [4]. »

Columba sanctam significat Ecclesiam, memoratis donis illustratam ; unde et sponsus dicit in Canticis : « Una est columba mea. » Nam licet multæ sint particulares ecclesiæ (unde et beatus Joannes apostolus et evangelista scribit septem ecclesiis quæ sunt in Asia), tamen ex omnibus constat una catholica ; unde in symbolo apostolico confitemur unam esse catholicam et apostolicam Ecclesiam.

Columba designat dominam nostram, gloriosam Dei genitricem, et virginem Mariam, quia nonnullæ proprietates columbæ, spiritualiter intellectæ, beatæ Mariæ sunt propriæ ; quod, si illa me adjuverit, sequentia declarabunt. Igitur per columbam significatur beata Maria, propter singularem innocentiam cordis, quia columba felle caret. — Propter custodiam oris, quia columba rostro non lacerat. — Propter gratiam spiritualis compunctionis, quia columba gemitum habet pro cantu. — Propter afflictionem corporis, quia columba in petra nidificat. — Propter amorem fraternitatis, quia columba gregatim volat. — Propter abundantiam pietatis, quia columba alienos pullos nutrit. — Propter virtutem discretionis, quia columba meliora grana eligit. — Propter mansuetudinis lenitatem, quia columba est simplex animal ; unde versus : Felle columba, etc.

Columba significat simplices ; unde : « Estote prudentes, etc. »

Per columbam gratia Spiritus sancti, seu quælibet bona spiritualia designantur, quæ vendere vel mercari sacrilegum est. Unde legimus in Evangelio, quod Dominus his qui columbas vendebant, ait : « Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis [5]. »

Columba significat Christum, unde : « Fu-

(1) *Intellectus*. Ps. xxxi, 8. — (2) *Malos*. Matt. v, 45. — (3) *Dicens*. Claudian, viii, 277. — (4) *Amore*. Cf. supra p. 155, 295. — (5) *Negotiationis*. Joan. ii, 16.

gite a facie gladii columbæ, » id est, fugite per pœnitentiam extremi judicii pœnam, qua Christus damnabit reprobos, solo amore justitiæ, sine omni livore malitiæ. De tempe-
5 ramento simplicitatis columbinæ et prudentiæ serpentinæ pulchre dictum est, in epitaphio cujusdam prioris transmarini sic :

Quem tegit hæc tumba, fuit in serpente columba
Lauso prior magnus, duris leo, mitibus agnus.

10 Anonymus Clarevallensis. Columba simplex est ; nidum habet pauperem et asperum ; pedes rubeos habet ; non ledit ore vel unguibus ; oculis instat ; de raptu non vivit ; pullos rostro pascit, de quibus ipsa pasta
15 erat. Alias aves non invadit ; super fluenta sedet, ut accipitrem caveat ; in petra nidificat ; ingruente tempestate, ad nidum revolat ; alis se defendit ; gregatim volat ; gemitum pro cantu dat, meliora grana eligit ;
20 fecunda est ; gemellos pullos nutrit ; circa nidum stercus congregat ; inter se pugnant, nec cum alia ave. Velut a re nomen trahunt : colunt enim lumbos. Offertur pro sanctificatione ; sanguis ejus oculis medetur et
25 visum reddit limpidiorem ; stercus ejus salsum est, rostro non lacerat.

Grex, visus, pulli, gemitus, fel, flumina, rostrum,
Alæ, grana, petræ : sic tu discerne columbam.

Columba.

30 Christus.	Mundi contemtor.
Spiritus sanctus.	Vita activa.
Ecclesia.	Dona Spiritus sancti.
Simplex.	Gemitus pœnitentiæ.
Fatuus.	

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Genes., v. 1031-1040.

Emittit corvum Noe : non redit ille ; columbam
Emittit : reditum missa columba facit.
Sic et in Ecclesia sunt corvi, suntque columbæ :
Sunt cum felle mali, sunt sine felle boni.
Cras [1] canit hic corvus, hodie canit inde columba :
Hæc vox perversis congruit ; illa, bonis.
Cras pravi cantant, dum se convertere tardant ;
Sed tales tollit sæpe suprema dies.
Porro boni cantant hodie, quia tempore nullo
Currere desistunt ad sacra jussa Dei.

II. *Ibid.*, in Levitic., v. 445-454.

Hostia tertia fit turtur, pullusve columbæ,
In quibus exprimitur qui Deus est et homo.
Vel turtur, Christi caro ; sanctum Pneuma columba
Dicitur : affirmant hæc sacra verba Dei.
De Christo clamant Salomonis cantica : « Tamquam
Turturis est lenis et gena pulchra tibi. »
Porro super Christum, testante Joanne, columbæ
Simplicis in specie Spiritus almus adest.
Sic mactantur aves prædictæ, quum caro Christi
Est oblata Patri, Flamine plena sacro.

III. *Ibid.*, in Cantic., v. 150, 151 ; 269, 270 ; 805-810 ; 931-934.

Sponsa columbinis sine felle potitur ocellis :
Est pia mens simplex, totius nescia fellis ...
Estque columba Dei, quia simplex esse probatur ;
Est formosa simul, quia virtutes operatur ...
Sponsa columbinis uti perhibetur ocellis,
Quum sapiens doctor, contra peccata rebellis,
Simpliciter vivens, residet prope plena fluenta
Sacræ Scripturæ, præbens aliis documenta :
Lotæ sunt tales animæ dulcedine lactis,
Nam lavat electos baptismus ab omnibus actis.
Est mater nostra generans nos gratia Christo ;
Estque columba decens plebs facta fidelis in isto,
Simplex, felle carens, fidei radicitus hærens,
Sincero corde Christi mysteria quærens.

IX.

35 1. Gallus, Christus, vel apostoli : « Tria sunt quæ bene gradiuntur : leo fortissimus bestiarum, gallus succinctus lumbis [2], etc. »

2. Prædicatio : « Quis dedit gallo intelligentiam [3] ? »

÷ 3. Sacerdotium Judæorum. In Isaia : « Et asportari te faciet Dominus, sicut asportatur gallus gallinaceus [4]. »

(1) *Cras.* Hunc versum et sequentem suos fecit Hermannus, supra p. 112. — (2) *Lumbis.* Prov. xxx, 31. — (3) *Intelligentiam.* Job xxxviii, 36. — (4) *Gallinaceus.* Is. xxii, 17.

X.

: Gallina, sapientia, sive Ecclesia, vel anima fidelis. In Evangelio : « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis [1] ? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hildefonsum*, c. 62. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 36.

Eucherius, ed. I, p. 13; ed. II, p. 750.

Gregorius M. Gallus, quilibet sanctus prædicator, unde in Job : « Quis dedit g. i. » Intelligentiam gallus accipit, ut prius nocturni temporis horas discutiat, et sic vocem excitationis mittat. Ita quilibet sanctus prædicator prius in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat, et tum demum ad erudiendum vocem prædicationis format.

Gallina, sapientia Dei Patris, quæ in Evangelio loquitur : « Quoties volui, etc. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. VII, c. 5, 6, p. 73, 77.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Gallus, cœtus apostolorum, ut : « Quis dedit g. i. » — Ordo doctorum, ut : « Gallus succinctus lumbis. » — Gallina, sapientia Dei, ut : « Sicut gallina c. p. s. »

Petrus Cantor. Gallina commendatur, quia gallinæ Christus comparatur : quia, sicut gallina avidius nutrit et fovet pullos quam alia avis, quod cognoscitur ex sua raucitate et plumarum latitudine, ita et Christus; unde : « Quotiens volui congregare filios tuos, etc. » — Et quia, sicut alis illa protegitur a milvis, ita Christus a diabolo, se humiliando. — Et quia gallina, quum sit domestica avis, non patitur tangi, ita et Christus, licet nobiscum sit usque ad consummationem sæculi, non tangitur plena cognitione vel etiam cogitatione.—Et quia, sicut inter alias aves esui humano est accommodatior et sanior, sic est Eucharistia animæ cibus cæteris præstantior.

Gallus prædicatorem significat; galli cantus, prædicationem; unde in Marco : « Antequam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus [2]. » Primus galli cantus, primam significat resurrectionem Christi; sed secundus, secundam; scilicet misericordiam quæ erit in futuro; item in Luca, ibi : « Eo adhuc loquente gallus cantavit [3]. » Mystice dicit Glossa : gallus aliquis doctor est, qui somnolentos increpat, ut : « Evigilate, justi [4], etc. »

Petrus Capuanus ad litt. VII, art. 7. Gallus cœli, gallus terræ, gallus inferni. Gallus cœli, Christus. Job : « Quis dedit g. i. » — Gallus terræ, prædicator. Parabolæ : « Gallus succinctus lumbis. » — Gallus inferni est malus prælatus, mollia et muliebria sectans, cui et dicitur in Isaia : « Ecce ego asportari te faciam, sicut asportatur gallus gallinaceus. »

Gallus autem, alios excitaturus, prius alis se ipsum verberat : sic Christus passus prius est, ut alios excitaret; sic et prædicator prius agit in semet ipso, ut alios melius excitet ad agendum, juxta quod et Jesus cœpit facere et docere. Hic est sacerdos qui prius tubam manu accipit, ut aliis intonet; ut ita retorqueatur os turturis ad ascellas. Gallus autem gallinaceus est prædicator mollis : alios quidem excitat; sed se ipsum non verberat. Hic est sonans cymbalum, et piger qui manum ponit sub ascella, nec ad os porrigit eam.

Primus gallus cantavit tempore gratiæ, quando vox turturis audita est in terra nostra. Secundus gallus cantavit post ascensionem Domini. Fortiter cantavit gallus Pauli, qui gentilitatem excæcatam et insensibilem, cum ligno et lapide, a somno mortis excitavit. Tertius gallus, etsi cantet, non tamen excitat alios; quia non lucet lux ipsius coram hominibus.

Primus gallus nuntiavit et præmonstravit

(1) *Suis.* Marc. XIV, 30; cf. 92. Matt. XXVI, 34, Luc. XXII, 34. — (2) *Negaturus.* Matt. XXVI, 65. — (3) *Cantavit.* Luc. XXII, 60. — (4) *Justi.* I Cor. XV, 34.

mane resurrectionis. Et valde alte cantavit, quando in Lazari resuscitatione tam alta voce clamavit : « Lazare, veni foras [1]. » Alte cantabat, quando prolixius orabat. Alte cantavit in passione, qui tam magna voce clamavit : « In manus tuas commendo spiritum meum [2], » ut centurionem et suos, in vitiis mortuos, suscitaret ad lumen fidei. Secundus gallus nuntiavit mane justificationis. Isaias : « Orietur ut mane tua lux [3]. » Tertius gallus nuntiat et in se monstrat tenebras noctis et vitiorum. Evangelium : « Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt? »

Distinctionum monasticarum lib. II, *de Gallina*. Gallinæ nisi tantum unam significationem in Scriptura sacra, me legisse non memini : significat enim gallina Christum, sicut ex ipsius verbis habemus in Evangelio, dicentis : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » Sunt enim gallinæ quædam proprietates quæ, spiritualiter intellectæ, Domino Redemtori nostro Jesu Christo aptissime attribuuntur. Gallina, quum posuerit ovum, cantat et exsultat : ita et Christus, quum posuerit peccatorem in nido Ecclesiæ; unde : « Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente [4]. » Gallina concidit scorpionem : Christus, diabolum. Gallina affectuosius fovet et nutrit pullos suos quam alia avis : et Dominus noster Jesus Christus pro nobis factus est et infirmus. Gallina domesticum animal est, et tamen tangi non patitur, quia refugit, et se, non adeo ut cæteræ aves vel animalia, tractari patienter permittit : ita et Christus, licet nobiscum sit omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, tamen quia sumus in via et peregrinatione, non tangitur a nobis plena cognitione. Gallina calida, per medium fissa, et morsui serpentis superextenta, efficaciter curat : ita et Christus, pro nobis in cruce extensus, nos a morsu serpentis optime curavit. Gallina inter aves alias esui humano accommodatior est et sanior : ita Christus animæ cibus est incorporabilis; unde ipse ait : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam [5]. » Ideo recte oramus in hymno [6] :

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides, etc.

Gallina nomen est nobilis castri vel civitatis in Appulia; quam quum Robertus, cognomine Guiscardus, olim cum exercitu Normannorum obsedisset, obsidentibus vina defecerunt, et obsessis abundaverunt. Unde quidam litteratus, de parte obsidentium, schedam telo ballistæ affixam jecit in urbem, continentem hos versus :

Vos de Gallina nobis transmittite vina,
Ne virtute nova nidum perdatis et ova.

Qua recepta et lecta, quidam de obsessis tale scriptum remisit :

Vinum Normannis, et in hoc, et in omnibus annis,
Ferre solet culmus, non subdita vitibus ulmus.

Anonymus Clarevallensis. Gallus de nocte valentius cantat, in die brevius et remissius; antequam cantet alis se verberat; pigros excitat; omni vento se inclinat; calcaria habet in pedibus; granum inventum gallinæ confert; multas habet gallinas quibus bene dominatur; cantus ejus suavis est in noctibus, et utilis, et multis desiderabilis; dormientem excitat; sollicitum admonet; consolatur viatorem; processum noctis protestatur voce profundiore; nocte altius et diutius et insolentius clamat; appropinquante die, omnia temperantius agit; in qua silet, nisi quod observat horas; hoc cantante, latro relinquit insidias, lucifer excitatur, cœlum illuminatur, mœstitia deponitur, tempestas nocturna sedatur, mucro latronis conditur, ægris revelatur incommodum.

Gallina maximum affectum habet in filios, ita ut eorum infirmitate infecta ipsa infirmetur; eosque alis protegens, contra milvum pugnat; clamando rauca est; pro amore pullorum hispidatur, et turpis fit;

(1) *Foras*. Joan. XI, 43.—(2) *Meum*. Luc. XXIII, 46. —(3) *Lux*. Is. LVIII, 8. — (4) *Agente*. Luc. XV, 7, 10. —(5) *Æternam*. Joan. VI, 55, 57. — (6) *Hymno*. Ad laud. fer. II in *Brev. Rom.*

præcedit pullos; unguibus pedum stramina dejicit, ut grana invenat pullis; granum ex proprio ore retrahit et pullis projicit.

Gallus. { Cœtus apostolorum. / Ordo doctorum.

Gallina, sapientia Dei [*ut supra in Raban*].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 9648-9679.

« Sunt tria, rex Salomon inquit, bene quæ gradiuntur;
Felici quartum sed pede terit iter
Nullus leo, rex fortissimus atque ferarum,
Occursum metuit, nec trepidando fugit »
Hic est ille Leo, septem signacula solvens,
Natum de Juda quem legis esse tribu...
« Non tremo. Christus ait, mundi si venerit ad me
Princeps, in me nil invenit esse suum[1]. »
Æterni gallus qui nobis mane diei
Nuntiat, est doctor dogmata sancta canens
Succinctos gallus lumbos habet iste beatus,
Quum prohibet carnem luxuriare suam, etc.

XI.

1. TURTUR, castitatem, vel gemitum sanctorum significat in Levitico[2].

2. Ecclesia, vel anima : « Vox turturis audita est[3]. »

3. Caro Christi, quod est Ecclesia propter gentium varietatem, ubi et supra : « Quam pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis[4] ! » Et in psalmo : « Et turtur nidum, ubi reponat pullos suos[5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Epiphanium*, c. 10; — apud *Isidorum*, c. 23; — apud *Hildefonsum*, c. 60; — apud *Theobaldum*, c. 11; — apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 1-11.

EUCHERIUS, ed. I, p. 13; ed. II, col. 750, ad 2, *et in alium sensum*.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 4, p. 71.

RABANUS. Ecclesia, ut : « Vox turturis a. c. » — Dilectio Dei, ut : « Turturem quoque et columbam obtulit[6]. » — Cor hominis, ut : « Turtur nidum u. p. p. s. » — Compunctio, ut : « Offeret duos turtures, unum pro peccato[7]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art. 7.

Turtur

Cœli.	*Mundi.*	*Mentis.*
Christus. Judicium Domini. Spiritus sanctus.	Ecclesia. Prædicator.	Compunctio. Castitas corporis et mentis.

Prima turtur, id est Christus, gemebat lapsum et damnum humani generis. Evangelium : « Videns civitatem, flevit super illam, dicens : Si cognovisses et tu[8], » scilicet fleres. Nonne gemebat damnum generis humani, quando in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum referens cum lacrymis, qui posset eum a morte salvum facere, exauditus est pro sua reverentia[9] ? Secunda, id est Spiritus sanctus, gemit, id est gemere nos facit. Paulus : « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus[10]. » Tertia, id est Ecclesia, gemit per diuturnitatem præsentis exsilii. Nonne gemit Ecclesia, quum dicit : « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion[11] ? » Quarta, id est prædicator, gemit pro scandalo proximorum et pro lapsu eorum. Nonne gemebat Paulus pro auditoribus, quum dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis[12] ? » Quinta, id est compunctio, gemit pro peccatis perpetratis. Psalmus : « Peccatum meum coram me est semper[13]. » Sexta turtur, id est castitas mentis, gemit pro dilatione supernæ felicitatis, inquiens : Putas, videbo? putas, durabo? Paulus : « Cupio dissolvi, et esse

(1) *Suum.* Joan. XIV, 30. — (2) *Turtur, castitatis indicium. In Levitico* B-G. — (3) *Est.* Cantic. II. 12. — (4) *Turturis.* Cant. I, 9. — (5) *Suos.* Ps. LXXXIII, 4. — (6) *Obtulit.* Genes. XV, 9. — (7) *Peccato.* Levit. XIV, 12. — (8) *Tu.* Luc. XIX, 41. — (9) *Reverentia.* Hebr. V. 7. — (10) *Inenarrabilibus.* Rom. VIII, 26. — (11) *Sion.* Ps. CXXXVI, 2. — (12) *Nobis.* Galat. IV, 19. — (13) *Semper.* Ps. L, 5.

cum Christo[1]. » Nonne habet gemitum pro dilatione supernæ felicitatis Axa, filia Caleph, quando, quum jam flesset pro irriguo inferiori, flevit et pro superiori?

Turtur autem ad litteram aerii coloris est, et sine felle; gemitum habet pro cantu; avis castissima, nec nubit, nisi uni; uno mortuo compare, manet in castitate; et circa initium veris solent turtures apparere. Hæc autem turturi nostræ et sanctæ Ecclesiæ verius competunt. Turtur autem aerii coloris est : et sancta Ecclesia aereum et cœlestem habet colorem conversationis suæ, quæ in cœlis est. Turtur sine felle est : et sancta Ecclesia est absque omni felle et amaritudine peccati et doli. Est enim « sponsa sine macula[2] (mortalis peccati), et ruga (duplicitatis). » Turtur gemitum habet pro cantu : et sancta Ecclesia quasi continuum habet gemitum pro defectu filiorum labentium. Jeremias : « Vox in Rama audita est : ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos[3], etc. » Hinc Jeremias filios Ecclesiæ deplorat, inquiens : « Quomodo sedet sola civitas, plena populo[4]? » Per figuram Ecclesiæ, loquens de civitate Jerusalem. Turtur avis casta est : et sancta Ecclesia semper servat sanctitatem : « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo[5]. » Hæc, mortuo marito diabolo, castitatem servat; adhærens soli Deo, Christo nubit. Hinc Susanna, ut castitatem servaret viro, elegit potius incidere in manus hominum, quam consentire concupiscentiæ sacerdotum. Solent autem turtures apparere in vere : et sancta Ecclesia, postquam hiems legis pertransiit, effulsit in vere gratiæ. Nonne in tempore gratiæ, quasi in vere, refulsit Ecclesia, dum progreditur quasi aurora consurgens, et inquit : « Sub umbra illius quem desiderabam, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo[6]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Turture*.

Simplex et castus, ploransque pie, gemebundus,
Dat de turturibus quod lex jubet atque columbis.
Pauperis ex avibus holocaustum complet amicum,
Corpore cum socio cor simplex, triste, pudicum.

Turtur, quia strepitum odit, et quietem ac solitudinem diligit, significat Spiritum sanctum, qui est habitator quietis, et cujus locus factus est in pace; secundum illud : « Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem[7]? » Sed, sicut magistri nostri dicunt, tunc maxime Spiritum sanctum significat, qui de occultioribus sacramentis et mysteriis agit. Unde et Moysi apparet et Eliæ[8].

Per turturem designatur sanctus prædicator, quia vocem solet habere gemebundam et lugubrem, et auditores suos ad salutares lacrymas excitet, secundum illud[9] : « Si me vis flere, prius tibi dolendum est. »

Per turturem designatur prædicatio; unde præceptum est in Levitico, ut os turturis retorqueatur ad ascellas, id est, ut prædicatio vertatur in opera, ut se ipsum probet ministrum illius qui cœpit facere et docere. Illa enim prædicatio auctoritatem habet, quæ quod docet verbo, commendat exemplo; unde quidam ait[10] :

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,
Quum judex alios quod monet ipse facit.

Turtur significat Ecclesiam, et sanctam quamlibet animam, quæ post mortem viri sui alienum penitus spernit amorem, et quidquid in hoc mundo viret, vile habet, secundum illud :

Quod vile est, carum; quod carum, vile putato.

Et quia religio mundique contemtus, qui abundant interius, solent apparere exterius, de sancta Ecclesia, vel fideli et devota anima, intelligitur dictum illud in Canticis : « Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis. »

Turtur etiam significat carnem spiritui subditam, et edomitam quia multipliciter afflictam, ut ibi : « Passer invenit sibi do-

(1) *Christo*. Phil. I, 23. — (2) *Macula*. Cant. IV, 7. — (3) *Suos*. Matt. II, 18. — (4) *Populo*. Thren. I, 1. — (5) *Christo*. II Cor. XI, 2. — (6) *Meo*. Cant. II, 3. — (7) *Trementem*. Is. LXVI, 2. — (8) *Eliæ*. In cod. *Soli*, forte alludendo ad ἥλιον. — (9) *Illud*. Hor. *Art poet*. v. 102, parce detortum. — (10) *Ait*. Ovidius nempe, *Fast*. VI, v. 647, quem supra, p. 227, suo nomine debuissem in notis appellare.

mum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos. » Caro enim, multis attrita miseriis, opera sua bona in nido Ecclesiæ conservanda reponit.

Anonymus Clarevallensis. Turtur de voce vocatur. Avis pudica; semper in montium jugis et in desertis solitudinibus commorans; tecta enim et hominum conversationem fugit, et commoratur in silvis; quæ et hieme deplumata, in truncis arborum concavis habitare perhibetur. Cujus e contrario, columba hospitia humana diligit, semper domorum blanda habitatrix. Turtur nido suo, ne pullos lupus incurset, squillæ folia superjacit, quoniam hujus folia lupos fugant. Amisso pari, alii non conjungitur. Fertur quod post mortem, non sedeat nisi super arida, ut in viis, ubi herba non fuit, et in ramis non virentibus; in locis delectabilibus et mundis nidificat; pullos nocte pascit; morticino non vescitur; offerebatur pro sanctificatione.

Alta petit turtur, cantando gemit, ver veniens
Nuntiat, et caste vivit, solusque moratur;
Pullos nocte fovet, morticinumque fugit.

Turtur.

Ecclesia.	Cor.
Dilectio.	Compunctio.

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 487-516.

Has si non poteris pecudes offerre, litetur
Sive duplex turtur, sive columba duplex.
Pro cantu gemitum profert avis utraque; planctus
Ergo duos hominis illa vel illa notat.
Unus erit planctus, si commissum gemis; alter,
Quæ non fecisti, si bona facta gemis.
Turturis oblati caput incisum manet hærens
Collo, nec penitus rumpitur inde tamen.
Qui caput est nostrum, Christum caput alitis hujus
Exprimit; Ecclesiam cætera membra notant.
Qui licet a nobis divisus morte putetur,
Firmius Ecclesiæ jungitur inde tamen.
Nam, crescente fide post granum morte sepultum,
Ecclesiæ messis multa secuta fuit.
Parte fuit caput incisum, partimque superstes;
Nam caro, non deitas, in cruce passa fuit.
Dum turtur Domino mactatur, scinditur illi
Altera pars capitis, altera sana manet.
Ut magis exsistat oblatio grata, reflecti
Cogitur ad pennas, lege jubente, caput.
Nobilitas capitis, quo cætera membra reguntur,
Mentem, qua regitur actio nostra, notat.
Mens igitur carnis abscindere debet amorem,
Quodque necesse videt, hoc retinere potest.
Ad pennas caput inflexum notat hoc, quia debent
Virtutum pennas semper amare boni.
Vel caput est Christus, cujus nos membra vocamur,
Factus pro nobis hostia vera Patri.
Cui quasi pars capitis fuit integra, parsque recisa,
Quum caro, non deitas, in cruce passa fuit.

XII.

1. Passeres, sancti : « Illic passeres nidificabunt [1]. »

÷ 2. Christus : « Etenim passer invenit sibi domum [2]. Sicut passer unicus in ædificio [3]. »

÷ 3. Et in aliam partem : « Transmigra in montem, sicut passer [4]. »

÷ 4. Pauperes Christi : « Nidificabunt passeres in cedris Libani [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hildefonsum*, c. 57; — apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 26-32.

Eucherius, edit. I, p. 13; ed. II, p. 750 B ad 1, 2, 3.

Gregorius M. Passer, Christus, ut ibi : « Passer invenit s. d.; » quia videlicet Redemtor noster æternum intravit cœlorum habitaculum. — Pauperes spirituales, qui « in cedris l. n., » dum in necessitate sua sublimiorum personarum ope sustentantur. — Anima et caro, ut ibi : « Nonne duo passeres asse veneunt [6]? »

(1) *Nidificabunt*. Ps. CIII, 17. — (2) *Domum*. Ps. LXXXIII, 4. — (3) *Solitarius in tecto A. Ædificio*. Ps. CI, 8. — (4) *Passer*. Ps. X, 1. — (5) *Libani*. Ps. CIII, 17. — (6) *Veneunt*. Matt. X, 29.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 12, p. 89.

Rabanus. Passer, Christus, ut : « Factus sum sicut, etc. » — Vir sanctus, ut : « Passer i. s. d. » — Conversus a peccato, ut : « Transmigra in m. s. p. » — Humiles, ut : « Illic passeres nidificabunt. » — Corpus et anima, ut : « Duo passeres, in emundatione lepræ [1]. »

Anonymus Clarevallensis. Passer modicus est ; luxuriosus ; inconstans ; in foramine petræ nidificat ; in tecto manet.

Instabilis, pugnax, petulans avis, alta requirens ;
Est agilis, modica, socialis avicula passer ;
Apta sacrificiis ; vastans, intentaque nidis.

Passer, Christus, etc. [*ut in Rabano*].

Petrus Cantor. Passer modicus est : ita et tu parvus debes esse per humilitatem. Sic ait Apostolus : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote [2]. » — Cautus : ita et tu sapias, ut semper vigiles, ne capiaris ; semper enim vigilat diabolus. Qui enim hic dormit, vigilabit in futuro, malo suo ; qui vero vigilat hic, dormiet illic, et requiescet. — Silvam fugit : ita et tu fuge amorem sæculi ; merito, non tantum numero ; mente, non tantum corpore. — In domo habitat : ita et tu in domo habita, id est in Ecclesia.

Passer est ille qui sagax ad alta virtutum fugit, ubi tutus est a laqueis ; unde : « Factus sum s. p. s. i. t. » In tecto esse dicitur, propter altitudinem fidei, ut non descendat aliquid tollere de domo, secundum illud Evangelii : « Qui in tecto est, non descendat aliquid tollere de domo [3]. » Qui est in culmine virtutis, vel in culmine contemplationis, non descendat in domum carnalitatis.

Passeri comparatur Christus ; unde : « Vigilavi, et factus sum, etc. » In tecto, id est in cœlo, ubi interpellat pro nobis.

Passer significat quandoque levitatem et inconstantiam ; unde : « Transmigra, etc. » — Quandoque virtutem, quæ altum petit ; unde : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo [4]. » — Quandoque Christum, propter pennas immortalitatis et impassibilitatis ; unde : « Vigilavi, etc. » Unde illi duo passeres, de quibus fit mentio in Levitico, qui proponebantur ad immolandum, quorum unus occidebatur, alter vero avolare permittebatur, Christum significabant : nam ille qui occidebatur, significabat quod Christus secundum, alteram sui naturam, scilicet humanam, passus est in cruce et mortuus est ; ille autem qui avolare permittebatur, ejusdem deitatem significabat, quæ pati non potuit, sed illæsa permansit.

Petrus Capuanus ad litt. XV, art. 7. Materiales passeres dicuntur quinque sensus, qui asse peccati interdum venduntur. Evangelium : « Nonne quinque passeres asse veneunt ? » — Passeres spirituales dicuntur Apostoli. Psalmus : « Illic p. n. » — Passer cœlestis, Christus : « Sicut passer unicus in domo, » vel secundum aliam litteram : « Solitarius in tecto. » Hinc in Levitico leprosus mundandus duos vivos passeres offerebat : quorum unus immolabatur, cujus sanguis stillabat in aquas, quibus leprosus aspersus mundabatur ; et alter dimittebatur in agrum ; quia scilicet humanitas Christi immolata est, cujus sanguine rubricatæ sunt aquæ baptismi, quibus genus humanum, lepra peccati infectum, mundatum est ; et reliqua ejus natura, scilicet divinitas, in passione libera dimissa fuit, quia non sensit angustias passionis. — Passer infernalis est hæreticus inconstans et superbus. Psalmus : « Transmigra in montem, sicut passer, » dicunt hæretici, quasi : alta sapias, sicut et nos.

Moralitatum liber V, art. 34. Passeres has habent proprietates : I. Ut dicit Isidorus [5], sunt minuta volatilia, a parvitate sic dicta : significant pauperes, sed non voluntate, velut humiles. Ecclesiasticus : « Est qui nequiter se humiliat [6]. » Talis fuit Mahometus, ut habetur in Gestis suis. Talis fuit Julianus apostata, aliquando ad tempus, ut habetur in Historia ecclesiastica. Talis

(1) *Lepræ*. Levit. XIV, 4. — (2) *Estote*. I Cor. XIV, 20. — (3) *Domo*. Matt. XXIV, 17. — (4) *Laqueo*. Ps. CXXIII, 7. — (5) *Isidorus*, in *Etymol.* l. XII, c. 7, n. 68. — (6) *Humiliat*. Eccli. XIX, 23.

etiam fuit Torquatus, beati Tiburtii familiaris falsus, in passione beati Tiburtii [1]. — II. Ut dicit idem, passer est avis instabilis et garrula et importuna, juxta hominum habitacula nidificans, et conversans : significat leves homines, curiosos et contentiosos in familia. Exemplum in Phileto et Hermogene, magistris beati Matthæi, ut habetur in passione ipsius. — III. Ut dicit idem [2], avis est multum calida et libidinosa : unde caro ejus, frequenter in cibo sumta, est libidinis excitativa, ut dicit Constantinus [3] : significat libidinosos, qui et alios provocant et pertrahunt ad luxuriam. De talibus erat Aphrodisia meretrix, de qua agitur in passione beatæ Agnetis, quæ habebat novem filias turpissimas. — IV. Ut dicit idem, passer est multæ ovationis, et magnæ solertiæ in educando pullos : significat homines studiosos in filiorum multiplicatione. — V. Ut dicit idem, a ranis et vermibus et muscis pullos suos pascit : significat viles homines qui e marcidis vanisque rebus pastum ducunt. — VI. Ut dicit idem, semina venenosa, ut jusquiami, sine læsione comedit : significat illos qui, quasi desperato modo, omni discrimini pro repletione corporis se committunt. — VII. Ut dicit idem, lepram et morbum caducum aliquando sustinet : significat luxuriosos et avaros. — VIII. Ut dicit Aristoteles, femina diutius vivit quam masculus [4] : significat quosdam effeminatos homines diutius prosperari secundum sæculum, quam virtuosos et bonos viros. — IX. Ut dicit idem, masculus pro uxore sua zelat et pugnare consuevit : significat quod omnis prælatus debet zelare pro sua Ecclesia et pro qualibet sibi commissa anima, et unusquisque zelare in superiori parte rationis pro inferiori. — X. Ut dicit idem, mustelam timet et odit, ac clamando et vociferando ipsius præsentiam prodit : significat diabolum esse timendum et odiendum et abhorrendum, et contra ipsum ad Deum et sanctos esse clamandum. — XI. Ut dicit auctor [5], pro nidis hirundinum occupandis, eis rostro et morsibus se opponit : significat raptores sive supergressores fratrum suorum. — XII. Ut dicit idem, suam speciem diligit, et pullos ab aliis passeribus, matribus et patribus interceptis, derelictos, recolligit tamquam proprios atque nutrit : significat pios homines et caritativos ad viduas, orphanos et pupillos. — XIII. Ut dicit idem, si contingit aliquem laqueo intercipi, clamitat pro adjutorio ac vociferat, cui compatiens passerum multitudo mutuo se convocant, et, ut captum liberent, accelerant, et pro viribus festinant : significat quantam diligentiam et charitatem debet unusquisque habere pro alio, in tempore adversitatis et periculi. Exemplum in beato Paulino, qui pro filio viduæ se exposuit, et commiserationis causa alios concaptivos reduxit, ut ponit beatus Gregorius in III *Dialogorum* [6].

(1) *Tiburtii*. Cf. *Acta S. Cæciliæ* in Histor. jam laud. auct. D. Guéranger, p. 95. — (2) *Idem*. Neque illud idem neque sequentia putem Isidoro relatum iri, sed multo magis Plinio aut Pseudo-Aristoteli. — (3) *Constantinus*. Celeberrimus Cassinensis monachus, totius rei medicæ, sæc. XI resurgentis, parens ac magister : videtur Noster ejusdem *Viaticum* adducere. — (4) *Masculus*. Nonnullis forte haud erunt ingrata quæ super hæc, more quodam critico, annotavit Cantipratanus : « Dicit Aristoteles quod masculi passeres solo tantummodo vivunt anno, feminæ vero longo vivunt tempore. Hoc quidem credimus de passeribus Orientis; quoniam apud nos qui sumus in Europa, passeres masculini diu vivunt, sicut feminæ : et hoc satis probabile, quod nigredo illa, de qua dicit Aristoteles, quod subest collo masculi, apud nos non est; sed quædam atra macula in genis : nota ea nigredinis est in passeribus masculis, etc. » Idem plura subdit de ætate passerum dignoscenda, de pullis volare incipientibus et a validioribus confortatis, ut inde doceamur « aliorum insufficientiæ orationum et hortationum suffragio supplere. » — (5) *Auctor*. Non tam de penu suo Noster dicta sub illa rubrica haurit, quam de Vincentio Bellovac. qui quod ipse experimento didicit suo, eo *Actoris*, ut habet, nomine id solet proferre. — (6) *Dialogorum*, lib. III, c. 1.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Passer.

Christus.	Anima et
Pauperes.	Caro.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 1450-1487.

Passeribus meliores estis.

Non sis sollicitus animæ quid detur in esca,
Sed nec quid corpus induat, esto studens.

Non ut provideas prohibetur, sive labores ;
Sed tolli debent cura timorque tui.
Nulla laborat avis, non mandat semina terræ,
Et tamen a Domini pascitur illa manu.
Omnibus est avibus vivens homo dignior ; illas
Non ratio ducit ; hic ratione viget.

XIII.

1. Accipiter, sanctus [1]. In Job : « Numquid in sapientia tua plumescit accipiter [2], » ÷ « expandens alas suas ad austrum [3] ? »

2. Rapaces, ÷ in aliam partem, ob hoc quod in lege ab esu fidelium prohibetur, sicut aquila.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Petrum Damianum*, c. 29. — apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 13, 19. — apud *Joannem Institorem*, c. 2.

Eucherius, edit. I, p. 13 ; ed. II, col. 750 B ad 1.

Gregorius M. Accipitris nomine sanctus quilibet designatur ; unde in Job : « Numquid per sapientiam, etc. » Accipitrem vero in austro plumescere, est quemlibet sanctorum efflatu Spiritus sancti convalescere, et, usu vetustæ conversationis abjecto, in statum se novi hominis reformare.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 9, p. 85.

Rabanus. Accipiter, electus, ut : « Numquid, etc. » — Prædo, ut : « Ungues ejus crescunt, quasi accipitris. »

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 22. Accipiter, sancti. Job : « Numquid, etc. » — Et diabolus. Leviticus : « Hæc sunt quæ comedere non debetis, larum, accipitrem [4], etc. » Primus rapit regnum cœlorum. Evangelium : « Violenti diripiunt illud [5]. » Secundus rapit sanctos. Psalmus : « Insidiatur, ut rapiat pauperes. » Primus instruit, secundus destruit. Secundus quandoque rapitur a primo. Psalmus : « Persequar inimicos meos, et comprehendam illos [6]. »

Accipiter autem ad litteram insidiatur avi, et quum ipsa incipit volare in altum, ipse dejicit eam in terram, et sic occidit eam, et postmodum reficitur carnibus. Hæc autem ipsi diabolo competunt. Accipiter namque insidiatur avi : et diabolus, justo. Sapientia : « Quasi avis, ex insidiis aucupis [7]. » Quando incipit avis volare, accipiter eam dejicit : et quando justus incipit alis virtutum ascendere, tunc diabolus ipsum ad terrenorum amorem conatur dejicere. Sapientia : « Accedens ad servitutem Dei, ita et præpara animam tuam ad tentationem [8]. » Accipiter aviculam dejiciendo occidit : et diabolus hominem ad terrenorum amorem trahendo interimit. Evangelium : « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos [9]. » Deinde accipiter de carnibus ejus reficitur : et diabolus de carnalibus operibus ejus quem dejicit, delectatur : « Adversarius vester diabolus, etc. »

Anonymus trecensis. 1. Coturnix habet multas bonas conditiones quas debemus habere. Primo quamdiu videt accipitrem volare, non volat, sed latet se inter spinas, et sic est secura. Sic homo, propter diabolum volentem tentare de aliquo peccato, debet se ponere inter spinas pœnitentiæ, et sic est securus, etc. [*vide infra*, *art.* XXV, *ad* Coturnicem].

II. Gallina dum vivit, fugatur de mensa ; quum mortua est, honorifice ibi portatur ; contrarium est de accipitre, qui dum vivit honorifice portatur ; sed quum moritur, in sterquilinium projicitur. Sic est de paupere et divite ; unde in Lucam : « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno, et pauper portatur ab angelis in paradisum. »

(1) *Sanctus, regnum Dei rapiens* B-G. — (2) *Accipiter, et in aliam partem rapaces, ob* B-G. — (3) *Austrum.* Job. XXXIX, 29. — (4) *Accipitrem.* Levitic. XI, 17. — (5) *Illud.* Matt. XI, 13. — (6) *Illos.* Exod. XV, 9. — (7) *Aucupis.* Prov. VI, 5. — (8) *Tentationem.* Eccli. II, 1. — (9) *Suos.* Matt. VIII, 22.

PETRUS DE RIGA.
Aurora, in Levitic., v. 717-720.

Advolat accipiter ad prædæ lucra, susque
Deservit dominis, in rapiendo cibos.
Sic multi dominis famulando suis, ad eorum
Nutum pauperibus damna ferendo nocent.

XIV.

HERODIUS, sanctus : « Penna struthionis similis est pennæ herodii [1]. »

XV.

FULICA, Salvator. In psalmo : « Fulicæ domus dux eorum [2], » id est sanctorum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, c. 32, al. 22. — Apud *Hildefonsum*, c. 59. — Apud *Ansileubum*, fol. 18, 13. — Apud *Petrum Damianum*, c. 16. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 37. — Apud *Joannem Institorem*, c. 20.

GREGORIUS M. Herodii vel accipitris nomine electorum persona figuratur, quarum virtutes solide volant, ut ventos humani favoris premant, ut ibi : « Penna, etc. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 10, p. 87.

RABANUS. Herodius, Christus, ut : « Herodii domus dux est eorum. » — Perfectus, ut : « Penna, etc. »

THOMAS CANTIPRATANUS in lib. V, art. 44. Fulica, ut dicit Isidorus, etc. Hoc volatile intelligibile est, et prudentissimum super omnia volatilia dicitur; cadaveribus non vescitur; in nullis diversis locis commoratur vel oberrat, sed in solo loco se quietum tenet, usque in finem vitæ suæ; etiam suam prolem circa se colligit. Refert Ambrosius [4] de fulica quod pullos aquilæ nido dejectos cum suis pullis pascit et nutrit, rationabilibus hominibus exemplum præstans, quanta debeant erga peregrinos et pauperes ac tribulatos pietate moveri.

MORALITATUM liber. III, art. 22. Herodius, qui et falco vulgo dicitur, fulica vero nuncupatur, ut habetur in Glossa super Psalmos : « Herodii domus, » sive « fulicæ domus, » secundum litteram qua utitur Ecclesia, has habet proprietates : I. Ut dicit Gregorius, est avis regia, prædæ avida, gestantis manibus assueta : significat viros spirituales, filios Dei regales, et Spiritus sancti familiares, cœlestium refectionum sive consolationum semper de novo avidos atque studiosos. II. Ut dicit idem, avis est, ad modum accipitris, paucæ carnis respectu corporis, multæ autem plumositatis; et ideo levissimi est volatus : significat pauperes spiritu, nudatos carnalitatibus et locupletes virtutibus, ideoque agillime se sursum agentes in Deum. Dicebat beatus Vincentius, Christi pauper, in æquuleo constitutus, ut legitur in passione sua : « In sublimibus agor, et altior positus, hæc infima mundi despicio [5]. » — III. Ut dicit idem, magnæ est animositatis, acutissimi pectoris, et fortis unguis, prædam, super ipsam irruendo, pectore premit potius quam ungue : significat audaciam, sive magnanimitatem prælatorum, radicatam in charitate et cognitione divinæ bonitatis et propriæ fragilitatis. — IV. Ut dicit beatus Ambrosius in *Hexaemeron*, Herodius, sive falco est avis quæ pium inter omnes prædæ volucres habet affectum et animosum circa pullos. Scribitur de beato Nicolao, in Vita ipsius, quod viduarum et orphanorum ac pupillorum negotia

(1) *Herodii*. Job XXXIX, 13. — (2) *Eorum*. Ps. CIII, 17. — (3) *Isidorus*. Lib. XII. *Etymol.* c. VII, 55. — (4) *Ambrosius*, In *Hexam.* V, c. 15. — (5) *Despicio*. In Act. II, n. 7, apud Bolland. Januar. t. II, p. 395.

sic procurabat ac si propria essent.—V. Ut dicit beatus Gregorius, cadavera fugit, nec in famis vehementia putridas carnes tangit; sed laboris patiens, abstinendo exspectat, quousque prædam sibi congruam inveniat: significat viros religiosos nolentes prævaricari per abstinentiæ suæ tempus, vel coinquinari gula, propter aliquam vilem escam oblatam. Patienter, sive abstinenter portant paupertatem, exspectantes indubitanter a Deo, in suo tempore et loco, suam necessitatem. Non destituimur, quia tandem Deus succurrit nobis, et pascit nos.—VI. Ut dicit idem, dissimilis est in actibus et moribus ab accipitre, quamvis sit similis in pennis et variis coloribus. significat sanctos viros multum differentes ab hæreticis et hypocritis, quamvis conveniant in baptismo et imagine, seu exteriori christianitate. Hugo, in libro *de Charitate* [1] : Charitas eos in quibus inest, non solum intus charitate, sed foris conversatione decernit.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 760-763.

Herodius celer in præda, qui falco vocatur,
Nititur alarum remige, falce pedis.
Iste reos signat, ad prava volare paratos,
Quorum sunt celeres ad mala quæque pedes.

XVI.

1. MILVUS, rapaces [2] : « Illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum [3]. »
2. Diabolus : « Habebant alas, quasi alas milvi [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 40. — apud *Joannem Institorem*, c. 18.

EUCHERIUS, ed. I, p. 13; ed. II, col. 750 B ad 2.

GREGORIUS M. Milvus, diabolus; unde Zacharias : « Ecce, inquit, duæ mulieres, et habebant, etc. » Hæ sunt duo principalia vitia, scilicet superbia et vana gloria, quæ in alis spiritum habere narrantur, quia in actibus suis Satanæ deserviunt. Milvus autem semper insidiatur vitæ pullorum, sed diabolus jugiter machinatur interitum parvulorum.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 11, p. 88.

RABANUS. Milvus, diabolus, ut : « Habebant alas, etc. » — Rapaces, ut : « Milvum et vulturem non comedes [5]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIII, art. 10. Milvus cœli, Christus. Isaias : « Congregati sunt milvi, alter ad alterum, » Judæi scilicet contra Christum. — Milvus terræ dicitur Judæus, vel hæreticus, qui circumvolat ut rapiat. Leviticus : « Milvum et vulturem ne comedetis, » id est, rapaces et immundos ne imitamini.—Milvus inferni diabolus est. Zacharias : « Vidi, et ecce duæ mulieres egredientes, etc. » Hæ sunt superbia et inanis gloria, quæ agunt opera milvi, id est diaboli.

Primus rapit pullos diaboli; secundus rapit pullos Ecclesiæ; tertius insidiatur, ut rapiat pullos Christi. Primus habet nidum in cœlo; secundus, in synagoga Satanæ; tertius, in inferno. Primus rapit, ut liberet; secundus rapit, ut perdat; tertius rapit, ut devoret. Primus ergo prædam suam transfert in cœlum; secundus, in synagogam Satanæ; tertius prædam suam detrahit ad infernum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Milvus mollem vocem habet; in circuitu volat; non est rixatrix, ut accipiter et aliæ aves; immobilis, penna fertur super altitudinem nubium; semper in terram respiciens, ut cadaver aut aliquid tale in prædam rapiat; modulos varios voce format.

Milvus, raptor; inter immundas aves re-

(1) *Charitate*. Locus non exstat in edito Hugonis *Libello de laude Char.* t. II, p. 259. — (2) *Aut elati* : *In Isaia* B G.— (3) *Alterum*. Is. XXXIV, 15.—(4) *Milvi*. Zachar. V, 9. — (5) *Comedes*. Levit. XI, 14.

putatur. Contemtus cupidinis, ut : Milvus in cœlo cognovit tempus suum [1]. » — Dæmones, ut : « Habebunt, etc. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 679-688.

Improvisus adest, quum pullos tollere milvus
Sunt, in prædam non sine fraude ruit.
Hunc par est aliquis prædo, qui roboris expers,
Fraudibus incautos insidiisque premit.
Hos demonstrat hœdos Isaiæ lectio dicens :
« Milvi convenient alter et alter ibi. »
— Obtinet exiguas haliæetus corpore vires ;
Sunt et aves minimæ præda cibusque suus.
Exprimit hic aliquem qui solos vexat egenos,
Cui desunt vires, non violentus amor.

XVII.

1. CORVUS, Christus [2] : « Pennæ ejus elatæ palmarum, nigræ quasi corvus [3]. »

2. Prædicator : « Quis præparat corvo escam suam, quum pulli ejus clamant vagantes [4] ? »

3. Nigredo peccati [5], ut supra.

4. Tarditas pœnitentiæ [6] : « Vox cantatricis in fenestra, corvus in supraliminaribus [7]. » ÷ « Corvus de arca exiens non redit [8]. »

5. Dæmones : « Oculum qui subsannat patrem, effodient eum corvi de torrente [9]. »

÷ 6. Gentilis populus, vel pœnitens : « Dat escam pullis corvorum invocantibus eum [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS, apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 35. — apud *Joannem Institorem*, c. 12.

EUCHERIUS, edit. I, p. 13; edit. II, col. 749, 750 ad 1, 3.

GREGORIUS M. Corvus, gentilitas, ut in Job : « Qui præparavit corvo escam suam, quando pulli ejus ad Deum clamant, vagantes, eo quod non habeant cibum. » — Plebs judaica, per infidelitatem nigra : « Cujus pulli ad Deum clamant, » quum sancti apostoli pro gente sua ad Dominum orant. Corvo autem huic, pullis clamantibus, esca præparatur, quia, orantibus Apostolis, plebs illa ad fidei cognitionem reducitur. — Quilibet sanctus prædicator, cui, pullis ejus clamantibus, esca præparatur, quia, dum boni auditores verbum Dei esuriunt, majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. — Sancti prædicatores ; unde Salomon : « Oculum qui subsannat, etc. » Perversi quilibet, dum divina judicia reprehendunt, subsannant patrem. Et dum Ecclesiæ fecunditatem in ejus prædicatione despiciunt, quid aliud quam partum matris contemnunt ? Corvi enim de torrentibus, id est prædicatores a fluentis suis eloquii venientes, oculum subsannantis effodiunt ; quia pravæ pervicaciam intentionis vincunt.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 7, p. 78.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Contumax, ubi : « Emisit corvum, qui non est reversus. » — Prædicator, ut : « Quis præparabit corvo escam ? » — Humiles, ut : « Coma ejus nigra, quasi corvus. » — Gentiles, ut : « Pullis corvorum invocantibus eum. » — Prædicatores, ut : « Effodiant eum corvi. »

(1) *Suum.* Jerem. VIII, 7. — (2) *Christus. in membris suis, hoc est in sanctis* B-G. — (3) *Corvus.* Cant. V, 11. — (4) *Vagantes.* Job XXXVIII, 41. — (5) *Peccati, vel infidelitatis* B-G. — (6) *Et vana spes de die in diem differentium* B-G. — (7) *Supraliminaribus.* Sophon. II, 14. — (8) *Redit.* Genes. VIII, 6. — (9) *De torrente.* Prov. XXX, 17. — (10) *Invocantibus eum.* Ps. CXLVI, 9.

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 7.

Corvi.

Apostoli.	Ecclesia.
Prædicatores.	Gentiles.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Corvo*. Corvus in sacra Scriptura et tetris litteris et aureis inscribitur. Corvus significat malos prælatos propter nigredinem vitiorum, propter raucedinem prædicationum, propter cupiditatem oblationum, propter voracitatem carnium. De his corvis in Levitico dicitur : « Omne corvini generis non comedes [1], » id est, nullum malum prælatum in exemplum assumes. Corvus veros prædicatores significat, quia liberalis et largus est, sicut in libris legi, et oculorum judicio probavi. De hujusmodi corvis dicit Salomon : « Oculum qui subsannat patrem, etc., effodient, » hoc est intellectum de sano eloquio. Deum blasphemantem improbabunt veri doctores, in fluentis sacræ et sanæ doctrinæ commorantes. Corvus in cadavere primo oculum petit : in hoc figuram gerit diaboli, qui hominem ad mortale peccatum pertrahere tentans, primo modis omnibus judicium rationis obfuscare conatur, ut homo fallatur in electione et fuga. Quo facto, ducit, immo abducit eum quo vult. Hinc est quod rex Babylonis Sedeciæ prius abstulit oculos, postea filios, quia diabolus, rex confusionis, prius aufert homini discretionis lucem, postmodum bonorum operum prolem.

Corvus significat falsum monachum, qui ad exteriora negotia missus, carnis voluptatibus inescatus, non revertitur ad claustrum. — Vel corvus, emissus ab arca, significat quemlibet contumacem, qui pro contumacia sua expellitur ab Ecclesia. Moraliter corvum emittit de arca, qui mortale peccatum excludit a sua conscientia. — Corvus significat gentiles idololatriæ fuligine denigratos; unde est illud Psalmistæ : « Qui dat jumentis escam ipsorum, » id est simplicibus escam sibi competentem, id est doctrinam simplicem, quia parvum parva decent : « Et pullis corvorum invocantibus eum, » id est, filiis gentilium conversis veraciter ad Deum.

Corvi videntur significare poetas et philosophos inaniter garrientes, secundum illud magistri Serlonis [2] :

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis.
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et Persius [3] :

Quod si dolosi spes refulgeat nummi,
Corvos poetas et poetrias picas,
Cantare credas pegaseium melos.

ANONYMUS TRECENSIS. *Abjicit mundus pauperes, et honorat divites.* Notandum : Augustinus dicit quod corvus est talis naturæ quod pullos suos, quamdiu non habent plumas, abjicit, et contemnit eos, nec eos nutrire vult, et tunc rore cœli pascuntur; sed quando videt et percepit eos pennatos, diligit et nutrit eos. Sic spiritualiter mundus diligit et honorat habentes pecunias divitiarum, et non habentes abjicit et contemnit. Figura hujus in libro Judicum Dalila, quæ Samsonem habentem capillos fecit dormire in gremio suo; sed postquam perdidit crines, abjecit eum. Ita et fecit Agar : deficiente aqua et vino, abjecit puerum. Genesis XXI.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 526-537.

Angele terrestris, vel homo cœlestis, Elia,
In terris degens, arcanaque cœlica cernens,
Quum cœli clavis, quum fibula sis pluviarum,
Cœlitus ultrices flammas deponere possis,
Te quicumque tacent, in publica commoda peccant.
De torrente Carith potaris, ubi latuisti :
Mortem gustavit Christus, qua carne latebat.
Eliæ corvi panes cum carne ferebant;
His cibus Eliæ fiebat vespere, mane :
Olim gentiles incredulitate nigrantes,
Dum credendo Deum trinum profitentur et unum,
Speque resurgendi vivunt, sunt passio Christi.

HERMANNUS WERDINENSIS.

[*vide supra*, *p.* 112 *et* 160].

(1) *Comedes*. Levit. I, 15. — (2) *Serlonis*. De quo cf. *Hist. litter. de la France*, t. XV, p. 1. — (3) *Persius*. In Satyr. *prolog.* v. 12. In codice *quid si... poetridas... pegaseum*.

XVIII.

Cycnus, elata superbiæ cervix [1]. In Levitico hæc avis vesci prohibetur.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 53. — apud *Joannem Institorem*, c. 6.

Rabanus. Cycnus, superbia, ut qui in lege comedi prohibetur.

Thomas Cantipratanus in libro V, c. 26. — Moralitatum lib. III, art. 12. Cycnus has conditiones sive proprietates invenitur habere : I. Ut dicit Isidorus [totus [2] est albus in plumis; nullus enim alium invenit nigrum] : significat virum evangelicæ, sive virgineæ castitatis. Cantatur de beato Dominico [3] :

> Conservans sine macula
> Virginitatis lilium.

Et iterum : Eia, fratres charissimi, in hanc usque horam, illibata mihi virginitas, singulari Dei munere, constitit. — II. Ut dicit idem, [cycnus a canendo est dictus, eo quod dulcem habet cantum et modulatis vocibus et variis utitur; ferunt in hyperboreis partibus, præcinentibus cytharœdis, oleres plurimos advolare, apteque admodum concinere] : significat hoc contemplativos homines supermentali lætitia jubilare, unumquemque pro se, et simul æterno Deo. Augustinus *super Psalmos* [4] : Hymnus est laus Dei cum cantico. — III. Ut dicit beatus Ambrosius in *Hexaemeron* [5] : Nautæ bonum præsagium reputant, quando cycnum in naufragio obviant. Dicitur enim cycnus haruspiciis simplicissimus ales. Hunc etiam optant nautæ, quia non se mergit in undis, et ideo fuit Apollini consecratus, ut dicit Martius [6]. Significat bonorum virorum præsentiam lætificare tribulatos. Augustinus *ad Probam, de orando Deum* [7] : Adsint boni homines, omnia tristia leniuntur et supportantur. — IV. Ut dicit Martius, [in alis est ejus maxima fortitudo] : significat puritatem sanctorum esse in fortitudine virtutum. Dionysius [8], in libro *de angelica Hierarchia* : Conditiones puritatis spirituum supernorum, quod secundum excellentissimam castitatem sunt Dei fortissimis virtutibus supercollocati, et in subjectis contumeliam omnino nesciunt. — V. Ut dicit idem, [quando coeunt, blandiuntur sibi invicem mas et femina, et capita alternatim suis collis inflectunt; balneat autem se masculus, simul et femina] : significat quod boni conjugati lacrymis et eleemosynis se mundant. Ambrosius, in sermone *de beato Petro ad vincula* [9] : Lavant lacrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. — VI. Ut ponit beatus Ambrosius in *Hexaemeron*, [instante morte, pœna infima in cerebro, canit, et contra aliarum animantium consuetudinem, tunc pro gemitu cantum reddit] : significat sanctos viros gaudere et exsultare in morte, consideratione finis præsentis miseriæ et ascensione ad præmia sempiternæ patriæ. Exemplum ponit beatus Hieronymus in *Vitis Patrum*, de abbate Sysoio [10] : qui quum moreretur, facies ejus radiavit fulgore quodam, quia beatus Antonius jam defunctus advenerat; postea rutilavit tota, quia chorus prophetarum supervenit; postea in splendore

(1) *Cervicis altæ superbia* B G. — (2) *Totus*. Quum sæpe Cantipratanum *Moralitatum* auctor, paucis mutatis, in suos trahit usus, utrique simul jam producitur, prior scilicet, uncinis inclusus; posterior vero subinde allegoricam expositurus significationem. — (3) *Dominico*. In Breviar. Prædicat in festo S. Dominici, ad hymn. vesp. et in octav. — (4) *Psalmos* T. IV, p. 1, p. 1077 c. — (5) *Hexaemeron*. Cf. lib. IV, c. 12, n. 59; c. 22, n. 75. — (6) *Martius* ille, nonne idem forte est cum illo scriptore, quem Cantipratanus diserte alias nominat *Marcum Varronem?* Eumdem sane Noster paulo infra *Marcianum* appellat. Quis demum ille sit, aut quemnam librum Varronianum, si quid Varronis ibi est, Noster defloraverit, operæ pretium erit alias disquirere. — (7) *Deum*. August. *Epist.* CXXX, p. 382. — (8) *Dionysius*. Ibid. cf. c. 15. *Opp* t. I, p. 140. — (9) *Vincula*. — (10) *Sysoio*. Lib. III, *Vit. PP.* p. 524, ed. Rosw

solis ejus effigie relucente, ad præsentiam Christi, ait : In veritate, nec principium pœnitentiæ sum, si tanta est gloria pœnitentis. Omnisque locus ille grato odore plenus est, sic eo convolante gaudenter ad cœlos.—VII. Ut dicit Plinius, [inter pisces nutritus, ipsos non comedit]; immo vel esca si projecta fuerit, piscibus ipsum sequentibus relinquit : significat bonos homines suis vicinis beneficos, et humiliter statu suo contentos. Petrus, in *Itinerario*, ad Clementem [1] : Nondum agnoveras vitam meam : panis cum olivis raro, et cum oleribus in usu mihi est; indumentum vero, hæc quam vides tunica, cum pallio : et hoc habens aliud nihil requiro. Hoc mihi sufficit, quia mens mea non ad hæc præsentia, sed ad æterna spirat, et ideo nihil me rerum præsentium visibiliumque delectat. — VIII. Ut dicit Ambrosius in *Hexaemeron*, pedes habent nigros, latos, et clausos, natationi valde aptos [quorum uno utitur pro remo, in natando; alio vero pro gubernaculo, se regendo] : significat hoc viri spiritualis, religiosi et humilis reputationem propriam et profectum in affectione, merito et discretione. — IX. Ut dicit idem, stagna et lacus inhabitant [et secus aquas nidificant], ubi super pauca ligna semel conjecta, et simul super ova cubant et pullificant : significat hoc sapientiæ cœlestis avidum inhabitare venerabilium Scripturarum fluenta, in quibus suam ponens devotionem, sacros conceptus excitat; et, tota animi affectione, merita vitæ æternæ pullificat.—X. Ut dicit Martius [pullos cycnus sollicite nutrit et educat], et eos rostro et sibilo protegit et defensat, et siquis adversus eos appropinquat, se opponere et interponere numquam cessat : significat diligentiam et sollicitudinem, quam debent habere prælati circa subditos educandos in Christo ac defendendos ab adversariorum periculo.—XI. Ut ponit Martianus, [avis est oneris impatiens, nec libenter volat, sed in stagnis requiescere delectatur] : significat carnales et voluptuosos, sive deliciosos, non aptos ad contemplationem. Ambrosius, *super Lucam* [2] : Qui terrenis vanitatibus occupantur, scire divina non possunt. — XII. Ut dicit idem, sunt quidam ex eis silvestres, volantes volatu forti, collis extentis, et pedibus ad posterius applicatis; sed non sunt tam magni corporis, nec tantæ pinguedinis, sicut sunt domiti, qui juxta hominum habitacula sunt nutriti : significant religiosos sive eremitas totaliter Deo deditos per contemplationem, mundum et mundana contemnentes tota voluntate et operatione. Ad Philippenses III : « Quæ retro sunt obliviscens, ad anteriora vero me extendens in ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo [3]. »

Anonymus Clarevallensis. *Cycnus.* Hæc contra pericula mortis sibi imminentis dulcissimis vocibus cantat.

Cycnus, contemplativus, cujus sermo de cœlestibus, et actio de terrenis. Unde inter immunda reputatur.

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 737-752.

Candor inest cycno ; collum protendit ad escam,
De terris, vel aquis ut trahat ille cibum.
Qui vestis candore nitent, et guttur ad escas
Quaslibet extendunt, hanc imitantur avem.
— Par onocrotalus cycno, sonitum dat in undis;
Ac uterus quidam faucibus ejus inest.
Escarum cupidus, impleri nescius ales,
Colligit hoc totum quidquid habere potest.
Quæ rapuit primo, mox reddit in os, et in alvum
Veram fert, tamquam ruminet ille cibum.
Dives opum cupidus, qui construit horrea, quorum
Ventre recondat opes, hanc imitatur avem.
Qui tantos cumulat fructus, ut pluribus annis
Consumi nequeat tantus acervus opum.
Postea si sit opus, proprios expendit in usus,
Et velut alvus, eas ventre receptat opes.

(1) *Clementem.* Coteler. *PP. apostol.* t. I, lib. VII, *Recognitionum S. Clement*, n. 6, p. 554, ed. Antuerp. 1700. — (2) *Lucam.* Cf. *Opp* t. II, col. 1016, 25. — (3) *Christo.* l. l. III, 13.

XIX.

1. Vultur, peccator, de aliena morte lucrum quærens [1] : « Vulturem et similem ejus ne comedas [2]. »

2. Christus : « Nec intuitus est eam oculus vulturis [3]. »

3. Populus Judæorum. In Job : « Nec intuitus est eam, » id est Sapientiam Patris, « oculus vulturis. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Epiphanium*, c. 11. — apud *Petrum Damianum*, c. 17. — apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 38. — apud *Joannem Institorem*, c. 5.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 13, p. 99.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Vultur, Redemtor, ut : « Non intuitus est e. o. v. » — Raptor, ut : « Vulturem non comedetis. »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 5. Vultur supremus, Christus. Job : « Nec intuitus, etc. » — Vultur infimus, raptor, vel quicumque quærens victum de morte alterius. Leviticus [*ut supra*]. Primus rapit pullos gallinæ, id est diaboli. Evangelium : « Si fortior illo supervenerit [4], etc. » Nonne grandem pullum rapuit huic gallinæ noster vultur, quando Saulum percussit in via quæ ibat Damascum, et dixit ei : « Ego sum Jesus Nazarenus [5], etc. ? Secundus rapit bona aliena. Exodus : « Non furtum facies. »

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. V, art. 113. — Moralitatum lib. V, art. 38. Vultur has proprietates, sive conditiones invenitur habere, secundum doctores : I. Enim, ut dicit Isidorus, a tardo volatu sic nuncupatur, quasi Volans tarde : significat illos qui tardi et pigri efficiuntur ad assurgendum in Deum. — II. Ut dicit beatus Ambrosius, [negantur a quibusdam vultures concubitu et conjugali quodam usu nuptialisque copulæ sorde misceri], sed concipi et concipere, generare et gigni solo odoratu : significant virgines sine fœditate copulæ carnalis generari et generare Deo, fructibus sempiterne reflorentibus et suaveolentibus paradisi amœnitatibus. — III. Ut ponit Isidorus, [vivunt vultures per centum annos] : significant perseverantiam in justitia. — IV. Ut dicit Plinius, est avis impia circa filios [si viderit pullos suos ocius impinguari, dolet ; quapropter illos rostro et pedibus mulctat, ut sic eos efficiat macilentos] : significat illos qui de aliorum felicitatibus sive prosperis successibus contristantur, ut fecit Cain circa Abel. — V. Ut dicit idem, [vultures, sicut aquilæ, ultra mare, cadavera sentiunt ; quum bellum inter se adversæ acies hominum instaurant, multo prædictæ vultures sequuntur agmine, et eo significant quod multitudo hominum casura sit bello, præda futura vulturibus] : significant quosdam mimos, qui ubicumque fiunt nuptiæ, vel curiæ, vel carnales epulæ, vel alicujus temporalis lucri materia, huc concurrunt, ut satientur. — VI. Ut dicit Aristoteles, [vultur pugnat cum herodio, et in ipsum ruit ; sed quum herodius agilis sit, cum impetu ruenti cedit, avisque gravida se retinere non valens, se ipsam occidit] : significat impugnationes hominum ex hoc ipso promerentium mortem æternam, et aliquando mortem temporalem. Exemplum in Egea, tyranno beati Andreæ, et in Paschasio, tyranno beatæ Luciæ, et multis aliis, ut habetur in Gestis. — VII. Ut dicit Aristoteles, [venatur a meridie usque ad noctem et a tempore ortus soli usque ad meridiem cessat. Quando senescit, elongatur rostrum ejus superius,

(1) *Prædam de a. m. q.* B-G. — (2) *Comedas.* Levitic. XI, 14. — (3) *Vulturis.* Job XXVIII, 7. — (4) *Supervenerit.* Luc. XI, 22. — (5) *Nazarenus.* Act. XXII, 8.

et recurvatur ut attingat labium inferius, et fame et inedia moritur] : significat avaros, qui instant lucris temporalibus a juventute usque ad mortem, et tandem numquam satiati perveniunt ad damnationem. — VIII. Ut dicit idem, [quod ei de cibo superfluit, in nido reponit, ut inde se cibet et pullos, quoniam de facili cibum non acquirit] : significat divites, qui nihil relinquunt pauperibus, nec etiam reliquias suas volunt dare pauperibus. — IX. Ut dicit idem, [nidificat in rupibus excellentissimis; nidos vulturum, ut dicit Plinius, nemo attingit] : significat superbos et ambitiosos ambulantes in magnis et mirabilibus. — X. Ut dicit idem, [si forte aliqua avis, quæ etiam fortior est, velit ejus pullos diripere, exponit se periculo, percutit alis, unguibus verberat] : significat proprietarios bonorum suorum, denegantes se communi charitati. — XI. Ut dicit idem, [nutrit pullos suos, quousque volare possint; deinde ejiciens eos a nido, vetat eos appropinquare ad loca in quibus nati sunt; nec permittit unum par vulturum aliud par subintrare locum suum] : significat illos qui quum possint hospitales esse, refugiunt, et postquam vel semel paverunt pauperem, amplius eum videre nolunt. — XII. Ut dicit Gregorius [1], [altius quippe volans, si cadaver in infimis conspicit, præ amore cadaveris de sublimitate aeris se submittit] : significat Filium Dei altissimum, secundum eumdem beatum Gregorium, qui in sinu Patris exsistens, et humanum genus, quasi cadaver propter peccatum Adæ effectum, conspiciens, quum in forma Dei esset, ex pietate de Virgine carnem sumens, ad ipsum descendit incorporandum. Sed dum ipsum in se trajiceret, supervenientes adversarii populi, id est Judæorum, ceperunt ipsum, instar vulturis, et occiderunt velut cæci, non advertentes Salvatorem, qui operabatur salutem in medio terræ.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 689-692.

Vulturis est rixis gaudere, cadavera velle,
Ut cibus occurrat, bellica castra sequi.
Sunt similes qui bella volunt, qui castra sequuntur,
Qui spoliis inhiant, esuriuntque lucrum.

XX.

1. STRUTHIO, hypocrita, vel Synagoga [2] : « Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris [3]. Et erit cubile draconum et pascua struthionum [4]. »

÷ 2. Gentilis vel peccator conversus : « Glorificabunt me bestiæ agri, dracones et struthiones [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, c. 34, al. 24. — apud *Isidorum*, c. 21. — apud *Ansileubum*, fol. 32. — apud *Petrum Damianum*, c. 18. — apud *Hugonem S. V.*, lib. II, c. 37. — apud *Joannem Institorem*, c. 1.

EUCHERIUS, ed. I, p. 11; ed. II, 749 B ad 3.

GREGORIUS M. Struthionis nomine gentilitas designatur, ut per prophetam dicitur : « Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones. » Bestia namque agri, dracones et struthiones Dominum glorificant, quum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat, gentilitas exaltat. — Struthionum nomine ipsa hypocrisis designatur; unde bene contra perversam mentem, sub Judææ

(1) *Gregorius.* In *Moral.* lib. XVIII, c. 34, n. 54, col. 580. — (2) *Hæreticus, vel philosophus, quod, quasi cum pennis sapientiæ, evolat* D. *Tantum evolat* B, C. *Tamen evolat* G. — (3) *Accipitris.* Job XXXIX, 13. — (4) *Struthionum.* Jerem. L, 39. *Struthionum, id est dæmonum* B-G. — (5) *Struthiones.* Is. XLIII, 29.

specie, per Isaiam dicitur : « Erit cubile draconum et pascua struthionum. » Quid namque per dracones, nisi malitia, et quid struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe speciem volandi habet; sed usum volandi non habet, quia hypocrisis cunctis intuentibus imaginem sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. Draco in perversa mente cubat; quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio sanctitatis antefertur.

Gregorius *apud Garnerium S. V.*, lib. II, c. 8, p. 80.

Rabanus. Struthio, negligens prædicator, ut : Penna, etc. » — Simulator, ut : « Factus fui draconum similis et socius struthionum. »

Petrus Capuanus, ad litt. XVIII, art. 71. Struthio et aureis et tetris litteris scribitur. Intelligitur enim in bona significatione : « Et glorificabunt me dracones et struthiones. » Intelligitur autem in mala significatione, et dicitur hypocrita. Job : « Penna, etc. » Struthio autem ad litteram avis est quæ pennas habet, et tamen volare non potest; sed semper in terra manet, et per terram graditur. Ad hunc modum hypocrita pennas quidem operum habere videtur, dum speciem sanctitatis præfert; sed his pennis ad alta non volat, qui ea pro æterna mercede non facit. Sed semper in terra manet, et per terram graditur, qui terrenas laudes ex suis operibus appetit.

Anonymus Clarevallensis. Struthio circa terram est; pedes habet similes cameli pedibus; quum viderit stellam quæ Virgilia dicitur, ponit ova sua, et fodit in terra, et ea operit sabulo, et numquam ad ea redit. Tranquillitas tamen aeris et temperies hoc præbere videntur, ut calefacta æstate arena excoquat ova, et fotu pulveris animentur, et producant pullos. Struthio ingens est corpore, rara in plumis, alas habet similes accipitris et herodii; volare nequit, alas tamen quandoque erigit; ova relinquit et conculcat.

Struthio.

Negligens peccator. Simulator.

Anonymus Trecensis. I. *Intentio debet esse in omni tempore ad Deum.* Notandum : Gregorius dicit in libro *Moralium*, quod struthio, antequam ponat ova sua, primo levat oculos suos ad pleiades, quæ sunt quædam stellæ, et postea ovat. Sic spiritualiter : homo in omni tempore debet ad Deum oculos cordis levare, ut in opere sit semper intentio bona, ut fiat propter Deum.

II. *Justificationi impii cooperatur Deus.* Notandum : struthio ponit et abscondit ova sua sub sabulo, et nihil plus facit, nec fovet ea; tamen, mediante solis caliditate, educitur pullus. Sic spiritualiter : homo ponit ovum, id est, concipit bonum propositum; sed pullum boni operis non educit, nisi concurrente et adveniente divina virtute.

III. *Hypocrita similis est struthioni*, qui nigras habet alas, et videtur quod debeat capere gruem in cœlo; et tamen non potest elevari a terra. Sic hypocrita videtur quod contempletur cœlestia, et tota cognitio et intentio est circa temporalia. Unde duæ alæ ejus sunt avaritia et superbia.

IV. *Oblitus fuisse videbatur Deus generis humani.* Notandum : struthio ponit ova sua sub arena, et ibi obliviscitur : calefacta calore solis, fervor iste ova sua excoquit, et ex eis pullos procreat et educit. Sic spiritualiter : Deus primos parentes et posteritatem eorum, sicut quædam ova, produxit, quorum, propter peccatum eorum, quasi oblitus fuerat. Sed unum ipsorum, quod fuit absconditum sub arena uteri virginalis, fuit. Virgo Maria optime figuratur per arenam, quia sicut arena est sicca, sic ipsa exsiccata ab omni humore peccati; et sicut quanto plus depluitur, tanto plus deprimitur, sic beata Virgo Maria, quanto plus de pluvia gratiæ recepit, tanto fuit magis depressa per humilitatem. Istud ovum quod fuit absconditum in utero virginis fuit sanctum corpus Christi, quod ex calore Spiritus sancti in hominem perfectum est et formatum, et sic pullus formatus sub arena virtute solis a matre cognoscitur. Sic, Christo nato de Virgine, et apparente in carne, genus humanum recognitum fuit a Deo Patre. Istam oblivionem in persona generis humani de-

plorabat David, dicens in psalmo : « Usquequo, Domine, oblivisceris me [1] ? »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Leviticum, v. 697-706.

Sub corvi specie depinxit legifer illos
Quos mundanus honor ad scelus omne trahit.
Nunc aliquem tangit, qui religionis amictu
Se tegit, ut citius possit honore frui.
Invenies scriptum quod pennas struthio gestet,
Herodii pennis accipitrisque pares.
Sed non tam celeri viget ejus penna volatu,
Hypocritamque notat, qui simulando volat.
Aurea [2] facta foris simulans hypocrita fingit :
Sed mala mens intus plumbea facta gerit.

XXI.

PELICANUS, Christus in passione : « Similis factus sum pelicano solitudinis [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Epiphanium*, c. 8. — Apud *Chrysostomum*, A, c. 20. — Apud *Hildefonsum*, c. 55. — Apud *Ansileubum*, fol. 121. — Apud *Petrum Damianum*, c. 15. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 33; II, c. 27.

EUCHERIUS, ed. I, p. 13; ed. II, col. 749 D.

ISIDORUS, *Etymol.*, lib. XII, c. 7, n. 26, et in *Physiologo*, c. 7.

RABANUS. Pelicanus, eremita, ut : « Similis, etc. »

THOMAS CANTIPRATANUS, *de Naturis rerum*, lib. V, art. 96. — MORALITATUM, lib. VI, art. 31. Pelicanus has conditiones sive proprietates invenitur habere secundum doctores : I. Enim, ut dicit Isidorus, [hæc avis habitat in Ægypto, et circa Nilum frequentissima est] : significat prædicatores contemplativos, fugientes mundiales vanitates, et insistentes circa cœlestes consolationes. — II. Ut dicit Glossa super psalmum CI, et idem dicit Philosophus, [hæc pullos diligens, quum sibi tandem importuni fuerint, occidit eos; et planctos eos per triduum, se ipsum in latere rostro percutiens, sanguine proprio vivificat [4]] : significat quod humanum genus occisum, et necatum procuratione et veneno tentationis diaboli, serpentis antiqui, Filius Dei, ad modum matris diligentis et commorientis et confoventis, suo sanguine vivificavit. — III. Ut dicit idem, [hæc avis semper macie inficitur; quod deglutit, cito digerit, quia venter ejus nullum habet diverticulum quod cibum teneat] : significat macerantes carnem suam per imitationem Christi crucifixi, et quidquid delectabile offertur a mundo, viriliter et cito abjicientes. Exemplum in beata Eugenia, quæ quum offerentur ei opes validæ, respondit [5] : Nos delectat mendicari cum Christo. — IV. Ut dicit idem, [quando mater effuso copiosius sanguine, de quo filios ressuscitat, debilitatur, pulli sic suscitati exeunt pro cibo, et naturali affectu matrem debilitatam pascunt; quod diligentius avertens mater, receptis viribus, filios se pascentes refovet] : significat homines gratos Deo et beneficiis ejus, sive matri Ecclesiæ et fomentis spiritualibus ejus. — V. Ut dicit idem, [pelicanus aliquando habet pullos aliquos degeneres, qui quidem se pascunt, sed matrem penitus negligunt; quod quum mater, resumtis viribus, viderit, pios filios

(1) *Oblivisceris me.* Ps. XII, 1. — (2) *Aurea.* Referebat Hermannus hunc distichum, supra p. 292. — (3) *Pelicano in solitudine* B-D. — (4) *Vivificat.* Notat super hæc Noster, astipulante iterum Cantipratano : « Aliam autem causam mortis pullorum pelicani assignat magister Jacobus de Vitriaco, in libro *de Mirabilibus orientalium regionum.* Dicit enim quod, dum mater exit nido pro pastu, serpens per arborem ascendens, pungit et interficit pullos suos; super quos mater rediens lugere per triduum fertur. Deinde vulnerans se in pectore, sanguinem super eos respergit, sicque eos amore suscitat. » Hac de re præclare, ut solet, disseruit R. P. Cahier in insigni jam laudato opere : *Vitreaux de la cathédrale de Bourges*, nº 52, 53, p. 96-102. — (5) *Respondit.* In Act. ad diem XXV dec. apud Surium, t. VI.

nutrit, impios vero abjicit et contemnit] : significat Deum et Ecclesiam punire ingratos et a gratia sua repellere.

Anonymus Clarevallensis. Fertur, si verum sit, eam occidere natos suos, eosque per triduum lugere; deinde se ipsam vulnerare, et aspersione sui sanguinis eos vivificare [1]. Amator est nimius filiorum; qui quum genuerit natos, et cœperint crescere, percutiunt parentes suos in facie; sed parentes, quasi ad iracundiam provocati, repercutiunt, et occidunt, et suscitant, ut prædictum est. Nimiæ macilei est, nihil habens fere nisi pellem, ossa et plumas; amans solitudinem.

Pelicanus, Christus, vel prædicator, ut : « Similis, etc. »

Rhythmi super Cantica.

Sub arbore malo suscitavi te.

Sub arbore malo fuit,
Quo primus homo corruit,
Fructu gustato suavi.

Sed non tantum tum obfuit,
Quantum per me post profuit,
Plexum ob hoc morte gravi.

Pelicani factus avi
Similis, te suscitavi,
Nec sanguis meus latuit;

Quando in corde notavi,
Et pie consideravi
Quod facere oportuit.

XXII.

Nycticorax, vir sanctus [2], infidelibus despicabilis : « Sicut nycticorax in domicilio [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Epiphanium*, c. 20. — Apud *Chrysostomum*, A, c. 21; B, 31. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 34. — Apud *Joannem Institorem*, c. 11.

Eucherius, ed. I, p. 13; ed. II, col. 750 B.

Rabanus. Noctua, mens fallax, ut : « Noctuam et accipitrem non comedes. »

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. V, art. 90. — Moralitatum lib. VI. art. 29. Nycticorax, quæ et noctua a beato Ambrosio dicitur, has proprietates sive conditiones invenitur habere : — I Enim, ut ponit Isidorus [et Adhelmus [4], dicitur noctis corvus; noctis enim tenebras amat; nocte cibos suos quærit] : significat illos qui in fictione ambulant, et non in luce; et tamen in pietatis vultu, vitam mendicando requirunt. Exemplum in pauperibus de Lugduno [5], et aliis hæreticis. — II. Ut dicit idem, [est avis lucifuga, et solem videre non potest] : significat illos quorum sunt in tenebris opera, lucem veritatis fugientia. — III. Ut dicit idem, [in parietibus et locis ruinosis nidificat] : significat diabolum, maxime per hypocritas et hæreticos, ad multiplicationem membrorum sive filiorum suorum se juvare. — IV. Ut dicit idem, hæc avis dicitur noctua, quasi de nocte tuens, acute videt; [exorta tamen die, et circumfuso splendore solis, visus ejus hebetatur] : significat, secundum beatum Ambrosium in *Hexaemeron* [6], ubi agit de noctua, sapientes mundi et cæcos ad divina, aptos et acutos ad sæcularia. — V. Ut dicit idem, [in Creta insula, si quando noctua invenitur, statim emoritur] : significat religionem non sustinere malos, undecumque ei adveniant. Se-

(1) *Vivificare*. Huc usque Isidorus. — 2) *Christus, vel vir sanctus* B-G. — 3) *Domicilio*. Ps. CI, 7. — (4) *Adhelmus*, frater videlicet celeberrimi Joannis Erigenæ, ut videre videor in *proleg.* — (5) *Lugduno*. Quorum colluvies Gallias infecit circa finem sæc. XII, auctor ipse se refert ad quæst. XXVI de *hæresiarchis*, cap. *Excommunicamus*, scilicet in Gratiani *Decreto*. (6) *Hexaemeron*, lib. V, c. 24. Isid *Etym.* l. XII, c. 7.

neca ad Lucilium : primus gradus innocentiæ, est odisse nefanda.

Anonymus Clarevallensis. Noctua, contemplativus immundus; unde avis immunda reputatur. — Prædicator vel Christus, ut : « Sicut n. i. d. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 707-710.

Dicitur in nocte subtilis noctua visus
Esse ; intrante die, luce minore frui.
Hanc imitantur avem reprobi, qui sunt sapientes,
Ut mala noctis agant, nec bona lucis habent.

XXIII.

÷ Bubo, peccatorum tenebris deditus [1], et lucem fugiens. In Levitico.

XXIV.

Vespertiliones, idolorum monstra, tenebris dedita. In Isaia : « Ut adorent talpas et vespertiliones [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 44; lib. II, c. 34. — Apud *Joannem Institorem*, c. 9 et 14.

Eucherius, ed. I, p. 13; ed. II, col. 750 D ad XXIII.

Rabanus. Vespertilio, error mentis, ut : « Ne quis vespertilionem comedat [3]. »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 17. Vespertilio est avis quæ tantum circa terram volat, et non nisi in tenebris et in obscuro circumvolat; pedes etiam habet in alis. Si lapillus, albus maxime, vel alterius coloris illi projicitur, statim sequitur illum, et quasi cum illo se dejicit, et ita intercipitur, et moritur. Hi sunt qui terrena sectantur atque scrutantur. Vespertilio circa terram volat : et hi semper terrena quærunt. Vespertilio non nisi in tenebris et in obscuro circumvolat : et hi in actibus suis, quum sint mali, non nisi culpæ et noctis tenebras quærunt. Vespertilio pedes habet in alis : et hi, tamquam leves, inconstantes et vagi, pedes quibus debent firmiter subsistere in spe illius supernæ terræ, e qua impii projicientur, tamquam pulvis a facie terræ, in alis habent, quia ambiendo terrenorum cupiditatem vel diversitatem semper circumvolant. Lapillus autem de terra sumitur, ut vespertilioni projiciatur : quia si quid terræ alicui ex istis confertur et donatur, ambitione et delectatione illius usque ad terram se prosternit, ubi interceptus jam mortuus jacet. Nonne, tamquam cæcus vespertilio, Judas, aspecto albo lapillo, se dejecit in terram, quando abiit ad principes sacerdotum, et, acceptis triginta argenteis, quasi albo lapillo (nam et argentum album est), cupiditate illorum dejecit se in terram, postquam a Deo fuit increpatus, qui et abiens laqueo se suspendit ?

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. V, art. 18. Bubo, a sono vocis nomen compositum habet. Hoc ave capiuntur cæteræ volucres : et significat peccatores qui palam in scandalo hominum peccant, et peccare faciunt proximum, exemplo malo. Dicit Experimentator [4] : Bubo bibit ova columbæ; mures venatur; in ecclesiis habitans, oleum de lampade bibit, et tamen eam stercoribus defœdat. Quando impugnatur ab his avibus, quæ in luce habitant, resupina, pedum unguibus se defendit. Hæ aves signi-

(1) *Peccator tenebris deditus* B, C. — (2) *Vespertiliones*. Is. II, 20. — (3) *Comedat*. Levitic. XI, 30. — (4) *Experimentator*. Eo nomine Thomas primus inscripsit libellum ab eo repertum, quem post eumdem et sub eodem titulo Vincentius Bellovacensis frequenter laudavit, antiquissimum forsan, certe gnavi cujusdam rei physicæ indagatoris opus, de quo nonnihil in *prolegom.* ubi de Cantipratano.

ficant in Ecclesia insolentes et dissolutos clericos, qui, etsi vivant de pingui beneficio Ecclesiæ, eam tamen luxuriæ spurcitiis et scandalis fœdant; et quando arguuntur a bonis, in eos animi crudelitate grassantur.

Anonymus Clarevallensis. Bubo, fidelis, sed tristatus de amissione terrenorum; unde immunda reputatur.

Anonymus Trecensis. I. Hypocrita similis est buboni quæ habitat in ecclesiis, non propter devotionem, sed ut comedat oleum lampadarum; ita et ipsi, propter oleum vanæ laudis.

II. *Hypocrita videtur esse bonus et non est.* Nota fabulam : Vespertilio excusavit se de festo leonis. Dicit enim primo se esse avem propter alas quas habet; secundo excusavit se propter pedes; tertio, propter os : et significat hypocritam. Vespertilio enim non habet plumas in alis, sed magis carnem vel pellem tenuem : sic secundum veritatem hypocritæ sunt animalia terrestria; cor habent in terra, etsi videantur volare sursum per devotionem, hoc non est nisi per carnem, quia pennas virtutum non habent.

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Levitic., v. 721-728.

Omen in urbe malum, bubo solis jubar odit;
Etiam vestigat nocte, veretur aves.
In quem forte greges avium si lumina figant,
Conclamando volant; hunc laniando secant.
Incestus notat iste reos, qui corpore fœdi,
Contra naturæ jura latent et agunt.
Hos justi, quasi lucis aves, discerpere quærunt;
Zelo succensi verba severa serunt.

II. *Ibid.*, v. 769-776.

Vespere, pronus humi, vespertilio volat; uti
Pennis pro pedibus in gradiendo solet.
Hic cujus mentem terrena scientia ditem
Efficit, huic volucri se facit esse parem.
Iste velut circa terram volitat, quia veri
Luminis ignarus, terrea sola sapit.
Pennis pro pedibus uti didicit, quia pennas,
Ejusdem sensus, ad lucra sola movet.

XXV.

Coturnix, littera legis [1].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 51.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Coturnix, adeps divini spiritus; unde : « Petierunt, et venit coturnix [2]. » — Divina præcepta; unde : « Ascendens coturnix operuit terram [3]. »

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. V, c. 37. — Moralitatum lib. III, art. 7. Coturnices has conditiones sive proprietates habere dicuntur : I. Enim, ut dicit Isidorus [et Solinus, adveniendi habent tempora certa] : significat regulariter viventes et in congregatione. Exemplum dat beatus Ambrosius, *de Paradiso* [4], ubi dicit quod mille quingenti servi Dei erant in deserto, simul Deum colentes sub patre Pachomio. — II. Ut dicit idem, multum timent accipitrem; quamdiu eum vident, vel sentiunt ipsum, de terra non surgunt : significat dæmonem esse timendum et summe cavendum; et contra ejus insidias vigilandum. — III. Ut dicit idem, hæ aves habent duces, sicut et grues, et ideo quia timent accipitres, cura est eis sollicitare duces, externi generis per quos cavent propria discrimina, ne capiantur : et significant bonos subditos, eligentes sibi bonos prælatos, et assistentes eis in suo officio, ne periculum aliquid animarum incurrant. — IV. Ut dicit idem,

(1) *Coturnices, in esum filiorum Israel datæ, legis historiæ, ut quidam volunt, figuram habuisse dicuntur; in Exodo* B-G. *Escæ f. i. latæ* D. — (2) *Coturnix.* Ps. CIV. 40. — (3) *Terram.* Exod. XVI, 13. — (4) *Paradiso.* In hoc Ambrosii libro quum nihil simile occurrat, multa mihi suspicio est ibidem laudandam esse Palladii *Lausiacam* historiam, in qua meminit Pachomii discipulos MCD fuisse, c. 38, lib. VIII in *Vit. PP.* p. 757 ed. Rossw. Huc accedit quod idem liber in codicibus audit *Heracliti Paradisus;* inter quos cod. Paris. 5586. Cæterum hæc veneranda τῶν γερόντων historia nihil hactenus ad S. Ambrosium attinuit.

hæc avis mare transiens, quum lassatur, in aqua descendit, et, unam alam erigens, velum sibi facit : significat justum in suis vexationibus recurrere ad lacrymas devotionis, et animas exponere cœlestibus influentiis, seu afflatibus charismaticis. — V. Ut dicit idem, hæ aves sunt ad cibos gratissimæ : significant consolationes gratiæ cœlestis, sive recreationes Scripturæ venerabilis. Damascenus in libello suo [1] : Pulsemus paradisum Scripturarum sanctarum, qui optimus, deiferus, circumvolat nostras aures. — VI. Ut ponit beatus Ambrosius, speciem suam multum diligunt, ideo vociferando mutuo se requirunt : significat communem charitatem in familia sive congregatione, et mutuam ad bona cohortationem. — VII. Ut dicit Isidorus, citissime currunt super terram : significant profectum bonorum. — VIII. Ut dicit idem, hæc avis sola habet morbum caducum, sicut et passer : significat cupidos, vel cadentes ex consuetudine in peccatum. — IX. Ut dicit idem, habent semina venenosa; nam cibus earum est helleborus, propter quam causam veteres ejus vesci prohibuerunt : significant consolationes hujus mundi esse venenatas. — X. Ut dicit idem, habent strictas venas circa cor, et ideo digerunt helleborum : significat habentes conscientiam potius strictam quam largam posse plus elongari a peccatis, et superferri concupiscentiis vanis hujus mundi.

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. v, art. 37... Solinus : Austro numquam exeunt, metuentes flatus leniores; plurimum aquilonibus se credunt, ut corpora aliquantulum pinguia atque tardiora facilius provehat siccior ac vehementior spiritus : « Beati ergo pauperes spiritu, » qui audacter se committunt lenissimo austri Spiritui, ut mare, id est mundum, transeant. Sed infelices illi sunt, qui carnis et mundi sarcina prægravati, aquilonis flatibus se credunt, et propterea, secundum prophetam Job, « ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt [2]. » Proinde transituræ coeunt catervatim. Deinde conglobatæ vehementius properant, quarum festinatio plerumque exitium portat navigantibus. Accidit enim in noctibus, ut in velis insidant, et præ pondere secum funiculos fluctibus mergant. Hi quosdam signant qui habentes zelum, sed non secundum scientiam, cum austeritate nimia præcedere volunt, et ideo plerumque fiunt exitium infirmioribus. Has igitur approximantes terræ, hoc est portui maris, speculati accipitres rapiunt, ac propterea opera est universis ut sollicitent externi generis ducem, per quem frustrentur prima discrimina; habent enim duces cornices. Memor ergo sis, anima fidelis, quod dictum sit in principio mundi de inimico humani generis : « Tu insidiaberis calcaneo ejus [3], » hoc est fini, ubi quasi ad portum salutis, vel exercitii, venire habet. Attende ergo quid sequatur : « Et ipsa conteret caput tuum, » hoc est diaboli. Et dicitur caput ejus suggestio tentationis ejus, quæ gratissima est in morte hominis. Ibi ergo tu, anima fidelis, contere caput illius, et hoc, purgato spiritu per contritionem, et releva te spe pietatis divinæ misericordiæ. Sic ergo sollicites ducem, vel potius duces tuos, angelos sanctos, ut protegant te ab infestatione crudelis accipitri diaboli.

Anonymus Trecensis. I. Item Isidorus dicit, quod coturnix transeundo mare numquam quiescit; volat enim quantum potest, et quando est fatigata, descendit ad aquam, in qua ponit unam alam, aliam elevat, cujus virtute, quasi velo continuo transit. Sic et homo : nam quando aliquando oportet, propter necessitatem corporis, ad terrena descendere; verum tamen anima debet esse elevata, scilicet voluntas et intentio, ut homo omnia ordinet in Deum, et sic proficiat spiritualiter.

II. Item, secundum eumdem, coturnix si comedit venenum, non moritur, eo quod habet venas strictas, quod venenum non potest descendere ad cor : sic persona ha-

(1) *Suo.* In codice *Dama;* alias diserte *Damasius.* Sed legendum uti nos : confer. enim. *De Fide orthodoxa* lib. iv, c. 17 (t. i, p. 282 ed. Lequien). — (2) *Descendunt.* Job xxi, 13. — (3) *Ejus.* Genes. iii, 15.

bens conscientiam strictam, debet cavere ne venenum peccati descendat ad cor et moriatur spiritualiter.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 63-71.

Ob murmur populi volat undique multa coturnix.
Sensu carnali, nunc usque replentur Hebræi.
Manna quaterdenis indeficiens pluit annis :
Dogma manet Christi, dum stabit fabrica mundi.
Manna die sexto servatur duplice gomor :
Qui scit agitque bonum, vivet sine fine per ævum.
Manna facit vermes, quod Hebræus colligit exspes :
Qui bona scit nec agit, sua fit sibi mens quasi vermis,
Semper eum torquens, corrodens atque remordens.

XXVI.

PERDIX, diabolus. In Jeremia : « Clamavit perdix : congregavit quæ non peperit [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Epiphanium*, art. 9. — Apud *Chrysostomum*, A, c. 23; B, 33. — Apud *Hugonem S. V.*, l. II, c. 50.

RABANUS. Perdix, diabolus : « Perdix fovit quæ non peperit. »

THOMAS CANTIPRATANUS, *de Naturis rerum*, lib. V, art. 99. — MORALITATUM lib. V, art. 32. Perdix has habet conditiones sive proprietates, secundum doctores : I. Enim, ut dicit Isidorus, avis immunda est; nam masculus in masculum consurgit [Plinius : Masculis dimicantibus pro feminis, victi calcantur a victoribus in injusto coitu. Et ut dicit Experimentator, obliviscitur sexum libido præceps] : significat peccatores agentes contra naturam opera carnis. — II. Ut dicit idem, [Jacobus et Ambrosius, avis ideo dolosa et fraudulenta est, ut alterius ova diripiens foveat; sed fraus eventum non habet: nam quum pulli propriæ genitricis vocem audierint, naturali quodam instinctu, hanc quæ fovit, relinquunt, et ad eam quæ genuit, revertuntur] : significat prædones et usurarios, tandem deceptos se invenientes. —III. Ut dicit Aristoteles, perdices non laborant in cubando super ova, sicut aliæ aves : significant filios potentium mundanorum, sine labore vitam in deliciis ducentes. — IV. Ut dicit idem, est admirandæ industriæ avis [nam mater volat in circuitu venatoris, quousque fugiant pulli sui]. : significant curam quam habent parentes carnales circa filios. — V. Ut dicit idem, matrem pulli mox nati sequuntur, et quærunt cibum : significat malos filios esse imitatores scelerum paternorum. — VI. Ut dicit auctor, ad vocem campanulæ fugiens circa terram, antequam sciat, in rete seu in laqueum se immittit : significat illos qui fugiunt auditum officii vel verbi Dei propter terrenorum amorem et occupationem, incidere in laqueum inferni. Poeta [2] :

Quæritis Ægystus quare sit facthus adulter?
In promtu est causa : desidiosus erat.

THOMAS. Quando in gurgustio retiali ab aucupe capiuntur, una sequitur aliam, nec discernit misera, vel retractat sequens periculum, jam captivarum sociarum delusa consortio : in quo evidenter ostenditur insania pereuntium hominum per peccata, dum unus exemplo alterius in vinculum cadunt diaboli, pretiosas animas aucupantis. Unde Habacuc propheta clamat : « Totum, inquit, congregavit in rete suo : super hoc lætabitur et exsultat [3]. » Non sine ratione totum dixit, quia re vera fere totum, in eo quod minima, et respectu reliquæ fere nulla pars Deo manet.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Perdix, avis dolosa atque immunda. Spineis fructibus nidos vestiunt, ut animalia infesta ab eis arceantur. Feminæ pullos transponunt, ut mares fiant. Si quis hominum, ubi ma-

(1) *Peperit*. Jerem. XVII, 11. — (2) *Poeta*. Ovid. *Remed. Amor.* 161. — (3) *Exsultat*. Hab. I, 15.

ter incubat, appropinquat, egressa sese venienti sponte offert; et simulata debilitate pedum vel alarum, quasi statim capi possit, gressus fingit tardiores; hoc mendacio illicit et illudit homines, ut longius a nidis avocentur; et tunc demum longe avolat. Pulli earum, quum se visos præsentiunt, resupinati glebulas pedibus obvolvunt, quarum obtentu latent. Quum parvuli sunt, dantur eis a matribus formicæ. Quum se movere possunt, ad solem juxta formicarum tumulum mater illos exponunt. Dulcissimas et amantissimas et nutritivas carnes habent, aspectu decoræ et sapore. Congregatim sedent multæ simul, nisi quando incipiunt ad amorem commoveri; tunc pares cum paribus sedent. Ad lumen lanternæ, vel tintinnabuli sonitum, de nocte, infatuantur, ut simul multæ subito injectu retis capi possint.

Diabolus, ut : « Perdix, etc. »—Prudens vir, ut : « Sicut perdix ducitur in caveam, et ut caprea in laqueum, sic cor superborum. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 989-998.

Dantur eis carnes in vespere, mannaque mane :
Scripturamque sacram signat uterque cibus.
Est caro carnalis te pascens littera; panis,
Quum pascunt animum mystica verba tuum.
Carnes præcedunt; sequitur man : littera primo
Sola patet; sensus mysticus inde nitet.
Demissis ideo pennis petit ima coturnix,
Et datur e summo vertice manna fluens.
Manna dabat varium gustantis in ore saporem :
Sic sensu vario verba beata fluunt.

XXVII.

÷ MERGUS, homo luxuriosus, libidini carnis semper intentus. In Levitico.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Joannem Institorem*, c. 16.

THOMAS CANTIPRATANUS, *de Naturis rerum*, lib. v, c. 98. Mergus avis est, ut dicit Isidorus, per flumina, per stagna innatans; pisces persequitur; a mergendo dicitur, eo quod in aquis immergat. Diutius tamen sub aquis morari non valet, quin in superno aere spiritum recuperet. — *Liber rerum* [1] : Harum pulli, statim ut ova exeunt, tanto vigore pollent, ut si matrem eos perdere contigerit, propria virtute vivant. — Severus Sulpicius [2] : Has aves beatus Martinus, Turonensis episcopus, aquas contra naturam sui deserere, et arida, desertaque quærere divina virtute coegit. — De istis refert Ambrosius [3] : [Nec vos præteribo, mergi, quibus ab assiduitate mergendi nomen hæsit; quomodo sæpe mergentes, aurarum signa colligitis, et prævidentes tempestatem futuram, propere medio revolatis ex æquore, et ad littorum tuta cum clamore contenditis]. — Mergus, quando percuti debet, in aqua mergitur : et significat eos qui se excusant, quando arguuntur in confessione. — Ut dicit Experimentator, in hieme pinguiores sunt propter paucitatem motus. Omne enim animal sereno aere gaudet, et in eo plus vegetatur quam turbido.

MORALITATUM lib III, art. 27. — Mergulus has habet conditiones, sive proprietates, secundum auctores : I. Enim, ut dicit Isidorus, ab assiduitate mergendi nomen sumsit; sæpe enim demisso in profundum capite, aurarum signa sub fluctibus colligit, et ante vehementem æquoris tempestatem, cum clamore littus petit : significat avaros et divites, sive mercatores sæculi, qui pro lucris hujus mundi merguntur in vitia et peccata, mentibus aversis a Deo. Revertun-

(1) *Rerum*. A diligentissimo veterum librorum venatore Cantipratano, liber ille in multas sylloges dimanavit, auctore mihi hactenus ignoto, nisi quod conjecerim eum forte esse Rabanum, vide Proleg.. —(2) *Sulpicius*. Cf. *Epist.* III, *ad Bassulam*. Inde est quod solent ad pedes sancti episcopi aviculæ aquatiles repræsentari. — (3) *Ambrosius*. In *Hexamer.* lib. v, c. 13, n. 43, col. 97, l. 1. Ipsiusmet Ambrosii elegantias a fonte haurire maluimus, quam eas ex epitome adeo incomta, post excerptorem, excerpere.

tur ad Deum, nisi quando gravissimæ ægritudinis tempestatibus præveniuntur, vel capiuntur. — Ut dicit idem, mergulus in arundinetis super ligna pauca nidificat : significat religiosos contentos paupertate sua. — III. Ut dicit idem, miro quodam affectu naturæ pulliculos nutrit et educat ; qui mox nati, patrem sequuntur ; et varias pelagi undas ascendere vel descendere non verentur : significant bonos prælatos affectuose informantes et refoventes subditos, ex affectu obedientes et obsequentes in prosperis et in adversis. — IV. Ut dicit idem, vermes aquatiles et pisciculos, ad suam satiandam ingluviem, venatur : significat potentes sæculi hujus qui opprimunt pauperculos et suos inferiores, ut suam satisfaciant avaritiam et cupiditatem. —V. Ut dicit idem, in hieme, propter paucitatem motus impinguatur; in æstate, propter volatus libertatem carnibus et pinguedine depauperatur : significat divites hujus sæculi, in suis quietibus et desidiis resolutos, quantum ad primum; quantumque ad secundum, pauperes, rebus privatos et consolationibus carnalibus. — VI. Ut dicit idem, quando merguli ab ave rapace impetuntur, ad aquam confugientes, immersionis beneficio liberantur : significant eos qui volentes fugere laqueos diaboli vel mundi, convolant ad religionem, in qua est piscina pœnitentiæ, ubi secedunt, et liberantur a periculis.

Anonymus Clarevallensis. Mergus, contemplativus, qui pennam habet contemplationis, et vitam cupiditatis, unde avis immunda est.

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 729-732.

Mergulus immergit fluvio sua membra frequenter,
Et longas gignit in latitando moras.
Exprimit ille reos, quos carnis fluxa voluptas
Funditus exercet, et retinendo premit.

XXVIII.

1. Apis, forma virginitatis, vel sapientiæ : « Vade ad apem, et disce quam operatrix sit [1]. » — Brevis est in volatilibus apis, et fructus illius fauces indulcat [2]. »

2. Et in aliam partem : « Et api quæ est in Assur [3]. »

3. *Mel apum* [*vid. infra in tom.* III, *ad* Lac *et* Mel].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Epiphanium*, c. 21. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 37.

Eucherius, ed. I, p. 4 ; ed. II, col. 751 A ad 1, 2.

Gregorius M. Apis, Dei virtus et Dei sapientia, Christus, ut ibi : « Minima est in volatilibus apis, et initium dulcoris habet fructus illius. » Incarnata namque Sapientia Dei minima in volatilibus dicitur, quia per passibilitatem carnis paulo minus ab angelis minoratur; sed habet Christus initium dulcoris, id est primitias resurrectionis.

Rabanus. Apis, peccator immundus, ut : « Sibilabit Dominus api. » — Humiles, ut : « Modica in volatilibus apis. » — Detractores, ut : « Circumdederunt me sicut apes [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. I, art. 24. Apis ætherea, Christus. Sapientia : « Vade, piger, ad apem, et vide quam operatrix sit. » — Aerea, prædicator, vel justus; unde et in Judicum Debbora interpretatur Apis, et significat prophetam, vel prædicatorem, vel quemlibet justum. — Terreæ apes fuerunt Judæi, qui pro terrenis Christum occiderunt. Psalmus : « Circumdederunt me,

(1) *Sil.* Ex versione quam sequitur Ambrosius in *Hexaemer.* lib. I, c. 21, n. 70.—(2) *Indulcat.* Eccle. XI, 3. — (3) *Assur.* Is. VIII, 18. — (4) *Apes.* Ps. CXVII, 12.

sicut apes. » — Tartarea, diabolus, vel hæreticus. Isaias : « Sibilavit apis Assur. »

Prima propinat nobis mel divinitatis in favo humanitatis. Evangelium : « Obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis [1]. » Secunda, mel spiritualis intelligentiæ, in cellulis litteræ. Deuteronomium : « Suxerunt mel de petra [2] » litteræ. Tertia, in sua persequutione, dulcedinem passionis Christi, in favo crucis. Canticum : « Comedi favum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo [3]. » Quarta, mel adulationis, in favo simulationis. Sapientia : « Mel distillant labia meretricis [4]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR., lib. I, *de Ape.*

Sensus apis magnus modicæ miro patet actu,
Mel, ceram, prolem quæ legit ore suo.
Quod Virgo sit
Qui legis ista s
Sed bene dico, s } apis.
Si bene lecta c

Apis, quia virgo et mater est, significat beatam Mariam, dominam nostram, quæ est virgo et mater; sed et illius mater, qui non solum homo, sed et Deus est. De hac api recte intelligitur illa sententia : « Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus. » Initium hic pro primatu vel principatu positum est, sicut in illa epistola canonica Jacobi : « Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquid creaturæ ejus [5]. » Alia translatio : « Ut simus primitiæ creaturarum ejus. » Interlinearis habet : Quemdam principatum in creaturis nobis adoptive concessit. In tali acceptione invenitur Primum et in litteris sæcularibus, ut ibi :

Virtutem primam esse puta, compescere linguam.

Primam dixit ibi præcipuam, quod perspicue sequens ostendit versus :

Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Fructus memoratæ apis, id est beatæ Virginis, est Christus, qui in libro Sapientiæ dicit : « Spiritus meus, super mel dulcis [6]. » Fructus iste habet mel in cera, id est divinitatem in carne humanatam. Cera enim significat carnem nostri Salvatoris, sicut in benedictione cerei pascalis, quisquis ille fuit doctor, ait : Alitur liquentibus ceris, quas in substantiam hujus pretiosæ lampadis mater [apis] eduxit [7].

Apis, quia artificiosa est et sollicita, diligentiam et subtilitatem significat; unde sanctus Urbanus papa de beata Cæcilia Deo dixisse legitur : « Cæcilia, famula tua, quasi apis, tibi argumentosa [8] deservit.

Apis, quia mel occultat in cera, prophetas significat, qui spiritualem doctrinam velabant in littera. Unde et Debbora, uxor Lapidoth, prophetis quæ prophetiæ typum tenet, Apis interpretatur.

Apis, quia de rore cœli infuso floribus mella conficit, studiosos in sacra Scriptura designat, qui de floribus divini eloquii cœlestia mysteria colligentes, nova de antiquis componunt volumina.

Apis, quia si taxum tetigerit, vel moritur, vel mel reddit amarum, humanas mentes figurat, quæ si mundi amori inhæserint, a vita gratiæ moriuntur, et fructum amarum faciunt peccatorum. Væ nobis, quia apes nostræ sæpius quam sæpe de hac taxo toxicum sumunt !

Apis, quia amaris conatibus aliis cibum dulcem parat, significat eos qui sunt clerici boni et homines mali, alios pascentes et jejuni remanentes :

Sic vos non vobis mellificatis, apes.

Apis, quia aliud animal pungens, se ipsam eviscerat, significat invidos, qui aliis nocentes, se ipsos interimunt; quos psalmista increpat dicens : « Usquequo irruitis in hominem, interficitis universi vos [9] ? »

Apis, quia mel habet in ore et aculeum in cauda, significat blande malitiosos, et malitiose blandos, quales illi erant, qui ten-

(1) *Mellis.* Luc., XXIV 42. — (2) *Petra.* Deuteron. XXXII, 13. — (3) *Meo.* Cant. V, 1. — (4) *Meretricis.* An Prov. XVI, 14 ? — (5) *Ejus.* Jac. I, 18.—(6) *Dulcis.* Eccli. XXIV, 17. — (7) *Eduxit.* Missale Roman. in Sabbato sancto. — (8) *Argumentosa.* In offic. ant. 3 ad laud. — (9) *Vos.* Ps. LXI, 4.

tantes Dominum, ut caperent eum in sermone, blanda fraudulentia interrogabant eum, dicentes : Magister, scimus quia verax es [1], etc. » De talibus ipse dicit in psalmo : « Circumdederunt me sicut apes. »

Apis, quia in anterioribus habet quod delectat, in posterioribus quod pungit, carnis figurat voluptatem; quia, teste Scriptura, voluptas habet pœnam [2]; unde elegantem et congruentissimam hujusmodi rei similitudinem Boethius ponit, dicens [3] : »

Habet hoc voluptas omnis :
Stimulis agit fruentes,
Apumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Propterea, lector,

Sperne voluptates : nocet emta dolore voluptas.

Apis significat rerum superfluarum curiosos inquisitores vel acquisitores, ut in illo prophetico : « In die illa sibilavit muscæ, quæ est in extremo flumine Ægypti, et api quæ est in terra Assur, et venient in terra Israel. » Id est, Dominus occulte inspirabit voluptuosis et curiosis, ut veniant in Ecclesiam et quietam sanctorum conversationem. Sibilus est occulta inspiratio. Ægyptus, quæ interpretatur Tenebræ, significat superbiam, quæ aufert homini cognitionem sui, teste Scriptura quæ dicit : « Quomodo vinum potantem se decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur [4]. » Hujus Ægypti sunt septem flumina, id est septem vitia capitalia, ab ea descendentia, scilicet inanis gloria, invidia, ira, sæculi tristitia, avaritia, luxuria et gula : hoc est extremus fluvius Ægypti. Musca quæ in eo est, significat voluptuosos, et recte : nam musca tam avide escam appetit, quod cacabis et ollis ferventibus propter eam se immergit et perimit. Apis quæ est in terra Assur, qui interpretatur Elatus sensus, significat scientiæ superfluæ cupidos, qui sine dubio spiritu superbiæ aguntur.

Anonymus Clarevallensis. Apes de putredine oriuntur; floribus pascuntur, non sibi laborant; sollicitæ sunt; gregatim volant; otiosæ abjiciuntur; parvi corporis, sed grandis efficaciæ; suum regem defendunt; eo incolumi, mentem non mutant; amisso eo, fidem et mella diripiunt; hexagona in discreta æqualitate laterum componunt; natura virgineæ, opere utiles, metu pungitivæ.

Apis. { Peccator. Humilis. Detractor.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. II, v. 8441-8464.

Anima saturata calcabit favum [5].

Divitis hic animam, quam præsens copia rerum
Solatur, typicat ista figura tibi.
Vobis divitibus væ, qui solamen habetis!
Merces erit vestra vester acervus opum.
Væ, qui munditiis mundanis es satiatus!
Esuries cœli regna, sed exsul eris.
Ille favum calcat, qui delectamina mundi
Cœlestis regni munere pluris habet.
Esuriens homo justitiam est sitiensque beatus,
Angelicus veniet hunc satiare cibus.
Talis amara bibet pro dulci, propter amorem
Christi, dum mundus vilis habetur ei.
Talis amara bibet pro dulci, quando pudicam
A luxu carnem perficit esse suam.
Talis amara bibet pro dulci, propter amorem
Christi, dum sperat se sociare Deo.
Felix pro Domino qui res, qui membraque tradit,
Quique tyrannorum dira flagella bibit!
Nam fel pro nobis Deus in cruce sumsit amarum,
Æterno cupiens nos satiare favo.
Mortuus est Christus, ut nos vitæ revocaret,
Pro quo si sit opus, hunc imitare satis.
Hoc opus hic scribens, Deus, in viridi paradiso
Fac ut apis tibi sim, fructificando favum.

(1) *Es.* Luc. xx, 21. — (2) *Pœnam.* Notissima in chorda monachus imprudens erravit, quod utique *Scripturæ* sacræ attribuit, id suæ *Regulæ*, S. Benedicti videlicet, referendum esse oblitus. Cæterum bis retulit idem illud ipse, sed tacito auctore, supra, p. 416 et 457. — (3) *Dicens. De Consolat. Phil.* lib. III, metr. 7, p. 750 ed. Migne. — (4) *Decorabitur.* Habac. II, 5. — (5) *Calcabit favum.* Prov. XXVII, 7.

XXIX.

1. Locusta, Christus : « Excussus sum sicut locusta [1]. »

2. Populus gentium : « Locusta regem non habet, et egreditur cuncta per turmas [2]. »

3. Dæmones : « Et de fumo putei egressæ sunt locustæ [3]. Cameli eorum, ut locustæ [4]. »

4. Superbia [5] : « Residuum erucæ comedit locusta [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 14 ; ed II, col. 750, 751 ad .

Rabanus. Locusta, resurrectio, ut : « Excussus s. s. l. » — Gentilitas, ut : « Impinguabitur locusta [7]. » — Inanis gloria, ut : « Labores comedit locusta [8] »—Judæi, ut : « Locustas et mel sylvestre edebat [9]. » — Hæretici, ut : « De fumo p. e. s. l. » — Adulatores, ut : « Ventus vehemens levavit locustas [10]. »

Petrus Capuanus ad litter. XII, art. 6.

Locusta

Cœli.	*Tartari.*
Christus.	Adulatores.
Vir contemplativus.	Hæretici.
Mundi.	Persequutores.
	Inconstantia.
Judæa.	Luxuria.
Gentilitas.	

Christus dicitur locusta, quia mortis foveam transilivit. Paulus : « Resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium [11]. »—Contemplativus, quia prius curam operum elevat, et post alis contemplationis volat, saltusque de una virtute ad aliam frequenter dat. Evangelium : « Potens erat in opere et sermone [12]. »—Judæa, quia locusta immunda est ad esum, et crura habet retro longiora : et Judæa alios a se reputabat immundos, propter cultum unius Dei [13]. Psalmus : « Non fecit taliter omni nationi [14]. » — Gentilitas, quia locusta silvestris est, et in agris tantum reperitur. Nam et Rebecca et Ruth de silva gentium venerunt. — Adulator, quia locusta plus quam cætera animalia frugibus nocet. Sapientia : « Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula blandientis [15]. » —Hæretici dicuntur locustæ, quæ in Apocalypsi describuntur habere coronas, non aureas, sicut viginti quatuor seniores, sed auro similes, quia falso dicunt se triumphare ; et habent faciem hominis, id est similitudinem rationis, sed capillos mulierum, seu fluxas cogitationes. — Luxuria dicitur locusta, quia paulatim carnem in qua est, demolitur. — Inconstantia dicitur locusta, quia saltus variationis semper dat, et semper est in motu.

Distinctionum monasticarum lib. III, *de Locusta*. Locusta retrogradum animal esse dicitur, licet non retrorsum gradiatur, sed saliat, quia nec bene volat, nec bene graditur, sed salit ; unde hoc animal significat hæreticos, qui, renovati per fidem, ad perfidiæ vetustatem revertuntur, de quibus scriptum est : « Melius erat eis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retroire, et converti ab eo quod traditum eis erat sancto mandato [16]. » Et notandum quod non solum hæretici, sed etiam detractores,

(1) *Locusta*. Ps. CIII, 23.—(2) *Turmas*. Prov. XXX, 27. — (3) *Locustæ*. Apoc. IX, 3. — (4) *Locustæ*. Jud. VI, 5. — (5) *Vel mentis vagatio. In Joel* B-G. — (6) *Locusta*. Joel I, 4. — (7) *Locusta*. Eccle. XII, 5. (8 *Locusta*. Ps. LXXVII, 46. — (9) *Edebat*. Marc. I, 6. — (10) *Locustas*. Exod. X, 13. — (11) *Dormientium*. I Cor. XV, 20. — (12) *Sermone*. Luc XXIV, 19. — (13) *Unius præteriti diei*. Cod.—(14) *Nationi*. Ps. CXLVII, 10. — (15) *Blandientis*. Prov. XXVII, 6. — (16) *Mandato*. II Petr. II, 21.

adulatores, et falsi testes per hoc animal designantur, quia dente nocens est vel ore, sicut et illi. Quod per locustam signantur hæretici, habes in Apocalypsi, ubi dicitur, quod de fumo putei exierunt locustæ, quod in distinctione *de Leone*, *vid. tom.* III, p. 55. aliquantulum dilucidatum est. Locusta quæ se in altum levat, significat vanam gloriam, ut in illo prophetico : « Residuum erucæ comedit locusta. » Eruca est vermis tactu adurens; unde virentia folia arborum vel herbarum, per quæ transit, adurit. Hæc vermis significat luxuriam, de qua beatus Job dixit quod « ignis est usque ad perditionem devorans [1]. » — Locusta significat detractores, ut ibi : « Ventus urens levavit locustas, » id est invidia, linguas detrahentium; unde est illud :

Detractio, matris
Filia livoris, quæ quum benefacta negare
Non possit, quocumque modo subvertere tentat,
Et minuit laudes, quas non abscondere fas est.

— Vel inanis gloria, linguas adulantium; unde est illud :

Pestis adulandi bibulis studiosa potentum,
Auribus instillans animæ letale venenum.

Et illud :

Quid Romæ faciam? mentiri nescio :
Potentum gratiam dat adulatio.

— Vel avaritia, linguas falsorum testium; ventus enim urens est invidia, quia hominem calefacit et cruciat. Ventus urens est inanis gloria, quia bona opera consumit et devastat. Ventus urens est avaritia, quia opinionem hominis tamquam faciem ejus decolorat.

Locusta significat inconstantes; unde est illa vox Domini in psalmo : « Sicut umbra quum declinat, ablatus sum, et excussus, etc. » Sole proximante ad occasum, umbræ declinant; occidente eo, disparent. Ita discipuli, comprehenso Domino et ligato, omnes fugerunt : mortuo vero, omnes discredidederunt, quod de quibusdam constat, ex eo quod duo illi qui ibant in Emmaus, dixerunt : « Nos sperabamus quod ipse redemturus esset Israel [2]. » Propterea caput ex persona membrorum loquens, et sibi attribuens quod eorum erat, ait : « Sicut umbra, etc., et excussus sum sicut locusta. » Locustæ a vento rapiuntur et disperguntur : ita discipuli Christi, imminente illa gravi tentatione in ipsius comprehensione et passione, dispersi sunt, et, eo relicto, fugerunt; impleto illo prophetico : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves [3]. »

Locusta significat inanes cogitationes; unde legimus quod Joannes Baptista comedit locustas, quia pabulum Dei gratiæ est inutilium cogitationum consumtio. Nam Spiritus sanctus auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Locusta.

Resurrectio.	Hæretici.
Gentilitas.	Adulatores.
Inanis gloria.	Prædicatores.
Judæi.	

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 187-212.

Quum sine mollitie manet auris saxea regis,
Plagæ percutiunt ferrea corda decem.
Sanguis, rana, culex, muscæ, moriens pecus, ulcus,
Grando, locustæ, nox, mors prius orta necans.
Perfectas [4] signat numeri perfectio pœnas :
Nam reprobas mentes ultio plena ferit.
Sanguine signatur doctrina poetica : fœtet
Naribus hic : sordet mentibus illa bonis [5].
Rana loquax hæresim signat : strepit hæc, strepit illa;
Turget clamosis illa vel illa sonis.
Discurrunt culices, hominem turbando [6] quietum;
Designantque vagos qui sine pace manent.
Musca canina, cibos maculans pungensque, gulosos
Mordentesque fero dente, notare potest.
Pestis consumens animalia singula signat
Quod venit ad veniam vix animalis homo.
Ex fornace cinis surgens creat ulcera : mentis
Sic avidæ fornax crimina multa parit.
Grando pluens jumenta necat : signat [7] quod amanCarnis luxuriam grandinat ira Dei. (tes
Saltibus alta petens, sed ad ima locusta relabens,
Est Satanas quærens alta, sed ima tenens.
Mose levante manum, fit nox triduo tribus horis :
Fit nox, quum tendis in cruce, Christe, manus.
In primogenitis consumtis morte notatur,
Qua moritur mundus, culpa prioris Adæ.

(1) *Devorans*. Job XXXI, 12. — (2) *Israel*. Luc. XXIV, 21. — (3) *Oves*. Marc. XIV, 27. — (4) *Perfectas*. Vide eadem supra, p. 279. — (5) *Illa piis* al. — (6) *Turbare* al. — (7) *Signans* al.

XXX.

÷ Bruchus, ingluvia ventris, ubi et supra : « Residuum erucæ comedit bruchus [1]. »

XXXI.

÷ Rubigo, iracundia cordis, ibidem : « Residuum erucæ comedit rubigo. »

XXXII.

÷ Eruca, prurigo luxuriæ, ubi et supra : « Residuum erucæ comedit locusta. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Bruchus, ingluvies. — Eruca, luxuria. — Rubigo [*ut supra*]. — Malitia : « Non exiet nimia rubigo, nisi per ignem [2]. »

Petrus Capuanus, *supra p.* 291.

Thomas Cantipratanus, *de Naturis rerum*, lib. IX, c. 9. Bruchus, ut dicit Glossa, minor est corpore quam adlatea, minus quia in saltu valet ; fulvi coloris est ; hic olera, herbas et frondes arborum amaro morsu depascitur, nullumque est loco in remedium, ubi multitudo concurrit : et in hoc signat detractores, secundum Apostolum, Deo odibiles. Bruchus plus lædit quam locusta, ut dicit Experimentator.

Anonymus Clarevallensis. Bruchus, hypocrita vel hæreticus ; unde : « Dixit, et venit locusta et bruchus [3]. » — Sanctus quisque, qui a terrenis levatur ; unde inter immunda animalia reputatur.

Petrus de Riga.

Aurora, in Genes., v. 300-309.

Si bona tot propter hominis formantur honorem,
Cur adversus eum tot nocitura vigent ?
Multa nocent homini mala, tigris, aperque, leoque,
Morsu tigris, aper dentibus, ungue leo.
Hinc lupus insidians, hinc virus vipera fundens,
Hinc mordendo pulex, hinc stimulando culex.
Factus homo non est factori subditus : ergo
Nec debent hominem cætera jure sequi.

XXXIII.

1. Musca, diabolus [4] : « Muscæ [5] morituræ exterminant oleum suavitatis [6]. »
÷ 2. Concupiscentiæ, vel curæ insolentes, ubi supra.

XXXIV.

Ciniphes ÷ hæretici, qui tertio in loco, in Ægypti plagis, missi sunt ; quia iidem hæretici in Trinitatem blasphemantes, totius mundi dissipant fidem. In Exodo.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 14 ; ed. II, col. 751 B ad XXXIV.

Gregorius M. Muscæ, insolentes curæ carnalium desideriorum, ut ibi : « Muscæ

(1) *Bruchus*. Joel I, 4. — (2) *Ignem*. Ezech. XXIV, 12. — (3) *Bruchus*. Ps. CIV, 34. — (4) *Dæmones* B-E. — (5) *Muscæ morientes*. Vulg. Eccle. X, 1. — (6) *Suavitatis, id est gratiam Spiritus sancti* B-G.

morientes perdunt suavitatem u. » Tota enim spiritualis unctionis suavitas perditur, ubi harum muscarum importunitas dominatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 14, p. 90.

Rabanus. Musca, inquietudo cordis, ut : « Musca gravissima in Ægypto [1]. » — Peccator, ut : « Sibilabit Dominus muscæ et api [2]. » — Ciniphes, inquietudo cordis, ut : « Dixit, venerunt cynomia et ciniphes [3]. »

Anonymus Clarevallensis. Musca, dæmones, ut : « Sibilabit Deus muscæ. » — Carnale desiderium, ut : « Venit musca, etc. » Superfluæ cogitationes, ut : « Muscæ m. p. s. u. » — Ciniphes, curæ sæculi ; unde : « Omnis pulvis terræ versus est in ciniphes [4]. — Mores perversi ; unde : « Misit, etc. » — Hæretici ; unde : « Dixit, et venit cynomia, etc. »

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ

lib. III, v. 644-663.

Tunc Elisæus ait « Dedit ista Deus bona nobis ;
Sed super hæc ultro majora dabuntur ab illo.
« Munitas omnes effringetis Moab urbes. »
Nam postquam dedit Deus ut verum sapiamus,
Præstat verba quibus mala dogmata falsa probemus,
Quum ait : « Et fontes Moab obturabitis omnes ; »
Sancti doctores hæreses radicitus occant.
Fictilis at si quis Moab est murus, remanebit.
En toties victi Christi strepitant inimici,
Instar apum mussant ; culicum de more susurrant ;
Fabellis fragiles texunt, ut aranea, casses ;
Fundibalarius hunc quoque murum debilitavit.
Namque magistrorum per dogmata sana bonorum,
Semper quassatur ratiuncula vaniloquorum.
Orto sole, rubras cernunt lymphas Moabitæ,
Atque trium regum tinctas de sanguine dicunt :
Philosophis etenim crux est irrisio Christi.
Ecclesiæ quoque martyrium quod sit furor, aiunt.
Sed Paulus dicit : « Mors est prudentia carni ;
Vita sed et pax est prudentia spiritualis. »

XXXV.

Scarabæus, peccator, vel unus ex latronibus qui cum Salvatore crucifixi sunt : « Et scarabæus de ligno annuntiavit ea [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. I, p. 13, ed. II, col. 750 D. Rabanus. Scarabæus, Christus, ut : « Scarabæus de ligno clamavit [*Vide in tom.* III. Vermis.] »

(1) *Ægypto.* Exod. VIII, 24. — (2) *Api.* Is. VII, 18. — (3) *Ciniphes.* Ps. CIV, 31. — (4) *Ciniphes.* Exod. VIII, 16. — (5) *Ea.* Hab. II, 11. Textus ille ejusque expositio adeo recedit tum a vulgata littera, tum a cæteris interpretibus, ut abs re non fuerit in eo loco paulisper immorari, sensumque ex veteribus sive litteralem, sive allegoricum excutere. Quod ad litteram attinet, hebraice legitur : כְּתִים, id est, *lignum*, *trabes*, aut *laquear*... *respondebit.* Syrus interpres : *Clavus e ligno respondet.* Arabicus : *Paxillus ex arbore loquitur.* Ita uterque apud Warthonem. Teste autem Hieronymo, et post eum Gregorio M, LXX legebant : Κάνθαρος ξύλου ρθέγξεται αὐτά, quæ conceptis verbis respondent latino Melitonis interpreti. « Κάνθαρος, inquit Hieronymus, id est *Scarabæus de ligno clamabit ;* alias : *loquetur ea.* » Gregorius vero : *Clamavit,* facili amanuensium errore. Sed iterum Hieronymum audire est : « Porro quod nos interpretati sumus : *Et lignum quod inter junctura ædificiorum est, respondebit* [idque Vulgata retinuit], manifestius more suo transtulit Symmachus : Καὶ συνδεσμὸς οἰκοδομῆς ξυλινος ἀποφθέγξεται αὐτά; id est : *Et junctura ædificii lignea loquetur ea.* Theodotion quoque, nec non et quinta editio : Καὶ συνδεσμὸς ξύλου ρθέγξεται αὐτά; quæ et ipsæ interpretationes cum Symmachi et nostra interpretatione concordant. Quod enim lingua hebraica dicitur *Chaphis,* lignum significat, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, et vulgo apud Græcos appellatur ἐμάντωσις. » Et paulo post : « Reperi duas alias editiones, in quarum una scriptum est : *Lapis de pariete clamabit, quasi vermis in ligno loquens.* Et in altera : *Lapis enim de lapide vociferabitur, et* σκώληξ *de ligno loquetur ea.* Sed et Aquila aliud quiddam, quam nos diximus, posuit : Καὶ μάζα, id est, et massa de ligno respondibet. » Quæ quum de variis litteræ lectionibus dicta sunt, idem sanctus doctor sensum historicum in eo consistere declarat, quod nimirum lapides parietum qui in civitate destructi sunt, et ligna eorum ambusta, hostis crudelitatem sonabunt, ac veluti suo ostendent testimonio. Sensum vero allegoricum hisce exponit verbis : « Lapides, corda stolide credentium doctrinis hæreticorum possumus intelligere, et scarabæum de ligno, magistros quosque perversos, qui turpis lucri gratia assumentes prædicationem crucis, loquuntur ex utero. Deus enim eorum venter est, et omnia ciborum causa faciunt, qui rediguntur in stercus, quia scarabæus vel cantharus vermis est stercoris. » Et paulo infra : « Scio quemquam de fratribus, lapidem

HERRADIS ABBATISSA.

Hort. deliciar., fol. 37, *de Plagis.*

Prima, rubens unda; ranæ, tabesque secunda;
Inde culex tristis; post, musca nocivior istis;
Quinta pecus stravit; vesicas sexta creavit;
Post subiit grando; post, bruchus dente nefando;
Nona tegit solem; primam necat ultima prolem.

APPENDIX AD CAPUT VIII.

I.

INDEX AUCTORUM,

QUI DE AVIBUS LAUDANTUR APUD PLINIUM[1] IN LIB. X, HIST. NAT.

	I.	Æmilius Macer[2].	XXIV.	Diophanes[7], Nicæus.
	II.	Æschrion[3].	XXV.	Epigenes, Rhodius.
10	III.	Agathocles, Chius.	XXVI.	Eucleon.
	IV.	Amphilochius, Atheniensis.	XXVII.	Euphronius, Atheniensis.
	V.	Anaxipolis, Thasius.	XXVIII.	Evagon, Thasius.
	VI.	Androtion[4].	XXIX.	Fabius Pictor.
	VII.	Antigonus, Cumæus.	XXX.	Hesiodus.
15	VIII.	Antistius Labeo.	XXXI.	Hieron, rex.
	IX.	Apollodorus, Lemnius.	XXXII.	Homerus.
	X.	Apollodorus, Pergamenus.	XXXIII.	Hyginus.
	XI.	Archytas, Tarentinus.	XXXIV.	Horatius.
	XII.	Aristander, Atheniensis.	XXXV.	Hylas.
20	XIII.	Aristoteles.	XXXVI.	Juba, rex.
	XIV.	Bacchius, Milesius.	XXXVII.	Labeo.
	XV.	Bion, Solensis.	XXXVIII.	Lucretius.
	XVI.	Boeus[5].	XXXIX.	Lysimachus.
	XVII.	Callimachus.	XL.	Mamilius Sura.
25	XVIII.	Chæreas, Atheniensis.	XLI.	Manilius.
	XIX.	Cornelius Celsus.	XLII.	Massurius Sabinus.
	XX.	Democritus.	XLIII.	Mucianus.
	XXI.	Diodorus, Prienæus.	XLIV.	Melissus.
	XXII.	Dion, Colophonius.	XLV.	C. Nepos.
30	XXIII.	Dionysius[6].	XLVI.	Nicander.

qui de pariete clamaverit, intellexisse Dominum Salvatorem; et scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemaverit: quod licet pie possit intelligi, tamen quomodo cum universo prophetiæ contextu possit aptari, non invenio (Hier. opp. t. VI, c. 617-619, ed. Vatt.). » Tefigit obiter hunc eumdem textum Gregorius, in eoque scarabæo Christum significari innuit (*Mor.* XXXIX, 66). Noster igitur LXX interpretum litteram expressit, et in eum peculiarem sensum abiit, quem postremo loco Hieronymus recensuit, nec a pietate, duriorem licet, alienum esse existimavit. — (1) *Plinius.* Ipse quidem hunc syllabum videtur exegisse, qualis exstat in capite lib. X; nec tamen integer, quum ab eo exsulant Cato et alii passim laudati; uberior tamen, si expungendi sint qui tantum obiter occurrunt, quales Homerus, Hesiodus, Horatius, Lucretius, etc. Quamquam non pauca de hisce jejunis quæ sequuntur nominibus, notanda venérent, uno verbo remisisse sat erit lectorem ad eruditos Plinianæ Historiæ commentatores. — (2) *Macer.* Idem forte *Æmilius* qui a Vincentio Bellovacensi post Isidorum allegatur *de augurio Cycni*, in lib. XVI Specul. nat. c. 49. — (3) *Æschrion*, qui de re rustica egit. Ita Plin. ib. — (4) *Androtion*, qui *de agricultura* scripsit. Plin. l. l. — (5) *Bœus qui* ὀρνιθογονίαν. Ita Plinius, qui eumdem profert ib. n. 3. — (6) *Dionysius, qui Magonem transtulit.* Id. ib — (7) *Diophanes, qui ex Dionysio epitomen fecit.* Id., in l. IX et X, ed. Littré.

XLVII. Nigidius Figulus [1].
XLVIII. Onesicritus.
XLIX. Phemonoe.
L. Philarchus.
LI. Philemon.
LII. Philometor, rex.
LIII. Paserius.
LIV. Porcius Cato.
LV. Theophrastus.
LVI. Trebius [2].
LVII. Trogus.
LVIII. Umbricius Melior [3].
LIX. C. Valerianus.
LX. Varro [4].

CHRISTIANI VETERES NONNULLI,

QUI, PRÆTER PHYSIOLOGI VARIOS INTERPRETES, DE AVIUM MYSTICA SIGNIFICATIONE SCRIPSERUNT.

I. Tertullianus.

De mundis et immundis animalibus [5].

II-IV. Aquila, Symmachus et Theodotion.

Epistola ad Ptolemæum, de Avibus nobilibus [6].

V. Lactantius.

De Phœnice.

VI. S. Ephrem.

Sermo [7] Τί δὲ ὁ προφήτης τρυγόνα χηρεύουσαν εἰπείκασε;

VII. Petrus Alphonsus.

Narrationes ex animalium et volucrum similitudinibus. — De Pavone figurali carmen [8].

VIII. Hugo de Folieto.

De tribus Columbis [9].

IX. Hugo Præmonstratensis.

De Avium natura [10].

X. Thomas Cantipratanus.

Bonum universale de Apibus [11].

XI. Henricus S. Crucis monachus.

Moralitates de Natura animalium et volucrum [12].

XII. Jacobus de Baugio.

Septenarium aquilæ [13].

XIII. Joannes institor.

Distinctiones XX *avium* [14].

XIV. Joannes Ludgate.

Parliamentum volucrum [15].

XV. Joannes de Hoveden.

Philomela [16].

XVI. Willelmus.

De Apibus [17].

XVII-XX. Anonymi.

1° *Compendium morale de avibus, de hominibus monstricosis et de quadrupedibus per brocardos* [18].

2° *Aviarium* [19].

3° *Prosa per allegoriam de Cycno* [20].

4° *De Natura avium, animalium, arborum, etc.*

1) *Nigidius Figulus.* Is Ciceroni coævus, quem Plinius, nec immerito, præ cæteris testem proponit. Cs. n. 17, 19, 35, 3; 52, 3, in edit. cad. — (2) *Trebius.* Deest in syllabo Pliniano, laudatus tamen ad n. 20. — (3) *Umbricius, aruspicum in nostro ævo peritissimus.* Hæc Plinius n. 7, 1.—(4) *Varro.* Meminerit lector quæ supra notantur, p. 500. — (5) *Animalibus.* Recensetur inter opera Tertulliani desiderata, in quo eum tam de avibus quam de bestiis immundis dixisse verosimile est.—(6) *Nobilibus.* Lubricum sane fragmentum et ex omni parte ἀσύστατον; eo tamen titulo gaudet, et inscribitur totum in Thomæ Cantipratani libro *de Naturis rerum* lib. v, c. 47. — (7) *Sermo.* « Cur turturi viduato propheta assimilavit sæculo abdicatum? » In quo lemmate summam orationis habes. *Opp. gr.* t. III, p. 150. — (8) *Carmen.* Spurium, inter codd. Parisiens —(9) *Columbis.* Inter *Opp.* Hugon. S. V. t. II, p. 895. — (10) *Natura.* Cf. D. Georgii *Norbertinus spiritus litterar. vindic.* Aug. Vindel. 1771. — (11) *Apibus.* In notissimo illo opere noveris a Cantipratano, quasi immenso commentario illustratum fuisse unum caput e libro *de Naturis rerum*, iisdemque verbis ita repetitum, ut quin ejusdem sit auctoris opus utrumque dubitare non liceat.—(12) *Volucrum.* Cod. Vindobon. lat. Dogmat. 568, scriptum a° 1299; desinit in art. *de Vulture.* — (13) *Aquilæ.* Panzer t. I, p 16. — (14) *Avium.* Vide supra p. 480. — (15) *Volucrum.* Ita plerique bibliographi anglicani.—(16) *Philomela.* Exstant rhythmi piissimi inter opera D. Bonaventuræ t. VI, p. 425. Cæterum A. Fabricius in peculiare opus congessit testimonia centum circiter auctorum qui Philomelæ laudes cecinerunt. — (17) *Apibus.* Nec plura præbet ineditum in quo ille excitatur, *Promtuarium* quoddam *exemplorum discipuli* in variis codd. asservatum. Cs. cod. Bruxell. *Biblioth. reg.* 5076. — (18) *Brocardos.* Occurrit mihi semel et iterum in duobus codd. Trecensi uno, altero Carnotensi. Cf. t. III, p. 2 — (19) *Aviarium.* Apud Vincent. Bellov. *Specul. natur.* lib. XVII. — (20) *Cycno.* Uti sequens, ita penultimum illud latet in codd. Parisiensibus.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Singulos sacrorum librorum versiculos respiciunt bini numeri, aliquando trini, cum litterula *a* : primus numerus paginam, ceteri lineas, litterula secundam columnam designat. *Prolegomena* recensentur numeris romanis, notæ signo succedente. Etsi copiosissimus sit index, ut pæne universam omnis Scripturæ expositionem proferat, plerumque tamen semel ibi provocatur ad textum, ubi eumdem locum sacrum pluries repeti monendus lector erat.

VETUS TESTAMENTUM.

LIBER GENESIS.

I, 1, 2, 8 *a*; 9, 5 *a*; 52, 27; 120, 10.
2, 47, 42 *a*; 71, 11 *a*; 149, 31.
4, 101, 34, 30 *a*, 36 *a*; 102, 37 *a*; 151, 7.
5, 97, 19; 100, 2; 106, 33.
6, 54, 16, 27.
8, LXXXIII, B. 879.
11, 116, 30 *a*; 120, 7; 121, 17; 122, 5; 400, 31; 403, 17; 404, 37.
14, 51, 15 *a*.
16, 110, 40.
26, 189, 3; 434, 1.
II, 3, 94, 26 *a*.
6, 162, 26.
7, 44, 18 *a*; 47, 15; 139, 13; 219, 10.
8, 347, *a*; 433, 34 *a*.
12, 253, 21.
17, 347, 25.
21, 240, 3.
23, 37, 33.
24, 240, 38.
III, 5, 59, 38.
7, 201, 40; 367, 34; 372, 8.
8, 20, 6 *a*; 103, 40; 104, 5.
9, 2, 11; 23, B. 1.
11, 236, 18.
14, 249, 4; 253, 26.
15, 4, 17 *a*; 100, 19; 195, 18 *a*; 266, 2; 435, 9; 509, 18; LXXIV, 369.
18, 126, 31 *a*; 349, 2 *a*; 368, 9.
19, 122, 4; 444, 21.
IV, 2, 460, 26.
10, 241, 28 *a*.
12, 122, 31 *a*.
13, 6, 4 *a*; 323, 42 *a*; 349, 42.
VI, 3, 37, 5 *a*; 238, 15.
4, 347, 19.
7, 18, 6.
14, 347, 19 *a*.
16, 228, 30.
VII, 11, 151, 1.
VIII, 1, 16, 27; 46, 11.
6, 498, 12.
8, 485, 23.
11, 107, 7 *a*; 392, 12.
21, 205, 19.
IX, 3, 423, 27 *a*.
13, LXXIX, 684.
X. 25, 267 *a*.
XI, 5, 12, 23.
6, 270, 10 *a*.
7, 13, 25.
XII, 1, 120, 14.
22, 16, 24.
XIII, 10, 399, 15.
18, 366, 1.
XV, 6, 78, 21.
9, 490, 24.
10, 471, 38.
11, 438, 28.
17, 82, 16; 182, 22; 447, 32.
XVII, 3, 298, 31.
XVIII, 1, 104, 19.
2, 442, 3.
6, 441, 20.
21, 13, 21; 20, 10 *a*.
27, 125, 1.
XXI, 32, 163, 36.
33, 351, 17.
XXII, 6, 303, 25; 437, 3 *a*.
7, 348, 18.
13, 369, 4.
17, 68, 14.
18, 435, 5.
XXIII, 6, 443, 8.
10, 2, 11 *a*.
19, 137, 18 *a*.
XXIV, 2, 260, 27.
18, 174, 23.
25, 432, 32 *a*.
62, 163, 37.
63, 126, 32.
XXV, 22, 12, 9.
30, 443, 2.
XXVI, 12, 428, 27.
18, 163, 39.
XXVII, 15, 38, 30
27, 125, 26; 205, 24; 417, 34 *a*.
28, 90, 7; 92, 6; 150, 19; 426, 21.
39, 90, 3.
XXVIII, 13, 314, 6.
14, 231, 9.
20, 443, 33.
25, 314, 15 *a*.
164, 33; 165, 6; 329, 29.
30, 143, 16 *a*.
XXX, 33, 112, 4.
37, 361, 13; 379, 39; 390, 26; 394, 4, 30.
38, 169, 11.
XXXI, 31, 269, 38.
47, 336, 35.
XXXII, 2, 324, 30.
10, 386, 27 *a*.
25, 248, 3 *a*; 260, 24.
26, 97, 11.
30, 2, 9, 11 *a*; 218, 37.
XXXIII, 23, 155, 24 *a*.
XXXV, 2, 478, 12.
4, 365, 1.
29, LXIX, 103.
XXXVII, 3, 40, 1.
7, 437, 5.
23, 265, 35.
24, 167, 31 *a*.

XXXVIII, 18, 186, 37.
XXXIX, 12, 39, 34.
31, 39, 22 *a*.
XL, 9, 451, 13.
XLIII, 23, 103, 1
XLIV, 18, 9, 13
XLVI, 27, 194, 37.
XLIX, 2, 39, 19, 2 *a*.
5, 143, 3 *a*.
10, 261, 30.
11, 453, 13; 461, 30 *a*.
12, 28, 7; 29, 8.
15, 247, 24
17, 132, 15 *a*, 34 *a*; 308, 33 *a*.
20, 381, 13 *a*.
26, 145, 28, 15 *a*.

LIBER EXODI.

I, 5, 261, 21.
II, 3, 422, 13, 2 *a*.
III, 3, 370, 20.
5, 43, 35 *a*.
6, 1, 2, 9.
8, 13, 25 *a*.
14, 111, n. 8.
18, 131, 16
IV, 4, 389, 9.
6, 231, 36.
V, 3, 136, 33 *a*.
18, 432, 36 *a*.
VII, 1, 1, 4.
12, 388, 10.
20, 388, 20.
VIII, 9, 234, 39.
24, 518, 8.
IX, 25, 85, 32.
X, 13, 515, 16.
XI, 14, 85, 10.
XII, 2, 115, 13.
7, 242, 11 *a*.
8, 240, 5; 423, 6; 443, 18 *a*.
9, 31, 37; 149, 24; 256, 7.
11, 259, 34; 386, 20.
15, 446, 16, 21.
18, 177, 31.
23, 13, 27 *a*.
XIII, 18, 269, 7.
XIV, 13, 112, 15.
XV, 2, 154, 17 *a*.
5, 149, 137; 152, 2; 330, 34.
8, 47, 33 *a*.
9, 231, 30 *a*; 292, 10 *a*; 495, 35.
18, 167, 6.
23, 34, 5.
XVI, 8, 99, 36 *a*.
10, 76, 2.
12, 107, 17; 442, 22; 508, 29.
14, 85, 18.
18, 238, 21.
XVII, 12, 230, 25; 329, 3.
XIX, 12, 143, 24.
XX, 8, 321, 25.
24 120, 7; 121, 42.
XXI, 2, 114, 5.
6, 224, 32.
18, 1, 4; 2, 20, 27.
24, 211, 20.
33, 167, 31.
XXIII, 15, 26, 23 *a*.
XXIV, 2, 143, 15.
7, 173, 21.
8, 241, 25 *a*.
15, 26, 23 *a*.
17, 173, 35.
XXV, 5, 283, 20.
30, 443, 1.
31, 195, 7.
XXVI, 7, 236, 16.
XXVII, 3, 180, 34 *a*.
20, 180, 24 *a*.
XXVIII, 13, 314, 6.
25, 314, 15 *a*.
30, 249, 19.
31, 39, 29 *a*.
XXIX, 34, 177, 13.
XXX, 34, 184, 25.
36, 124, 28.
XXXI, 18, 86, 14; 384, 11.
XXXIII, 9, 74, 34.
13, 90, 26.
14, 6, 30; 90, 23.
20, 217, 10, 35; 252, 18.
21, 326, 33.
22, 232, 6 *a*.
XXXIV, 33, 218, 23.
XXXV, 5, 289, 20.
24, 348, 13 *a*.
XXXVI, 8, 43, 7.
9, 476, 37.
14, 198, 5 *a*.
19, 236, 21; 283, 24.
XXXVII, 12, 234, 22.
17, 420, 20 *a*
24, 281, 28 *a*.
XXXVIII, 3, 315, 5.
20, 290, 34.

LIBER LEVITICI.

I, 4, 194, 33.
5, 442, 6 *a*.
6, 237, 23.
15, 499, 12.
17, 4, 28.
II, 1, 441, 13.
4, 448, 3.
III, 16, 244, 1.
V, 7, 484, 29.
13, 342, 16.
VI, 10, 185, 35 *a*.
12, 178, 26, 33.
VII, 8, 237, 19.
24, 244, 11 *a*.
X, 1, 178, 5.
XI, 11, 178, 5.
14, 497, 40; 502, 2.
17, 495, 28.
20, 470, 21.
21, 261, 29.
24, 71, 34 *a*.
30, 507, 17.
38, 434, 32.
XIV, 4, 493, 8.
6, 356, 31.
12, 490, 27.
51, 418, 23.
XV, 2, 435, 15.
12, 19, 12.
XVI, 1, 39, 25.
XIX, 23, 347, 21.
XX, 24, 330, 3 *a*.
XXI, 6, 442, 36.
XXIII, 40, 354, 26.
XXV, 37, 289, 6.
XXVI, 5, 458, 11 *a*.
10, 62, 37 *a*.

LIBER NUMERORUM.

III, 3, 395, 26 *a*.

VI, 12, 248, 2; 347, 14.
18, 27, 27, 30; 238, 18
20, 463, 34.
42, 414, 26.
VIII, 8, 198, 8 *a*.
X, 2, 22, 4.
XI, 5, 425, 2.
6, 125, 2 *a*.
XII, 5, 13, 13.
XIII, 12, 19.
24, 453, 2; 455, 27.
XIV, 9, LXX, 140.
XVI, 18, 4, 21 *a*.
XVII, 8, 378, 8.
XX, 8, 388, 9.
10, 327, 1 *a*.
XXI, 26. LXXVII, 505.
XXII, 24, 459, 25.
XXIV, 17, 67, 23; 68, 5
XXVI, 6, 302, 10.

LIBER DEUTERONOMII.

III, 23, 308, 26.
IV, 20, 297, 6 *a*.
22, 180, 35 *a*.
24, 177, 11.
V, 32, 232, 12.
VI, 4, 2, 18, 24.
16, 310, 4 *a*.
VII, 14, 357, 30 *a*.
VIII, 3, 310, 4 *a*.
9, 289, 24; 292, 25.
XVI, 21, 351, 32; LXXXI, 780.
XIX, 5, 292, 28; 313, 15; 348, 1; 351, 11.
XX, 19, 358, 22.
XXI, 23, 347, 6.
XXII, 6, 470, 9; LXXX, 729.
10, 436, 2.
11, 40, 21 *a*.
XXIII, 2, 8, 24.
3, 35, 19; 264, 29 *a*.
10, 324, 19.
11, 60, 28; 81, 13, 31.
16, 199, 1.
XXIV, 6, 440, 14.
21, 457, 16 *a*.
XXVII, 5, 294, 9.
XXVIII, 46, 195, 16 *a*.
XXXI, 27, 195, 26 *a*.
34, 288, 43.
XXXII, 1, 50, 32; 51, 19; 122, 13.
2, 92, 7; 405, 5 *a*.
6, XXXIII, 8.
11, 227, 28; 474, 26; 480, 1.
12, 8, 19; 10, 7.
13, 326, 27; 513, 7.
14, 248, 41; 461, 1.
22, 178, 3; 179, 5.
24, 212, 21; 471, 39.
32, 455, 29.
39, 136, 38.
40, 9, 35; 230, 19.
41, 303, 30.
42, 240, 10; 241, 27 *a*; 298, 30; 303, 26.
XXXIII, 2, 232, 6.
3, LXVIII, 57.
24, LXVIII, 57.
25, 291, 2; 292, 25.
XXXIV, 7, 212, 17; LXXV, 380.
XL, 23, 454, 38.

LIBER JOSUE.

II, 7, 113, 7 *a*.
16, 146, 24.
IV, 3, 328, 8.
V, 9, 112, 19.
18, 300, 30 *a*.
VI, 4, 291, 1.
11, 426, 19 *a*.
VII, 10, 269, 22.
26, 336, 40.
XVI, 19, 87, 4.
XXI, 42, 321, 6.
XXII, 27, 111, n. 8.

LIBER JUDICUM.

III, 22, 140, 16.
IV, 5, 376, 18; 377, 39.
V, 20, 68, 1 *a*.
VI, 5, LXXXI, 769.
11, 458, 14.
21, 173, 40.
30, 351, 29.
37, 90, 10; 438, 7.
VII, 16, 31, 31; 182, 30.
18, 174, 1.
19, 174, 19.
IX, 8, 348, 16 *a*; 380, 27.
12, 453, 18.
15, 179, 13; 352, 17.
XIII, 6, 432, 16 *a*.
XV, 15, 215, 16.
XIX, 19, 432, 35 *a*.

LIBER RUTH.

I, 20, 129, 29 *a*.
II, 3, 432, 17 *a*.
14, 464, 29 *a*.
20, 155, 34.
23, 440, 1.

REGUM I.

II, 4, 306, 22 *a*.
VII, 6, 149, 19.
X, 11, 149, 34 *a*.
XI, 9, 105, 29 *a*.
XIII, 19, 296, 13.
20, 317, 7 *a*.
XV, 11, 17, 36.
17, 195, 9 *a*.
XVII, 6, 300, 32 *a*.
7, 311, 24; 312, 23 *a*.
38, 312, 27 *a*.
40, 309, 34.
49, 310, 8.
XVIII, 7,
10, 46, 18.
XXI, 13, 30, 37; 214, 15 *a*; 220, 7.
XXII, 6, 311, 25.
XXIV, 3, 327, 18.
4, 137, 35.
XXV, 29, 309; 360.
XXVII, 11, 311, 21.
XXXI, 1, 311, 32.

REGUM II.

I, 6, 197, 5 *a*.
21, 143, 37 *a*.
22, 308, 20.
II, 8, 175, 31.
IV, 6, 431, 36 *a*.
39, 405, 13.
VII, 2, 237, 27.
8, 14, 16.
XII, 2, 60, 12.
XIV, 26, 4, 24 *a*.
XVI, 1, 13, 30 *a*.
XVIII, 7, 331, 7.
9, 364, 11.
17, 437, 11

XXII, 6, 151, 30.
XXIII, 26, 111, 18.
XXIV, 18, 438, 8.
21, 438, 11.

REGUM III.

II, 26, 125, 35.
III, 26, 256, 30.
IV, 33, 111, 32.
35, 152, 25.
VI, 6, 195, 11.
7, 293, 30, 40 *a*; 317, 15.
19, 136, 24.
30, 162, 40.
VII, 30, 154, 9.
31, 229, 27.
IX, 19, 436, 1.
XIII, 14, 365, 2.
XVII, 12, 347, 7; 442, 6.
XVIII, 22, 136, 13 *a*.
XIX, 6, 66, 24.
11, 46, 24.
13, 137, 15.
18, 260, 29.
21, 436, 7.
XXI, 2, 199, 24.
25, 442, 25.
XXII, 19, 232, 27.

REGUM IV.

I, 10, 50, 31.
II, 2, 91, 87.
20, 342, 14; 462, 13 *a*.
23, 198, 24 *a*; 220, 37.
IV, 29, 386, 17, 24 *a*.
41, 441, 30 *a*.
V, 10, 210, 5.
VI, 2, 351, 32.
6, 293, 27; 348, 41.
7, 313, 13.
VII, 18, 442, 4 *a*.
VIII, 9, 353, 30 *a*.
XIII, 15, 16, 306, 9.
17, 18, 307, 28.
XIX, 30, 385, 11 *a*.
XX, 1-6, 106, 13.
XXI, 2, 423, 29 *a*.

PARALIPOMENON I.

XI, 23, 311, 34.

PARALIPOMENON II.

III, 11, 476, 39.
VII, 9, 401, 28.
XVIII, 21, 46, 19.
XXIX, 16, 159, 13.

LIBER TOBIÆ.

II, 4, 7, 60, 31.
IV, 16, 383, 21.
V, 23, 386, 33 *a*.
VIII, 3, 136, 29.
XIII, 22, 131, 3.
XV, 9, 277, 13.

LIBER JUDITH.

XVI, 2, 230, 16.

LIBER JOB.

1, 395, 20 *a*.
3, 81, 24 *a*.
I. 4, 93, 24; 94, 13, 25 *a*.
9, 59, 30.
11, 10, 6 *a*.
13, 436, 9.
16, 177, 27.
19, 77, 8, 25; 135, 11.
20, 22, 24; 38, 14; 195, 13; 197, 28.
II, 1, 272, 9 *a*.
4, 236, 9.
6, 192, 19; 231, 23 *a*.
7, 25, 9.
8, 271, 20.
12, 124, 3, 18.
13, 93, 23.
III, 2, 12, 14.
3, 93, 28; 110, 3 *a*.
4, 94, 20; 108, 20; 109, 34; 136, 22 *a*.
5, 75, 15.
6, 93, 20, 22; 108, 3; 112, 37; 113, 10, 14; 114, 7, 20; 115, 20.
7, 110, 1 *a*; 136, 36 *a*.
9, 68, 10 *a*.
12, 251, 25; 260, 32.
13, 3, 4.
20, 101, 31.
24, 149, 1.
IV, 10, 211, 23.
12, 224, 24 *a*.
14, 245, 37 *a*.
15, 197, 29.
18, 337, 22.
20, 99, 8.
V, 5, 429, 11.
7, 154, 36; 189, 26; 470, 12.
14, 93, 26; 94, 20; 104, 15; 105, 7.
15, 302, 9.
20, 318, 18.
VI, 1, 405, 41.
4, 47, 2; 308, 32; 300.
5, 171, 33.
6, 342, 12.
12, 289, 29.
15, 128, 37; 129, 20; 160, 40.
16, 85, 9; 88, 9.
18, 58, 8 *a*.
19, 79, 10, 22 *a*.
28, 225, 34.
30, 209, 10.
VII, 1, 99, 6, 25; 191, 32 *a*.
4, 106, 32, 38 *a*; 107, 20; LXIX, n. 109.
5, 124, 9, 34; 238, 28.
7, 17, 10 *a*.
8, 190, 10 *a*.
9, 75, 8.
12, 33, 25.
15, 192, 22; 245, 15.
18, 99, 14, 27 *a*.
VIII, 6, 20, 22.
9, 72, 20; 80, 9; 81, 28 *a*; 109, 1; 111, 18.
12, 396, 5.
IX, 2, 36, 34.
6, 121, 39 *a*.
7, 60, 26; 68, 13.
8, 153, 24; 167, 25.
11, 161, 1 *a*.
24, 120, 6; 121, 14 *a*.
26, 480, 10.
30, 88, 8; 147, 26; 149, 3.
33, 67, 15.
34, 389, 19.
X, 8, 23, n. 1.
9, 17, 11 *a*; 138, 14, 31 *a*.
20, 75, 16; 109, 2.
22, 109, 3.

XI, 5, 35, 37.
7, 266, 28 *a*.
8, 51, 12 *a*.
9, 122, 1.
11, 236, 15; 248, 5 *a*.
17, 70, 33; 104, 5 *a*.
24, 470, 2.
26, 236, 11.
XII, 4, 182, 1.
8, 122, 8.
11, 224, 33.
15, 50, 5.
18, 260, 22.
XIII, 12, 185, 27; 195, 1.
14, 211, 19.
20, 7, 10 *a*; 217, 20.
21, 231, 25 *a*.
22, 247, 28.
25, 393, 35; 433, 13.
27, 132, 6, 23 *a*.
XIV, 2, 396, 38.
6, 113, 14 *a*.
7, 8, 385, 2, 3; 392, 16.
8, 347, 19.
11, 157, 5.
15, 9, 9.
18, 143, 20.
19, 149, 34.
XV, 12, 201, 3 *a*.
23, 443, 30.
25, 231, 17 *a*.
26, 221, 37 *a*; 243, 25.
27, 217, 13; 243, 27.
29, 120, 5; 121, 12; 385, 4.
30, 392, 19.
33, 396, 11 *a*; 449, 27 *a*.
34, 177, 25.
35, 253, 31.
XVI, 9, 28, 26 *a*.
10, 211, 24; 212, 15; 215, 13.
13, 195, 2.
14, 256, 113; 258, 28; 310, 30.
15, 236, 24; 239, 33; 240, 36.
16, 37, 7; 185, 2; 203, 32.
17, 217, 14.
18, 241, 22 *a*.
19, 242, 9 *a*.
21, 200, 17.
XVII, 1, 57, 16.
3, 231, 27 *a*.
7, 28, 33; 210, 28.
13, 130, 18.
XVIII, 5, 178, 41.
6, 101, 2, 16.
12, 253, 10.
13, 108, 26; 110, 21; 229, 10.
14, 146, 7.
16, 385, 17 *a*; 429, 30 *a*.
17, 131, 3.
19, 266, 7.
XIX, 6, 342, 5.
9, 195, 8 *a*.
17, 12, 76 *a*; 253, 30.
20, 29, 17: 36, 28; 37, 13; 211, 25; 236, 12; 238, 32; 245, 9.
22, 239, 2.
24, 291, 27; 292, 1.
26, 237, 16.
XX, 2, 310, 27.
6, 51, 2; 52, 10 *a*.
10, 230, 28.
11, 124, 27 *a*.
12, 206, 5.
14, 12, 13 *a*.
16, 4, 15.
17, 156, 17; 159, 18.
XX 19, 195, 14 *a*.
20, 35, 3 *a*.
21, 253, 25; 254, 12 *a*.
24, 291, 13; 293, 36; 297, 32; 305, 21.
26, 178, 1.
27, 121, 18.
XXI, 4, 247, 25.
5, 234, 3.
6, 238, 22.
13, 509, 18 *a*.
18, 432, 30.
24, 243, 19; 245, 16; 256, 35; 307, 4 *a*.
29, 133, 2.
33, 141, 32.
XXII, 16, 157, 12, 23 *a*; 218, 18.
24, 122, 9.
28, 101, 10 *a*.
29, 200, 31.
XXIII, 2, 230, 24.
8, 81, 28.
9, 31, 31 *a*; 232, 14, 2 *a*.
10, 276, 40.
11, 266, 27 *a*.
XXIV, 6, 125, 28; 126, 16; 449, 6.
8, 87, 24.
10, 431, 29 *a*.
11, 436, 9 *a*.
13, 103, 38.
14, 99, 10, 16 *a*.
16, 108, 2; 110, 6.
17, 98, 44; 99, 34 *a*; 108, 25; 110, 13.
18, 132, 30 *a*.
19, 130, 14; 165, 4 *a*; 175, 6 *a*.
20, 21, 347, 23; LXXIV, 346.
24, 108, 38.
25, 431, 31.
XXV, 3, LXIX, 111.
4, 394, 6.
5, 67, 27.
XXVI, 7, 79, 13.
9, 14, 18 *a*.
13, 50, 25; 255, 24.
XXVII, 4, 87, 16 *a*.
14, 84, 30; 302, 18.
16, 17, 38, 16.
20, 107, 39; 148, 8, 25 *a*.
21, 77, 3, 19.
XXVIII, 1, 276, 37.
2, 289, 17; 292, 24; 329, 22.
3, 109, 17; 329, 19.
4, 160, 2; 262, 29.
5, 120, 15; 121, 22.
6, 276, 44.
7, 132, 36; 502, 3; LXXXI, 737
10, 159, 11; 326, 37.
11, 157, 9, 30.
13, 121, 5, 37; 122, 6.
14, 151, 9; 153, 10.
15, 276, 29; 278, 19; 283, 22.
16, 337, 19 *a*.
17, 276, 36; 340, 18.
19, 339, 1.
21, 470, 22.
24, 160, 33.
25, 77, 2, 23; 148, 5; 189, 24.
34, 147, 32.
39, 330, 43.
XXIX, 2, 112, 39; 113, 6; 117, 23.
6, 136, 2, 9; 159, 9; 262, 35.
7, 130, 20, 32.
8, 143, 35.
10, 141, 28.
15, 200, 33; 262, 28.

XXIX. 17, 211, 25.
18, 370, 27; 477, 11; LXXX, 729.
19, 385, 1.
20, LXXIX, 684.
23, 86, 40.
24, 102, 4.
30, 210, 8.
33, 35, 25.
XXX, 3, 136, 13.
4, 353, 4; 404, 34.
5, 129, 12.
6, 136, 1; 137, 33; 159, 19.
10, 217, 18.
12, 35, 33; 81, 19, 32 *a*; 167, 10 262, 32.
15, 77, 11, 21 *a*; 307, 19.
18, 38, 6.
21, 10, 25.
22, 77, 9, 32.
30, 237, 10; 245, 17.
XXXI, 1, 201, 5 *a*.
4, 132, 133.
7, 132, 1.
12, 172, 17; 516, 14.
17, 245, 10.
19, 126, 1.
21, 275, 13.
22, 226, 32.
24, 238, 26.
26, 60, 19; 61, 12; 65, 12, 23; LXVIII, 69, 70.
33, 288, 26.
36, 227, 22.
38, 121, 2; 122, 12.
39, 286, 1.
40, 368, 6, 17; 369, 15; 428, 25.
XXXII, 20, 29, 24 *a*.
XXXIII, 21, 238, 29.
25, 238, 24.
26, 7, 24.
XXXIV, 15, 185, 29 *a*.
22, 108, 18; 109, 25.
XXXV, 5, 50, 19; 51, 9.
10, 110, 43.
26, 217, 16.
27, 169, 7.
XXXVI, 5, LXXXIII, 877.
7, 14, 20 *a*.
16, 206, 32.
20, 108, 4.
27, 68, 40.
30, 152, 23.
XXXVII, 2, 206, 26.
3, 101, 39.
6, 88, 12, 19 *a*; 116, 5, 13.
7, 470, 1.
8, 137, 8.
10, 85, 15 *a*.
11, 74, 35; 75, 34; 426, 1.
14, 84, 17.
16, 132, 5.
18, 50, 19; 290, 17 *a*.
20, LXXXIII, 877.
21, 75, 4, 28 *a*;
22, 79, 14.
24, 275, 4.
XXXVIII, 4, 121, 26, 43 *a*.
8, 152, 17, 35.
11, 167, 7.
12, 97, 12; 99, 12, 22 *a*.
13, 96, 35.
14, 138, 13, 25.
15, 100, 39; 101, 14; 228, 28.
16, 151, 2, 17, 23 *a*.
19, 20, 101, 5; 108, 28; 110, 25.
21, 72, 20, 25; 73, 40.
XXXVIII. 22, 84, 39; 286, 23 *a*.
24, 75, 11; 84, 39; 100, 6; 286, 23 *a*; 132, 25.
25, 87, 15; 88, 13; LXXXIII, 877.
26, 120, 17; 121, 43 *a*; 135, 30.
27, 85, 16 *a*.
28, 87, 15; 88, 13.
29, 12, 9 *a*; 51, 33; 254, 7.
30, 151, 7, 35; 148, 35 *a*.
31, 68, 7; 70, 29; 72, 15.
32, 67, 32; 70, 34; 71, 11; 107, 15.
33, 51, 20; 52, 6 *a*; 71, 11; 107, 15.
35, 83, 3.
36, 256, 32; 487, 3.
38, 124, 8.
40, 137, 10, 29.
41, 477, 30; 479, 19; 480, 15; 498, 8.
XXXIX, 1, 327, 1.
6, 146, 26.
13, 496, 4; 503, 26.
14, 478, 31.
16, LXXVIII, 544.
18, 263, 9 *a*.
20, 205, 1.
21, 120, 21; 121, 34; 122, 3; 267, 39; 297, 31.
23, 300, 13; 308, 18; 310, 27.
27, 477, 22; 480, 3.
28, 146, 3; 318, 21; 326, 38.
29, 495, 5.
30, 241, 11; 479, 22.
34, 206, 3; 230, 23.
XL, 1, 91, 14 *a*.
2, 258, 27.
4, 228, 27.
8, 124, 5, 21.
10, 403, 7.
11, 257, 26; 258, 24.
12, 358, 37 *a*.
13, 8, 30 *a*; 245, 13; 247, 18; 293, 37; 294, 15; 412, 22.
14, 15, 15; 132, 36; 303, 19.
15, 404, 30.
16, 109, 4; 142, 14; 420, 13 *a*.
17, 109, 19; 365, 11.
18, 156, 15.
19, 204, 15.
20, 173, 11; 206, 11.
21, 215, 16.
26, 195, 13 *a*.
44, 209, 8.
XLI, 4, 206, 9.
5, 29, 26; 211, 22.
6, 300, 18 *a*.
9, 28, 13, 24 *a*; 200, 24, 33; 203, 33; LXXV, 374.
10, 182, 27; 206, 10.
11, 183, 10; 204, 15.
12, 184, 5.
13, 204, 20; 217, 17; 221, 23.
14, 83, 8; 84, 4.
15, 317, 19; 329, 21.
16, 55, 4.
17, 310, 39; 312, 19.
18, 289, 18; 292, 32.
19, 309, 34.
20, 275, 9; 317, 34.
21, 60, 16; 139, 3, 22.
22, 152, 10; 153, 31.
23, 132, 3, 37.
XLII, 6, 185, 19.

LIBER PSALMORUM.

I, 2, 102, 35; 354, 7.
3, 126, 35; 148, 32; 347, 1; 393, 19.
4, 124, 1; 353, 14 *a*.

I, 5, 116, 28 *a*.
6, 349, 38.
II, 4, 52, 21 *a*.
5, 18, 20 *a*.
7, 111, 21; 112, 25.
9, 177, 5; 293, 6 *a*; 308, 27 *a*; 388, 15.
10, 3, 26.
III, 5, 143, 19 *a*.
6, 19, 23; 389, 13 *a*.
8, 212, 23, 36 *a*.
IV, 3, 7, 6 *a*; LXXV, 414.
7, 8, 297, 4; 381, 8; 383, 8; 426, 24.
9, 20, 11; 321, 1.
V, 2, 225, 31.
4, 99, 3, 31.
9, 132, 31 *a*.
13, 300, 1.
VI, 2, 18, 19.
7, 179, 11.
8, 200, 27.
VII, 8, 166, 3.
10, 259, 30; 452, 39.
13, 303, 10; 305, 18.
14, 307, 22.
16, 166, 1.
17, LXXIV, 369.
VIII, 1, 458, 6.
3, 106, 10 *a*; 127, 26 *a*.
4, 9, 28; 51, 3; 234, 33 *a*.
5, 17, 12 *a*.
8, 53, 3; 128, 24 *a*; LXVIII, 67.
9, 173, 85; 470, 19.
10, LXXVII, 507.
IX, 5, 14, 28.
20, 189, 7.
21, 189, 15.
32, 7, 8.
X, 1, 142, 17; 143, 7.
3, 58, 28 *a*; 305, 26; 307, 21.
5, 5, 24; 23, n. 1; 52, 17, 21 *a*; 201, 16 *a*; LXXIV, 374.
15, 203, 31.
17, 224, 27.
18, 190, 17 *a*.
XI, 5, 438, 23.
7, 86, 22.
9, 58, 18; 190, 4.
XII, 1, 7, 4 *a*; 505, 1.
4, LXXIV, 374.
XIII, 1, 343, 34.
2, 52, 38; 53, 2.
3, 263, 23 *a*.
4, 212, 22 *a*.
14, 445, 3.
XIV, 4, 41, 21.
XV, 2, 29, 27 *a*.
7, 259, 25.
8, 32, 41; 232, 17; 472, 21.
10, 19, 32 *a*; 21, 2 *a*.
XVI, 4, LXXV, 381.
5, 244, 23 *a*; 263, 2; 466, 1.
8, 23, n. 1; 476, 10.
10, 243, 23.
14, 120, 8; 255, 20 *a*.
XVII, 3, 326, 30.
5, 269, 24 *a*; LXXIX, 685.
8, 142, 25.
9, 183, 8; 184, 2; 219, 6.
10, 12, 19; 17, 2 *a*; 270, 37.
11, 77, 1; 84, 14; 475, 31.
12, 74, 10; 75, 2, 32; 108, 21; 111, 10; 148, 15.
13, 84, 36; 85, 17, 24.
14, 184, 7.
15, 83, 5, 11; 307, 24.
XVII, 17, 148, 18.
18, 9, 10 *a*.
35, 229, 24, 37 *a*; 231, 32; 290, 31 *a*; 306, 5, 32.
40, 318, 22, 31.
41, 235, 32.
43, 131, 25.
44, 4, 8 *a*.
45, 225, 32 *a*; 349, 11 *a*.
XVIII, 2, 50, 25; 51, 42; 52, 37, 23 *a*; 54, 27, 10 *a*; 93, 15; 94, 17, 14 *a*; 95, 2 *a*; 115, 1 *a*.
3, 33, 29 *a*; 110, 42, 113, 3 *a*.
5, 205, 1 *a*; 270, 3; 424, 29.
6, 26, 4; 60, 12; 61, 7; 101, 2; 341, 6 *a*.
7, 52, 5.
11, 284, 40; 332, 1; 339, 21.
XX, 10, 148, 11; 447, 31.
13, 235, 24.
XXI, 3, 94, 2.
5, 462, 19; LXXII, 258.
13, LXXXI, 774
15, 36, 20; 147, 18; 223, 18; 254, 5 *a*.
16, 209, 29; 419, 2.
17, 42, 2; 242, 16; 410, 3.
21, 302, 26.
XXII, 2, 149, 27.
4, 386, 18; 388, 6.
5, 4, 23; 195, 19; 465, 20.
6, 87, 11 *a*.
XXIII, 1, LXXI, 184.
7-9, 325, 23.
8, 229, 9 *a*.
16, 203, 2.
XXIV, 1, 94, 36.
4, 132, 4; 19 *a*.
10, 15, 25 *a*; 138, 31; 276, 19 *a*.
14, 54, 27.
15, 196, 8; 203, 5.
XXV, 3, 202, 39 *a*.
10, 31, 24 *a*; 233, 8 *a*.
XXVI, 2, 36, 17; LXXIV, 373.
3, 326, 6 *a*.
6, 25, 23; 175, 37; 326, 28.
9, 270, 34 *a*.
12, 194, 22.
13, 120, 3; LXXI, n. 187.
XXVII, 1, 166, 19.
7, 434, 7.
XXVIII, 3, 48, 1 *a*; 148, 5.
5, 356, 28.
7, 177, 17.
8, 135, 37
9, 351, 19.
XXIX, 4, 166, 21
5, 175, 17.
6, 106, 28.
10, 125, 14.
12, 42, 9.
19, 90, 9.
XXX, 6, 10, 16.
9, 263, 22 *a*.
10, 11, 32; 194, 21; 201, 24.
15, 10, 15.
17, 479, 14.
20, 355, 15.
XXXI, 4, 231, 13 *a*; 368, 4.
5, 207, 39.
8, 486, 6.
9, 215, 35.
XXXII, 2, 279, 13.
5, 22, 24.
6, 8, 14; 50, 26.
7, 151, 35 *a*; 147, 9; 155, 17.
12, 58, 20 *a*.

XXXII, 15, 250, 13.
20, 229, 15 *a*.
22, 116, 40 *a*.
XXXIII, 3, 141, 42 *a*.
9, 54, 44 *a*.
16, 6, 9; 24, n. 1; 201, 22 *a*; 224, 40.
21, 243, 11.
28, LXXI, 184.
XXXIV, 2, 297, 28; 300, 2.
3, 302, 29.
24, 10, 12.
XXXV, 7, 150, 42; 189, 13.
8, 427, 2.
9, 159, 18; 399, 11 *a*.
10, 101, 14 *a*; 162, 22 *a*.
11, 251, 8.
12, 231, 12 *a*.
XXXVI, 2, 210, 86 *a*.
4, 250, 25 *a*.
7, 250, 15.
11, 128, 21.
13, 197, 25.
14, 303, 16.
18, 94, 31 *a*; 113, 37.
24, 10, 10.
26, 435, 12.
30, 208, 42.
35, 270, 22; 357, 34.
36, 13, 39 *a*
XXXVII, 3, 4, 259, 10 *a*; 246, 7; LXXIV, 371.
5, 158, 33 *a*: 292, 5 *a*.
8, 308, 30.
9, 193, 16; 485, 34.
XXXIX, 1, 47, 7 *a*.
3, 139, 36; 166, 20; 326, 28.
6, 2, 18 *a*.
7, 224, 26 *a*.
8, 5, 5, *a*; 195, 12 *a*.
13, 5, 1; 250, 7 *a*.
XL, 2, 3, 194, 23.
7, 283, 15.
10, 442, 33.
XLI, 4, 442, 33; LXXII, 237.
8, 151, 5, 16, 19 *a*; 167, 7.
9, 94, 1, 29 *a*.
XLII, 3, 143, 18 *a*.
XLIII, 4, 229, 29.
7, 306, 3.
12, 13 *a*.
20, 109, 5
22, 229, 35 *a*.
23, 19, 10.
XLIV, 1, 6, 29; 7, 1, 32; 209, 7.
2, 250, 4; 419, 29; LXXV, 390
3, LXXV, 381.
4, 261, 20, 43; 293, 16 *a*.
6, 83, 10.
7, 389, 30.
8, 221, 2; 358, 15 *a*; 380, 8
9, 409, 28; 411, 34.
10, 68, 36.
14, 341, 38.
20, 275, 19.
XLV, 3, 143, 28; 152, 10, 16.
5, 47, 29; 48, 28; 150, 9; 156, 20.
10, 297, 29 *a*.
11, 270, 1.
XLVI, 9, 14, 14.
XLVII, 3, 79, 15; 170, 36.
8, 46, 11; 177, 20.
XLVIII, 6, 267, 1.
XLIX, 1, 121, 3.
3, 179, 11.
4, 91, 9.
11, 125, 34; 126, 7.
L, 5, 490, 33.
L, 6, 136, 6 *a*.
7, 30, 5
9, 86, 29; 88, 10
12, 47, 20 *a*; 257, 1; LXXIV, 369
14, 418, 21; 104, 43 *a*.
16, 242, 1
17, 200, 29 *a*; 207, 11.
19, 250, 8 *a*.
LI, 4, 209, 31.
10, 380, 1.
17, 385, 6.
LII, 6, 247, 1.
LIV, 7, 146, 4 *a*; 475, 19
18, 101, 38; LXIX, n. 108.
24, 164, 39; 242, 2.
LV, 7, 266, 3.
LVI, 2, 8, 29.
5, 302, 11, 24; 308, 25; LXXIX, 680.
7, 36, 14; 58, 26 *a*.
LVII, 2, 108, 30.
4, 255, 9.
5, 229, 7.
7, 212, 25; 440, 25
8, 305, 24.
9, 297, 19.
10, 368, 11.
11, 241, 32 *a*.
LVIII, 7, 107, 923.
13, LXXV, 378.
14, LXXV, 374.
16, 207, 9.
LIX, 6, 305, 20; 307, 16; 364, 20 *a*; LXXIX, 684.
10, 21, 18 *a*; 43, 38; 242, 28; XXXIII, n. 11.
21, 222, 12.
LX, 6, 12, 13.
7, 95, 21.
LXI, 3, 145, 18
4, 459, 22; 513, 40 *a*.
6, 150, 15.
11, 169, 9; 285, 35.
LXII, 6, 243, 17.
LXIII, 6, 58, 25 *a*.
8, 307, 23.
10, 149, 29; 156, 20.
LXIV, 4, 305, 22.
5, 21, 20.
8, 167, 8.
11, 159, 6.
12, 23, n. 1; 114, 3; 127, 12; 128, 18; 323, 33.
13, 128, 35; 145, 1, 7, 25.
14, 426, 6.
17, LXIX, 89.
LXV, 6, 157, 2; 263, 35.
10, 284, 11.
12, 177, 19
14, 30, 1.
15, 247, 20.
LXVI, 7, 121, 37 *a*; 400, 39.
12, 149, 21; 158.
19, 338.
LXVII, 2, 263, 33.
3, 183, 33; 295, 12.
5, 81, 10, 30.
9, 53, 36 *a*; 170, 4 *a*.
14, 235, 27, 23 *a*; 275, 17, 475, 3 *a*.
19, 141, 23; 269, 27 *a*.
20, 265, 33.
22, 27, 28; 198, 42.
24, 212, 6 *a*; 241, 30 *a*.
27, 162, 31 *a*; 240, 8; 472, 33 *a*.
31, 141, 13 *a*; 421, 1.
34, 12, 28.
36, 155, 9.

LXVIII, 2, 148, 1, 29.
4, 28, 21 *a*; 472, 19.
11, 193, 1.
13, 138, 9.
16, 149, 24: 164, 2, 10.
22, 464, 11.
24, 28, 27; 200, 28, 202, 15; 235, 9, 16.
28, 47, 48 *a*.
LXX, 16, LXIX, 88.
23, 30, 4; LXXV, 381.
LXXI, 3, 143, 35 *a*; 144, 12 *a*; 321, 3.
6, 90, 8 *a*; 170, 7; 252, 18 *a*.
16, 40, 38; 54, 22; 61, 11 *a*; 123, 26; 270, 8 *a*; 399, 18 *a*.
LXXII, 2, 86, 10.
5, 191, 29 *a*.
7, 243, 22.
9, 51, 7 *a*; 52, 18 *a*.
11, LXXV, 390.
14, 54, 35; 433, 14.
18, 176, 9; 295, 14 *a*.
21, 179, 20 *a*; 259, 26; 260, 20.
26, LXXV, 390.
LXXIII, 2, 388, 13.
5, 313, 9, 17.
6, LXXX, 729.
7, 136, 30; 142, 21; 189, 10.
11, 231, 25 *a*.
13, LXXIV, 369.
15, 157, 10, 17, 39; 159, 13; 162, 31.
16, 296, 38.
LXXIV, 4, 246, 26.
9, 23, n. 1; 463, 37; 465, 24; LXXII.
11, 270, 17.
16, 146, 10.
LXXV, 5, 143, 1 *a*.
14, 300, 8; 306, 13.
LXXVI, 3, 107, 36.
18, 148, 14.
19, 3, 23; 175, 1.
LXXVII, 9, 306, 1; 318, 16.
13, 148, 9.
14, 485, 19.
18, 179, 10.
19, 82, 27; 207, 14; 338, 14.
20, 15, 20; 326, 30.
25, 443, 22 *a*.
26, 80, 3.
27, 172, 1.
37, 84, 38.
28, LXXVI, 486.
39, 37, 34.
46, 291, 19.
48, 85, 29.
49, 18, 23.
65, 17, 32.
LXXVIII, 2, 336, 2.
9, 19, 33.
17, 115, 30.
25, LXXV, 381.
LXXIX, 2, 14, 13.
4, 217, 8.
9, 449, 4.
10, 385, *a*.
13, 457, 40; 459, 20.
14, 351, 9.
16, 442, 32; 457, 42.
17, 179, 35 *a*.
18, 32, 43.
LXXX, 4, 284, 23 *a*.
6, 211, 8.
7, 140, 34; 235, 23.
8, 91, 21; 147, 30.
15, 10, 5 *a*.
17, 327, 6 *a*; 426, 8.
LXXXI, 1, 1, 5; 2, 19.
LXXXI. 2, 219, 15.
6, 1, 4, 10; XXXIII, 7.
7, 129, 36.
LXXXII, 14, 175, 3; 433, 34.
LXXXIII, 2, 193, 8.
3, 36, 30.
4, 193, 11; 439, 30; 471, 27; 477, 6; 490, 12; 492, 32.
6, 269, 6; 270, 13.
7, 129, 36.
8, 102, 41.
11, 93, 21; 95, 11 *a*; 113, 12 *a*.
12, 301, 24.
LXXXIV, 9, 2, 7; 16, 34; 52, 29; 208, 9.
12, 44, 25; 52, 41; 122, 37.
13, 44, 26 *a*.
LXXXV, 2, 17, 16.
LXXXVI, 1, 143, 30.
4, 17, 26 *a*.
LXXXVII, 14, 207, 3 *a*.
LXXXVIII, 4, 65, 11.
13, 153, 26.
14, 23, n. 1.
26, 158, 26.
45, 14, 31.
49, 106, 22.
LXXXIX, 6, 100, 8; 398, 4; 404, 42.
9, 114, 2, 23; LXX, 140.
XC, 4, 23, n. 1; 266, 33.
5, 300, 7; 308, 23.
6, 103, 41; 104, 33.
12, 204, 22; 230, 32.
14, 9, 11; 21, 25 *a*; 23, n. 1; 470, 14.
XCI, 13, 99, 8; 116, 34 *a*; 356, 30; 376, 16; 397, 2 *a*.
15, 275, 4.
XCII, 3, 158, 24, 25.
4, 155, 7.
11, 323, 10 *a*.
15, 95, 18 *a*.
XCIII, 3, 117, 13; 179, 15 *a*.
9, 17, 24 *a*; 207, 17.
XCIV, 4, 230, 22.
8, 111, 23; 112, 11.
XCV, 2, 93, 19; 94, 12 *a*; XLVI, 310.
5, 2, 25; 336, 14 *a*.
10, 347, 2.
12, 348, 3.
XCVI, 1, 170, 31.
2, 75, 18.
4, 83, 31 *a*.
5, 143, 31.
XCVII, 1, 32, 29.
8, 156, 22.
XCVIII, 5, 20, 42; 21, 10; 44, 16.
15, 264, 1.
XCIX, 2, 143, 28 *a*.
C, 2, 20, 24 *a*; 116, 22 *a*.
4, 17, 23.
CI, 4, 95, 8 *a*; 246, 21.
5, 183, 12; 444, 26 *a*.
7, 471, 40 *a*; 506, 18.
8, 136, 10 *a*.
25, 114, 21.
28, 62, 14; 114, 1.
CII, 5, 434, 14; 481, 43.
8, 476, 14 *a*.
14, 124, 11.
CIII, 1, 192, 36 *a*.
2, 50, 23; 53, 19; 101, 35; 236, 14; 269, 13 *a*.
3, 13, 11 *a*; 75, 34; 147, 25.
4, 55, 5; 179, 7.
8, 127, 16, 23; 146, 13.
9, 81, 10.
10, 143, 34; 162, 10,

CIII 11, 122, 33.
12, 40, 4, 310, 19
13, 48, 10
14, 404, 30.
17, 380, 19; 444, 33, 45; 461, 30.
18, 142, 13; 148, 8 a; 150, 24.
19, 454, 4; 497, 29; 498, 5.
18, 141, 40; 326, 28.
19, 60, 14; 61, 10; 111, 26.
22, 60, 25; 190, 15 a.
23, 103, 22 a; 190, 15 a.
25, 69, 6; 124, 3 a.
26, 150, 31.
29, 124, 13.
30, 37, 41; 354, 44 a.
32, 295, 30.
CIV, 4, 7, 60; 218, 42 a.
12, 326, 5.
16, 54, 27.
18, 297, 27.
29, 149, 35.
40, 442, 24; 508, 28.
CV, 15, 194, 10.
CVI, 10, 294, 31.
13, 3, 40.
16, 270, 5.
20, 8, 15.
23, 153, 28.
33, 135, 29.
34, 146, 27, 33; 343, 3
35, 166, 31.
37, 434, 35.
CVII, 6, 20, 35.
8, 128, 133.
16, 8, 20; 9, 9 a.
CVIII, 6, 233, 3 a.
10, 31, 21 a.
24, 239, 3 a; 261, 25; 330, 10.
25, 282, 3 a.
CIX, 1, 32, 34; 42, 24 a; 271, 10.
2, 21, 16; 388, 11.
3, 12, 3 a; 94, 23 a; 71, 5 a; 253, 29; XXXIII, n. 1.
6, 233, 3 a.
7, 159, 17.
CX, 1, 143, 30.
2, 11, 37.
8, 99, 1.
10, 323, 26.
CXI, 2, 435, 13.
CXII, 3, 19, 30, 28 a.
7, 140, 13.
CXIII, 16, 17, 51, 25; 52, 24.
29, 46, 13; 47, 1, 8.
CXIV, 1, 142, 3; 30 a.
6, LXXIV, 347.
CXV, 5, 316, 38 a; 466, 16.
13, 466, 2; LXXII, 258.
CXVII, 6, 32, 16 a.
12, 512, 29 a.
14, 32, 27.
22, 327, 31.
26, 20, 35; 93, 13.
27, 26, 22.
32, 329, 11.
CXVIII, 2, 3, 20, 26 a; 133, 18.
5, 133, 42.
9, 133, 5 a.
18, 202, 34.
25, 8, 17; 131, 14; 192, 37 a.
26, 132, 38 a; 133, 1 a.
35, 132, 9.
37, 201, 13 a.
38, 218, 31.
45, 20, 26 a; 269, 1.
55, 110, 35 a.
CXVIII. 73, 8, 4 a; 10, 33; 23, n. 1; 232, 40.
81, 51, 13 a; 52, 18; 193, 7.
83, 85, 7.
84, 85, 30 a.
91, 94, 41 a.
104, 17, 35
105, 102, 10; LXIX, 111.
109, 232, 2.
115, 311, 15 a.
120, 225, 16; 314, 9.
127, 256, 6 a.
131, 74, 19.
134, 32 a; 133, 7.
136, 147, 26.
137, XXXIII, n. 3.
140, 44, 7; 177, 29.
151, 135, 12.
CXIX, 4, 184, 3; 308, 25.
7, 321, 10.
CXX, 1, 142, 11; 143, 20; 201, 15.
3, 14, 32.
6, 60, 21; 110, 38.
CXXI, 2, 263, 3.
3, 19, 11.
6, 320, 22.
CXXIII, 4, 147, 31.
5, 159, 14.
CXXIV, 2, 3. 144, 6, 3 a.
4, 250, 10.
CXXV, 4, 79, 6, 22; 80 a.
6, 87, 14 a; 117, 6 a; 430, 16; 436, 27.
CXXVI, 2, 118, 30; 271, 2; 444, 13.
5, LXXVII, 512.
8, 179, 24
17, 444, 13.
CXXVII, 2, 230, 26.
CXXVIII, 1, 66, 28.
2, 235, 25, 23 a.
CXXIX, 1, 154, 23.
CXXX, 2, 107, 35.
10, 65, 25 a.
CXXXI, 6, 128, 13 a; 351, 7.
7, 35, 20; 263, 20 a; LXVIII, 57
11, 41, 30.
15, 443, 38.
17, 182, 15 a.
CXXXII, 2, 38, 11.
CXXXIII, 2, 90, 2; 142, 4; 219, 34.
3, 29, 19; 30, 18.
7, 493, 46.
15, 246, 33.
CXXXIV, 6, 151, 36 a.
7, 76, 7; 77, 1.
CXXXV, 9, 65, 17 a; 102, 37.
23, 27, 10.
CXXXVI, 1, 157, 15.
2, 365, 11; 490, 26.
4, 110, 14 a.
6, 7, 33.
7, 17, 30.
9, 54, 22 a.
CXXXVIII, 2, 271, 8.
9, 475, 31.
13, 12, 5 a.
15, 10, 9 a.
16, 95, 30.
18, 171, 33.
CXXXIX, 8, 111, 2 a; 318, 20.
10, 25, 25.
CXL, 2, 205, 30; 410, 15; 413, 16.
4, 207, 5 a.
5, 380, n. 13; 381, 2; LXXII, 269.
7, 424, 34.
10, 172, 35.
CXLI, 5, 31, 29 a; 232, 13.

CLXI. 6, 120, 4.
CXLII, 6, 122, 34 *a*.
CXLIII, 3, 341, 21.
5, 50, 26; 51, 3 *a*; 183, 24 *a*.
6, 308, 42.
7, 8, 5; 10, 6; 148, 16; 149, 32; 231, 35.
8, 31, 26 *a*; 232, 10.
10, 302, 4.
CXLIV, 2. 95, 1; 179, 9 *a*.
15, LXXV, 374.
16, 10, 11; 232, 36
CXLVI, 3, 75, 1.
4, 67, 24.
8, 50, 24; 403, 4.
9, 498, 15.
CXLVII, 10, 292, 18.
14, 243, 18, 33 *a*; 321, 24 *a*; 426, 18 *a*.
16, 88, 27 *a*; LXIX, n. 89.
17, 339, 34.
18, 46, 23 *a*; 161, 25.
CXLVIII, 4, 51, 9 *a*; 53, 28; 147, 15.
CXLIX, 6, 302, 3.
7, 302, 14.
8, 294, 18.
CL, 5, 30, 3.

LIBER PROVERBIORUM.

I, 9, 221, 33.
16, 263, 15 *a*; 269, 4.
20, 34, 29.
22, 343, 6 *a*.
32, 118, 10 *a*.
III, 15, 277, 31; 343, 22 *a*.
16, 32, 1; 232, 22.
17, 480, 5.
18, 347, 18; 407, 18.
IV, 3, 221, 24.
19, 132, 34 *a*.
23, 250, 14 *a*.
25, 180, 27; 202, 38 *a*; 204, 12.
V, 3, LXXII, 269.
9, 163, 12.
15, 147, 28; 163, 38; 164, 36 *a*; 167, 28.
16, 130, 36 *a*; 162, 33 *a*.
VI, 5, 495, 10 *a*.
8, 116, 27.
23, 100, 38.
27, 179, 15.
VII, 18, 33, 25.
19, 410, 12 *a*.
20, 66, 38; 287, 23.
IX, 1, 11, 24.
2, 461, 29.
7, 443, 35.
17, 143, 3, 28; 165, 37; 443, 35.
X, 4, 77, 7; 470, 14.
17, 442, 30.
20, 183, 10.
27, 85, 16.
XI, 22, 204, 14.
26, 426, 2.
XII, 10, 257, 2.
14, 230, 29.
XIII, 16, 343, 31.
XIV, 12, 133, 8 *a*.
30, 238, 23
XV, 3, 6, 10; 203, 1.
19, 132, 28.
31, 224, 31.
XVII, 3, 275, 14.
14, 148, 2.
24, 201, 35; 267, 13; LXXI, 187.
XIX, 12, 90, 37 *a*.
29, 317, 17.
XX, 4, 116, 4.
5, 147, 29.
6, 115, 34.
12, 90, 37 *a*.
17, 190, 20 *a*; 442, 31; 444, 15.
19, 369, 9.
27, 254, 7 *a*.
XXI, 11, 2, 29 *a*.
20, 286, 6.
XXII, 28, 54, 15.
XXIII, 13, 390, 5.
XXIV, 27, 460, 30 *a*.
30, 147, 1; 449, 9.
31, 459, 36; 484, 20.
XXV, 4, 285, 15.
20, 179, 25 *a*.
27, 203, 8.
XXVI, 2, 471, 34.
8, 336, 44; 432, 13.
9, 461, 19.
XXVII, 2, 207, 9 *a*.
7, 514, 21.
8, 471, 34.
17, 292, 35.
24, 124, 11; 125, 32.
25, 117, 4.
XXVIII, 9, 225, 1.
14, 110, 17 *a*.
XXX, 3, 33, 11.
5, 44, 9.
16, 148, 19.
17, 160, 7 *a*; 201, 36; 498, 14.
18, 357, 19 *a*.
19, 170, 37; 327, 13; 471, 35 *a*; 480, 8.
31, 487, 35.
33, 251, 21.
XXXI, 6, 453, 30.
7, 230, 11.
13, 40, 12 *a*.
14, 171, 15.
16, 126, 5 *a*; 460, 27 *a*.
18, 108, 7.
20, 357, 17 *a*.
21, 38, 22 *a*.
24, 42, 35.
27, 443, 21.
XXXII, 25, 402, 39.
XXXIII, 31, 462, 4.

LIBER ECCLESIASTES.

I, 4, 65, 34 *a*; 122, 39.
7, 154, 23 *a*; 156, 22.
15, 125, 1 *a*; 155, 1.
18, 147, 8 *a*; 347, 16.
II, 2, 147, 9 *a*.
14, 196, 6; 267, 13.
III, 21, 46, 9, 13.
VII, 4, 164, 34 *a*.
VIII, 1, 267, 13.
IX, 8, 38, 18; 197, 11; 380, 26 *a*.
10, 4, 25.
12, 472, 37 *a*.
X, 1, 383, 11.
9, 185, 18; 347, 11.
10, 471, 7 *a*.
13, 14, 46, 13; 235, 17 *a*.
31, 209, 9.
XI, 2, 75, 5.
3, 347, 13; 440, 12; 512, 23.
4, 434, 35.
9, LXXIV, 345.
XII, 314, 7.

XII. 5, [illegible]
6, [illegible]
10, [illegible]
11, 311, 40; 370, 8
13, 353, 7.

CANTICA CANTICORUM

I, 1, 7, 13; 33, 1; 34, 30 *a*; 205, 38; 206, 1; 251, 19; 380, 15; 461, 14.
2, 7, 23 *a*; 205, 3; 383, 4, 17; 418, 36 *a*, 461, 31.
3, 7, 35 *a*; 63, 2 *a*; 205, 15.
4, 65, 29 *a*; 237, 29; 383, 18.
5, 61, 14 *a*.
6, 97, 24; 103, 35; 104, 10; 105, 15; 209, 25; 449, 24, 26; 478, 24
7, 266, 31.
9, 216, 2; 490, 11.
10, 227, 13 *a*; 341, 81.
11, 119, 16 *a*; 284, 9; 402, 10; 424, 30.
12, 409, 26; 410, 1; 411, 32.
13, 417, 23 *a*.
14, 412, 16; 455, 32.
16, 359, 24.

II, 1, 127, 22; 128, 8, 36; 270, 19 *a*; 396, 1; 406, 8; 415, 15; 417, 15.
2, 41, 1 *a*; 65, 28 *a*; 369, 10; 406, 32.
3, 353, 8; 374, 18; 491, 40.
4, 326, 29.
5, 237, 17; 373, 25.
6, 4, 15; 31, 4, 25 *a*; 136, 4; 183, 9; 389, 22; 401, 30; 407, 80 *a*.
8, 13, 2.
10, 484, 20.
11, 12, 87, 24; 113, 27; 115, 32.
12, 117, 1; 417, 15; 490, 10.
13, 7, 38 *a*; 372, 32; 398, 5.
14, 137, 30; 459, 36; 484, 20.
15, 213; 449, 12; 454, 9 *a*.
16, 406, 9.
17, 93, 14; 94, 9, 28.

III, 3, 108, 2; 110 5 *a*.
1, 130, 37 *a*.
2, LXXVII, 505.
6, 69, 33; 124, 7; 136, 4; 183, 9; 389, 22; 401, 30; 407, 30 *a*.
8, 261, 11.
10, 13, 9 *a*; 269, 14 *a*.
11, 323, 9.
12, 99, 37 *a*.

IV, 1, 28, 23 *a*; 67, 5 *a*.
2, 197, 23; 399, 6.
3, 29, 266; 374, 25 *a*.
4, 221, 22; 300, 10.
5, 33, 20; 406, 23.
6, 409, 27.
7, 491, 26.
8, 211, 21.
9, 6, 16 *a*; 28, 30 *a*; 221, 25 *a*; 223, 10.
10, 33, 30; 402, 5.
11, 38, 12; LXXV, 381.
12, 162, 34.
13, 374, 28 *a*; 399, 1: 412, 2.
14, 348, 6; 413, 1.
15, 162, 24 *a*.
16, 79, 4, 24; 80, 2. 12, 38; 402, 3.

V, 1, 31, 16 *a*; 54, 40; 375, 23; 399, 4; 402, 6; 410, 2; 460, 27; 462, 15; 513, 10.
2, 25, 24; 90, 11; 92, 7, 38 *a*; 197, 34.

V. 1, 102, 26; 484, 26.
[illegible]
5, 241, 33 *a*; 244, 44; 409, 51 *a*.
6, 193, 51.
7, LXXVI, 446.
8, 309, 13
10, 353, 31
11, 4, 32; 194, 28.
12, 28, 17 *a*; 261, 34.
13, 29, 11; 216, 17; 401, 22, 35; 406, 37
14, 31, 1, 2; 32, 30 *a*; 34, 40, 35; 241, 33 *a*; 251, 6 *a*; 333, 21.
15, 353 *a*; 18, 31 *a*; 352, 27, 374, 31.

VI, 1, 399, 7; 401, 10; 406, 10; 438, 16.
3, 324, 21; 328, 41.
4, 27, 24; LXXIX, 373.
6, 216, 1; 353, 4 *a*; 394, 32.
8, 378, 9
9, 63, 32; 66, 116; 96, 37; 101, 26; LXXIII, 69.
10, 325, 22.
12, 193, 3; 325, 1.
15, 194, 29

VII, 1, 261, 16.
2, 254, 7 *a*; 255, 17 *a*; 258, 1; 336, 30; 406, 40; 436, 30.
4, 221, 32 *a*; 222, 41.
5, 169, 22; 193, 19 *a*.
7, 126, 30; 157, 3; 376, 22 *a*.
8, 399, 32.
12, 126, 29 *a*; 374, 29 *a*; 449, 21.
13, 126, 31 *a*; 251, 19; 375, 8, 376, 17.

VIII, 2, 323, 30, 13 *a*; 462, 2.
5, 353, 11; 367, 15 *a*; 374, 21; 396, 7.
6, 182, 6; 37 *a*; 309, 15.
7, 257, 33.
8, 65, 23 *a*; 216, 8 *a*; 376, 17.
9, 461, 26 *a*.
10, LXXVII, 507.
11, 12, 321, 10, 12; 396, 3; 449, 1.

LIBER SAPIENTIÆ.

I, 4, 47, 23 *a*.
7, 47, 24.

II, 7, 383, 20; 396, 33 *a*.
8, 403, 1; 415, 6.
24, 59, 11 *a*; 71, 20.

III, 1, 316, 44.
6, 179, 28; 295, 10.
7, 181, 23; 420, 2.
12, LXXIV, 345.

IV, 1, 277, 36; 358, 40.
V, 6, 60, 24; 61, 16, 43; 82, 12.
VI, 6, 343, 22.
VII, 22, 49, 34 *a*; 161, 27.
26, 101, 23, 23 *a*.
VIII, 1, 2, 20 *a*; 10, 35.
XII, 5, 256, 32 *a*.
18, 389, 8 *a*.
XIV, 7, 347, 6.
XVI, 20, 443, 24 *a*.
XVII, 10, 419, 1 *a*.

LIBER ECCLESIASTICI.

I, 1, 11, 12.
II, 1, 152, 33 *a*; 495, 15 *a*.
III, 17, 85, 3.
20, 418, 36 *a*.
IV, 8, 129, 19 *a*.
10, 136, 26 *a*.
V, 9, 244, 43.
IX, 15, 461, 15.

X, 9, 120, 11; 185, 18.
XII, 10, 292.
XIII, 1, 86, 7 *a*.
XV, 3, 147, 28.
7, 94, 20.
9, 30, 8.
XVII, 10, 60, 18.
XIX, 23, 493, 42.
XXI, 17, 292, 3 *a*.
XXII, 1, 139, 19.
2, 140, 6.
XXIII, 5, 201, 39 *a*.
XXIV, 2, 415, 5; 417, 17.
6, 75, 14.
11, 21, 21 *a*; 264, 31.
17, 356, 23; 359, 22; 400, 29; 513, 2 *a*.
19, 130, 39 *a*; 361, 15.
20, 7, 25 *a*; 417, 26 *a*.
23, 123, 29; 453, 2, 9 *a*.
25, 165, 4.
31, 180, 23.
XXVII, 6, 176, 26; 181, 5; 294, 40.
12, 60, 18; 65, 15; 97, 33 *a*.
XXVIII, 28, 286, 8.
XXXII, 1, 213, 37.
11, 197, 8 *a*.
XXXV, 26, 75, 10.
XXXVIII, 26, 436, 12.
28, 370, 17.
XXXIX, 17, 414, 38; 416, 40.
19, 396, 4; 397, 15; 406, 14.
27, 158, 40.
XLI, 17, 287, 10.
XLIII, 10, 73, 30.
XLIV, 14, 321, 6 *a*.
XLVII, 21, 262, 2 *a*.
XLVIII, 1, 78, 29.
L, 8, 75, 14; 117, 36.

PROPHETIA ISAIÆ.

I, 2, 50, 18.
5, 4, 20; 195, 11 *a*.
10, 430, 27.
11, 243, 35 *a*.
13, 356, 28.
15, 241, 34 *a*.
19, 122, 23 *a*.
20, 6, 27; 303, 21.
22, 54, 16 *a*; 143, 3; 204, 17; 284, 7; 461, 5.
25, 292, 10.
30, 364, 13; 393, 33 *a*.
31, 181, 36 *a*.
II, 2, 142, 18; 143, 11 *a*.
3, 144, 31.
4, 311, 29; 315, 18.
11, 270, 7.
13, 364, 6.
20, 507, 8,
22, 47, 13; 189, 9.
III, 6, 38, 7.
9, 474, 1 *a*.
16, 221, 27 *a*.
IV, 1, 11, 2 *a*; 357, 30.
4, 47, 16 *a*.
5, 75, 35 *a*; 225, 4 *a*.
6, 86, 27.
13, 364, 4.
V, 2-4, 451, 17 *a*; 455, 28; 458, 1.
3, 78, 36.
5, 459, 18.
6, 68, 44; 74, 36; 87, 21.
14, 439, 32.
21, 202, 36 *a*.
V, 24, 433, 35.
25, 140, 1.
VI, 1, 14, 38.
5, 207, 40.
6, 58, 35; 263, 8 *a*; 314, 32.
10, 224, 22.
VII, 14, 12, 5; 41, 4 *a*; 90, 30; 123, 28; 304, 10.
23, 369, 11.
25, 315, 24; 368, 13.
IX, 2, 62, 13 *a*; 101, 29; 102, 10; 110, 31 *a*; 111, 16.
5, 38, 9.
6, 58, 4 *a*; 226, 31; 252, 23 *a*; 304, 34.
8, 8, 19.
10, 367, 19; 385, 33.
14, 388, 16.
18, 19, 4; 295, 11.
X, 15, 313, 20 *a*.
22, 66, 36.
27, 380, 8.
33, 174, 20.
XI, 1, 48, 32; 353, 1 *a*; 388, 14.
2, 309, 1; 384, 26.
4, 390, 5.
5, 42, 26.
7, 432, 39.
8, 137, 12, 21.
15, 209, 34.
XII, 3, 162, 5.
XIII, 2, 142, 15; 143, 1; 278, 24 *a*.
10, 111, 12.
12, 278, 24 *a*.
XIV, 5, 386, 21.
7, 362, 38.
9, 14, 23 *a*
13, 41, 15 *a*; 51, 36 *a*; 52, 15 *a*; 53, 16; 57, 34 *a*; 80, 15; 143, 11, 14 *a*.
14, 270, 20.
29, 385, 14 *a*; 435, 16.
12, 51, 10 *a*; 53, 31 *a*; 70, 31; 71, 13; 102, 19.
XV, 7, 365, 12.
13, 366, 14.
XVI, 11, 257, 1 *a*.
2, 470, 5.
10, 458, 4.
XVIII, 1, 122, 14; 158, 32.
XIX, 1, 41, 26 *a*; 74, 31; 76, 21.
5, 152, 26; 162, 4.
6, 326, 9.
8, 172, 34.
10, 173, 15.
XXI, 1, 152, n. 19.
5, 301, 1.
10, 438, 2.
11, 20, 24; 99, 4; 110, 4 *a*.
14, 79, 4.
15, 306, 36 *a*.
XXII, 1-5, 129, 2, 3.
17, 487, 39.
XXIII, 1, 170, 35.
30, 422, 18.
XXV, 4, 91, 10.
8, 76, 5.
XXVI, 8, 107, 36.
12, 321, 17.
18, 180, 13 *a*.
19, 90, 1.
21, 241, 29 *a*.
XXVII, 5, 322, 3.
XXVIII, 9, 252, 3.
16, 322, 8; 329, 13.
XXIX, 14, 249, 9 *a*.

XXIX, 10, 106, 10.
XXX, 1, 12, 20.
2, 260, 19.
21, 141, 16; 251, n. 4.
23, 381, 8 *a*.
29, 109, 6.
29, 64, 3; 66, 49.
30, 85, 1.
XXXI, 3, 191, 2 *a*.
9, 178, 34 *a*; 179, 12 *a*.
13, 308, 11.
30, 213, 22.
XXXII, 2, 91, 22; 158, 44.
14, 252, 26.
13, 227, 13; 251, 13.
15, 137, 13.
20, 148, 35; 263, 7 *a*; 434, 31; LXXXIII, 877.
XXXIII, 2, 9, 23.
3, 30, 31.
8, 152, 2.
14, 178, 1.
21, 157, 35.
XXXIV, 4, 50, n. 1; 52, 10.
5, 114, 27 *a*; 303, 8 *a*.
15, 422, 16.
16, 497, 16.
XXXV, 1, 135, 29; 136, 3, 11.
3, 260, 31.
7, 166, 35; 419, 28; 421, 33.
XXXVIII, 12, 106, 28; 107, 21.
15, 464, 29 *a*.
XXXIX, 13, 368, 20.
XL, 3, 16, 17; 132, 8.
4, 129, 34; 132, 10; 145, 2, 7.
6, 403, 5.
9, 143, 15; 328, 24.
10, 229, 27 *a*.
11, 9, 7, 22.
12, 2, 23 *a*; 234, 21.
16, 240, 23.
19, 296, 21.
XLI, 17, 147, 24.
19, 136, 23 *a*; 357, 16; 362, 3; 366, 3; 368, 3; 380, 6.
XLII, 3, 419, 32.
15, 156, 23; 165, 40.
XLIII, 5, 81, 8, 9.
6, 78, 44; 79, 14, 31.
20, 148, 12.
29, 503, 28.
XLIV, 4, 365, 9; 405, 33.
12, 296, 22, 25 *a*.
XLV, 3, 286, 3.
8, 90, 21 *a*; 123, 23.
9, 139, 14.
XLVI, 8, 250, 24.
XLVII, 1, 14, 22 *a*; 121, 1; 124, 25 *a*; 270, 15 *a*.
XLVIII, 47, XXXII, n. 6.
XLIX, 2, 242, 37; 308, 39.
12, 80, 13.
15, 17, 21.
18, 198, 32 *a*.
L, 4, 216, 40 *a*.
6, 216, 28.
7, 327, 23.
9, 179, 24 *a*.
11, 178, 1.
26, 332, 6.
LI, 1, 326, 29.
9, 229, 12 *a*.
17, 465, 21.
23, 23, 13, 34; 129, 34 *a*; 131, 37.
LII, 2, 221, 34 *a*.
7, 36, 16; 321, 2.
LIII, 1, 9, 19; 228, 26.
3, 42, 14; 424, 18.
4, 44, 22; 304, 15 *a*.
7, 20, 3.
LIV, 1, 314, 14; 485, 30.
11, 329, 16; 330, 20; 338, 1.
12, 332, 6
LV, 1, 147, 21; 234, n. 5.
2, 443, 22.
11, 309, 10; 329, 16; 330, 20; 338, 1.
12, 332, 6.
13, 422, 17.
LVII, 1, 225, 4.
16, 92, 3 *a*.
20, 154, 25.
LVIII, 1, 12, 1.
7, 122, 30.
8, 100, 11; 489, 10.
10, 101, 1.
11, 399, 9.
12, 391, 5.
LIX, 2, 307, 25.
5, 478, 30.
10, 103, 37.
17, 110, 19 *a*.
19, 157, 7.
LX, 3, 66, 18.
13, 361, 24.
14, 264, 7 *a*.
17, 289, 22.
19, 93, 18.
LXI, 1, 182, 30 *a*.
2, 114, 11.
7, 121, 36 *a*.
LXIII, 1, 37, 35; 374, 4 *a*.
3, 458, 3.
4, 38, 35.
8, 21, 22.
LXIV, 6, 39, 36; 479, 35.
8, 176, 26.
LXV, 6, 57, 2 *a*.
8, 455, 34.
16, 120, 6.
21, 449, 14.
25, 124, 1.
LXVI, 1, 21, 12; 50, 29; 338, 12 *a*.
2, 9, 24; 10, 17 *a*; 491, 9 *a*.
11, 252, 7.
12, 158, 42.
17, 399, 10.
28, 112, 34; 113, 3; 19, 53.

PROPHETIA JEREMIÆ.

I, 10, 400, 2.
11, 379, 12.
13, 80, 14.
14, 79, 12.
19, 318, 12.
II, 3, 167, 27; 429, 24 *a*.
13, 162, 1.
15, 147, 17.
16, 25, 16; 195, 5.
21, 449, 5; 453, 15.
36, 125, 4 *a*.
III, 2, 200, 18.
IV, 6, 146, 1.
19, 35, 17; 253, 23.
V, 22, 171, 35.
23, 66, 23.
VI, 7, 148, 10; 167, 31.
14, 207, 19; 321, 18.
16, 131, 31; 133, 20.
30, 283, 18.
VII, 3, 131, 38.
32, 129, 7 *a*.

VIII, 7, 498, 1.
IX, 8, 307, 26.
X, 13, 83, 1.
XI, 4, 295, 11.
10, 2, 19.
16, 380, 2.
29, 348, 35.
XII, 9, 473, 7 *a*.
XIII, 11, 42, 29, 30 *a*; 43, 19.
16, 142, 19.
23, 237, 33.
XIV, 5, 404, 32.
6, 6, 26; 28, 21, 24 *a*; 77, 5; 166; 200, 27; 405, 5 *a*.
XV, 1, 102, 21.
7, 439, 13.
17, 136, 15 *a*.
19, 180, 4 *a*.
XVII, 1, 267, 36; 293, 41 *a*; 340, 21.
5, 230, 2; 240, 20.
9, 189, 20.
11, 510, 7.
16, 94, 15 *a*.
17, 250, 10.
18, 282, 5 *a*.
XVIII, 6, 10, 18 *a*.
7, 235, 20 *a*.
8, 18, 7 *a*.
XIX, 5, LXXIII, 308.
XX, 9, 102, 31; 177, 14.
XXII, 22, 77, 7.
29, 122, 5 *a*.
XXIII, 5, 385, 32 *a*.
28, 432, 20.
29, 177, 29; 317, 13.
XXV, 15, 465, 20.
XXVII, 5, 189, 29.
XXIX, 26, 248, 4 *a*.
XXXI, 4, 181, 1.
15, 66, 14.
19, 260, 23.
23, 381, 13 *a*.
XXXII, 9, 126, 27.
XLI, 5, 30, 25 *a*; 219, 38.
XLVI, 16, 302, 6; 484, 17.
XLVIII, 47, XXXIII, n. 8.
L, 23, 317, 14.
26, 329, 18; 335, 35.
39, 367, 7; 503, 27.
LI, 7, 23, n. 1; 275, 11; LXXII, 258.
43, 135, 34.
LII, 16, 460, 23.

THRENI.

I, 1, 491, 24.
1, 2, 215, 1.
2, 106, 25.
3, 155, 3 *a*; 178, 31 *a*; 246, 13 *a*.
4, 135, 1.
5, 194, 32.
6, 265, 2.
9, 263, 14 *a*.
11, 194, 3; 443, 32.
13, 263, 17 *a*.
15, 455, 5.
18, 6, 28; 207, 1.
III, 1, 389, 21.
4, 44, 21.
5, 201, 32.
13, 259, 6.
16, 212, 10; 215, 11 *a*.
29, 124, 30 *a*.
53, 27; 166, 11.
65, 229, 5 *a*; 300, 5.
IV, 1, 275, 5; 329, 16.
IV, 3, 251, 26.
4, 443, 23.
5, 140, 22.
6, 6, 31.
7, 88, 11, 22, 26 *a*; 246, 38; 338, 22.
8, 130, 22, 38; 184, 4, 15; 236, 23; 245, 14; 341, 14 *a*.
10, 130, 30 *a*.
21, 465, 25.

PROPHETIA BARUCH.

III, 4, 67, 15; LXVIII, 71.
17, 473, 30.
38, 252, 28; 264, 10; 304, 40.

PROPHETIA EZECHIELIS.

I, 3, 76, 4; 158, 14.
4, 75, 7, 26; 77, 12, 26; 91, 17 *a*; 101, 26 *a*; 177, 32; 282, 29; 283, 8 *a*.
5, 190, 16.
7, 181, 84; 262, 36; 266, 5; 289, 27.
8, 9, 34 *a*; 230, 20.
11, 476, 28.
13, 82, 32; 182, 3.
14, 184, 9.
16, 30, 3 *a*; 152, 9; 153, 11; 175, 2.
18, 202, 20 *a*.
22, 54, 5; 339, 35.
24, 324, 30 *a*.
27, 258, 26.
28, 89, 11, 15, 29.
III, 3, 292, 30.
12, 140, 8.
15, 429, 16.
IV, 2, 324, 23.
3, 292, 30.
12, 140, 8.
V, 1, 30, 23; 219, 36.
14, 10, 8.
VI, 3, 146, 9.
VIII, 2, 282, 34 *a*.
3, 197, 31; 231, 29 *a*.
17, 392, 14.
IX, 3, 340, 34.
9, 37, 35.
XI, 19, 180, 38 *a*.
24, 79, 8.
XIII, 5, 284, 37.
10, 138, 10.
11, 85, 2.
XIV, 14, 392, 35 *a*.
XVI, 4, 257, 25.
XVII, 3, 480, 5.
4, 393, 17.
13, 247, 23; 356, 32.
14, 347, 10.
17, 401, 22.
XVIII, 2, 176, 25.
13, 241, n. 2.
XX, 46, 80, 10.
67, 351, 15.
XXII, 18, 289, 31; 291, 25; 295, 3.
XXIII, 3, 33, 34.
11, 330, 40.
20, 238, n. 6.
XXVII, 4, 152, 16.
5, 362, 41
XXVIII, 13, 276, 27; 332, 40 *a*; 332, 35.
14, 333, 1.
XXIX, 3, 156, 16.

XXXI, 6, 393, 15.
8, [illegible], 3, 396, 14; 302, 14; 301, 6, 399, 16
XXXII, 24, [illegible], 3
[illegible], 24[illegible], 21, 292, 33.
XXXIII, 6, 304, 4; 309, 14
XXXIV, 4, 421, 18 c.
4, 399, 14.
13, 404, 28.
16, 421, 11 *a*.
25, 351, 12
54, 189, 14.
XXXVI, 8, 391, 21.
25, 147, 22; 165, 11.
XXXVII, 1, 10, 14.
25, 418, 30 *a*.
XXXVIII, 5, 312, 18.
9, 78, 21 *a*
XL, 2, 80, 7; 142, 34.
3, 289, 26; 419, 27
5, 229, 27.
6, 16, 9.
17, 286, 12.
23, 15, 15 *a*.
34, 269, 15 *a*.
XLI, 8. 329, 5.
XLII, 14, 349, 16.
42, 287, 1.
XLIII, 10, 63, 13 *a*.
XLIV, 2, 41, 4 *a*
XLVII, 1, 147, 25.
2, 147, 21.
3, 265, 36.

PROPHETIA DANIELIS.

II, 34, 142, 8; 143, 24; 372, 33 *a*; 424, 33.
38, 196, 21 *a*.
III, 56, 54, 32.
63, 51, 31 *a*.
73, 83, 33.
86, 46, 5.
IV, 5, 412, 21.
22, 403, 5.
27, 146, 13 *a*.
VII, 2, 199, 24.
9, 14, 26; 23, n 1; 175, 8.
10, 55, 27; 157, 8; 281, 3 *a*.
13, 75, 3.
19, 4, 6.
VIII, 10 67, 30; 68, 76.
25, 231, 22.
IX, 14, 20, 27.
XII, 3, 67, 25; 180, 24.
XIII, 9, 201, 33 *a*.
23, 232, 37.
56, 435, 8 *a*.
XIV, 32, 127, 23 *a*.

PROPHETIA OSEE.

I, 14, 304, 20.
II, 3, 38, 3 *a*.
6, 368, 3; 459, 30.
8, 426, 37 *a*.
12, 372, 30.
15, 460, 20 *a*.
18, 307, 14.
III, 7, 441, 11.
IV, 2, 241, 9; LXXV, 410.
3, 173, 6.
5, 112, 13.
12, 348, 25.
13, 364, 8.
V, 4, 447, 36.
V, 8, 284, 20 *a*.
VI, 1, 19, 30 *a*, 87, 18
4, 92, 28 *a*.
VII, 4, 155, 16; 447, 31.
8, 180, 21; 445, 10.
11, 251, 1.
VIII, 7, 433, 14; 436, 28.
X, 1, 453, 33.
8, 368, 15.
11, 436, 11.
13, 436, 11 *a*.
XI, 11, 473, 38.
XII, 1, 77, 6; LXXII, 269.
15, 162, 34 *a*.
XIII, 35, 136, 23.
XIV, 10, 15, 17.
19, 77, 5.

PROPHETIA JOEL.

I, 5, 462, 3.
7, 372, 6; 391, 19, 30; 394, 7; 449, 8.
17, 140, 5.
20, 161, 6.
II, 1, 21, 39.
26, 443, 6.
31, 60, 17; 65, 10.
III, 5, 283, 16.
8, 162, 3.
13, 315, 20.
22, 127, 14.

PROPHETIA AMOS.

II, 1, 246, 18 *a*.
VI, 1, 197, 1.
VII, 14, 367, 4.
VIII, 1, 375, 9.
7, 432, 14.
9, 81, 12; 103, 37.
11, 314, 4.
XIV, 13, 46, n. 14.

PROPHETIA ABDIÆ.

I, 4, 145, 15 *a*.

PROPHETIA JONÆ.

III, 4, 18, 14.

PROPHETIA MICHÆÆ.

I, 3, 12, 21.
10, 480, 12.
III, 5, 208, 11 *a*.
6, 311, 32.
VII, 1, 116, 1; 433, 10; 455, 33, 35.
4, 265, 15; 368, 19.
19, 154, 10 *a*.

PROPHETIA NAHUM.

I, 3, 75, 12.
8, 108, 16.
III, 14, 139, 24.
17. 60, 11.

PROPHETIA HABACUC.

I, 15, 510, 31.
II, 4, 341, 40.
5, 514, 31.
6, 138, 16, 24 *a*.

II, 14, 154, 13.
III, 3, 109, 11; 142, 6, 31 *a*; 143, 9 *a*; 341, 8.
5, 7, 9; 127, 17.
6, 15, 2; 143, 40 *a*; 145, 19, 30.
7, 237, 37.
8, 79, 20.
10, 151, 10; 169, 24.
11, 61, 35; 65, 20; 297, 30; 308, 28; 311, 18.
13, 4, 13 *a*; 25, 7 *a*; 194, 36; 222, 2.
15, 138, 18; 152, 24; 173, 2.

PROPHETIA SOPHONIÆ.

I, 4, 10, 20 *a*.
11, 283, 29 *a*.
15, 18, 28.
II, 4, 498, 11.
III, 9, 228, 12.

PROPHETIA ZACHARIÆ.

I, 3, 298, 39.
5, LXXV, 412.
20, 296, 17.
II, 3, 200, 23.
8, 28, 11; 201, 6 *a*.
III, 1, 231, 3.
9, 6, 3; 28, 10 *a*; 200, 29; 329, 11; 331, 17.
IV, 7, 328, 20.
12, 432, 23.
V, 5, 6, 173, 19.
7, 281, 16; 291, 27.
9, 497, 26.
VI, 1, 142, 23.
12, 81, 7.
IX, 15, 309, 35.
X, 11, 366, 4.
XI, 2, 361, 25.
7, 388, 22.
XIII, 1, 162, 1, 21.
5, 42, 6.
XIV, 6, 85, 5.
7, 112, 14 *a*; 113, 10 *a*.
8, 154, 20 *a*.
18, 152, 20 *a*.

PROPHETIA MALACHIÆ.

II, 7, 55, 10; LXVIII, 68.
III, 1, 16, 11; 55, 1, 3.
2, 3, 62, 25 *a*; 177, 11; 296, 33 *a*.
6, 263, 34 *a*.
IV, 2, 60, 10; 308, 40.
VI, 14, 62, 9.

MACCHABÆORUM I.

II, 64, 318, 33.
VI, 39, 300, 33 *a*.

MACCHABÆORUM II.

I, 8, 441, 23.

NOVUM TESTAMENTUM.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

I, 1, 417, 36.
2-16, 41, 20 sqq.; 62, 21.
20, 41, 20 *a*; 62, 21; 318, 32 *a*; 460, 34 *a*.
25, 66, 36 *a*.
29, 44, 20 *a*.
II, 1, 81, 20 *a*.
8, 68, 25.
11, 275, 7; 287, 31; 413, 14.
13, 297, 23; 491, 21.
III, 1, 136, 24.
4, 198, 5 *a*; 395, 9.
7, 395, 10.
9, 329, 20.
10, 62, 29 *a*; 316, 12; 352, 18; 395, 27; 450, 40 *a*.
11, 62, 19 *a*.
12, 54, 37 *a*; 426, 10; 438, 11; 439, 17.
17, 62, 37.
22, 439, 1.
IV, 4, 208, 10; 310, 2 *a*; 445, 2.
8, 20, 12 *a*.
V, 1, 144, 5.
2, 269, 20 *a*.
4, 122, 42 *a*.
5, 47, 19; 350, 7.
9, 321, 13.
12, 424, 35.
13, 153, 24 *a*; 342, 1, 27; XXXIII, n. 1.
14, 58, 1; 100, 34; 335, 14; 343, 1.
15, 60, 19; 101, 27.
16, 102, 7.
18, 214, 1.
25, 131, 29.
29, 200, 20; 318, 29 *a*.
36, 27, 15.
39, 215, 31.
44, 390, 42.
45, 486, 40
VI, 3, 231, 7; XXXIII, n. 2.
5, 422, 9.
10, XXXIII, n. 4.
17, 217, 12; 380, 18.
19, 281, 10; 290, 3.
20, 286, 8; 280, 3.
21, 280, 35 *a*.
22, 413, 20.
23, 27, 11.
30, 230, 34; 403, 6; 447, 30.
33, XXXIII, n. 3.
34, 95, 15 *a*.
VII, 3, 201, 31; 394, 35.
6, 30, 11; 207, 12; 341, 9.
9, 448, 8.
10, 52, 37 *a*.
12, 383, 26 *a*.
13, 131, 33.
17, 351, 36; 355, 30.
18, 352, 23.
25, 158, 33; 328, 1; 479, 39.
26, 53, 36 *a*; 171, 36.
27, 77, 3.
30, 111, n. 8.
34, 111, 24.
VIII, 9, 270, 12 *a*.

VIII 11, 81, 26; 212, 26.
14, 124, 24 *a*.
22, 491, 20 *a*.
24, 80, 20.
X, 8, 212, 19 *a*; 318, 36.
14, 124, 24 *a*.
16, 480, 33
22, 224, 30.
30, 198, 40.
31, 302, 6; 321, 7.
XI, 13, 492, 31.
15, 224, 21.
27, 17, 5.
28, 181, 20 *a*.
29, 181, 1–; 190, 36; 417, 20; 492, 39.
30, 44, 4
XII, 14, LXXVII, 526.
25, 5, 36 *a*.
29, 3, 1 *a*.
30, 488, 1.
17, 206, 4.
43, 46, 16.
XIII, 6, 60, 21.
7, 352, 13.
8, 431, 6
14, 471, 13 *a*
15, 243, 24.
16, 252, 26.
17, 369, 13.
24, 120, 29; 437, 25.
25, 427, 40; 437, 17.
26, 405, 2 *a*.
27, 435, 7.
28, 189, 11; XXXIII, n. 5.
30, 427, 8 *a*; 430, 1; 437, 21; 439, 31; 452, 34.
31, 400, 36; 424, 5.
32, 423, 31.
38, 125, 31; 435, 10.
39, 429, 15.
41, 316, 34.
42, 54, 34 *a*.
43, 60, 18; 406, 26 *a*.
44, 286, 4.
46, 341, 1.
47, 152, 22; 166, 27 *a*; 172, 30; 173, 5.
48, 439, 27.
51, 406, 22 *a*.
55, 296, 15.
XIV, 19, 173, 9; 403, 3.
25, 154, 15 *a*.
XV, 8, 29, 31 *a*.
18, 250, 15.
26, 443, 31.
41, 67, 24.
XVI, 2, 91, 33.
3, 329, 27.
17, 36, 24 *a*; 37, 6 *a*; 240, 1.
18, 37, 2 *a*; 145, 34; 326, 32; 450, 29 *a*.
20, 341, 16 *a*.
XVII, 2, 417, 16 *a*.
5, 84, 27.
14, 148, 21.
17, 240, 1.
18, 145, 34; 326, 32; 450, 29 *a*.
20, 341, 16 *a*.
XVIII, 3, 424, 26.
6, 440, 9.
8, 263, 36.
9, 56, 2 *a*.
10, 7, 38; 56, 7 *a*; 281, 14.
24, 281, 24.
XIX, 21, 280, 32 *a*.
XX, 22, 335, 6 *a*.
1, 95, 34; 99, 11.
2, 298, 31; 449, 3.
4, 448, 20.
12, 94, 22 *a*; 117, 10.
13, 279, 24.
22, 463, 13.
25, 418, 13; 465, 27.
XXI, 2, 190, 13 *a*; 479, 18.
7, 38, 20, 6 *a*.
8, 391, 20.
9, 392, 35.
13, 137, 25 *a*.
19, 372, 1.
31, 460, 8.
33, 347, 7; 391, 8.
44, 327, 27.
XXII, 2, 189, 18.
4, 479, 24.
13, 108, 26.
19, 279, 10.
21, 297, 10.
37, 384, 1.
39, 390, 6.
40, 41, 15.
44, 8, 23.
XXIII, 2, 349, 41 *a*.
4, 227, 30; 430, 34.
7, 311, 43.
12, 418, 28 *a*.
27, 421, 28.
XXIV, 7, 493, 35.
12, 110, 24.
13, 54, 30 *a*.
18, 126, 15 *a*.
20, 116, 3.
27, 83, 16 *a*.
28, 434, 16; 480, 4.
29, 68, 11 *a*.
32, 372, 2.
41, 325, 39.
XXV, 4, 380, 11; 413, 24.
6, 108, 6.
7, 182, 5.
12, 16, 26.
13, 281, 15; 316, 23 *a*.
14, 189, 20.
27, 286, 2.
31, 271, 15.
32, 252, 29.
33, 31, 7; 32, 31.
34, 227, 8 *a*; 488, 1.
41, 3, 34; 177, 34; 325, 39.
XXVI, 15. 41, 40 *a*.
26, 463, 8 *a*.
36, 408, 29.
38, 193, 24; 386, 16.
39, 322, 11.
46, 196, 3 *a*.
52, 302, 17.
65, 205, 8 *a*; 428, 41.
67, 214, 16 *a*.
75, 6, 13.
XXVII, 7, 125, 26.
10, 176, 27.
35, 38, 25.
39, 4, 18.
51, 328, 37.
60, 42, 23.
XXVIII, 1, 106, 33.
3, 83, 26 *a*.
13, 464, 25.
18, 384, 2 *a*.
19, 166, 18 *a*.
28, 38, 27.

SECUNDUM MARCUM.

I, 3, 135, 32.
7, 43, 31; 44, 35.
17, 166, 16 *a*.
III, 17, 82, 30.
IV, 6, 60, 11.
7, 368, 1.
9, 120, 13.
26, 405, 43; 431, 26.
28, 426, 25.
32, 470.
VI, 15, 48, 41.
18, 316, 6; 395, 14,
VII, 33, 214, 10; 234, 2.
VIII, 33, 59, 34; 62, 5.
IX, 21, 165, 32.
41, 152, 12.
43, 179, 23 *a*.
49, 342, 1; 413, 18.
50, 320, 27 *a*.
X, 49, 15, 2.
XII, 1, 371, 31.
3, 193, 31 *a*.
41, 286, 27 *a*.
XIV, 13, 174, 17; 383, 14.
25, 463, 16 *a*.
30, 488, 1.
41, 96, 16.
XV, 13, 220, 37.
XVI, 2, 60, 11; 100, 15.
5, 39, 30; LXXV, 377.
14, 5, 10.
19, 15, 5.
20, 272, 18; 353, 37 *a*; 438, 24 *a*.
32, 36, 42, 21 *a*; 231, 1.
46, 42, 25.

SECUNDUM LUCAM.

I, 28, 65, 3; 49, 2 *a*; 123, 34; 400, 34; 407, 34 *a*.
31, 12, 1; 69, 26.
34, 251, 4 *a*.
35, 41, 24 *a*; 66, 18; 69, 9; 86, 34; 109, 7; 123, 31, 36; 149, 15 *a*.
38, 325, 26.
41, 12, 16.
46, 193, 41 *a*.
48, 325, 26 *a*.
56, 113, 29.
74, 256, 10.
78, 81, 7.
79, 109, 15.
II, 9, 69, 12 *a*.
19, 407, 38 *a*.
32, 101, 35.
35, 294, 4.
III, 6, 36, 29; 287, 25 *a*; 305, 1; 372, 4.
7, 62, 27.
9, 313, 10.
13, 352, 26.
17, 430, 23; 432, 30.
21, 441, 9; 446, 15.
23, 40, 25.
38, 40, 19.
IV, 19, 114, 33 *a*.
40, 60, 29; 107, 5 *a*.
V, 1, 166, 28.
2, 171, 22.
3, 171, 13.
11, 171, 22.
VI, 3, 470, 17.
20, XXXIII, n. 6.
24, 280, 32 *a*.
44, 351, 35 *a*; 371, 22.
VI, 38, 354, 1.
45, 288, 11 *a*.
VII, 24, 420, 4.
38, 27, 26; 197, 26; 262, 37; 263, 10 *a*; 264, 12.
41, 279, 16.
VIII, 5, 168, 33; 434, 28.
11, 435, 22.
31, 151, 3.
IX, 11, 330, 38.
26, 190, 1.
53, 219, 12.
54, 179, 3.
58, 26, 2; 470, 14.
X, 18, 82, 7 *a*; 83, 28 *a*; 207, 32.
19, 44, 5; 48, 34 *a*.
24, 3, 8.
30, 12, 25; 13, 20 *a*; 269, 9.
34, 380, 16; 462, 1.
35, 278, 36.
38, 325, 28.
42, 423, 4.
XI, 5, 107, 37.
7, 281, 1.
12, 478, 27; 479, 8 *a*.
20, 9, 27.
21, 3, 35; 59, 3; 157, 19; 298, 18; 299, 37.
22, 502, 23.
23, 199, 23 *a*; 298, 20 *a*.
26, 71, 20 *a*.
33, 182, 38.
35, 101, 12 *a*.
52, 17, 24; 430, 36.
XII 5, 20, 8.
15, 60, 20; 259, 23 *a*.
33, 408, 6.
35, 43, 9; 390, 32.
37, 43, 5.
38, 108, 14.
45, 427, 35.
47, 224, 36.
49, 58, 33; 61, 4 *a*; 120, 20; 121, 31; 177, 13.
XIII, 6, 353, 23.
7, 114, 8, 21 *a*.
8, 114, 4; 140, 3; 141, 1.
19, 391, 19.
21, 131, 21.
27, 355, 28 *a*.
28, 74, 6 *a*.
XIV, 10, 270, 26.
11, 358, 30.
15, 431, 22.
16, 22, 7 *a*.
21, 131, 21.
23, 40, 45; 391, 10.
30, 250, 34.
XV, 4, 135, 36.
5, 227, 27.
8, 280, 22.
9, 280, 26.
10, 489, 30.
13, 207, 37.
18, 21, 207; 37, 32.
25, 126, 35.
XVI, 1, 189, 22.
6, 62, 35 *a*.
24, 130, 9.
25, 377, 18 *a*.
XVII, 6, 152, 19.
10, 250, 23.
34, 108, n. 1.
38, LXXIV, 373.
XVIII, 13, 131, 18; 201, 30 *a*, 249, 32.
25, 44, 7 *a*.

XIX, 4, [illegible]
41, 193, 22; 199, 10 *a*.
47, 91, 17.
XX, 21, 109, 1; 214, 3.
36, 26 *a*.
44, 210, 30 *a*.
XXI, 6, 330, 9.
12, 212, 40 *a*.
15, 208, 20.
18, 199, 20.
19, 210, 16.
28, 194, 30.
30, 110, 26; 354, 20.
34, 401, 18.
XXII, 18, 463, 17 *a*.
25, 3, 30.
29, 399, 23.
30, 26, 20.
34, 69, 29.
38, 302, n. 4.
44, 242, 10; 337, 13 *a*; 367, 21.
53, 96, 5 *a*.
60, 488, 7 *a*.
XXIII, 31, 347, 4.
34, 357, 13 *a*; 488, 1.
43, 112, 27.
46, 489, 6.
XXIV, 12, 173, 3.
19, 210, 16 *a*.
32, 210, 16 *a*.
36, 6, 21.
39, 20, 1; 304, 35 *a*.
42, 513, 4.
49, 14, 16.

SECUNDUM JOANNEM.

I, 1, 8, 14; 33, 30 *a*; 44, 31; 70, 1; 90, 35; 252, 29.
2, 9, 16.
9, 61, 4 *a*; 100, 33.
10, LXXI, 184.
13, 240, 24.
14, 33, 31 *a*; 41, 30 *a*; 70, 2; 71, 15 *a*; 252, 23; 408, 23; 438, 7 *a*.
16, 102, 39; 196, 4 *a*; 221, 5; 417, 31 *a*.
17, 168, 11.
18, 17, 7; 304, 4 *a*.
26, 227, 16 *a*.
29, 168, 33.
32, 484, 18.
33, 149, 22.
42, 196, 24.
48, 6, 1; 372, 35; LXXV, 374.
II, 4, 20, 7; 96, 15; 168, 14 *a*.
7, 148, 7, 32 *a*; 154, 4; 400, 6.
16, 485, 26; 486, 46.
19, 141, 21 *a*; 461, 3.
III, 3, 71, 17.
8, 149, 27 *a*; 161, 42.
13, 13, 15
16, 257, 4; LXXI, 185.
31, 381, 24 *a*.
34, 62, 11.
IV, 1, 213, 11.
4, 301, 8.
6, 162, 26 *a*; 165, 16.
10, 164, 16 *a*.
11, 164, 37.
13, 168, 27.
14, 328, 5.
15, 149, 19 *a*.
24, 46, 3.
28, 174, 3.
35, 113, 26; 115, 18; 429, 13.
IV, 37, 435, 24.
38, 435, 25
52, 96, 11
V, 4, 301, 8.
22, 21, 26 *a*.
25, 185, 8.
36, 450, 23.
39, 16, 34 *a*.
VI, 9, 432, 8 *a*; 443, 3.
13, 140, 33.
35, 443, 19.
41, 442, 22; 443, 19.
48, 443, 19
51, 171, 14 *a*.
52, 350, 20.
54, 238, 19.
55, 239, 30 *a*; 242, 34; 489, 5.
57, 461, 2; 489, 5 *a*.
58, 26, 18.
68, 155, 39.
69, 5, 4; 295, 5 *a*.
VII, 27, 17, 11, 20.
28, 17, 15.
38, 156, 18.
46, 210, 20 *a*.
57, 48, 26.
VIII, 5, 385, 37.
6, 234, 18.
12, 71, 25; 100, 33.
19, 17, 9
29, 136, 18 *a*.
56, 220, 37 *a*.
58, 220, 40 *a*.
IX, 4, 72, 1; 93, 16; 229, 41; 108, 1.
11, 138, 12; LXXII, 193.
16, 381, 21 *a*.
X, 1, 12, 29.
9, 404, 27.
10, 353, 16.
12, 270, 10.
17, 193, 17 *a*.
18, 44, 12 *a*.
22, 117, 25.
23, 20, 19 *a*.
29, 54, 26 *a*.
30, 207, 24.
XI, 9, 95, 25, 32; 96, 6; 97, 32; 113, 43.
11, 237, 13 *a*.
18, 19, 19.
38, 137, 20 *a*.
39, 410, 29 *a*.
43, 408, 27; 489, 3.
XII, 3, 264, 12; 408, 18.
24, 65, 26 *a*; 136, 29; 384, 42; 425, 36.
25, 192, 27 *a*.
31, 438, 21.
32, 255, 37; 269, 22.
36, 101, 28.
44, 304, 6 *a*.
XIII, 1, 13, 33 *a*.
5, 263, 1.
8, 36, 6.
15, 41, 16.
25, 34, 15; 249, 27.
27, 70, 6 *a*.
XIV. 6, 101, 20; 131, 28; 132, 30, 27 *a*; 133, 8; 134, 6 *a*.
9, 6, 16.
13, 336, 13.
27, 321, 26.
30, 58, 1; 490, 5 *a*.
XV, 1, 453, 1; 460, 4.
2, 455, 1.
3, 246, 28.
5, 65, 31 *a*; 196, 6 *a*; 450, 34 *a*;

451, 32.
XV, 13, 61, 39; 257, 6.
18, 319, 3.
XVI, 3, 151, 30.
4, 96, 3 *a*.
5, 113, 16 *a*.
7, 49, 2; 257, 10.
11, 196, 7 *a*.
12, 30, 13.
14, 47, 18 *a*.
20, 42, 8 *a*.
23, 97, 26.
25, 96, 3.
28, 90, 37.
XVII, 6, 210, 6 *a*.
XVIII, 11, 465, 17.
XIX, 23, 39, 26, 30 *a*.
24, 39, 18.
31, 261, 31.
33, 35, 30 *a*; 260, 34.
34, 158, 18 *a*; 168, 37; 243, 18; 328, 15.
36, 37, 10.
39, 409, 29.
XX, 3, 97, 1 *a*.
15, 6, 24.
28, 70, 9.
XXI, 6, 31, 22.
11, 173, 4.
21, 418, 16.

ACTUS APOSTOLORUM.

I, 1, 144, 16.
9, 76, 44.
18, 256, 12; 257, 18.
II, 2, 47, 26; 86, 31; 161, 6; 384, 24.
3, 7, 17, 35.
6, 181, 12.
15, 34, 2 *a*; 461, 17.
37, 451, 5.
38, 153, 4 *a*.
III, 7, 266, 6.
IV, 20, 48, 18; 462, 2 *a*.
35, 145, 12 *a*.
V, 3, 2, 16.
15, 3, 24.
41, 48, 22; 216, 25 *a*; 462, 5 *a*.
VI, 8, 145, 37.
19, 27, 14.
VII, 2, 34, 12 *a*.
34, 270, 36 *a*.
52, 34, 16 *a*.
53, 42, 23 *a*.
55, 15, 13; 32, 35.
59, 216, 10 *a*.
VIII, 20, 289, 4.
36, 166, 20 *a*.
X, 13, 141, 35 *a*; 42, 2 *a*; 430, 17 *a*.
44, 161, 13.
XII, 10, 294, 21.
XIII, 46, 292, 1 *a*.
XX, 24, 194, 12.
XXII, 8, 502, 26.
XXIII, 3, 410, 16 *a*.

EPIST. B. PAULI AD ROMANOS.

I, 18, 19, 1.
20, 17, 1.
II, 5, 286, 10.
IV, 15, 18, 33 *a*.
VI, 3, 153, 17 *a*.
9, 44, 40; 62, 16.
13, 299, 44.
VI, 23, 257, 17.
VII, 17, 86, 19; 117, 36; 315, 12.
22, 191, 38 *a*.
VIII, 17, 394, 18 *a*.
18, 466, 11 *a*.
26, 485, 43; 490, 22 *a*.
38, 336, 15.
IX, 20, 176, 30.
21, 1, 2; 5, 2, 14; 177, 6.
X, 9, 153, 25 *a*.
10, 336, 7.
17, 341, 11 *a*.
XI, 16, 385, 5; 391, 24.
18, 349, 34.
24, 380, 4.
29, 153, 9 *a*.
XII, 9, 319, 17 *a*.
13, 249, 24 *a*.
18, 321, 19 *a*.
20, 180, 31; 184, 1, 28.
25, 459, 1 *a*.
XIII, 1, 193, 26 *a*.
2, 3, 11.
12, 71, 15; 95, 16 *a*; 113, 41.
14, 38, 16 *a*; 96, 34; 319, 1.
XIV, 2, 423, 1.
10, 20, 38.
XV, 4, 30, 15.
9, 341, 37.
14, 16, 33 *a*.
19, 430, 45 *a*.

AD CORINTHIOS I.

I, 8, 336, 10.
17, 351, 27 *a*.
18, 355, 18.
20, 249, 41.
23, 367, 29; 424, 20.
24, 10, 34.
26, 73, 41.
II, 6, 33, 20 *a*.
8, 287, 13 *a*; 446, 14.
9, 287, 28 *a*; 321, 37.
44, 435, 20 *a*.
III, 2, 457, 10.
3, 190, 25 *a*.
4, 189, 16.
7, 61, 7 *a*; 62, 42 *a*.
9, 434, 25.
11, 386, 10.
12, 348, 15; 433, 10,
IV, 7, 287, 28.
15, 262, 15.
VI, 18, 319, 27 *a*.
VII, 7, 418, 11.
IX, 24, 269, 3.
26, 318, 10.
27, 146, 33 *a*; 343, 30 *a*; 364, 31 *a*
X, 1, 71, 36.
2, 75, 33 *a*.
4, 326, 27; 364, 31 *a*.
10, 444, 20.
11, 71, 39; 117, 41.
13, 466, 10.
16, 466, 41.
17, 27, 5 *a*; 444, 20.
21, 466, 31.
29, 26, 15.
XI, 3, 25, 1, 4; XVII, n. 1.
10, 58, 16 *a*.
13, 194, 28.
28, 444, 20 *a*.
29, 26, 15; 457, 15; XXXIII, n. 3.
33, 5, 3 *a*.
XII, 2, 452, 1.

XII. 15, 234, 25 *a*; 262, 31.
21, 203, 15.
27, 23.
31, 111, 18
XIII, 1, 434, 25 *a*; 289, 33.
12, 110, 22; 390, 12 *a*
20, 218, 41.
XIV, 9, 74, 21.
14, 46, 7.
18, 210, 42
20, 493, 19.
41, 67, 24; 68, 5 *a*.
47, 53, 8.
XV, 5, 481, 15 *a*.
10, 210, 35 *a*.
34, 481, 35.
36, 193, 8 *a*.
45, 123, 38.
47, 338, 8 *a*.
48, 41, 7.
50, 36, 34; 37, 2 *a*; 239, 4; 241, 10.
54, 48, 19 *a*; 488, 10 *a*.
57, 322, 23.

AD CORINTHIOS II.

I, 4, 47, 37 *a*.
8, 458, 19.
12, 281, 2.
15, 357, 17.
16, 205, 17.
II, 15, 7, 27.
16, 7, 20 *a*.
III, 11, 328, 18
13, 71, 39.
18, 117, 2.
IV, 16, 388, 33.
V, 1, 189, 5.
3, 270, 17 *a*.
15, 459, 8.
16, 240, 30.
17, 13, 36 *a*.
19, LXXI, 184.
VI, 7, 324, 6.
11, 207, 1 *a*.
X, 4, 298, 13, 14.
XI, 2, 491, 28.
3, 343, 41.
25, 465, 26.
29, 193, 22; 366, 25.
XII, 7, 179, 26.
10, 69, 33.
XV, 10, 87, 7 *a*; 10 *a*.

AD GALATAS.

I, 8, 55, 6.
9, 284, 33.
15, 254, 23 *a*.
II, 4, 213, 7.
9, 246, 23.
III, 16, 434, 28.
22, 387, 1.
24, 165, 19.
27, 38, 14 *a*.
IV, 4, 114, 26 *a*; 304, 42.
19, 490, 31 *a*.
V, 2, 112, 8 *a*.
9, 446, 17.
15, 215, 20 *a*.
17, 37, 9 *a*; 238, 16.
19, 239, 40 *a*.
24, 403, 21 *a*.
VI, 4, 392, 38; 434, 29.

AD EPHESIOS

I, 22, 27, 4 *a*.
II, 3, 457, 8
14, 320, 20, 322, 5.
17, 321, 4
22, 198, 39 *a*
III, 14, 260, 29.
17, LXXVII, 54
IV, 9, 250, 13 *a*.
15, 196, 15 *a*.
18, 108, 18.
23, 46, 23.
26, 61, 39, 82, 6
V, 8, 71, 18; 100, 34; 103, 36; 108, 42, 110, 17.
14, 71, 43.
15, 38, 26.
18, 461, 6.
23, 4, 10 *a*
30, 240, 27.
26, 116, 24 *a*.
VI, 5, 300, 3.
11, 293, 32 *a*; 318, 30.
12, 3, 34, 50, 27; 58, 28; 71, 30; 319, 32; LXVIII, 67.
13, 297, 34; 303, 12.
14, 258, 29.
16, 294, 12.
17, 302, 1; 312, 16, 17

AD PHILIPPENSES.

I, 23, 102, 32; 491, 1
II, 1, 256, 11.
6, 32, 2 *a*.
7, 41, 31 *a*; 44, 29.
8, 9, 44, 30 *a*; 386, 6.
15, 102, 23.
23, 418, 20 *a*.
III, 2, 460, 3.
4, 322, 25
8, 140, 22.
19, 2, 2 *a*.
20, 41, 41; 192, 29; 146, 20.
IV, 4, 324, 3.
7, 321, 37.

AD COLOSSENSES.

I, 24, 25, 2.
II, 3, 11, 9; 287, 22; 355, 11.
9, 417, 30 *a*.
III, 1, 144, 24.
5, 410, 42.
IV, 6, 342, 2.

AD THESSALONICENSES I.

IV, 4, 139, 4 *a*, 462, 11 *a*.
15, 21, 31.
16, 74, 17.
17, 481, 18 *a*.
V, 2, 93, 29; LXIX, 103.
5, 93, 31.
7, 108, 8; 110, 13 *a*.
23, 46, 6.

AD THESSALONICENSES II.

II, 4, 304, 41 *a*.
8, 84, 3 *a*; 304, 44.
III, 5, 417, 20.

AD TITUM.

II, 3, 190, 18 *a*.
12, 319, 11 *a*.
13, 6, 8 *a*.
III, 10, 310, 21.

AD TIMOTHEUM I.

III, 4, 3, 12.
V, 18, 246, 23 *a*.
VI, 8, 199, 30 *a*; 315, 14; 354, 30 *a*.
16, 101, 33.

AD TIMOTHEUM II.

I, 2, 6, 10 *a*.
II, 4, 331, 23 *a*.
5, 323, 23 *a*.
IV, 4, 205, 8 *a*.
8, 322, 27.

AD PHILEMONEM.

VII, 12, 256, 27, 28 *a*.

AD HEBRÆOS

I, 1, 233, 1.
3, 32, 39; 272, 13; 287, 19 *a*; 357, *a*.
8, 23, n. 1.
14, 56. 12 *a*.
II, 3, 201, 25 *a*.
8, 21, 19.
11, 71, 27.
13, 5, 21,
IV, 12, 69, 1; 247, 26; 302, 20.
13, 200, 22.
V, 7, 490, 19
VI, 7, 120, 19; 122, 10.
VII, 10, 260, 16.
IX, 4, 389, 9.
XI, 3, 20, 1 *a*.
11, 171, 28.
21, 388, 8.
33, 301, 8; 319, 6.
34, 318, 24.
36, 198, 35 *a*.
37, 145, 8 *a*.
XII, 14, 221, 31.
18, 91, 14 *a*.
29, 61, 35 *a*.
XIII, 12, 41, 36.
14, 332, 24.

EPISTOLA CATHOLICA B. JACOBI.

I, 3, 277, 41
6, 104, 28 *a*.
7, 86, 25, 5
17, 62, 11; 97, 288, 10.
18, 513, 31.
III, 8, 210, 27
V, 4, 23, n. 1.
15, 249, 19 *a*.

B. PETRI I.

I, 7, 277, 3 *a*.
12, 381, 15 *a*.
II, 5, 481, 4 *a*.
9, 3, 3.
13, 258, 28.
21, 410, 7 *a*.
22, 41, 22.
23, 62, 23.
24, 367, 37.
V, 1, 213, 41.
6, 145, 9 *a*.
8, 59, 7; 318, 32 *a*; LXXXIII, 838.
9, 180, 41.

B. PETRI II.

I, 14, LXXVIII, 544.
19, 110, 26.
22, 139, 25.
II, 5, 329, 14.
17, 75, 13; 91, 29; 162, 11.

B. JOANNIS I.

I, 5, 102, 8 *a*.
30, 96, 30.
II, 10, 101, 3.
11, 71, 2 *a*.
18, 95, 31.
27, 48, 5; 139, 18 *a*; 381, 25.
III, 17, 70, 3.
IV, 12, 304, 4 *a*.
V, 3, 389, 3 *a*.

B. JUDÆ.

12, 70, 2 *a*; 352, 7.
13, 68, 13 *a*.
18, 353, 26.

APOCALYPSIS B. JOANNIS.

I, 5, 290, 2; 390, 19.
13, 33, 3; 73, 14, *a*; 275, 12.
14, 27, 16, 21.
15, 179, 4.
II, 1, 55, 9; 68, 31.
7, 349, 16; 399, 17.
9, 27, 8 *a*.
10, 54, 32 *a*.
22, 393, 20.
23, 5, 35 *a*.
28, 68, 4.
III, 4, 252, 8 *a*.
16, 206, 28 *a*; 208, 16.
18, 276, 3 *a*.
20, 20, 20 *a*.
IV, 1, 53, 42
3, 89, 9; 337, 11.
5, 182, 25.
7, 331, 35.
16, 152, 21.
V, 8, 7, 30 *a*; 205, 12.
12, 225, 26.
VI, 6, 381, 1.
9, 254, 8; 428, 22.
10, 216, 21 *a*.
12, 60, 26; 61, 20.
22, 305, 19.
VII, 9, 376, 17.
14, 216, 37.
17, 321, 1 *a*.
VIII, 1, 51, 24 *a*; 53, 39; 56, 17 *a*.
4, 183, 22 *a*.
7, 178, 37 *a*.
9, 171, 20.
IX, 2, 164, 35.
3, 165, 35; 183, 32.
4, 403, 15.
9, 312, 21 *a*.
12, 295, 8.
X, 1, 89, 31.
2, 264, 25.
38, 84, 8.
XI, 5, 178, 39 *a*.
6, 279, 2.
11, 480, 20 *a*.

XI, [illegible], 6 *a*
[illegible], 13
17, 468, 30
XII, 1, 11, 16 *a*, 63, 64 *a*, 144, 27 *a*; 68, 10, 28, 69, 21 *a*
4, 67, 29
9, 82, 23
10, 26, 9 *a*; 59, 28
14, 50, 21; 52, 14
15, [illegible], 1, 252, 15
XIII, 18, 266, 4.
20, 593
XIV, 6, LVIII, 68.
10, 462, 5.
14, 515, 11
15, 511, 55 *a*; 529, 55 *a*
18, 517, 2 *a*; 552, 21
XVI, 7, 58, 21
12, 149, 24, 158, 18
18, 61, 10
19, 461, 8.
21, 282, 18
XVII, 1, 136, 28
4, 341, 12.
15, 147, 16.
16, 218, 17
XVIII, 14, 256, 5 *a*
24, 330, 35.
XIX, 13, 147, 16.
15, 302, 1; 461, 7.
16, 38, 4; 39; 41, 4; 260, 25.
17, 470, 16.
18, 240, 12.
20, 166, 38.
XXI, 8, 205, 10.
9, 331, 1.
15, 80, 4; 81, 27.
15, 420, 1
19, 333, 4
20, 150, 24.
21, 340, 1
23, 101, 15 *a*
XXII, 1, 157, 14

LOCA HACTENUS INCOMPERTA.

2, 4 *a*.
10, 11 *a*.
14, 30.
32, 29.
44, 31.
47, 16.
82, 27.
109, 14.
125, 16.
152, 15.
170, 32.
175, 40
178, 30.
180, 42 *a*.
182, 33.
183, 17 *a*.
— 20 *a*.
— 26 *a*.
227, 41 *a*.
— 19 *a*.
513, 13.

LOCA PRÆCIPUA EX IGNOTIS VERSIONIBUS PETITA.

8, 27.
9, 24.
32, 4, 5.
76, 21.
83, 33 *a*.
102, 31.
109, 5.
— 11.
120, 6.
127, 14.
129, 2, 3.
131, 3.
133, 20.
142, 6.
152, 26.
200 passim.
156, 22.
237, 27.
309, 13.
411, 32.
434, 32.
461, 11.
480, 1.
512, 22.

ADDENDA ET EMENDANDA.

I.

De S. Melitonis apologia ad M. Aurelium, ad p. XII.

Monet Eusebius in Melitonis catalogo apologiam inscriptam fuisse βιβλίδιον, id est *libellum supplicem;* perinde ac brevius Justini apologeticon, de quo in fine : προθεῖναι τουτὶ βιβλίδιον ; neque aliud significat ipse Melito, quum ait in fragmento Eusebiano : ταυτὴν δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν. Idem respexit Syrus interpres, sed nec omisit agnomen quo se sanctus Episcopus, Justinum sequutus aut eidem exemplum præbens, philosophum coram Imperatore philosopho nuncupavit : *Sermo Melitonis philosophi*, etc.

Sed quum inde inferre liceat non ita magnæ fuisse molis hunc *sermonem* sive *libellum supplicem*, βιβλίδιον, pronum est existimare idem satis integrum, paucis demtis, contineri in XXII columnis codicis syriaci, quibus ex Eusebio græca addidimus. His vero et illis eamdem esse auctoritatem et sinceritatem, nihil hæsitans existimabit quisquis sive syriace, sive græce scripta æqua lance perpenderit, suamque sententiam nedum mutet, confirmaturus est, quo penitius excutiet quæ aptissime Noster, ut monuit interpres, de Syrorum veterum traditionibus, Sanchoniathonis et Philonis Byblii vestigiis proxime pressis, retulit. Ipse Melito, in Ἐκλογῶν proœmio ad Onesimum, non omisit itinera sua per Syriam et Palæstinam memorare. Aliud autem ad ejusdem libelli αὐθεντίαν non parum conferre putem ; in eo nimirum aliam esse rerum expositionem et argumentorum rationem quam in cæteris Apologiis, quæ, nulla Græcorum excepta, ad Alexandrinam indolem se accommodant, ut in illis ubertim occurrant loca plus minus dubia Sibyllarum ac cæterorum pseudo-testium Alexandrinorum ; quæ, ut a Melitone debuerint omnino fuisse aliena, ita par utique est cuncta istiusmodi a nostris constanter abesse. Illud adde, quod industrium interpretem nostrum non fugit [v. p. LII], conceptis verbis provocari in fine textus syriaci ad insigniora Apocalypseos capita ; quæ certe nemini solemniora fuere in hac antiquissima ætate quam episcopo Sardensium, ad cujus Ecclesiam apostolica illa revelatio destinata cœlitus est ; quin immo primo omnium quos noverimus interpretum, qui Apocalypsin commentario illustraverint. Sed hæc et alia splendidiore luce perfundet cl. W. Cureton, qui hisce diebus eadem daturus est cum versione anglica, cuncta, nec nostris omissis, suo acumine et censura expensurus.

II.

De Bibliotheca Claromontana, ad p. XV.

Ne videar plus justo commotus in illud quod censebit nemo dictum immerito fuisse latrocinium Claromontanum, quæcumque facinoris invidiam aliquantulum imminuere valent neque omisi colligere, neque rescribere piget. Sed unus homo est in toto ultimo sæculo, quem hactenus novi in tanti thesauri expilationem insurrexisse; et idem ipse rex est Ludovicus XV, qui, quum ægre ferret tot libros editos manuque scriptos e regno suo extrahi, jussu dicitur prohibuisse ne Gerardi Meermann emtoris jam consarcinatæ merces libero transitu ad Batavos permearent.

Emtor vero, sive conditionem tulerit a rege edictam, sive lubens et suapte diligentia regio interdicto obviam ierit, quadraginta circiter codices Bibliothecæ regiæ dono dedit (*Archiv. du cabinet des chartes, cart.* 3, *lettr. des ministr.*, 20 avril 1765. Lettre d'envoi de la liste des mss. provenant de caisses acquises par Meermann, qui faisaient partie de la Bibliothèque de Louis-

le Grand, que S. M. desire être remis par ce pensionnaire à son ambassadeur à la Haye. Quibus relictis codicibus, ne Meermann indonatus abiret, regi placuit eumdem, licet addictum protestantium sectæ, in sacrum S. Michaelis equitem, spretis ordinis nobilissimi legibus, asciscere. Relictorum codicum inter pretiosissimos habebatur Fredegarius, quem Comes de Lauraguais in Archivo publico regio, deinde cl. v. Bertin in Bibliotheca regia procuravit asservandum (*Lettre* du 8 oct. 1770. Cæterum litteris supra relatis (20 avr. 1765 additus est indiculus, quem ex schedis humanissimi viri Leop. Delisle integrum licuit exscribere, et hunc in locum inserere, juxta seriem numerorum in catalogo edito singulis codicibus assignatorum : inter uncos additi qui aliunde noscuntur Parisiis remansisse.

n. 214.
[n. 344.]
n. 352.
n. 372.
n. 373.
n. 604.
n. 605.
n. 615 [nunc *suppl. lat.* 215].
[n. 614.]
n. 620.
n. 623 [nunc *suppl. lat.* 303].
n. 635.
[n. 677.]
[n. 717.]
n. 720, nunc *suppl. lat.* 164^bis.]
n. 734.
n. 781.
n. 782.
n. 784.
n. 785.
[n. 790.]
n. 791.
n. 792.
n. 794.
n. 796.
n. 797.
n. 800.
n. 803.
n. 805, 2 vol.
n. 806.
n. 814.
n. 815.
n. 816.
n. 818.
n. 819.
n. 821.
n. 822.
n. 824.
n. 826.
n. 828.
n. 835.

(Cf. *Biograph. univers.* ad G. Meermann *Catal. Bibl. Clarom.* v. exempl. Bibl. Acad. Paris. In Fortunati *Opp.*, ed. Luchi, *Præfat.*, p. xvi, inseritur epistola D. Pateri, Bibliothecarii S. Germani de Pratis, qui se custodem bibliothecæ Claromontanæ fuisse duobus annis fatetur.)

III.

De codice Alcobacensi, ad p. xvii.

« Expositio Gregorii Magni in Cantica.— Vita D. Bernardi quinque libris comprehensa. — Sermones S. Leonis papæ, et *alia*. Membr. in fol. Script. a fratre *Amador de ceo.*» Nec plura Hænel in *Catal.* p. xl. Inter enim *alia*, ut dixit, rejecit fragmentum *Clavis* nostræ, quod Heinius indidem accepit. Sed neque is satis diligenter eumdem inspexit codicem, quum tempus et oleam amisit tum in rescribenda ex illo, tum in edenda expositione Gregorii in Cantica, tum in eadem anxie et operose cum codicibus Bruxellensibus conferenda et augenda, quæ a duobus sæculis integrior inter Gregorii spuria jacebat. Nec felicius cessit dimidia pars eorum quæ anecdota idem æstimavit. Sed juveni et tam inopinata morte sublato editori parcendum.

IV.

De Mesmiano Theodulfi codice, ad p. xix.

Me quidem piget, neque immerito, quod regii hujusce monumenti historiæ, pene ignotæ inde ad recentissima tempora, usque adeo subsidia desunt.

Montefalconius noster, dum Mesmianos codices in *Biblioth. Bibl.*, *mss.*, t. ii, p. 1328, recenset, unum memorat sacrorum Bibliorum textum, quem eumdem esse ac n. 676 *Suppl. latini* facilis conjectura est, hunc tamen si auctor *Bibliothecæ* vidisset, ornavisset profecto locupletiore titulo.

Eumdem vero in Ecclesia Aurelianensi remansisse ad ann. 1019-1030, testatur chartula in

ultimo folio exarata, cui inter plures insignes episcopos, subscripsisse legitur Fulbertus Carnotensis: non est idoneus hic locus singula hujus tituli momenta et chronotaxin parumper intricatam attentius pensitandi, sed ejus verba nudo tenore placet referre :

P
X. Quum multis modis labentibus temporum curriculis subintrante oblivione, res gestæ a thesauris memoriæ noscuntur sæpius recedere, solum scriptura testificante et gerentis rerum et actus gerentium futurorum notitiæ possunt patere, necessario quidquid boni quis gesserit, maxime in sancta Ecclesia, apicibus litterarum, quæ sunt vocum notæ, oportet tradere. Igitur ego [Odolricus sanctæ Ecclesiæ Aurelianensis humilis minister et episcopus? *hæc a nebulone aut fure pene corrasa*], notum iri volo tam præsentibus quam futuris meis scilicet successoribus qualiter Azinerius nostræ Ecclesiæ canonicus, recognoscens se contra meam voluntatem egisse, nostram adiit præsentiam lenire cupiens quæ delinquendo in me gessit. Sed quum in nullo ejus petitionibus assensum præbere, graviterque me sibi infensum cognosceret, tandem ut satisfactione placabilem redderet, ecclesiam sanctæ Mariæ Hospitalis, quam vice vicaria obtinuit, sanctæ Dei Ecclesiæ restitutam, ne quis præsentium vel futurorum deinceps auferre præsumeret, perpetuo anathemate indiximus, præsentibus regibus nostris atque coepiscopis.

+ Rodberti regis.
+ Hugonis regis.
S Odolrici epi.
S Gauslini archiepī.
S Fulberti epī.
S Beraldi epī.
S Amelii epī.
S Wedonis epī.

[*Paulo infra.*]

S Asineriii, cujus prædicta Ecclesia exstitit vice vicaria.

V.

De secundo Theodulfi codice, Melitonianæ Clavis nono.

Nullum est Melitonis mei codex in quem aliter inciderim quam in transcursu, et quasi per transennam præteriens. Lætabar enim pridem invenisse me demum Theodulfi Bibliorum splendidum codicem Mesmianum, neque ulla mihi esse poterat suspicio alicubi terrarum exstare simillimum omnino cum Mesmiano, ornatum eodem cæsareo sumtu, iisdem in membranis auro, argento, purpura coruscantibus, eadem auctoris arte, pari consarcinatoris ratione, manu denique scriptoris simillima : id enim prodigio simile futurum esse rebar, cujus nullum in tanta vetustate exemplum hactenus datum est. Dabitur jam, si quis sanus sanorum oculorum fidem accipiat.

Primus mihi est Hænelius, qui, in brevissimo suo omnium bibliothecarum mss. Elencho, monuit exstare in Podiensi Vellavorum urbe codicem Bibliorum purpureum et aureum, sed eumdem Theodulfi Aurelianensis nomine præsignari. Etsi totum hoc opus pene absolvissem, temperare mihi non potui quin humanissimum seminarii Valsensis Rectorem, R. P. Dujardin, S. J. litteris deprecarer, ut nonnihil de isto Theodulfi libro rescirem. A quo statim accepi diatribulam a docto viro ejusdem civitatis, Ph. Hedde, concinne digestam, inscriptamque modesto hoc titulo : *Essai paléographique sur un ms. enrichi de tissus du* IX^e^ *siècle* (au Puy, 1839). Unde discere est codicem hunc ab omni hominum memoria asservari in Ecclesia Aniciensi, quæ eum ab ipso Theodulfo in honorem B. M. V. ibidem datum dicatumque fuisse credidit, etsi vetustiora sæculo XVI testimonia scripta desint : sed jam nemo ullus dubitet, dum Mesmianum et Anicianum invicem contulerit, quin adeo gemelli codices eumdem sibi parentem jure vindicent. Nec tantum enim eadem auro et purpura et unciali charactere præfulgent, neque solum eodem modo decurrunt

omnes libri V. et N. testamenti, quorum psalmi argentea littera, cum aureis titulis in purpurea membrana exarantur, similique decore fulgent IV Evangelia, Eusebianis canonibus splendide hinc et inde præmissis; sed vero, quod e re mea prorsus erat, a laudato obsequentissimo Rectore iterum certior fui, ad calcem sacrorum Bibliorum in utriusque codicis iisdem membranis accedere, religiosissime servata serie simillima, Isidori Chronicon, Eucherii formulas, *Melitonis Clavem*, Augustini *Speculum*, atque Theodulfi versiculos. Postremo, ne minima omittamus, neque huic, nec illi deest purpureus pannus quo ambos vestitos primitus fuisse ipse Theodulfus meminit :

Nam foris hoc gemmis, auro splendescit et ostro,
Splendidiore tamen intus honore micat.

Quod ad *Clavem* attinet, ut Mesmiano, ita Aniciensi desunt auctoris nomen ac plerique tituli; duæ tantum adduntur lineolæ quæ in fine omisit Mesmiani scriptor, in Claromontano vero et cæteris non desideratæ : « Pix, inquinamentum et nigredo delictorum. In Salomone : « Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Ultima denique *de Civitatibus et provinciis*, quæ utrinque omissa videntur, pariter vagantur extra locum et in Eucherianis formulis interpolantur.

Adeo rara avis in terris est tanta duorum codicum a mille annis scriptorum similitudo, ut, quamvis dignissimum locum huic secundo Theodulfi codici Illustriss. ac Rev. DD. de Bonald, quum Anicianam Ecclesiam regeret, in museo diœcesano et thesauro Ecclesiæ B. V. Podiensis, assignaverit, ignoscar nihilominus dum optaverim fore ut gemelli codices Theodulfiani in eodem museo thesaurove, sub publica custodia, commune domicilium et individuum nanciscantur.

EMENDANDA.

In *Prolegomenis*. — Pagina II, linea 21, pone comma post *sæculi*. — P. III, lin. ult. *tam status*, lege : *tum status*. — P. VI, not. col. 2 lin. 10 πεπολιτευμένος, l. πεπολιτεύμενος. — P. X, lin. 13, *alliverit*, lege : *allieverit*. — P. XVII, not. col. 2, lin. 18, post *infra*, comma omissum. — P. XXII, lin. 28, *Barcinonensis*, l. *Agennensis*. Et vide in *Prol.* t. III, p. XII seq., similem nomenclatorum recensionem, sed locupletiorem; satis erat hic breviter eos proponere qui symbolam suam nostris dedere commentariis. — P. XXIII, lin. 16, dele *ab*. — P. XXV, not. 3, *cod. Sorbon.*, l. *cod. N. D.*, 201. — P. XXVIII, lin. 2, *scripturæ locos*, l. *scripturæ locis*. — P. XXX, lin. 39, *altera ab illa*, l. *altera ab hac*. — P. XXXII, not. col. 2, lin. 1, *duplex editio*, l. *altera editio*. — P. XXXIV, lin. 13, *ausi innuere*, l. *ausi fuimus innuere*. — P. XXXV, in catalogum quem in vacuam paginam, typis urgentibus, citius inserui, hæc liga, quæ incommode separantur : *Priscianus de accentibus, Nonius* [in cod. *Nonnus*] *Marcellus*. Locus erit alius plura ex hoc indice notandi, iterumque eum cum aliis veterum bibliothecarum catalogis accuratius edendi. — P. LXII, not. 1, in fine l. *num.* 20. — P. LXVI, not. 2 *deversum*, l. *diversum*. — P. LXVI, not. col. 1, lin. 7, *ipsomet*, l. *ipsimet*. — P. LXVII, quæ male inscribitur LXVI, in not. col. 2, lin. 18, l. *Concordat H cum C et D in dist.* 2, *art.* XI.

Cap. I. — P. 1. Totum illud proœmium signo notavi quo recentiora designantur. Sed similia occurrunt etiam in antiquissimis Græcorum monumentis, v. g. in Clementis *Recognitionib.* lib. II, c. 41, 42; in Justini et Athanasii *Quæstionibus* miscellaneis, etc. — In sequentibus correctionibus quas forte lector nimias aut minutiores reputabit, id maxime studui, nulli tædio parcens, loca Scripturæ quæ jam antea ad scrupulosam religionem descripseram, iterum recensere, neque parvi æstimare vel minimam in prioribus notis emendationem. — P. 4, l. 28, respicit Levit. I, 17. — In not. 2, lege : *Woogius*, et sic alibi. — In not. 19, lege : Genes. III, 15.

P. 5. Sunt art. IV et V, non III et IV, et sic numeris numerum unum adde. — P. 6, art. VI-VIII, dele meniscum singulis præfixum; plura enim postmodum in novis codicibus occurrebant, quæ primum a nonnullis abesse ratus, variis signis præfixeram. — P. 8, item in art. X, XI, XIII, XIV, et in XI expunge etiam obelum; meniscum vero in dist. I, art. XV, p. 9. — P. 10, not. 1, CXLIV, l. CXLIII. — P. 11, art. XVII, dele menisc.; p. 12, item obelum in art. XX. — P. 15, art. XXVI, tolle menisc. — Lin. 21, 338, l. 738. — P. 17, not. 2, 87, l. 27. — N. 7, l. Joan. VII, 28. — N. 8, l. Ps. LXXXV. — N. 24, l. Ps. LXXVII. — P. 18, n. 3, l. Jon. III, 4. — P. 20, art. XXXIV, l. XXXV, et p. 21, XXXVI. — P. 22, in Petro de Riga, v. 7, l. *concusso* clamore. — P. 23, not. 1, lin. 22, Job X, 8, l. Ps. CXVIII, 73. — Col. 2, lin. 3, l. Ps. LXXIV, 9. — P. 24, not. col. 2, lin. 16, l. *More Nebochim*.

Cap. II. — P. 25, not. lin. ult. adde : col. 41. — P. 26, not. 2, l. Ps. XVIII, 6. — P. 28, not. 6, l. Jerem. XIV, 6. — P. 33, *a*, lin. 23, et vestri, l. et *nostri*. — Not. 1, adde : *quatuor evangeliorum doctrina* B-G, id in cap. IX rejectum est. — P. 36, art. XXI, dele meniscum. — Lin. 22, n. 36, l. n. 30. — P. 37, lin. 12, scribe : — Et ipse Christus. In Job. — P. 39, lin. 22, adde : ed. I, p. 21. — N. 11, l. Marc. VI, 5. — N. 13, l. XXXIX, 12. — N. 14, l. XXIV, 65. — P. 43, n. 5, l. Ps. XVII, 40.

Cap. III. — P. 44, n. 5, l. Ps. XCVIII, 5. — P. 45. Hic illic emendabit quædam quisquis consuluerit quæ

pressius exponuntur in *Prol.* t. III, p. XII-XVI. — P. 46, n. 5, l. Ps. CIII, 12.— N. 26, l. I Reg. XVIII, 10. — P. 48, n. 8, l. Ps. XXVIII, 3-6. — P. 50, n. 11, l. Is. XXXV, 4.— P. 55, n. 17, l. Apoc. II, 1. — P. 58, n. 5, l. Is. V, 6.— P. 67, n. 7, l. Ps. CXLVI, 4. — N. 12, l. Apoc. XII, 4. — P. 89, l. 22, deest *Arcus* ante *Spiritus*. — P. 95, lin. 25, respicit Joan. XI, 9; *a*, lin. 11, Ps. LXXXIII, 11; *ib.*, lin. 15, Matth. VI, 34; lin. 34, *ib.* XX, 1. — P. 100, lin. 30, cf. Hugo S. V. t. II, p. 462. — Not. 14, l. Job XXXVIII, 15. — P. 109, n. 11, locus ignotus mihi erit, nisi respiciatur summatim Job XL, 16.— P. 112. Hermanni Werdin. versus 3 et 4 ex *Aurora* [in Genes. v. 970] citantur; exciderunt hi duo post octavum :

Ut simus promti, pietatis opus faciendo,
Non mora furetur hoc opus ulla bonum.

— P. 114, lin. 26, l. *Garnerius* Lingonensis. — P. 116, lin. 4, respicit Prov. XI, 4. — P. 119, *a*, lin. *Lublini*, l. *Dublini*.

CAP. IV. — P. 121 *b*, lin. 36, l. *Possidebant*, ob Is. LXI, 7.—P. 127, lin. 4, cf. Hug. S. V. t. II, p. 462.—P. 129, n. 1, l. Is. XXII. — P. 131, n. 2, l. Tob. XIII, 22. — P. 139, n. 1, l. Job XLI, 21. — N. 4, l. XXII, 1. — P. 140, Petrus de Riga, lege in versu primo:

Ut ficum plantavit homo, Christus Synagogam.

Ibid. numerus unus deest quatuor ultimis notis.—P. 142, n. 10 et 14, l. *caligosum*.—P. 147, n. 5, l. Ps. CXLVIII, 4. — P. 148. Numerus 13 deest ante *Suam;* unde uno numero crescant sequentes notæ. — P. 156, lin. 15, 22, respicit Job XL, 18, Ps. XCVII, 8.— P. 158, n. 8, l. Is. LXVI. — N. 10, l. Jo. XIX, 34. — P. 159, n. 15 pertinet ad lin. 1, p. 160.—P. 163, lin. 33, versus est Hildeberti, col. 1348 Opp. ed. Beaug.—P. 164, n. 4, l. Apoc. IX, 12.—P. 166, dele not. 6. — P. 167, Hermannus Werdin. in v. 3 et 4 invexit Symposii ænigma XIII. — P. 168, n. 3, l. 1, 29. — N. 4, l. *Aqua*. — P. 175, lin. 25, e Juven. *Sat.* VII, v. 194. —N. 10, l. Job XXIV, 19.— P. 176, l. 10, Lucanus male excitatur; provocandum enim erat ad Claudianum, cujus sunt pariter versus proximi, l. 19, e lib. I, *adv. Rufin.* v. 233, 234. — P. 177, n. 21, l. Job XV.—P. 178, n. 13, l. Apoc. XI. — P. 181, n. 1, respectu ad Jerem. XXXI, 4. — P. 182, lin. 6, l. lumine *semper* fulgida. — Lin. 17 l. c. XI. — N. 1, l. *modio*. — N. 12, l. 105.— N. 13, l. Ps. CXXXI. — P. 183, n. 11, cf. Sap. V, 15. — P. 184, n. 1, adde : « Corda hominum igne charitatis accensa, in psalmo B-E. » — N. 4, item : « Charitatis ignis aut exemplorum vel pœnitentiæ B-D, aut exemplum E. »—N. 12, l. Ps. XVII. — P. 185 *a*, lin. 11, sunt versus Hildeberti, inter Opp. col. 1143. — N. 3. Potius respicit Eccli. X, 9. E legit : « Quid superbit terra. » — N. 4, idem : « Ipse ego. »— P. 187, n. 3, l. t. XXVII; n. 9, dele : *metricum*, et lege : *compositus*. E Genuadio est elogium.— P. 188, pone numerum not. 16 ad Petri de Alliaco *Hexaemeron*, et in nota lege : 1710.

CAP. V. — P. 189, n. 1, lin. 3, 4, l. *in recensionem... instituendam*. — P. 203, 204, l. art. IX et X. — P. 204, excidit Hermanni versus quartus pentameter :

Fige pedem primo quem tibi monstro gradu.

P. 211, lin. 18, alias legitur : est facies *hominis*. — P. 219, n. 5, l. *E Waltero Castellionis*, et cf. t. III, p. 467.— P. 221 *a*, lin, 32, l. « Sicut *Turris*, » ita et in nota 8, ubi respiciendus est Cant. VII, v. 4. — P. 222, n. 1, l. III, 13. — P. 226, Hermannus sub fine sequitur *Auroram* in Exod. v. 1693. — P. 227 *a*, lin. 27, adducit Ovid. Fast. VI, 647.— P. 233, lin. 30, l. *Boethii*. — P. 235, notæ 8 et 11 redundant. — P. 241 *a*, lin. 22, deest vox prima : *Sanguis*, passio.—P. 242, n. 6, l. Joan. VI, 55. —P. 247, lin. 33, pone numerum 8; *ib. a*, lin. 24, numerum 12, ubi 72. —P. 264, n. 3, l. XII, 3. — P. 266, n. 6, lege: *Verticem*. Is. I, 6; n. 7, l. Ezech. I, 7. *Consolidatæ sunt bases ejus et plantæ* [Act. III, 7] B-E. — P. 274, lin. 17. Theodoro Studitæ perperam ascribitur quod pertinet ad Theodorum Prodromum.

CAP. VI. — P. 290, lin. 21, l. per violentiam *diaboli*, etc. — P. 291, n. 4, l. Ps. LXXVII. — P. 292, n. 12, l. Ps. CIV, 18.— P. 294, n. 9, l. *Eccli*. — P. 302, n. 2, l. XIX, 15.—P. 306, n. 4, l. LXXV, 14.—P. 312, n. 6, l. XXXIII, 5. — P. 314, lin. 1, 2, : adde : *Clavis*, ante *præcepta*. — P. 323, dele n. 6. — P. 333, n. 1, l. ib. 14. — P. 335, ad art. pone LVII. — P. 340 *a*, lin. 18-20, sunt versus Marbodi ad crystallum, cum his varietatibus : *Hinc etiam tritum quidam c. m. p. quo potu credunt replerier u. l.*

CAP. VII. — P. 348, n. 5, l. IV, 14. —P. 353, lin. 21, l. *perfectus* in fide.—Lin. 28, l. *cortices*. — P. 358, n. 1, l. *dicens*. — P. 363, lin. 30, adde post *Alvredus :* « In libro Vegetabilium. »—P. 370, n. 1, l. XII, 11. —P. 375, n. 6, l. VI, 10. —P. 384, n. 11, l. 1, 12. — P. 387, lin. 5, eosdem versus ante Cantorem retulit Rupertus ad calcem lib. IV in capitul. Reg. S. Bened. — P. 388, n. 17, l. XI, 7. — P. 393, n. 11, l. XXIV, 35. — P. 416, lin. 5, cf. Daniel., *Thesaur. hymnol.*, t. II, p. 382. — P. 418, n. 4, locus et sermo non invenitur nisi in antiquis Hieronymi editionibus.—P. 426, lin. 17, adde initio : *Frumentum*, quælibet, etc.—P. 430, n. 3, l. Ps. CXXV, 6.—P. 434, n. 16, l. Levit. XI. — P. 461, n. 28, l. Gen. XLIX, 11. — P. 462, n. 9, l. Ps. XXII, 5. — P. 463, n. 5, l. Ps. LXXIV, 48.—P. 465, n. 14, l. Ps. L, 7.—P. 467, n. 15, l. c. 13, 2.

CAP. VIII. — P. 479, n. 1 in fine, l. n. 3, p. 332. — P. 490, lin. 23, præmitte : *Turtur*, Ecclesia, etc.—P. 495, n. 6, l. *Illos*. Ps. XVII, 38.—P. 498 *a*, lin. 31, ab initio lege : *Corvus*, contumax. — P. 520, lin. 12. Temere irrepsit inter christianos scriptores lemma illud de spurio trium Judæorum libello. Sed de his et cæteris quæ ad Physiologum spectant, satius erit ad Prolegomena tom. III, p. XLVII-LXXV, te referre.

ELENCHUS

RERUM QUÆ HOC TOMO CONTINENTUR.

Pag.

BREVE SS. P. N. PII PP. IX ad Solesmenses

PROLEGOMENA ad tom. II. I

DE SANCTO MELITONE dissertatio IV
§ I. De vita ejusdem. *ibid.*
§ II. De indice librorum ejusdem. VII
§ III. De libro qui dicitur *Clavis*. XIII
§ IV. De ejusdem libri interpretibus et commentatoribus. XXI

Syllabus chronologicus προλεγομένων, sive litterarii S. Melitonis annales. XXXV

S. MELITONIS FRAGMENTA quæ supersunt omnia, syriace, græce et latine.
Monitum interpretis de Syrorum codice. XXXVII
Apologia ad Aurelium, sive *Sermo Melitonis philosophi, qui factus est coram Antonino Cæsare*, syriace. XXXVIII
— Ex eodem fragm. græce et syriace. LIV
De Anima et Corpore, syriace. LVII
De Absalonis allegoria, græce. LVIII
De Cruce, syriace. LIX
De Passione, græce. *ibid.*
De Fide, syriace. LX
Clementis Alexandrini testimonium. LXII
Ex initio tractatus *de Paschate*, græce et syriace. LXII
De Incarnatione Christi, græce. *ibid.*
Prœmium ad VI *libr.* ἐκλογῶν, græce et syriace. LXIII
Librorum incertorum fragmenta græca. LXIV
Index librorum S. Melitonis, juxta Eusebium. LXV
Idem, juxta Hieronymum. LXVI

APPARATUS de tribus præcipuis recensionibus libri qui *Clavis* dicitur. LXVIII
Recensio Theodulfi Aurelianensis ad calcem SS. Bibliorum. *ibid.*
Recensionis Adami Præmonstratensis indiculus. LXXV
Recensionis novissimæ elenchus. LXXVI

LIBER QUEM SANCTUS MELITO CLAVIM APPELLAVIT. 1

CAPUT I. *De Deo.* *ibid.*

APPENDIX ad caput I. — *Scriptores præcipui veteres de divinis Nominibus.* 22

Pag.

CAPUT II. *De Filio Dei, secundum carnem.* 25

APPENDIX ad cap. II. — *Scriptores de præcipuis Christi nominibus.* 45

CAPUT III. — *De supernis creaturis.* 46

APPENDIX ad cap. III. — *De rerum cœlestium allegoriis scriptores.* 118

CAPUT IV. — *De mundo et partibus ejus.* 120

APPENDIX ad cap. IV. — *Veterum Commentarii quinquaginta in Hexaemeron.* 186

CAPUT V. — *De variis hominum appellationibus.* 189

APPENDIX ad cap. V. — *Scriptores præcipui veteres de Opificio hominis.* 273

CAPUT VI. — *De metallis et aliis rebus sive his quæ ex eis fiunt.* 275

APPENDIX ad cap. VI. — *Scriptores præcipui de lapidum virtutibus.* 344
Inter veteres Ethnicos. *ibid.*
Inter Judæos et Orientales. 345
In Ecclesia christiana. *ibid.*
Inter recentiores. 346

CAPUT VII. — *De lignis et floribus.* 347

APPENDIX ad cap. VII. — *Physiologi veteres de herbarum virtutibus et proprietatibus.* 467
Inter Ethnicos. *ibid.*
Inter Judæos et Orientales. 468
Inter Christianos. *ibid.*

CAPUT VIII. — *De avibus.* 470

APPENDIX ad cap. VIII. — *Syllabus auctorum de avibus apud Plinium.* 519

Christiani veteres nonnulli qui præter Physiologum et ejus interpretes de mystica avium significatione scripserunt. 520

INDEX locorum sacræ Scripturæ. 521
(Cæteri indices ad calcem tomi III exstant.)
Addenda et emendanda. 545